SYNODORUM
GENERALIUM,
AC PROVINCIALIUM
DECRETA, ET CANONES,

SCHOLIIS, NOTIS, AC HISTORICA ACTORUM DISSERTATIONE ILLUSTRATI,

PER F. CHRISTIANUM LUPUM,

Iprenſem, Ordinis Heremitarum Sancti Auguſtini, Sacræ Theologiæ in Alma Lovanienſi Univerſitate Doctorem, ac Regium Primarium Profeſſorem.

PARS TERTIA.

OPERUM TOMUS TERTIUS,

Complectens Synodum ſextam, ſeptimam, & octavam.

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.

VENETIIS, MDCCXXIV.

Proſtant { APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM Q. HIERON. ET SEBASTIANUM COLETI.

CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

(✱) (†) (✱)

CANONES SYNODI VIII.

CANON PRIMUS.

Canones ab Apoſtolis, Conciliis generalibus, localibus, atque SS. Patribus traditi ſerventur ac cuſtodiantur. Traditiones non ſcriptæ teneantur. 259.

CANON II.

Capitula & Decreta Nicolai & Adriani Pontificum ſerventur ac cuſtodiantur. 261.

CANON III.

Sacra imago Chriſti, liber Evangeliorum, & typus pretioſæ crucis, ſimiliter & Dei genitricis, Angelorum, aliorumque Sanctorum honorentur & adorentur. 265.

CANON IV.

Photius damnatur 1. Qui nec Epiſcopus fuit, nec ullum rectè conſecravit. Ejus itidem acta omnia irrita declarantur. 266.

CANON V.

Nec neophytus, nec laicus ad Epiſcopatum aſſumatur. Palatinus in lectoratu unum, in Subdiaconatu duos, in Diaconatu tres, in Presbyteratu quatuor annos compleat, priuſquam ad Epiſcopatum admittatur: Niſi Epiſcoporum Prælati diſpenſaverint. 268.

CANON VI.

Photius variis de cauſis anathematizatus, præſertim quòd in Nicolaum Pontificem anathema promulgavit. 271.

CANON VII.

Bonum eſt venerabiles imagines depingere: Photiani tamen nec doceant, nec imagines depingant. 273.

CANON VIII.

Patriarchæ ne ab Epiſcopis juratum chirographum ad proprium favorem aut ſtabilitatem exigant. 274.

CANON IX.

Omnes per chirographa Photio antè obſtricti, exceptis hæreticis, licitè poſſunt alibi diſcere. 275.

CANON X.

Nemo ante Synodicam ſententiam ſe à communione ſui Epiſcopi, Metropolitæ, aut Patriarchæ ſeparet. 277.

CANON XI.

Unica duntaxàt anima, eaque rationalis eſt in homine. 281.

CANON XII.

Qui ex voluntate vel potentia Principum Epiſcopalis dignitatis conſecrationem ſuſceperit, deponatur. 282.

CANON XIII.

Clerici Eccleſiæ cathedralis, non autem nobilium domeſtici ab Ordinibus minoribus in dictæ Eccleſiæ gradus aſſumantur. 283.

CANON XIV.

Epiſcopi à Principibus honorentur. Nec illis procul ab Eccleſiis obviam procedant, nec de equis ac mulis eos adoraturi deſcendant. Nec Regiæ menſæ adſtent: Sed illos, ubi deliquerint, arguant & corrigant. 284.

CANON XV.

Epiſcopus ne ſupellectilem aut vaſa ſacra alienet, niſi in captivorum redemptionem. Nec quovis contractu reditus Eccleſiaſticos lædat, quippe qui ſunt ad pauperum eſcam & peregrinorum ſuſtentationem. Omnem rerum Eccleſiaſticarum quidem habet Epiſcopus poteſtatem, ſed ut melioret ac dilatet. Si Epiſcopus de reditibus Eccleſiæ monaſterium conſtruxerit, ipſum eidem Eccleſiæ tradat: Si ex propriis, in id jus habeat, poſt mortem tamen ejus in ſæculare diverſorium ne demutetur. 287. 288.

CANON XVI.

Nemo, Divinis illudendo, perſonatum agat Epiſcopum. 290. 291.

CANON XVII.

Patriarchæ in Metropolitanos habeant poteſtatem tùm ad Synodum convocandi, tùm illos delicti cauſa evocandi. Qui ſe à Principibus detineri cauſantur, non excuſentur. Concilia Patriarchalia tanquam Metropoliticis utiliora congregentur. Debent Concilia ſine Principum præſentia celebrari,

Digitized by Google

vi, quippe qui Conciliis generalibus dumtaxàt intereſſe ſoleant. 292. 293.

CANON XVIII.

Res vel privilegia ab Eccleſiis 30. *annorum ſpatio poſſeſſa, à nemine auferantur.* 300.

CANON XIX.

Archiepiſcopi aut Metropolitæ ne ſub prætextu viſitationis ex avaritia aliarum Eccleſiarum reditus conſumant: Nec quicquam, excepta frugali hoſpitalitate, exigant. 300.

CANON XX.

Epiſcopus aut Metropolita prætextu non ſervati pacti emphyteuticam poſſeſſionibus Eccleſiæ non ſpoliet, niſi ſervato juris ordine trium annorum penſionem non ſolviſſe fuerit convictus. 302.

CANON XXI.

Principes ne Patriarchas inhonorent aut è throno ejiciant, ſed revereantur, præſertim Romanum Pontificem: Adversùs quem nemini licet conſcriptiones diffamatorias componere. Quin immò ipſa universalis Synodus, ſi quid ambiguum aut controverſum ſit, contra Romanum Pontificem cum convenienti reverentia procedat. 303.

CANON XXII.

Promotio ac conſecratio Epiſcoporum fiat à comprovincialibus Epiſcopis. Nemo laicorum Principum electioni aut promotioni Epiſcoporum ſeſe inſerat. Si quis verò ab Eccleſia ad cooperandum invitetur, cum reverentia licebit obtemperare. 307.

CANON XXIII.

Nullus Epiſcoporum poſſeſſiones alienæ Eccleſiæ donet. Nec Presbyteros nec Clericos præter voluntatem Epiſcopi, cui Eccleſia ſubjecta eſt, conſtituat: Nec Presbyteri nec Diaconi in aliena Eccleſia Sacrum aliquid operentur. 310.

CANON XXIV.

Metropolitani ne, ſæcularibus curis implicati, Divina officia ac alia Sacra ſuffraganeis Epiſcopis committant, 311.

CANON XXV.

Clerici ritè ordinati, qui à Photio necdum recedere, ſint depoſiti: Nec pœnitentes niſi ad laicam communionem recipiantur. 313.

CANON XXVI.

Presbyter aut Diaconus, qui ſe à proprio Epiſcopo læſum arbitratur, poteſt Metropolitam appellare. Poteſt itidem Epiſcopus Patriarcham. Nec Epiſcopus ab Epiſcopo, nec Metropolita à Metropolita vicino, licet incurriſſe crimina perhibeatur, ſed à ſolo proprio Metropolita aut Patriarcha judicetur. 313. 314.

CANON XXVII.

Epiſcopi ne ultra ſtata tempora & loca palliis utantur. Monachi ad Epiſcopatum evecti ne habitum monachalem deponant. 315.

Digitized by Google

BEATISSIMO PATRI

BENEDICTO XIII.

P. O. M.

FR. THOMAS ANTONIUS PHILIPPINUS ORD. HEREM. S. AUGUSTINI

PERPETUAM FELICITATEM.

NUncio ad nos allato, Beatiſſime Pater, Te omnium Cardinalium ſuffragiis Pontificem Maximum creatum eſſe; atque ita creatum, ut divinæ voluntatis declarationem in ea re nemo expreſſam, explicatamque non viderit, primo cum reliquis omnibus Chriſtianæ

Google

Reipublicæ cauſſa, præſertim vero Dominicanæ Familiæ, & ſacrorum omnium Ordinum, ad quos maxima omnium dignitas revocaretur, privato deinde nomine vehementiſſime ſum gaviſus. Etenim, cum mihi tertius Chriſtiani Lupi Tomus edendus eſſet; primum autem Innocentio XIII. P. M. dicaviſſem, contigiſſe mihi divinitus exiſtimavi, vel potius ipſi Chriſtiano Lupo, ut illius libri tuo etiam nomine, Beatiſſime Pater, ad quem paulo fidentius, juſtiſſime certe veniunt, ornarentur. Eundem enim obtines, quem Innocentius XIII. Principem gradum dignitatis: ex nobiliſſimis uterque gentibus, quæ interdum, vel potius ſæpe tot ſæculis inter ſe propinquitate conjunctæ fuerunt, in Urbe omnium nobiliſſima profecti eſtis. Uterque demum, quod propius meum conſilium contingit, non mediocri eſtis erga noſtrum Ordinem voluntate, pietate vero erga D. Auguſtini doctrinam plane ſumma. Ego vero exiſtimo ipſius Lupi merito factum eſſe; Eundemque inter beatas animas hoc etiam præmio frui, ſuorum librorum editionem in hæc tempora diſtractam fuiſſe, ut, qui toti eſſent in Pontificia auctoritate tuenda, atque amplificanda, duorum etiam Sanctiſſimorum Pontificum nominibus, quibus nuncupati eſſent, honeſtarentur. Quorum alter etiam ex religioſa Familia, ORDINIS SCILICET PRÆDICATORUM, *quæ cum ſua pro vitæ inſtitutis, atque ſtudiorum ſimilitudine con-*

ſentiret,

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO

P R I N C I P I,

D. FLAVIO CHYSIO,

S. Romanæ Eccleſiæ ad S. MARIÆ de Populo Presbytero Cardinali, & Bibliothecario,

ALEXANDRI SEPTIMI

Pontificis Optimi Maximi NEPOTI,

AC AD LUDOVICUM XIV. CHRISTIANISSIMUM FRANCORUM REGEM
L E G A T O, &c.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE,

SAcerdotii atque Imperii concordiam eſſe totius mundi pacem ſcribit
ad Leonem Iſaurum Imperatorem Pontifex Gregorius ſecundus. Epiſt. 2.
Summos namque Pontifices & Reges eſſe duos, quorum vel levis
divaricatio omne corpus fœdet, mundi oculos Gregorius ſeptimus in litteris ad Rudolſum
Sueviæ Ducem adſirmat. Sine ipſorum unanimitate tutas non poſſe eſſe res humanas cla- L. 1. Epiſt. 19.
mat ad Hugonem Eccleſiæ Lugdunenſis Primatem Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Eos
eſſe principales & fortiores, è quibus univerſum Dei tabernaculum pendeat, paxillos ajunt Epiſt. 60.
ejus littera ad Brunonem Archi-Epiſcopum Trevirenſem. Commiſſis hiſce cardinibus omnia
mundi elementa, & Eccleſiæ & Reipublicæ Primates, collidi & quaſſari ſcribit in Sclavo- Epiſt. 214
rum chronico Arnoldus Abbas Lubecenſis. Vaſtus & vorax ignis ex modica quandoque
ſcintilla. Etenim Ludovici quarti Imperatoris in Joannem vigeſimum ſecundum Pontificem L. 4. c. 16.
& fidelem illi Clerum inſolentias à Schriniarii, inſcio Principe Pontificem in neſcio qua
Epiſtola malè tractantis, vitio fuiſſe natas adſeverat Abbas Uſpergenſis. Eaſdem contentio- A. 1323.

 nes

nes fuiſſe Turcorum Tyranno & Armenia & terræ ſanctæ invadendæ anſam habemus ab
A. 1335. *Alberto Argentinenſi. Ex Henrici quarti adversùs Gregorium ſeptimum diſcordia everſam*
omnem Germaniæ diſciplinam, omne Chriſtianæ vitæ aurum fuiſſe verſum in miſerandæ
confuſionis ſcoriam lamentantur ejuſdem Principis anonymus Apologus, & Chronicon Eccle-
ſiæ Auguſtanæ. Iſtiuſmodi flammarum Palatinos ſuſcitatores uti Regni peſtes meritò dete-
Epiſt. 221. *ſtatur in variis Epiſtolis Sanctus Bernardus. Neque enim ſolius Sacerdotii, ſed & Regni*
222. 223. *eſt iſta calamitas. Etenim Philippi Pulchri Francorum Regis cum Bonifacio octavo Ponti-*
243. 282. *fice contendentis, totiuſque exindè Galliæ miſerias quis ignoret? Longa & horrenda Anglo-*
rum per ipſam graſſatio alium non habuit fontem Henricum quartum, Henricum quintum,
Fredericum primum, Fredericum ſecundum, Ottonem quartum, & Ludovicum quartum
Imperatores, & alios non paucos orthodoxos Principes, quos in Romanam Eccleſiam pu-
Hembol. *gnaſſe legimus, legimus & infeliciſſimos vixiſſe. Certè Henrico quinto familiæ exſtirpatio-*
L. 1. c. 35. *nem prædixerat Paſchalis ſecundus. Et de Apoſtolica Sancti Petri Cathedra rectè ad Pro-*
Epiſt. 89. *vinciæ Viennenſis Epiſcopos ſcribit Sanctus Leo Magnus:* Quiſquis huic Principatum
§. 1. æſtimat denegandum, illius quidem nullo modo minuere poteſt dignitatem, ſed in-
flatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſemet-ipſum in inferna demergit. *Quapropter univerſa ſub*
cœlo Eccleſia ſummas poſt Deum gratias debet ſanctiſſimo Patri & Domino noſtro ALE-
XANDRO SEPTIMO, *cujus Apoſtolica providentia tremendam iſtam Divini furoris*
manum in Chriſtianiſſimum ac florentiſſimum Galliæ Regnum irrumpere promptam cohi-
buit, atque ità illi ſartam tectam ſervavit avitam gloriam, quam Paſchali ſecundo Ponti-
Epiſt. 232. *fici meritò commendavit laudatus Epiſcopus Carnutenſis:* Regnum Francorum præ cæte-
ris Regnis Sedi Apoſtolicæ ſemper fuit obnoxium, & idcircò, quantùm ad ipſas
Regias perſonas pertinet, nulla fuit diviſio inter Regnum & Sacerdotium. *A Lo-*
thario Auguſto, per quem tetra de inveſtiendis Antiſtitibus lis tandem plenè fuit exſtin-
L. 1. c. 41. *cta, novam mundo illatam lucem prædicat in laudato Sclavorum chronico Presbyter Hem-*
boldus: Perpetuam ſine nocte lucem ALEXANDRO SEPTIMO *debet Eccleſia Gallica-*
Epiſt. 214. *na. Fecit hoc paterna ejus pietas, ſecuta conſilium laudati Ivonis:* In tanto ſalutis peri-
culo non ſolius medicinæ rigor ſervandus eſt, ſed & diſpenſationis modus, qui nulli
ſapienti diſplicuit, ad ſedandas tantas perturbationes in aliquibus admittendus. *Et-*
enim in noſtris ſaxea, in Divinis manibus cerea eſſe, & in omnem formam vertibilia Re-
gum corda, ideòque ipſos non vi, ſed amore & fuſis apud Deum lacrymis ad pacem ab
Epiſt. 75. *Eccleſia docendos ſuadet Sanctus Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis. Et cuncta hæc,*
PRINCEPS EMINENTISSIME, *gloria etiam tua eſt, utpotè* ALEXANDRO SE-
PTIMO *in grandi hoc opere iſtud ipſum, quod Sancto Petro Apoſtolo in prima Eccleſiæ*
Gallicanæ fundatione fuit Sanctus Martialis Epiſcopus Lemovicenſis: Fuiſſe Sancti Petri
Apoſtoli Legatum & Nepotem adſeverat Sanctus Petrus Damiani. Primam ſuam, ex qua
Serm. 16. *Francis Occidentale Imperium, cum Carolo Magno amicitiam per Theodorum Nepotem iniit*
Epiſt. 1. *etiam Adrianus primus. Et Leo Gabinenſis Epiſcopus, qui Caroli Calvi Regis cum Ro-*
apud Fran. *mana Eccleſia quæſtiones compoſuit in Synodo Pontigonenſi, erat Apocriſarius & Nepos*
du Cheſne. *Joannis octavi. Adeò antiqua ſunt & Gallorum & Francorum debita erga Romanorum*
Pontificum Nepotes. Paria EMINENTIÆ VESTRÆ *debet hæc Alma* SCHOLA LO-
VANIENSIS. *Etenim neſcio quibus, quoniam ex peccatis noſtris arietari hujus ſæculi*
meruerunt omnia, apud nos contentionibus avitam cum fœnore pacem & gaudia quidem ab
ALEXANDRO SEPTIMO, *verùm per ſacras* BENIGNITATIS VESTRÆ *manus*
accepit. Veſtra in omnem Auguſtinenſem familiam, & me præſertim, minimum ejus filium,
beneficia, quoniam grandia & multa, nolim enumerare, ſed paucis hiſce lineis dumtaxàt
profiteor gratum & memorem animum erga EMINENTIAM VESTRAM, *quam Deus*
Op. Max. ad ſuæ Eccleſiæ inter duros noviſſimorum temporum ſcopulos fluctuantis ſola-
tium & lumen dudùm cuſtodire dignetur. Ità opto & voveo Lovanii, Kalendis Januariis
anno Chriſti Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto.

EMINENTIÆ VESTRÆ

minimus Famulus

Fr. CHRISTIANUS LUPUS.

S C H E M A

Synodorum, quæ Tomo tertio Scholiis ac Notis illuſtrantur, locum, tempus, Præſidem, Epiſcopos ſummatim repræſentans.

Series.	Nomina.	Annus.	Pontifex.	Præſidens.	Epiſcoporum numerus.	Imperator.	Cauſa ſeu occaſio.
6.	Synodus Conſtantinopolitana III. dicta VI. Synodus, coacta Conſtantinopoli in Thracia. P. 33. 2.	680. P. 33. 2.	S. Agatho. P. 30. 2. Pontificatus anno 3. P. 33. 2.	Thodorus, Georgius Presbyteri Romani, ac Joannes Diaconus. P. 30. 2.	Varius in diverſis actionibus Epiſcoporum numerus. P. 34. 1. & 51. 2.	Conſtantinus Pogonatus. P. 29. 1. Imperii anno 13. P. 33. 2.	Monothelitarum hæreſia. P. 33. 2.
	Trullana Synodus P. 170. 2. à Trullo Palatii ſic appellatata, & Quinta-Sexta.	692. P. 169. 1.	Sergius I. Pontificatus anno 5. P. 169. 1.	Callinicus Epiſcopus Conſtantinopolitanus. P. 170. 2.	211. P. 169. 2.	Juſtinianus II. Imperii anno 8. P. 169. 1.	Omiſſio conditorum in V. & VI. Synodo Canonum. P. 168. 1.
7.	Nicæna II. P. 237. 1. dicta VII. Synodus, coacta Nicææ in Bythinia.	787. P 237. 1.	Adrianus I. Pontificatus anno 16. P 237. 1.	Petrus Romanæ Eccleſiæ Preſbyt. Petrus Abb. Preſbyter. P. 237. 1.	350. P. 236. 1.	Conſtantin. ejuſque Mater Irene Imper. an. 8. P. 237. 1.	Iconoclaſtarum hæreſis. P. 234. 1.
8.	Conſtantinopolitana IV. P. 363. 2. dicta VIII. Synodus.	869. P. 367. 2.	Adrianus II. Pontificatus anno 2. P. 367. 2.	Donatus Oſtienſis, & Stephanus Nepeſinus Epiſc. & Marinus Card. Diac. P. 363. 2.	109. P. 366. 1.	Baſilius Auguſtus, Imperii anno 3. P. 367. 2.	Photii ſchiſma. P. 363. 2.

SYNOPSIS CANONUM,

Qui hoc tertio Tomo exponuntur.

SEXTÆ GENERALIS SYNODI

DECRETUM DE FIDE.

Concilium Chalcedonenſe confirmatur: item Epiſtola Sanctis Leonis ad Sanctum Flavianum. Epiſtolæ Sancti Cyrilli adversùs Neſtorium & ad Orientales Epiſcopos recipiuntur. 1. *Item quinque antecedentia Concilia.* 2. *Chriſtus verus Deus & homo.* ibid. *B. Virgo eſt verè Dei Genitrix.* ibid. *Chriſti perſona unica, natura duplex.* 3. *In eo duplex voluntas, duplex operatio.* ibid. *Duæ voluntates naturales non ſibi contrariæ.* ibid. *Non eſt alia fides ab ullo tradenda.* 4.

SYNOPSIS CANONUM TRULLANORUM.

CANON PRIMUS.

Fides ab Apoſtolis tradita, inviolabiliter ſervanda. 53. *uti & doctrina ſex Synodorum univerſalium.* ibid. & ſeq. *præſertim VI. Synodi.* 54.

CANON II.

Octoginta quinque Apoſtolorum Canones firmi ſtabileſque permaneant. Clementis Conſtitutiones, ut ab hæreticis depravatæ rejiciuntur. Varii Canones recipiuntur, quorum innovatio aut ſubverſio prohibetur. 55. 56.

CANON III.

Juſtinianus II. Eccleſiam Romanam commendat, quòd Clericis majoribus continentiam imponat, rogatque Græcis certos terminos præfigi. Hinc duobus Matrimoniis implicati deponuntur. Quorum uxores in ſecundis nuptiis obierunt, aliquantùm ſuſpenduntur. Qui poſt ordinationem Matrimonio ſe applicarunt, diſſoluto Matrimonio ad ſublimiorem gradum non promovendi. Digami, aut qui concubinam aluerint, ad majores Ordines non promoveantur. 58.

CA-

CANON IV.

Clericus, qui cum muliere Deo dicata coierit, deponatur: laicus ſegregetur. 62.

CANON V.

Nullus extraneas mulieres (niſi in Synodo Nicæna exceptas) poſſideat. Clericus tranſgreſſor, deponatur: Laicus ſegregetur. 62.

CANON VI.

Clerici majores nequeunt inire Matrimonium. Conjugati tamen non prohibentur ordinari. 63.

CANON VII.

Diaconus ante Presbyterum ne ſedeat, niſi Patriarchæ aut Metropolitani ſui vices gerat. 64.

CANON VIII.

Semel ut minimùm quotannis Synodus Provincialis fiat. 65.

CANON IX.

Clerici cauponariam tabernam ne exerceant. 65.

CANON X.

Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus uſuras ne accipiat. 66.

CANON XI.

In ritibus aut victu nemo cum Judæis communicet. 66.

CANON XII.

Epiſcopi poſt ordinationem unà cum uxoribus ne habitent. 67.

CANON XIII.

Canon Apoſtolicus Canoni Eccleſiæ Romanæ contrarius, conjunctionem Clericorum non diſſolvit: Quamobrem conjugatus poteſt Presbyter, Diaconus, ac Subdiaconus ordinari. Eo tamen tempore, quo altari deſerviunt, oportet ſint continentes. Qui eos uxore privaverit, deponatur. 69.

CANON XIV.

Nec Presbyter ante 30. nec Diaconus ante 25. nec Diaconiſſa ante 40. annos ordinetur. 71.

CANON XV.

Subdiaconus ne minor 20. annis ordinetur. 72.

CANON XVI.

Apoſtoli Act. 6. non de ordinatis Diaconis, ſed de iis, qui menſis præerant, ſunt locuti. Quapropter ſeptem ejuſmodi Diaconi ex Ordinatis non accipiantur. 72. 73.

CANON XVII.

Nullus Clericorum ſine proprii Epiſcopi ſcripta dimiſſoria in alienæ Eccleſiæ catalogum referatur. 73.

CANON XVIII.

Clerici, qui ex quadam neceſſitate Eccleſiam propriam deſeruerunt, ea ceſſante, revertantur. 74.

CANON XIX.

Qui præſunt Eccleſiis populum diebus præſertim Dominicis ex Scripturis & SS. Patribus inſtruant. S. Scripturam conformiter SS. Patrum expoſitioni intrepretentur. 74.

CANON XX.

Epiſcopus ne in aliena Eccleſia publicè doceat. 76.

CANON XXI.

Clerici ob crimen depoſiti, ſi pœniteant, Clerici habitu tondeantur: Sin minùs, comam nutriant. 76.

CANON XXII.

Simoniacè ordinati, uti & qui ordinarunt, deponuntur. 77.

CANON XXIII.

Nullus pro Euchariſtiæ communione quidquam exigat. Qui ſecùs faxit, ut ſimoniacus deponatur. 77.

CANON XXIV.

Clerici & Monachi ludis theatricis ne interſint. Clericus ad nuptias vocatus, ubi ludicra nuptialia introierint, abſcedat. 77.

CANON XXV.

Parochiæ ſub Epiſcopis, qui eas poſſident, permaneant. Si qua fortè hac de re controverſia exoriatur, ad Synodum Provincialem deferatur. 79.

CANON XXVI.

Presbyter per ignorantiam conjugatus, ab illicitis nuptiis abſtineat. 79. *Nubentibus ne benedicat: Nec corpus Chriſti diſtribuat: Nec aliud miniſterium obeat. Conjugium diſſolvetur.* 80.

CANON XXVII.

Clerici veſte ſibi convenienti utantur. 80.

CANON XXVIII.

Uva cum Euchariſtia à Sacerdotibus ne diſtribuatur. 80.

CANON XXIX.

Fideles, etiam feria 5. in cœna Domini, jejuni communicent. 81.

CANON XXX.

Sacerdotes inter barbaros, qui contra Canonem Apoſtolicum ductæ antè uxoris uſu abſtinent, cum illa ne cohabitent. 83.

CANON XXXI.

Clerici ſine Epiſcopi facultate in oratoriis domeſticis ne Sacra faciant vel baptizent. 83.

CANON XXXII.

In incruento ſacrificio ex Apoſtolica traditione aqua vino miſcenda. 85.

CANON XXXIII.

Digni in Clerum ſunt referendi, quamvis ex genere ſacerdotali non ſint oriundi. Concionantes ſacerdotali tonſura utantur, ſuſcepta à ſuo Paſtore benedictione. 88.

CANON XXXIV.

Conjurantes Clerici aut Monachi, aut adversùs Epiſcopos vel Conclericos aliquid machinantes, à proprio gradu excidant. 89.

CANON XXXV.

Non licet Metropolitano Epiſcopi defuncti bona ſibi vendicare, ſed ſint ſub Cleri cuſtodia, donec de altero Epiſcopo Eccleſiæ fuerit proviſum. 90.

CANON XXXVI.

Epiſcopatus Conſtantinopolitanus æqualia privilegia cum Romano obtineat: Sitque ſecundus, Alexandrinus tertius, quartus Antiochenus, quintus Hieroſolymitanus. 90.

CANON XXXVII.

Epiſcopi à barbaris ſede pulſi, validè ac licitè omnia Epiſcopalia munia obeunt. 90.

CANON XXXVIII.

Sicubi à Principe nova civitas erigatur, novus quoque ibidem Epiſcopus cum Clero ſtatuatur. 91.

CANON XXXIX.

Juſtinianopolis in Cypro jus habeat Conſtantinopolis.

Præſit

Præſit Epiſcopis Helleſpontiçis ac Cyzicenorum Epiſcopo, qui & à Cypriorum Epiſcopo ordinabitur. 91.

CANON XL.

Jugum monachicum ſubituras ne ſit minor 10. annis. Sanctus Baſilius 17. annos poſtulat, ut in Virginum ordinem aliqua referatur. Verùm uti ætas 60. annorum ad 40. à Canonibus pro ordinanda Diaconiſſa eſt contracta, ità & modò non diu cunctandum, ſed ad tam boni electionem incitandi. 92. 93.

CANON XLI.

Qui in clauſuris volunt ſecedere, priùs triennio in monaſterio Superiori pareant: atque alio extra clauſuram anno exacto, eam vivendi rationem eligentes, includantur: nec eis deinceps egredi permittatur. 98.

CANON XLII.

Eremitæ, qui urbes obeunt, vel inter Cœnobitas referantur, vel ad ſolitudinem compellantur. 97.

CANON XLIII.

Cuilibet Chriſtiano, quantumvis prolapſo, licet monaſterium ingredi. 98.

CANON XLIV.

Monachus fornicator, aut uxorem ducens, fornicatorum pœnis ſubjicietur. 99.

CANON XLV.

Mulieres, antequam ſacro amictu induantur, ſericis veſtibus ac mundo muliebri non exornentur. 99.

CANON XLVI.

Mulieres in monaſteriis conſtitutæ ne egrediantur, niſi premente neceſſitate, de facultate ejus quæ præfecta eſt. Sed & viri non niſi urgente neceſſitate cum benedictione ejus qui præeſt, procedant. 99.

CANON XLVII.

Mulier in monaſterio virorum non dormiat, nec è diverſo. 100.

CANON XLVIII.

Uxor illius, qui ad Epiſcopatum promovetur, communi conſenſu monaſterium ingrediatur. 100.

CANON XLIX.

Monaſteria in ſecularia habitacula ne convertantur. 100.

CANON L.

Nec Clerico nec laico alea licet ludere. 101.

CANON LI.

Mimi, ſpectacula, venationes ne ſpectentur, nec in ſcena fiant ſaltationes. 102.

CANON LII.

In quadrageſima, excepto Sabbatho & Dominica, fiat oblatio ſacrificii antè perfecti. 103.

CANON LIII.

Nemo cum matre baptizati, quem è fonte ſuſcepit, contrahat matrimonium. 105.

CANON LIV.

Nuptiæ in gradibus nimium propinquis vetitæ. 106.

CANON LV.

Clerici ne Sabbatho vel Dominica, etiam Romæ, jejunent. 106.

CANON LVI.

Fideles in Sabbathis & Dominicis quadrageſimæ, ſicut ab omni mactabili, ſic ab ovis & caſeo abſtineant. 110.

CANON LVII.

Mel & lac ad altare ne offeratur. 111.

CANON LVIII.

Laicus ne præſente Epiſcopo, Presbytero, aut Diacono ſibi Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtret. 113.

CANON LIX.

Baptiſmus ſolùm in Eccleſia conferatur. 114.

CANON LX.

Qui ſe à dæmone correptos ſimulant, ut dæmoniaci puniantur. 114.

CANON LXI.

Vates, ſortilegi, incantatores, &c. ſexennio excommunicantur. 115.

CANON LXII.

Feſta Gentilium à fidelibus ne celebrentur. Vir ne veſte muliebri, nec mulier veſte virili induatur. 115.

CANON LXIII.

Confictæ Martyrum hiſtoriæ igni tradantur. 117.

CANON LXIV.

Laicus ne publicè diſputet aut doceat. 118.

CANON LXV.

In noviluniis ne ritu Gentilium rogi accendantur. 119.

CANON LXVI.

A die Reſurrectionis per totam ſeptimanam fideles ferientur. Nec equorum curſus, nec publicum fiat ſpectaculum. 119.

CANON LXVII.

Fideles à ſanguine animalium abſtineant. 120.

CANON LXVIII.

Nemo ſacros libros corrumpat vel conſcindat. 122.

CANON LXIX.

Nulli laicorum, excepto Cæſare, liceat chorum ingredi. 123

CANON LXX.

Mulieres in Eccleſia taceant. 127.

CANON LXXI.

Juris alumni ne Gentilium moribus utantur, nec veſtibus præter communem uſum induantur. 128.

CANON LXXII.

Nuptiæ orthodoxi cum hæretica fiat irritæ. Si ex infidelibus alter conjugum ad fidem convertatur, veliteque cum infideli cohabitare, ne ſeparentur. 128. 129.

CANON LXXIII.

Crucis figura ne in pavimento fiat: jam facta deleatur. 129.

CANON LXXIV.

Ne agapæ ſeu epulæ in Eccleſiis fiant. 132.

CANON LXXV.

Pſallentes in Eccleſiis inordinata vociferatione ne utantur, ſed cum attentione & compunctione pſalmodias Deo offerant. 134.

CANON LXXVI.

Intra Eccleſiarum ambitum ne venditiones exerceantur. 138.

CANON LXXVII.

Viri una cum mulieribus ne laventur. 139.

CANON LXXVIII.

Qui baptizantur, Symbolum diſcant, illudque Preſbyteris feria 5. recitent. 140.

CANON LXXIX.

Abſque ſecundinis Chriſtus ex Virgine natus, quamobrem in honorem ſecundinarum, nec ſolemnitas, nec munerum largitio exerceatur. 143.

CANON LXXX.

Nec Clericus, nec laicus ſine neceſſitate tribus ſeptimanis ab Eccleſia abſit. 144.

CANON LXXXI.

Hymno, in quo ter-ſanctus *canitur, Triſagium dicto, ne addatur*, qui crucifixus es pro nobis, miſerere noſtri. 144.

CANON LXXXII.

Chriſtus figura humana, non agni, depingatur. 149.

CANON LXXXIII.

Nemo cadaveribus Eucbariſtiam communicet. 151.

CANON LXXXIV.

Infantes, de quorum Baptiſmo non conſtat, baptizandi. 151.

CANON LXXXV.

Servi ſub tribus teſtibus manumiſſi, gaudeant libertate. 153.

CANON LXXXVI.

Qui ſcorta alunt, puniendi. 153.

CANON LXXXVII.

Qui, uxore relicta, aliam ducit, adulter eſt: & pœniteat. 153.

CANON LXXXVIII.

Nemo jumentum ſine neceſſitate in templum introducat. 154.

CANON LXXXIX.

Sabbatho ſancto jejunium ad mediam noctem protrahatur. 156.

CANON XC.

A veſpera Sabbathi ad veſperam ſequentem nemo genuflectat. 156.

CANON XCI.

Qui abortum procurant, homicidæ pœnis ſubjaceant. 157.

CANON XCII.

Raptores mulierum, ac adjutores, puniuntur. 157.

CANON XCIII.

Uxor, niſi certa de morte conjugis, alteri ne nubat. 158.

CANON XCIV.

Ethnico more ne juretur. 158.

CANON XCV.

Hæretici ad Eccleſiam reduces, qui ſuſcipiendi. 159.

CANON XCVI.

Fideles ne calamiſtratis capillis exornentur. 160.

CANON XCVII.

Conjugati ne loca ſacra inhabitent. 162.

CANON XCVIII.

Nemo mulierem alteri deſponſatam ducat. 163.

CANON XCIX.

Ne fruſta carnium Sacerdotibus offerantur. 163.

CANON C.

Oculi ſolicitè ſerventur: nec imagines ad turpia incitantes depingantur. 164.

CANON CI.

Communicantes manus in crucis formam diſponant, nec alia materia S. Eucbariſtiam excipiant. 165.

CANON CII.

In Sacramento Pœnitentiæ, tùm peccatorum, tùm perſonarum pœnitentium, habenda eſt ratio. 166.

SEPTIMÆ SYNODI CANONES AC DECRETA.

DECRETUM DE FIDE.

Juxta Sanctorum Patrum magiſterium, atque Eccleſiæ Catholicæ traditionem definimus figuram crucis, ſanctas imagines Chriſti, B. Virginis, Sanctorum Angelorum, & Omnium Sanctorum in Eccleſiis, aliiſque locis proponendas: eiſque non latriam, ſed honorariam adorationem impertiendam. Traditiones Eccleſiæ maximi faciendæ. 174.

CANON PRIMUS.

Canones Apoſtolici, ſex Synodorum generalium, etiam Trullani, item & Provincialium, immobiliter teneantur. 180.

CANON II.

Epiſcopus calleat Pſalterium. A Metropolita examinetur, an ſacros Canones ac S. Scripturam noverit, iiſque paratus ſit ſtudendo incumbere. Quod ſi polliceri detrectarit, nullatenùs conſecretur. 181. 182.

CANON III.

Epiſcopi electio à Principibus facta, ſit irrita: Oportet enim ut Epiſcopus ab Epiſcopis eligatur. 184.

CANON IV.

Epiſcopus ne aurum vel argentum à Clericis vel Monachis exigat. Qui verò ob ejuſmodi exactionem aliquem à miniſterio arcet vel templa claudit, ſimili pœnæ ſubjaceat. 185.

CANON V.

Clerici qui ob aurum Eccleſiæ datum, honoratiorem locum ambiunt, ad poſtremum dejiciantur. Immò ut ſimoniaci acriter puniantur. 187.

CANON VI.

Definitio VI. Synodi de quotannis Synodo celebranda innovatur. Metropolitanus nil ab Epiſcopis exigat. 189.

CANON VII.

Templa ſine reliquiis Martyrum conſecrata, cum earundem poſitione denuò conſecrentur. 191.

CANON VIII.

Judæi Chriſtianam fidem ſimulantes ejiciantur. Eorum pueri non baptizentur, nec eorum ſervi emantur: ſecùs ſi ex ſincero corde fuerint converſi. 192.

CANON IX.

Iconoclaſtarum ſcripta, vulgo non permiſſa, in Epiſcopio Conſtantinopolitano cum reliquis hæreticorum libris aſſerventur. 193.

CANON X.

Clerici in oratoriis ſine requiſito conſenſu ne Miſſas faciant. 194.

CANON XI.

In unaquaque Eccleſia œconomi ſint, oportet. Quod ſi Metropolitani prætermiſerint, Epiſcopus Conſtantinopolitanus œconomum ſtatuat. Quod ipſum in monaſteriis ſervandum. 195.

CANON XII.

Bonorum Epiſcopii aut monaſterii irrita ſit alienatio. 195.

CANON XIII.

Epiſcopia ac monaſteria iniquè facta diverſoria, reſtituantur. 196.

CANON XIV.

Tonſura clericalis aut monachalis ſine Epiſcopi manus impoſitione non accipiantur. Abbas Presbyter, cui ab Epiſcopo facta eſt manus impoſitio, lectori manum poterit imponere. Uti & Chorepiſcopi de Epiſcopi conſenſu. 197.

CANON XV.

Clericus ne duobus gaudeat beneficiis. 201.

CANON XVI.

Epiſcopi ac Clerici ne pretioſis veſtibus induantur. 202.

CANON XVII.

Monachi ea quæ ad perfectionem domus ſunt neceſſaria, non habentes, extra monaſterium oratorium ne ædificent. 203.

CANON XVIII.

Nulla fœmina in Epiſcopio aut monaſterio commoretur. 204.

CANON XIX.

Nemo ob aurum ad ſacros Ordines aut monaſterium admittatur: quod tamen liberis datur more dotis, aut ſponte offertur, cedat monaſterio. 204.

CANON XX.

Monachi & Monachæ in uno monaſterio ne cohabitent: nec invicem ſecretò alloquantur, nec ſingulariter conviventur. 207.

CANON XXI.

Monachus ne monaſterium ſuum deſerat. 208.

CANON XXII.

Laici ne cum ſcenicis ludicris aut meretriciis vocibus manducent. Monachi verò & Clerici ne cum mulieribus ſecretò conviventur, niſi in certis circumſtantiis. 209.

CANONES

ſentiret, profectus eſſet; ut plane putem, illum gaudere vehementer quidem, tamen ſuis Libris ab utroque Pontifice gloriam acceſſiſſe, vehementius tamen à Te, qui pro ipſa vitæ, atque Ordinum ſocietate, cum eodem tuam ipſam quodammodo Majeſtatem communices. Illud autem jucundiſſimum illi puto eſſe, vetuſtiſſimam illam Eccleſiæ diſciplinam, ſanctitatem, modeſtiam, continentiam, pietatem, doctrinam, & chriſtianam demum ſevere, graviterque vivendi rationem, quarum virtutum imaginem in ſcriptis ipſe referebat, exprimebatque ſuis, à Sanctitate Tua nunc demum re, & factis egregie repræſentari. Illud interea ego ſanctiſſimis tuis pedibus advolutus, omnibus precibus à Te, Sanctiſſime Pater, oro, atque peto, ut hanc non meæ modo, ſed univerſi etiam Auguſtiniani Ordinis erga ſanctitatem tuam obſervantiæ, & pietatis ſignificationem, benigniſſime excipias, Tibique perſuadeas, nihil quicquam magis nos omnes aut cupere, aut à D. O. M. poſtulare, quam ut Te Eccleſiæ bono, & bonorum omnium felicitati diutiſſime incolumem eſſe velit. Nunquam enim in meliorem, certioremque ſpem, atque nunc ingreſſi ſumus, fore, ut ſpiritus Jeſu Chriſti, cujus unius gloriam ſuſpicis, omnibus ità fidelibus afferatur, ut nihil prorſus aliud, quam abſtinentiam, facilitatem, Manſuetudinem, pacem demum, & concordiam animo concipiant; Vitamque ſuam ad priſcam illam cum morum, tum doctrinarum ra-

tionem,

tionem, qua tuam colis, aliquando dirigant. Nunquam enim habituri ſunt exempla ad virtutem perſequendam illuſtriora: nunquam vehementiore ad eandem incitatione impellentur. Optime vero intelligebam ad me pertinere, ut iſtuc venirem, Tuiſque beatiſſimis pedibus provoluerer; ſed multa, ut tutè noſti, Beatiſſime Pater, hominem, qui alicui ſacræ Familiæ nomen dederit, impediunt, quominus officio ſatisfaciat ſuo. Non deſpero tamen fore, ut me, vel abſentem Tua illa ſumma cum erga omnes, tum præcipuè erga eos, qui in religioſa quadam Domo vivunt humanitate complectare; laboremque hunc meum, & diuturnum, & propemodum ſummum, quem in vulgandis optimi, doctiſſimique Viri libris impendo, & probes, & fovendum etiam ſuſcipias. Quod ſi feceris, Beatiſſime Pater, mihi etiam animos addideris ad alia id genus aggredienda, quæ ad Tuam Principem, ſanctiſſimamque Sedem adverſus Hæreticos defendendam, pertineant.

Venetiis prid. Id. Auguſti 1724.

SYNODORUM
GENERALIUM AC PROVINCIALIUM
DECRETA ET CANONES,
SCHOLIIS, ET NOTIS ILLUSTRATI.

SEXTI GENERALIS CONCILII
DECRETUM DE FIDE.

Sufficiebat quidem ad perfectam orthodoxæ Fidei cognitionem atque confirmationem, pium atque orthodoxum Nicænum Divinæ gratiæ Symbolum. Sed quoniam non deſtitit ab exordio adinventor malitiæ cooperatorem ſibi ſerpentem inveniens, & per eum venenoſam humanæ naturæ deferens mortem, & ità organa ad propriam ſui voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus qui fuerat Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, qui fuerunt hujus Regiæ urbis Antiſtites, inſuper & Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ, & Cyrum, qui Alexandriæ tenuit Epiſcopatum, Macarium quoque, qui nuper fuerat Antiochiæ Præſul, & Stephanum ejus diſcipulum, non vacavit per eos plenitudini Eccleſiæ erroris ſcandala ſuſcitare, unius voluntatis & unius operationis in duabus naturis unius de ſancta Trinitate, Chriſti veri Dei noſtri, orthodoxæ plebi noviſonè diſſeminando hæreſim conſentaneam inſanæ ac malitioſæ ſectæ impiorum Apollinarii, Severi, atque Themiſtii: Quæ & perfectionem huma-

manitatis unius, ejuſdemque Domini Jeſu Chriſti Dei noſtri, molita eſt per quandam doloſam adinventionem perimere, per hoc involuntariam & inoperatricem carnem ejus, quæ intellectualiter animata eſt, infamiter introducens. Excitavit igitur Chriſtus Deus noſter fideliſſimum Imperatorem novum David, virùm ſecundùm cor ſuum inveniens, qui non dedit, (juxta quod ſcriptum eſt) ſomnum oculis ſuis, & palpebris ſuis dormitationem, donec per hunc noſtrum à Deo congregatum, ſacrumque conventum, ipſam rectæ fidei reperit perfectam prædicationem. (Secundùm enim à Domino editam vocem: *UBI DUO VEL TRES FUERINT CONGREGATI IN NOMINE MEO, IBI SUM IN MEDIO EORUM.*) Quæ præſens ſancta & univerſalis Synodus fideliter ſuſcipiens, & expanſis manibus amplectens, tam ſuggeſtionem, quæ à ſanctiſſimo ac beatiſſimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta eſt ad Conſtantinum piiſſimum, atque fideliſſimum noſtrum Imperatorem, quæ nominatim abjecit eos, qui docuerunt vel prædicaverunt (ſicut ſuperiùs dictum eſt) unam voluntatem & unam operationem in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, veri Dei noſtri, ad æque amplexa eſt & alteram ſynodalem ſuggeſtionem, quæ miſſa eſt à ſacro Concilio, quod eſt ſub eodem ſanctiſſimo Papa centum viginti quinque Deo amabilium Epiſcoporum, ad ejus à Deo inſtructam Tranquillitatem, utpotè conſonantes ſancto Chalcedonenſi Concilio, & Tomo ſacerrimi ac beatiſſimi Papæ ejuſdem antiquæ Romæ Leonis, qui directus eſt ad Sanctum Flavianum, quem & *TITULUM RECTÆ FIDEI* hujuſmodi Synodus appellavit: Adhæc & ſynodicis epiſtolis, quæ ſcriptæ ſunt à beato Cyrillo adversùs impium Neſtorium, & ad Orientales Epiſcopos. Aſſequuti quoque ſancta quinque univerſalia Concilia, & ſanctos atque probabiles Patres, conſonanterque confiteri definientes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum noſtrum, unum de ſancta, & ſubſtantiali & vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in Deitate, & perfectum eumdem in humanitate, Deum verè & hominem verè eundem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem per omnia ſimilem nobis abſque peccato, ante ſæcula quidem ex Patre genitum ſecundùm Deitatem, in ultimis diebus autem eumdem propter nos, & propter noſtram ſalutem de Spiritu Sancto & Maria Virgine propriè & veraciter Dei genitrice ſecundùm humanitatem, unum eundemque Chriſtum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfusè, inconvertibiliter, inſeparabiliter, indiviſè cognoſcendum, nuſquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem, ſalvataque magis proprietate utriuſque naturæ & in unam perſonam, & in unam ſubſiſtentiam concurrente, non in duas perſonas partitum vel diviſum, ſed unum, eundemque unigenitum Filium Deum Verbum Dominum Jeſum Chriſtum, juxta quod olim Prophetæ de eo, & ipſe nos Dominus Jeſus Chriſtus erudivit, & ſanctorum Patrum nobis tradidit ſymbolum,

& duas

& duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiviſè, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſè ſecundùm ſanctorum Patrum doctrinam adæquè prædicamus; & duas naturales voluntates non contrarias (abſit), juxta quod impii aſſeruerunt hæretici, ſed ſequèntem ejus humanam voluntatem, & non reſiſtentem vel reluctantem, ſed potiùs & ſubjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, ſubjici verò voluntati divinæ, juxta ſapientiſſimum Athanaſium. Sicut enim ejus caro, caro Dei Verbi dicitur, & eſt, ità & naturalis carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur, & eſt, ſicut ipſe ait: *QUIA DESCENDI DE CÆLO, NON UT FACIAM VOLUNTATEM MEAM, SED EJUS QUI MISIT ME PATRIS*; ſuam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus. Nam & caro propria ejus facta eſt. Quemadmodùm enim ſanctiſſima atque immaculata animata ejus caro deificata non eſt perempta, ſed in proprio ſui ſtatu & ratione permanſit; ità & humana ejus voluntas deificata non eſt perempta, ſalvata eſt autem magis ſecundùm deiloquum Gregorium dicentem: *NAM ILLIUS VELLE, QUOD IN SALVATORE INTELLIGITUR, NON EST CONTRARIUM DEO, DEIFICATUM EST TOTUM*. Duas verò naturales operationes indiviſè, inconvertibiliter, inconfuſè, inſeparabiliter in eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo noſtro glorificamus, hoc eſt, divinam operationem, & humanam operationem, ſecundùm divinum Prædicatorem Leonem, apertiſſimè aſſerentem: *AGIT ENIM UTRAQUE FORMA CUM ALTERIUS COMMUNIONE QUOD PROPRIUM EST, VERBO SCILICET OPERANTE QUOD VERBI EST, ET CARNE EXSEQUENTE QUOD CARNIS EST*. Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ, ut neque quod creatum eſt, in divinam educamus eſſentiam: Neque quod eximium eſt Divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus. Unius enim, ejuſdemque tam miracula, quamque paſſiones cognoſcimus, ſecundùm aliud, & aliud earum, ex quibus eſt naturarum, & in quibus habet eſſe, ſicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique igitur inconfuſum atque indiviſum conſervantes, brevi voce cuncta proferimus unum ſanctæ Trinitatis, & poſt Incarnationem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum noſtrum eſſe credentes, aſſerimus duas ejus eſſe naturas, in una ejus radiantes ſubſiſtentia, in qua tam miracula, quamque paſſiones per omnem ſui diſpenſativam converſationem, non per phantaſiam, ſed veraciter demonſtravit, ob naturalem differentiam in eadem una ſubſiſtentia cognoſcendam, dum cum alterius communione utraque natura indiviſè & inconfuſè pro-

pria vellet , atque operaretur : Juxta quam rationem & duas naturales voluntates , & operationes confitemur , ad ſalutem humani generis convenienter in eo concurrentes . His igitur cum omni undique cautela atque diligentia à nobis formatis , definimus aliam fidem nulli licere proferre aut conſcribere , componere aut ſapere , vel etiam aliter docere. Qui verò præſumpſerit fidem alteram componere, vel proferre , vel docere , vel tradere aliud Symbolum volentibus converti ad agnitionem veritatis ex Gentilitate vel Judaiſmo , aut ex qualibet hæreſi , aut qui novitatem vocis vel ſermonis adinventionem ad ſubverſionem eorum , quæ nunc à nobis determinata ſunt , introducere : Hos , ſiquidem Epiſcopi fuerint, aut Clerici , alienos eſſe, Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu , Clericos verò à Clero ; ſin autem Monachi fuerint, vel laici , etiam anathematizari eos.

DISSER-

DISSERTATIO
DE SEXTA SYNODO GENERALI.
CAPUT PRIMUM.
Exponitur exordium Monothelitarum.

ERrorem Monotheliticum induxerunt Sergius Conſtantinopolitanus, Cyrus Phaſidis apud Lazos ac deindè Alexandriæ, Theodorus Pharanitanus, Athanaſius Antiochenus Epiſcopus, & Heraclius Auguſtus. Rei ſeriem edicit Sanctus Maximus, Abbas, & Martyr, Pyrrho ſucceſſori proximo Sergii, Sanctum Sophronium Hieroſolymæ Patriarcham de mali origine accuſanti, reſpondens. *Eum, qui extra culpam eſt, graviter criminamini. Dic enim mihi, per veritatem ipſam oro, cùm Sergius* Conſtantinopolitanus Epiſcopus *ad Theodorum Pharanitanum ſcripſit, miſſo etiam libello, quem eſſe dicit Mennæ* ſui Anteceſſoris ſcriptum ad Vigilium Pontificem Romanum, *per Sergium Marcaronam Epiſcopum Arſinoes; hortans eum, ut quid ſentiret de una operatione in eo libello, unaque voluntate aperiret, & reſcripſit approbans ea; ubi tunc erat Sophronius? Aut cum Theodoſiopolim ad Paulum monoculum & Severi ſectatorem ſcripſit, miſſo etiam ad illum libello Mennæ; & Theodori Pharanitani cum ſua approbatione: Aut ubi erat, quando ad Georgium cognomento Arſam Paulianiſtam ſcripſit, rogans ut mitteret ſibi auctoritates de una operatione, inſeruitque Epiſtolæ facere etiam ſe his auctoritatibus unionem Eccleſiæ cum eis? Hanc autem Epiſtolam Beatus Joannes Papa Alexandrinus*, cognomento Eleemoſynarius, *manu ab Arſa abſtulit. Undè cùm vellet eum ob ipſam deponere, impeditus fuit tunc ab incurſu à Perſis in Ægyptum facto. Aut quando ad Cyrum Phaſidis Epiſcopum reſcripſit de una operatione & duabus ab eo rogatus, miſſo etiam ad eum libello Mennæ, quem diximus. Quid igitur? Poſtquam Sergius multis modis morbum in commune propoſuit, & maximam Eccleſiæ partem corrupit ac vaſtavit, ſi Beatus Sophronius admonuit eum humilitate, quæ ejus habitum decebat, ad ejus genua provolutus, obteſtans ne vocem hæreticorum à ſanctis Patribus ſuperioribus probè olim exſtinctam renovaret, fuit ne ipſe auctor hujus ſcandali?* Conſonat Georgius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaco-
Act. 13. nus & Chartophylax, dicens ad Synodum præſentem. *Inveni in Chartophylacio venerabilis Patriarchii Epiſtolam Cyri Epiſcopi, qui tunc Phaſidis fuerat, miſſam ad Sergium quondam Patriarcham hujus Regiæ urbis ante quinquaginta ſex annos per quartam decimam indictionem præteriti circuli, interrogantis per eamdem Epiſtolam prædictum Sergium de quæſtione operationum. Similiter & alteram Epiſtolam directam ab ipſo Cyro ad eumdem Sergium, poſtquàm ab Epiſcopatu Phaſidis translatus eſt ad ſedem Alexandriæ magnæ civitatis, inſinuante unitatem factam cum his, qui Theodoſiani dicuntur, unà cum exemplaribus ſatisfactionis de unitate, quæ provenit inter ipſos Theodoſianos & prædictum Cyrum; pariterque & Theodori quondam Epiſcopi Pharanitani libros diverſos prolatos ex bibliotheca venerabilis Patriarchii, inter quos & Epiſtolam ejuſdem Theodori ad Sergium Epiſcopum Arſenoitam de una operatione.* Legati Apoſtolici in prima Actione dixerunt eſſe annos dumtaxàt quadraginta ſex. Et Sanctus Martinus primus Pontifex in litteris ad Sanctum Amandum, Trajectenſem Epiſcopum, lapſæ apud nos Belgas Chriſtianitatis reparatorem, exſtantibus poſt quintum Se-
cretarium Synodi ejus Lateranenſis. *Credimus ad* Epiſt. 1.
vos perveniſſe, quomodò in perturbatione rectæ fidei, & Catholicæ Eccleſiæ conculcatione, ante hos plus minùs quindecim annos, à Sergio falſo Epiſcopo Conſtantinopolitano, in auxilium habente tunc imperantem Heraclium, exſecranda & abominanda hæreſis pullulavit, renovans Apollinariſtarum, Severianorum, Eutychianiſtarum, & Manichæorum errorem. Et ipſe Sergius in litteris ad Honorium Pontificem. *Nuper piiſſimus & à Deo coronatus Dominus noſter, apud Edeſſam demorans civitatem, pios apices ad nos fecit, præcipientes ut paterna illi teſtimonia defloraremus, quæ continentur in libro dogmatico, facto à ſanctæ memoriæ Menna ad ſanctiſſimum Vigilium de una operatione & una voluntate, & ſic à Deo inſtructæ ejus Serenitati dirigere deberemus. Quod & ad effectum perduximus.*

Ex quibus teſtimoniis oritur quæſtio de tempore nati erroris. Etenim laudata Sancti Martini Pontificis Epiſtola eſt ſcripta anno primo Pontificatus, nati Chriſti Domini ſexcenteſimo quadrageſimo nono, adeòque ortus videtur error

anno

anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo quarto: Decims tertia hujus Synodi Actio habita eſt anno Domini ſexcenteſimo octuageſimo primo, Agathonis Papæ tertio, decimo tertio Conſtantini quarti Auguſti, vulgò Pogonati ſeu barbati, atque ità juxtà Georgii Diaconi computum ortus fuit error anno Domini ſexcenteſimo vigeſimo quinto. Georgius Cedrenus ad vigeſimum quintum annum imperii ſcribit de Heraclio Auguſto. *Cùm degeret Hierapoli, venit ad eum Athanaſius Jacobitarum Patriarcha, homo callidus, &, uti ſunt Syri omnes natura, ad mala facinora verſutia inſtructus. Is cum Imperatore de fide colloquitur, eique Imperator promittit ſe eum, modo Chalcedonenſis Concilii decreta approbet, Antiochiæ Epiſcopum creaturum. Athanaſius id ſimulat, & fatetur duas in Chriſto naturas, ſimul Heraclio quæſtionem proponit de actionibus & voluntatibus, utrùm duplices in Chriſto, an verò ſimplices dicendæ ſint. Ea de re Imperator ad Sergium Conſtantinopolitanum, & Cyrum Phaſidis Epiſcopum ſcribit. Quorum cùm uterque è ſecta Monothelitarum eſſet, invenit eos cum Athanaſio ſentire. Quorum ſententiam cùm ad Joannem Papam perſcriberet, eſt hæc ab eo improbata. Interim Georgio Alexandriæ Epiſcopo mortuo, Cyrus ſufficitur.* Vigeſimus quintus Heraclii annus eſt Chriſti Domini ſexcenteſimus trigeſimus quartus. At verò tunc non Joannes quartus, ſed Honorius primus erat Pontifex, agens annum Pontificatus nonum. Hinc tamen computus coincidit cum computu Martini Papæ, atque ità iſto anno cœpit errori Heraclius miſceri. Errorem enim eſſe longè vetuſtiorem evincit Sanctus Maximus Abbas, dicens Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani litteras fuiſſe Georgio Arſæ à Sancto Joanne Eleemoſynario Alexandriæ Patriarcha ſub damnationis comminatione de manu ereptas: Sanctus namque Joannes, uti in chrónico ſcribit Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac in illius vita Leontius Eccleſiæ Neapolitanæ apud Cyptios Presbyter, Epiſcopatum iniit primo Heraclii anno, Chriſti Domini ſexcenteſimo decimo, ad meliorem verò vitam tranſiit anno ſexcenteſimo vigeſimo, atque ità intra decem hoſce annos cœperunt Sergius & Cyrus delirare.

Sergius in ſedem Conſtantinopolitanam poſt Joannem quartum, cognomento jejunatorem, & Cyriacum, qui adversùs Pelagii ſecundi & Sancti Gregorii Magni Pontificum decreta adſumpſerunt profanum & ſuperbum *Epiſcopi univerſalis* nomen, Thomæ ſucceſſit. Ità Epiſcopi Conſtantinopolitani ſemper errores ſeminarunt. Eum Nicephorus Calixtus fuiſſe dicit hominem Jacobitam, Joanni Philopono amicum; at verò Martinus primus Pontifex in Synodo ſua Romana aſſerit dogmata ejus hauſta à Themiſtio, Diacono Alexandrino, Agnoetarum auctore. Addit Sanctus Maximus in diſputatione cum Pyrrho Epiſcopo Conſtantinopolitano. *Nacti eſtis Heraclium veſtrum ad hoc adjutorem, quia vos ejus nefariæ & ſceleratæ mixtioni aſſenſi eſtis; & benedictione eam confirmaſtis.* Mixtioni præſertim Theodoſianorum ac reliquorum Eutychianiſtarum. Eccleſiam Orientalem in longè plurima Neſtorianorum & Eutychianiſtarum fruſta dilaceratam, ac pugnantem in ſemetipſam reperit Heraclius. Atque ità, quomodò Juſtinianus Acephalos in communionem catholicam uniturus ſuſcitavit trium Capitulorum ſcandalum; ità ille omnes haſce ſectas ſperans in pacem componere fuit adjutor & obſtetricator ad monſtrum novi erroris. Cum hæreticis nulla ineunda ſunt religionis pacta, ſed cogendi ad ſimplicem iniquitatis ejerationem, & aviti dogmatis profeſſionem: Alioquin non communionem facies, ſed, quomodò Facundus Hermianenſis dixit, confuſionem, ſeu, uti hìc dicit Sanctus Maximus, nefariam & ſceleratam mixtionem. Eorum poſtulationes tractandæ ſunt, quomodò Rex Salomon tractavit poſtulationes rebellis fratris, ſuperbum & contumacem hæreticorum ſpiritum præfigurantis, Adoniæ.

De Jacobo & Jacobitis hæc Nicephorus Calixtus. [L. 8. c. 52.] *Jacobus, à quo Jacobitarum hæreſis denominata celebratur, Syrus genere fuit, obſcurus prorsùs & nulla gloria vir, qui etiam zanzalus propter ſummam tenuitatem eſt cognominatus. Hic Eutychetis & Dioſcori, Cnapheique præterea Petri, atque Severi dogmate recepto, magnopere id apud Syros propagare ſtuduit.* Ejuſdem meminit Sanctus Joannes Damaſcenus in hæreſi Eutychianorum & Monophyſitarum: *Horum Principes fuerunt Theodoſius Alexandrinus, à quo Theodoſiani, & Jacobus Syrus, à quo Jacobitæ ſunt nominati.* Quo tempore præcisè fuerit, non conſtat. Prima ejus memoria eſt apud Anaſtaſium Sinaitam in libro, cui titulus, *Dux vitæ*. Eum Jacobus de [L. 1. c. 75.] Vitriaco in Hiſtoria Hieroſolymitana fuiſſe dicit diſcipulum cujuſdam Patriarchæ Alexandrini, qui ſanè eo tempore erant paſſim Eutychianiſtæ. Eutychianiſtæ quinto & ſexto ſæculo horrendè arietarunt omnem Orientalem Eccleſiam; pugnantes etiam in invicem; at ſeptimò adversùm Saracenos ſeſe univerunt, omneſque cœperunt dici Jacobitæ. Undè chronicon Alexandrinum ante annos quadringentos à neſcio quo Eutychianiſta compoſitum memorat ſolos Jacobitas. Jacobus de Vitriaco & Marinus Sanutus addunt [L. 2. Part. 8. c. 4.] nullum apud eos eſſe uſum ſacramentalis confeſſionis, atque hìnc Calviniſtæ gloriantur eam eſſe recens commentum Eccleſiæ Romanæ. At reſpondeo ejus non uſum eſſe recens Jacobitarum commentum, inductum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptimo à Joanne Abulgamedo, Patriarcha Alexandrino; de quo jam dictum chronicon: *Confeſſionem ab Eccleſia Cophitarum abrogavit, circumciſionem verò multùm commendavit.* Eſm non negavit eſſe novi teſtamenti Sacramentum, ſed abrogavit dumtaxat ob rationes adductas ab Abnel Aſſali in conſtitutionibus Ec- [C. 51.] cleſiæ Copticæ, in linguam latinam traductis à viro docto & Arabe inſigniter orthodoxo Abrahamo Ekellenſi in annotationibus ad catalogum librorum Syriacoium Hedeb-Jeſu. Et abrogatio valuit in ſola Ægypto.

Joannis Philoponi dogma & mores exponit Photius in Bibliotheca. *Joannes Philoponus corporum reſurrectionem rejicit, multa inconſideratè jactat, ſanctorum etiam Patrum auctoritatem riſu inſectari*

ſectari

L. 55. *ſectari auſus*. Edidit & quatuor libros adversùs
Synodum Chalcedonenſem, impingere ei im-
pudenter conatus Neſtorii, cujus perſonam dam-
navit, errorem, tamqoam quæ exiſtimarit non
peccare in hominem, dummodò ejus dogma ſan-
ciret. Ejuſmodi ineptiis opus replet, nullo ſa-
næ mentis argumento. Hexameron item librum
ſcripſit ſuaſu Sergii Patriarchæ Conſtantinopoli-
tani, ex quo vides eos ſuiſſe ejuſdem gregis.
Præcipuum opus fuit adversùs Joannem Scholaſti-
cum, Sancti Eutychii in dicta ſede ſucceſſorem,
blaſphemans in Deo non ſolummodò tres perſo-
nas, ſed & tres eſſentias ſeu naturas, atque
hìnc vocatus eſt Tritheita, & caput Tritheita-
rum. Sanctus Sophronius Patriarcha Hieroſoly-
mitanus, in litteris ad Sergium Conſtantinopo-
litanum, vocat Joannem Grammaticum, co-
gnomento Philoponum, id eſt, ſtudioſum la-
boris, ſeu veriùs Malæoponum, id eſt, irritum
laboratorem, com Conone & Eugenio maledi-
ctum Trithejas ſeu triplicis Divinitatis propu-
gnatorem. Docuit tres Deitates æquales: Petrus
Syrus & Sergius Armenius cum Ario garriverunt
gradatim inæquales; Damianus eorum adverſa-
rius fuit novus Sabellius. Athanaſius Syrus &
Apozygarius Anaſtaſius eos conati ſunt conci-
liare. Tot peſtilentiæ monſtra iſto tempore graſ-
ſabantur.

Theodoſianos genuit Theodoſius, adversùs
Gajanum de Patriarchatu Alexandrino decer-
tans, de quibus Liberatus Carthaginenſis. *Divi-*
Cap. 10. *ſa eſt uſque nunc iſta civitas hoc ſchiſmate, ut Ga-*
janitæ & Theodoſiani in illa vocentur, id eſt, Phan-
taſiaſtæ & Corrupticolæ: Gajanus itaque Julianum
Halicarnaſſi Epiſcopum, Theodoſius de Chriſti
Domini corpore ſecutus eſt Severum Antioche-
num, Eutychianiſta adeò contumax, ut à Ju-
ſtiniano Auguſto relegari maluerit, quam reci-
pere Synodum Chalcedonenſem.

Theodoſiopolis eſt Armeniæ civitas: habi-
tans autem iſtic Paulus Monoculus, Severi ſe-
ctator, eſt ille ipſe, de quo Sergius Patriarcha
ſcribit ad Honorium Papam. *Ante aliquod certum*
tempus, cùm adverſùm Perſas confirmatus Domi-
nus noſter & magnus Victor Imperator promovebat
exercitum, & ad partes Armeniæ perveniſſet, unus
ex Principibus impiæ partis Severi execrabilis,
nomine Paulus, in illis partibus apparens, ad ejus
Pietatem acceſſit, ſermonem pro ſua errabunda hæ-
reſi proferens, & hoc profectò dumtaxàt ſatisfacien-
do, in quibus piiſſima ejus & Regalis Magnanimi-
tas, dum redarguiſſet ac depompaſſet pravam ejus
impietatem, profanis ejus aſtutiis Sanctæ Eccleſiæ
noſtræ, ut verus propugnator ejus, recta atque
immaculata è diverſo protulit dogmata, inter quæ
& unius operationis Chriſti veri Dei noſtri mentio-
nem effecit. Hæc diſputatio fuit omninò ſyno-
dalis, facta præſente Cyro Phaſidis Epiſcopo,
Lazorum Metropolita, atqne in ea juſſi ſunt Ar-
menii expungere profanum ſacri triſagii addita-
mentum, recipere Synodum Chalcedonenſem,
penitùs recedere ab Eutychete, & plena com-
munione uniri Græcis, uti refert Armena Hi-
Cap. 13. ſtoria apud Clementem Galanum. Porrò Ser-
gius Jacobita Paulum Severianum, Eutychia-
niſta Eutychianiſtam, vocat hæreticum, quia
nempe ejuſdem erroris ſequebantur diverſam fa-
ctionem. Et Heraclium Auguſtum, licèt Dei
zelum præferret, ſuiſſe ex tunc ſeductum oſtendit
facta ab illo mentio de una operatione. Clariùs id
liquet ex litteris Cyri jam Patriarchæ Alexandrini
ad memoratum Sergium, lectis in decima tertia
Actione Synodi præſentis, *Sacram Principis juſſio-*
nem relegi, quæ ad Arcadium, ſanctiſſimum Cypri
Archi-Epiſcopum, contra Paulum Primatem Anepiſco-
porum Deo decenter conſtructa eſt, cujus laudabilis ac
Deo amabilis verè eſt omnis quidem intentus, piè
immaculatam fidei noſtræ rectitudinem allegans,
duas autem operationes in Domino noſtro Jeſu Chri-
ſto, ut poſt unitionem dicantur, prohibentem eam
inveniens admirabam, & proferre tentabam hono-
ratiſſimam Leonis Epiſtolam, duas operationes
cùm alterutrùm ſcilicet communione, quemadmodùm
docet ſanctiſſimus Dominus meus, manifeſtiſſimè
proclamantem. Addit Paulum illum non eſſe
Paulum, ſed Phaulum, ſive perverſum, &
Primatem Anepiſcoporum, ſeu non habentium
Epiſcopos. Exponit Sergius in litteris ad Cy-
rum, lectis in Actione duodecima: *Paulus Prior*
maligni cœtus Acephalorum, utique intra Arme-
niam. Quare perperàm exiſtimatur fuiſſe Epi-
ſcopus Theodoſiopolitanus. Ejus argumenta
revinci, & initam cum Græcis Armeniorum
concordiam ſtabiliri volebat Heraclius, cujus
tamen jam dictam juſſionem videtur non adim-
pleſſe Arcadius Cypriorum Archi Epiſcopus,
ſed miſiſſe ad Sergium Patriarcham, atque ità
hìc ad Paulum ſcripſit litteras ſuprà à Sancto
Maximo memoratas. Et quidem Cyrus adhuc
Phaſidis Epiſcopus erat orthodoxus, profitens
non ſolummodò dogmaticam Sancti Leonis Epi-
ſtolam, ſed & duas ex ipſa operationes in Do-
mino: Undè & illum indè ſeducere multis co-
natur Sergius per litteras in duodecima Actione
lectas.

Hæc itaqne Eutychiana fæx ad denuò turban-
dam Eccleſiam conjunxere peſtiferas caudas,
primuſque dux videtur fuiſſe Theodorus Epi-
ſcopus Pharanitanus. Etenim præſens Synodus
in decima ſexta Actione, in fidei decreto, & in
ſermone ad Principem acclamatorio, nec non
ipſe Princeps in Edicto confirmatorio, eum in-
ter anathemate damnatos ponunt primo loco
ante Sergium & Cyrum. Quis fuerit ejus Epi-
ſcopatus, licet colligi ex Synodo Conſtantino-
politana ſub Menna Patriarcha, cui adfuit *Theo-*
nas Presbyter, & Ambaſſiator Sancti Montis Sina, Act. 1.
& Eremi Raithæ, & ſanctiſſimæ Eccleſiæ de Pha-
ran. Subſcripſit hoc modo. *Theonas Presbyter*
montis Sinai, & Ambaſſiator ipſius Montis, &
Eccleſiæ Pharan, & Lauræ Raithæ, pro omnibus
ibidem monachis. Nullius populi, ſed ſolorum
in deſerto iſto monachorum fuiſſe à quibuſdam
exiſtimatur, qualis olim fuit Epiſcopatus mo-
naſterii ad Sanctum Dionyſium. Hinc nulli
nnqnàm Synodo legitur adfuiſſe ullus Epiſcopus
Pharanitanus. At obſunt hæc verba Legatorum
Romanorum in prima Synodi Actione: *Theodorus*
Epiſcopus civitatis, cujus vocabulum eſt Pharan.
Prior opinio magis arridet. Videatur Benedi-
ctus

ctus Pererius ad quartum decimum caput Geneſeos.

Prima errandi occaſio fuit ſermo acclamatorius Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, in quintæ Synodi primam Actionem inſertus, de quo Sergius Conſtantinopolitanus in litteris ad Cyrum Phaſidis adhuc Epiſcopum. *Mennas ſanctæ memoriæ, quondam Archi-Epiſcopus hujus Regiæ urbis, ſermonem compoſuit acclamatum ad Vigilium quondam ſanctiſſimum Papam antiquæ Romæ, in quo ipſe unam voluntatem & unam operationem Chriſti Domini adſtruxit.* Et in litteris ad Honorium Pontificem. *Direximus Cyro ſermonem acclamatorium Mennæ Patriarchæ, porrectum præſenti hic Vigilio Prædeceſſori Sanctitatis veſtræ, habentem & diverſa teſtimonia paterna de una operatione & una volantate Chriſti Salvatoris noſtri.* Et Pyrrhus ejus ſucceſſor in diſputatione cum Sancto Maximo Abbate. *Vigilius Pontifex Romanus libellum à Menna Epiſcopo hujus urbis Regiæ oblatum, qui unam voluntatem continebat, accepit, idque cum eſſet ei oſtenſus in ſecreto Regio Imperatoris, qui tunc erat, & ſenatu.* Adduxerunt & Vigilii litteras ad Juſtinianum Auguſtum, ejuſque conjugem Theodoram: *Anathematizamus & Theodorum, qui fuit Epiſcopus Mopſueſtiæ, tamquam qui alienus ſemper extiterit ab Eccleſiis, & ſanctis Patribus adverſarius, qui non confitetur incarnatum eſſe Deum Verbum, id eſt, Chriſtum eſſe unam ſubſiſtentiam, & unam perſonam, & unam operationem.* Et Mennæ ſermonem primæ, Vigilii litteras inſeruerunt Actioni ſeptimæ quinti Concilii: Ad majorem mendacii auctoritatem.

Eſſe enim mendacium affirmat Sanctus Maximus Pyrrho reſpondens. *Admiror, Patriarchæ cùm ſitis, quomodò audetis mentiri. Qui tibi anteceſſit, in ſuis ad Honorium litteris ſcripſit, commonefactum quidem fuiſſe Vigilium de eo libello, non autem oblatum, nec oſtenſum. Ipſe verò in tua ad Joannem Papam Epiſtola dixiſti oblatum eſſe & oſtenſum, lectum etiam per Conſtantinum Quæſtorem. Utri igitur credemus: Tibi, an ei, cui ſucceſſiſti? Uterque enim non poteſt verum dixiſſe.* Rem omnem aperiunt Legati Apoſtolici, dicentes in præſenti Synodo ad Conſtantinum Auguſtum.
Act. 5. *Nequaquam relegatur ſermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, quia fictus eſt. Jube diligenter advertere præſentem* quintæ Synodi *librum: Satisfieri enim habet Imperium veſtrum piiſſimum, quia non eſt tunc temporis poſitus in exordio, cùm fierent Acta in ſancta quinta Synodo, iſte qui dicitur ſermo Mennæ ad Vigilium. Nuper appoſitus eſt in principiis præſentis libri.* Detecti doli ſeriem plenè referunt Acta ſynodalia, ideòque in duodecima Actione rursùm dixereglorioſiſſimi Judices: *Superflua lectio ſermonis exiſtit, quia penitùs fictus eſt & falſus.* Quarta decima Actio ejus examen reſumpſit, varios quintæ Synodi codices & exemplaria diſcuſſit, ſermonem & memoratas Vigilii litteras reperit ei inſarcinatos à Stephano monacho, Macarii Patriarchæ Antiocheni Syncello, eumque cum complicibus damnavit. Utinam inquiſiiſſet ac detexiſſet etiam fabricatorem iſtarum ſordium. Eſt antiqua & frequens Græcorum nequitia, cujus habemus plurima exempla. Mennæ ſermo videtur Vigilii litteris antiquior: Iſtius enim ſolius & Sergius, & Cyrus, & Pyrrhus meminerunt.

An Sergius Theodorum Pharanitanum, an Theodorus Sergium ſeduxerit, ignoro: Sergius omninò ſeduxit Cyrum, & uterque Heraclium Auguſtum, ejus adversùm Neſtorianos atque Eutychianos zelo abuſi. Glorioſo Perſarum Victori promiſerunt majorem de expugnata hæreſi gloriam: Uniendos Eccleſiæ & Synodo Chalcedonenſi omnes Eutychianiſtas, Severianos, Julianiſtas, ac Theodoſianos, dummodò non duæ, ſed unica in Chriſto Domino admittatur utriuſque naturæ voluntas & operatio, aut certè omnis hæc quæſtio, de qua à quinque generalibus Synodis nihil deciſum hactenùs, æterno ſilentio ſepeliatur. Juſtinianum Auguſtum imitari, & cum Epiſcopis Divina dogmata judicare cœpit Hæraclius, atque ità Eccleſiam involvere longis calamitatibus. Sacerdotale enim officium infœliciſſimè ſemper laici Principes uſurpavere.

CAPUT II.

Exponitur Hæreſis Monothelitarum.

AD Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum rectè ſcripſit Honorius Pontifex. *Nondùm de duabus naturis finitum eſt bellum, & alteram nobis ipſis turbulentiam indicimus.* Etenim Monothelitæ quinque generales Synodos, Act. 13. dogmaticam Sancti Leonis Epiſtolam, ac duas integras & inconfuſas in Domino Jeſu Chriſto naturas profitebantur, adeò ut Cyrus Alexandriæ Patriarcha Theodoſianos, & alias quaſvis Eutychianiſtarum claſſes, dum in communionem ſuſcepit, coegerit ad Synodum etiam Chalcedonenſem, ac laudati Pontificis tomum & nomen ſacris Eccleſiæ tabulis inſcribenda. Tota lis erat de duabus ejuſdem Domini noſtri actualibus voluntatibus & operationibus, adeò ut Macarius Patriarcha Antiochenus frequenter dixerit ad plenam Synodum: *Quod ſi membratim incidar, & jacter in mare, ego neque duas voluntates, neque duas operationes dico in Domino noſtro Jeſu Chriſto, uno Sanctæ Trinitatis.*

Tantæ pertinaciæ fundamentum edixit in prima præſentis Synodi Actione, à Legatis Apoſtolicæ Sedis rogatus, ac de vocum novitate accuſatus. *Nos vocum novitatem non edidimus, ſed quidquid percepimus à ſanctis univerſalibus Synodis, & ſanctis probabilibus Patribus de voluntate & operatione, ſic & credimus, & prædicamus, & docemus, & parati ſumus hoc oſtendere.* Aliter Sergius in litteris ad Cyrum Lazorum adhuc Metropolitam. *Aſſerimus, quod in ſanctis magnis & univerſalibus Conciliis nulla de hoc motio facta eſt, nec invenire de hujuſmodi quæſtione diffinitionem quamlibet eſſe prolatam à quodam orthodoxorum Conciliorum.* Quod ipſum in

octava

Digitized by Google

octava Actione faſſus & profeſſus eſt Theodorus Melitiuæ Epiſcopus, Metropolita ſecundæ Armeniæ. Et fuit communis ſenſus Monuthelitarum.

Eodem modo tractarunt dogmaticam Sancti Leonis Epiſtolam, ſibi capitaliter adverſantem. Quid enim pro duplici Domini operatione lucidiùs hiſce verbis: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt?* At quoniam Synodus Chalcedonenſis dictam Epiſtolam affirmat eſſe totius *orthodoxiæ firmamentum*, fucus erat faciendus, non palàm ab illa recedendum. Hìnc ad Principem & Synodum dixit Macarius Antiochenus: *Ego, Domine, duas operationes non dico, ſed nec ſentio, quod Beatus Leo per hunc ſermonem duas operationes dixerit*. Et Sergius, laudatam Epiſtolam profeſſus eſſe *commune rectæ fidei fundamentum*, pergit in adductis litteris ad Cyrum. *Nullus probabilium Doctorum dixit, quod in præſenti loco duas operationes Sanctiſſimus Leo aſſeruiſſet*. Ait à Sancto Eulogiu Patriarcha Alexandrino compoſitam iſtius Epiſtolæ benè grandem Apologiam, atque ab hac ex illa adſtrui duas ſolummodò naturas, nequaquàm duas voluntates & operationes. Plus dicit in aliis litteris ad Cyrum jam Alexandriæ Patriarcham, lectis in Romana Synodu Martini primi Pontificis. *Unus atque idem Chriſtus operatur*
Secret. 3. *Deo decibilia & humana una operatione, quia omnis Divina & humana operatio ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedebat. Secundùm hunc pium intellectum & Leo ſanctæ memoriæ Romanus Archi-Epiſcopus ſapuit & docuit, dicens:* OPERATUR UTRAQUE FORMA CUM
Secret. 2. ALTERIUS COMMUNIONE. Quod ipſum repetit in litteris ad Theodorum Pontificem recitatis in eadem Synodu.

Pergit in prioribur ad Cyrum litteris. *Nonnullos verò probabilium Patrum ſcimus, & præcipuè Sanctiſſimum Cyrillum Alexandriæ Archi-Epiſcopum, in quibuſdam ſcriptis ſuis unam vivificam operationem Chriſti veri Dei noſtri dicentes*. Quoniam à quinque generalibus Synodis fatetur nihil ſtatutum de præſenti quæſtione, decidendam affirmat ex ſenſu Sanctorum Patrum. Et primo loco adducit Sanctum Cyrillum, cujus verba edicit ejus ſucceſſor Pyrrhus in diſputatione cum Sancto Maximo: *Chriſtus unam cognatam operationem per ambas naturas oſtendit*. Adducit & hæc verba Sancti Gregorii Nazianzeni: *Velle illius*, utique hominis adſumpti, *in nulla re erat contrarium Deo, totum Deificatum*. Et addit: *Non eſt hoc contrarium duabus voluntatibus?* Ea verba pru palmari argumento omnes Monothelitæ habuerunt. Adduxere ſimilia Sancti Athanaſii & Sancti Gregorii Nyſſeni Epiſcopi teſtimonia, memorata etiam à Cyro Patriarcha Alexandrinu in ſeptimo Capitulo initæ concordiæ cum Theodoſianis.

Altera palmaris auctoritas fuit Sancti Dionyſii Areopagitæ, ex qua definit idem Capitulum: *Chriſtus Dominus operatur Deo decibilia & humana unà* DEI-VIRILI *operatione ſecundùm Beatum Dionyſium*. Et Macarius Antiochenus: *Ego*
Act. 2 *numerum non dico, ſed* DEI-VIRILEM *ejus operationem ſecundùm Beatum Dionyſium*. Quod ipſum repetit in octava Actione, & addit. *Confitemur unam voluntatem ſubſiſtentialem in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, &* DEI-VIRILEM *ejus operationem. Neque enim, quæ Divina ſunt, ſecundùm Deum, neque quæ humana ſunt, ſecundùm hominem* operatus eſt, *ſed humanati Dei Verbi* DEI-VIRILEM *operationem in converſatione demonſtratam confitemur ſecundùm Beatum Dionyſium*. Act. 11. In græco eſt θεανδρικήν, quod infrà meliùs vertitur *Virificati*, quàm *Humanati*. Et Pyrrhus in diſputatione cum Sancto Maximo: *Quid præterea dicemus de Sancto Dionyſio, qui in Epiſtola ad Cajum de Chriſto dixit, exercuiſſe novam quandam operationem* THEANDRICAM, *id eſt*, DEI-VIRILEM? Et in tomo dogmatico lecto in decima tertia Actione Synodi præſentis: E novem Cyri Alexandrini pacificatoriis Capitulis *Unum tantùm reprehendit Sophronius* Hieroſolymæ Epiſcopus, *tamquam qui teſtimonium Dionyſii Deiloqui Doctoris depravaſſet per immutationem unius vocis*. Cyrus enim in ſuo Capitulo poſuit *Unam Dei-virilem operationem*, Sanctus autem Dionyſius habet, non *Unam*, ſed *Novam*: Quam impoſturam culpavit graviſſimè in ſua Romana Synodo etiam Martinus primus. At verò Pyrrhus eam purgat, utpotè non malitiosè, ſed ex neceſſitate factam, quod hac in re voces *Una* & *Nova* ſint idem & unum.

Et hanc unam *Dei-virilem* operationem Macarius vocat ſubſiſtentialem: Pyrrhus in diſputatiune cum Sancto Maximo Hypoſtaticam & Perſunalem. Dat rationem: *Non poteſt fieri, quin voluntates inferant ipſos volentes*. Et infrà. *Si propter differentiam naturarum in Chriſto duas dicitis operationes, & non propter unam perſonam unam operationem, duæ reperientur in homine operationes propter differentiam ſubſtantiæ animæ & corporis. Quod ſi hoc ità eſt, tres erunt operationes Chriſti, non duæ*. Voluntates & operationes dicit eſſe non naturarum, ſed ſuppoſitorum, Ideòque non niſi ad eorumdem multiplicationem multiplicari. Et hìnc præfatus Macarius à quinque prioribus Synodis, unam in Domino perſonam definientibus, exiſtimavit definitum etiam ſuum errorem.

Aliud erroris fundamentum adducit Pyrrhus in laudata diſputatione. *Impoſſibile eſt in una perſona ſimul eſſe duas non contrarias voluntates*.
Et Heraclius Auguſtus in Ecthesi, lecta in Ro- Secret. 3.
mana Synodo Martini primi, dicit ex duarum operationum dogmate *ſequi, ut duas confiteamur voluntates contrariè ad invicem venientes, Deo quidem Verbo volente ſaluberrimam paſſionem explere, incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipſius voluntati, & oppugnantem, & exindè duo contraria volentes introduci, quod eſt impium & extraneum Chriſtianici dogmatis*. Fædiùs id eſſe dicit ipſa hæreſi Neſtoriana, quæ licèt Domini
perſonam diviſerit, nequaquam tamen blaſphe- Secret. 4.
mare præſumpſit contrarias in illo voluntates. Et Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in litteris ad Theodorum Pontificem. *Unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti intelligimus, ne contrarietatem aut differentiam voluntatum uni*

eidemque perſonæ applicemus, aut ipſum ſe expugnantem dogmatizemus, aut duos volentes introducamus. Et Macarius Antiochenus in confeſſione lecta in octava Actione præſentis Synodi. *Impoſſibile eſt in uno eodemque Chriſto Deo noſtro duas ſimul & ad invicem contrarias ſeu ſimiles exiſtere voluntates. Salutaris verò à Deo inſtructorum Patrum doctrina manifeſte inſtruit, quia nunquam intellectualiter animata Domini caro diviſè atque ex proprio appetitu contra nutum ſibi uniti ſubſiſtentialiter Dei Verbi naturalem ſui feciſſet motionem; ſed quando, & qualem, & quantam idem Deus Verbum volebat: Et, ut clariùs dicatur, quemadmodùm noſtrum corpus regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali anima noſtra, ità & in Domino Chriſto tota humana ejus conſperſio ab ejuſdem Verbi Divinitate ſemper & in omnibus motu Deo mobilis erat*. Neque duas concordes, neque duas diſcordes voluntates exiſtimat poſſe eſſe in Domino: Concordium enim altera eſt ſuperflua; earum autem omnis diſcordia eſt à peccato, facitque miſerabilem, quin immò & perſonam evertit unitatem. Exiſtimat à nobis contrarias dogmatizari.

At quæſtio eſt, Qualis ſit unica illa Chriſti Domini voluntas, ac *Dei-virilis* operatio: Humana, an Divina, an compoſita ſeu mixta? Act. 2. Aqua hìc hæſit Monothelitis. Etenim à Conſtantino Auguſto rogatus, *Quomodò intelligis* DEI-VIRILEM *operationem*, aliud reſpondere neſciit Macarius, quam *Egò non ſuperjudico*. Ità & ejus magiſter Eutyches, erroris ſui medullam retegere poſtulatus, reponere conſueverat: *Ego non diſputo de natura Dei mei*. Fuerunt Mo- Epiſt. 3. nothelitæ adeò mutabiles & varii, ut ad Conſtantem Auguſtum ſcribat Martinus primus Pontifex, quod ne ipſi quidem intelligerent, quid crederent aut exiſtimarent propter obſtinatam & aſſiduam propriarum opinionum everſionem. Quod idem in litteris dogmaticis ad ejus filium Conſtantinum Auguſtum Sanctus Agatho Pontifex largè oſtendit. Modò unicam dixerunt operationem, modò etiam duas, modò neque unam neque duas. Theodorus Melitinenſis in ſecunda Armenia Archi-Epiſcopus exiſtimavit rem eſſe quæſtionis, non dogmatis, ideòque orthodoxè dici poſſe & duas & unicam: Permittendum unumquemque in ſuo ſenſu abundare. Conſtantinus Eccleſiæ Metropolitanæ Apameenſis in ſecunda Syria Presbyter fieri voluit aliquod Henoticon ſeu decretum unitivum, quo Act. 8. neque unius neque duarum operationum aſſertores in ullo contriſtarentur, aſſerens ipſe ab utero uſque ad crucem fuiſſe duas in Domino voluntates, *ab ipſa autem cruce non manſit cum illo humana voluntas, ſed manſit cum ſanguine & carne, quia non indiget neque comedere, neque bibere, neque dormire, neque ambulare*. Et adjunxit. *Sicut ego dico, ità & Macarius Antiochiæ Patriarcha dicebat: Sic namque & ex eo audivi*. Quocircà non de rationali mentis, ſed de ſolo animali inferioris appetitus motu videtur litigaſſe. Nam & Macarii hæc fuit profeſſio. *Quoniam alteram perſonam Dominus non aſſumpſit, propter hoc nec aliquid peccati dicimus eum adſumpſiſſe: Quia abſque carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis in imagine humanitatis confitemur unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Et à Theophanio Presbytero ac Abbate monaſterii ad Bajas rogatus, *Num Dominus habuiſſet voluntatem humanam & impeccabilem*, id eſt, *voluntatem naturalem, quam ipſe Deus creans Adam ei indidit*, reſpondit. *Nos voluntatem humanam in Chriſto non dicimus, Divinam verò etiam abſque carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis. Voluntates carnales & cogitationes humanæ ſunt hominum nobis ſimilium, Chriſtus verò nihil eorum habuit*. Et inſtante Theophanio, *Aut aſſentite, quia habuit naturalem voluntatem, aut renunciate*, & Macarius & Stephanus monachus ejus Syncellus *diu perſeverarunt, neque aſſentire volentes, neque abnuere*. Cum Eutychete nolebant de voluntate ſui Domini diſputare. Eadem arte circumſcripſerunt Honorium Pontificem; Exiſtimavit enim ab illis negari ſolos rebelles concupiſcentiæ in Domino motus, de quibus rectè addidit laudatus Theophanius. *Nam & ego dico non habuiſſe Dominum Jeſum Chriſtum ex ſuperſatione diabolica voluntatem carnalem aut peccabiles cogitationes; Abſit*. Ita intelligendum dixit & Sancti Athanaſii teſtimonium à Macario adductum & truncatum. Et Sanctus Leo Pontifex in Epiſtola dogmatica ad Sanctum Flavianum. *In integra veri hominis*, Epiſt. 10. *perfectaque natura verus natus eſt Deus, totus in* c. 3. *ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Nam illa, quæ deceptor intulit, & homo deceptus admiſit, nullum habuere in Salvatore veſtigium. Nec quia communionem ſubiit humanarum infirmitatum, ideò noſtrorum fuit particeps delictorum. Aſſumpſit formam ſervi ſine ſorde peccati*. Et in litteris ad Julianum Epiſcopum Coenſem. *Dominus nihil carnis ſuæ habebat adverſum, nec diſcordia deſideriorum gignebat compugnantiam vo-* Epiſt. 11. *luntatum. Senſus corporei vigebant ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine Deitatis & mentis nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis*. Etenim deſideriorum aut voluntatum diſcordia eſt aut peccatum, aut lex peccati.

Ad propoſitam itaque quæſtionem reſpondeo unicam ac DEI-VIRILEM Chriſti Domini voluntatem apud Monothelitas paſſim fuiſſe Divinam. Ità palàm Theodorus Pharanitanus Epiſcopus in locis, quæ ex ejus ad Sergium Arſenoiten in Ægypto Epiſcopum Epiſtola adduxit in ſua Romana Martinus primus, ac in præ- Act. 13. ſenti Synodo legit Antiochus Lector ac Notarius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Ait famem, ſitim, cunctos ſuperioris ac inferioris appetitus rationales ac animales motus, immò etiam crucis ac flagellorum paſſionem facta quidem eſſe per corpus, & animam, tamquam per organum, attamen à ſolo, ut adæquato principio, Deo Verbo & voluntate Divina. Et Pyrrhus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in diſputatione cum Sancto Maximo. *Nos dicimus unam operationem non ad tollendam humanam operationem, ſed quia cùm diſtinguendo opponitur Divinæ operationi, paſſio hac ratione dicitur*. Exponit in ſuperioribus. *Nutu verbi cum ipſa copulati caro*

mo-

movebatur. Humanam Domini naturam in omni ſuo interno atque externo motu vult merè tamquam organum pati à Divina Dei Verbi voluntate, eamque paſſionem eſſe humanam operationem, verùm DEI-VIRILEM, factam à ſolo Deo in homine aſſumpto. Ejus ſucceſſor Paulus in litteris ad Theodorum Pontificem ait hocce Domini verbum, *Veni non ut faciam voluntatem meam*, non *poſitivè*, ſed *recuſativè* intelligi: *Non quaſi exiſtens hoc verbum dictum eſt, ſed ac ſi non eſt; ſicuti*, NEQUE INIQUITAS MEA, NEQUE PECCATUM MEUM. Eam expoſitionem tradi aſſerit à Sanctis Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, Cyrillo Alexandrino, ac ipſa Synodo Chalcedonenſi. Et ejus Anteceſſor Sergius in litteris ad Cyrum Alexandrinum ait omnem *Divinam & humanam operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo proceſſiſſe*.
A. 8. Et Macarii Antiocheni profeſſio, recitata in præſenti Synodo, aliud non clamat, quam totam humanam Domini conſperſionem fuiſſe in cunctis à ſuſceptrice Divinitate motam & actam, quomodò in nobis corpus ab anima. Et quintæ Actioni obtulit legendum Codicem Georgii Patriarchæ Conſtantinopolitani, cujus erat titulus: *Teſtimonia Sanctorum Patrum, unam Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem docentia, quæ eſt etiam Patris & Spiritus ſancti*. Nempe Sanctus Gregorius Nazianzenus dicit Humanum Chriſti velle non eſſe Deo contrarium, ſed Deificatum totum, non tantùm per hypoſtaticam unionem, natamque indè plenam ſubjectionem, ſed per omnimodam unitatem ac identificationem. Et hinc ad Conſtantem Auguſtum verè ſcripſit Sanctus Papa Martinus.
Ephes. 9. *Juxta ſemetipſos non rectè vaticinati dixerunt Dominum non habere in humanitatis ſuæ naturæ voluntatem & operationem naturalem, ſed ſine voluntate ipſum exiſtere; ac ſine operatione, intangibilemque & inanimem eſſe*. Et præſentis Synodi decretum de fide: *involuntariam & inoperatricem Domini carnem introducunt*. Et Sanctus Maximus in diſputatione cum Pyrrho. *Quid magis impium, quam dicere eundem una & eadem voluntate ante incarnationem quidem omnia ex nihilo feciſſe, continere & procurare, & ſalubriter dirigere; poſt incarnationem verò cibum & potionem appetere, loca locis mutare, & omnia alia facere, quæ omni culpa & reprehenſione vacabant, quibus etiam diſpenſationem ab omni fictione liberam eſſe demonſtrabat?*

Dixi Monothelitas paſſim ità ſenſiſſe. Nam & hìc moti fuerunt omni vento doctrinæ. Pyrrhum Sancti Maximi diſputatio adegit ad hæc verba. *Quandoquidem oportet ea, quæ inveſtigatione vera patuerunt, grato animo amplecti, valdè diſtinctè demonſtratum eſt eſſe in Chriſto naturales voluntates: Fieri autem poteſt, ut ſicut ex duabus naturis unum aliquod compoſitum dicimus, ſic ex duabus voluntatibus naturalibus unam aliquam compoſitam dicamus. Ut qui duas voluntates dicunt propter ſummam unionem, non ampliùs propter nudas ſeu ſolas voces inter ſe pugnent*. At rectè reſpondit Sanctus Maximus Chiiſti Domini compoſitionem eſſe in ſola Hypoſtaſi, nequaquam in natura, voluntate, aut operatione: Et roganti, An igitur Domini naturis & operationibus nihil omninò eſſet commune, reſpondit communem ſolam Hypoſtaſin, quæ naturas & operationes neque confudit, neque exſtinxit, neque truncavit, ſed ſolummodò conjunxit. Edicit Pyrrhus & aliam Complicum ſuorum fluctuationem. *Qui Conſtantinopoli adhuc contra voluntates naturales pugnant, ajunt dixiſſe Patres ſecundùm attributionem habuiſſe Chriſtum voluntatem humanam*. Secundùm attributionem non *ſubſtantiæ, ſed habitudinis, qua amicè, quæ aliorum ſunt, viciſſim nobis attribuimus, nihil eorum ipſi patientes aut agentes*. Addit Sanctus Maximus. *Nihil me tam à tuo Anteceſſore* Sergio *abalienavit, quam mutabilitas ejus & inconſtantia, id eſt, in alias alio tempore tranſire ſententias, & in nullo ſenſu permanere*. Unicam enim Domini voluntatem quandoque dixit divinam, quandoque gnomicam ſive humanam, quandoque hypoſtaticam, quandoque œconomicam, utpotè ſtans in mobili mendacii arena, non in firma Petra veritatis. Quin immò *cum differentia perſonarum ſimul induxit differentiam voluntatum in perſonis Divinis ejuſdem ſubſtantiæ*. Ut *Dei virilem* voluntatem & operationem aptè fingeret, & quaſi ex Divina & humana temperatam ſoli Dei Verbi hypoſtaſi appropriaret, Divinam corrumpere tentabat.

CAPUT III.

Exponitur dogma Catholicum.

CHriſtianum de hac quæſtione dogma egregiè exponit præſens Synodus in ſermone acclamatorio ad Conſtantinum Auguſtum. *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum perfectum in Deitate, & perfectum eundem in humanitate, ſecundùm priſcas Patrum traditiones, & Chalcedonenſem Divinam traditionem prædicamus. Et quemadmodùm duas percepimus naturas, ità & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes agnoſcimus. Neutram enim earum, quæ Chriſti ſunt, naturarum in ejus diſpenſatione audemus abſque voluntate & operatione pronunciare: Ne fortè perimentes earum proprietates, etiam naturas, quarum ſunt proprietates, perimamus. Nec enim negamus naturalem ejus humanitatis voluntatem, aut naturalem operationem, ne & quod pro ſalute noſtra diſpenſationis eſt caput, denegemus, & Deitati paſſiones applicemus. Hoc namque conabantur, qui nuper in eo unius voluntatis & unius operationis execrabilem novitatem introduxerunt, Arii & Apollinarii, & Eutychetis atque Severi malignam ſectam reſtaurantes. Si enim abſque voluntate, & abſque operatione humanam Domini naturam dicere ceſſerimus, ubi perfectum in humanitate ſalvatum eſt? Nihil enim aliud conſtituit ſubſtantiæ humanæ integritatem, niſi eſſentialis voluntas, per quam liberi arbitrii vigor in nobis deſignatur. Sic ſe habet & ſubſtantialis operatio. Quo-*

modò enim dicimus in humanitate perfectum, ſi nihil humanum paſſus eſt aut operatus? Quemadmodùm enim duarum naturarum concurſus unam nobis inconfuſam atque indiviſam conſervavit ſubſiſtentiam; ità & una ſubſiſtentia, in duabus coruſcans naturis, quæ utrique conveniunt, propria demonſtrabat. Duas igitur in eo naturales voluntates, & duas naturales operationes, communiter atque indiviſè procedentes, prædicamus. Quæ omnia ipſe Conſtantinus Auguſtus in Edicto Synodi confirmatorio latiùs exponit.

Unius itaque voluntatis & operationis dogma execrabile reſtaurat impietatem Arii, Apollinarii, Eutychetis, atque Severi. Quod inſuper oppoſitam Theodori Mopſueſtienſis atque Neſtorii impietatem reſtauret, affirmat in Romana Martini primi Pontificis Synodo Maximus Archi-Epiſcopus Aquilejenſis. Et dat cauſam. *Una* Secret. 4. *operatio & voluntas dogmatizata eſt tam à confundentibus, quam à dividentibus magnum Diſpenſationis Dominicæ Myſterium: A confundentibus quidem, propter ſtultam unius compoſitæ naturæ rationem, à dividentibus autem, propter ineptam æqualitatem honoris, ſimiliſque voluntatis atque auctoritatis modum.* Et ipſe Pontifex Sanctus Martinus in litteris ad Conſtantem Auguſtum. *Omnes Sanctis Patribus contra euntes hæretici, qui-* Epiſt. 3. *que confuſione, quique diviſione propriis dogmatibus depravati ſunt, impiè unam in Domino voluntatem & unam operationem ſunt confeſſi: Alii quidem, ut per inanem ſpeciem, alii verò ut per nudam nominum ſimilitudinem, ſive per puram ambiguitatem magnum Incarnationis Chriſti Myſterium temerariè reprobarent.* Quod ipſum tradunt Sanctus Maximus Abbas in diſputatione cum Pyrrho Patriarcha, Sanctus Agatho Pontifex in litteris dogmaticis ad Conſtantinum Auguſtum, Synodi præſentis decretum de fide, Edictum Principis confirmatorium, & Actio decima referens verba ſingulorum Hæreticorum. Operatio enim, uti oſtendunt laudati Agatho & Maximus, non perſonam, ſed naturam ſequitur, & ad ejus ſolius multitudinem & unitatem multiplicatur ac identificatur: At verò omnes confundentes hæretici unicam, quidam compoſitam, quidam ſimplicem, in Domino erravere naturam. Aliter dividentes Neſtoriani: Quomodò duas naturas, ità duas in Domino docuere voluntates & operationes, ſed quæ per parem auctoritatem, plenamque concordiam eſſent una, atque ità ſola voce cum illis convenit dogma Monothelitarum. Cum Arianis, Apollinariſtis, Eutychianis, Severianis, Themiſtianis, ac Theodoſianis convenit omninò & re. Neque refert, quod duas integras naturas, unicamque in Domino compoſitam perſonam Monothelitæ profiteantur. Etenim in illis omninò verum eſt, quod in libro contra Collatorem ſcribit Sanctus Proſper de Pe-
Cap. 44. lagianis. *Hujuſmodi hominum pravitati reſiſtendum eſt, ut de proſtrati dudùm dogmatis corpore nullum membrum ſinatur aſſurgere. Quia notum eſt ità ſe falſitatis illius habere verſutias, ut ſi eis liceat aliquod ſibi fraventium radicis ſuæ germen excipere, totam ſe poſſit in exigua ſui parte reparare. Ubi enim aliud non habet ſumma, quam portio, non eſt devotionis dediſſe propè totum, ſed fraudis retinuiſſe vel minimùm.*

Rationem dat ſermo noſter acclamatorius. *Si abſq; voluntate, & abſque operatione humanam Domini naturam dicere ceſſerimus, ubi perfectum in humanitate ſalvatum eſt?* Et Conſtantinus Auguſtus in Edicto confirmatorio. *Nos adſtruunt non perfectè ſalvari, hæc qui prædicant, quia imperfectè Verbum noſtram naturam adſumpſit. Si enim totus toti naturæ non eſt unitus, nec totus homo ſalvatus eſt. Quod enim non adſumptum eſt, nec ſalvatum eſt. Quod verò unitum eſt Deo, hoc & ſalvatur, ſecundùm Deiloquum agnomento Gregorium.* Humana ſine voluntatibus & operationibus natura eſt manca & mutila: Neque ſola ejus ſubſtantia, ſed & voluntates ac operationes ſunt primo peccato fœdatæ ac vitiatæ, ideòque omninò egent gloria Dei, purgari & ſanari per Mediatorem, quod ſperare non poſſunt, niſi ab illo aſſumptæ. Nihil ſequitur in corpore, niſi quod præceſſit in capite. Caput eſt radix traducens eas ſolas humanæ naturæ reparatrices gratias, quas ſibi ipſi implantavit. Quocircà dico adversùm Monothelitas, quod adversùs Marcionem Tertullianus in libro de carne Chriſti: *Sceleſtiſſime hominum, parce unicæ ſpei totius orbis.* Cap. 5
Etenim ſi Chriſtus Dominus voluntates & operationes noſtras in ſemetipſo non adſumpſit atque purgavit, adhuc ſumus in peccatis noſtris, omneſque noſtræ juſtitiæ non ſunt, niſi pannus menſtruatæ. Et hæc radicis naturam noſtram reparantis mutilatio eſt palmaris impietas, quam in Apollinario ac Eutychete Eccleſia damnavit.

Alteram reſuſcitati Eutychianiſmi rationem dat ſynodale de fide decretum. Hæreſis hæc *perfectionem humanitatis unius, ejuſdemque Domini Jeſu Chriſti Dei noſtri molita eſt per quandam doloſam adinventionem perimere, per hoc involuntariam & inoperatricem infamiter introducens.* Etenim naturam noſtram reparatura radix potiùs humana voluntate & operatione, quam ſubſtantia eguit: Eſſe debuit homo non tantùm noſtri generis, ſed & operis; debuit per humanorum operum merita nobis reſtituere cuncta Divinæ gratiæ dona peccato primo excuſſa. Quiſquis iſtorum operum veritatem aut neceſſitatem in Domino negat, omninò eidem negat neceſſariam humanam naturam, quæ eſt impietas Apollinariſtica atque Eutychiana.

Tertiam rationem dat laudatus ſermo acclamatorius: *Ne Deitati paſſiones applicemus.* Et Edictum confirmatorium: *Ad impaſſibilem naturam paſſiones & mortem redigunt.* Etenim Dominus ipſa Divina voluntate famem & ſitim ſenſit, cibum & potum appetiit, crucis & mortis tormenta percepit: Ità ad Sergium Arſenoitem Epiſcopum disertè ſcripſit Theodorus Pharanitanus. Nam & ideò Sergius Conſtantinopolitanus Divinam Domini voluntatem dixit eſſe Hypoſtaticam, ſoli verbi Hypoſtaſi propriam, à Patris & Spiritus Sancti voluntate diverſam. Porrò Divinæ, ſeu naturæ ſeu voluntati, humanas paſſiones adſcribere eſt ipſiſſima blaſphemia Severiana.

Addit ſermo acclamatorius: *Secundùm priſcas*

Pa-

Patrum traditiones & definitionem Divinam Chalcedonenſem. Graviſſimè errat Macarius Antiochenus unam Domini voluntatem & operationem definitam à quinque prioribus Synodis: Errant Sergius & Cyrus nihil de ipſa ab illis definitum. Rectè enim Sanctus Maximus. *Synodi non ſolùm naturas, ſed etiam uniuſcujuſque naturæ proprietates nobis, ut confiteremur, ſanciverunt: Et non ſolùm Deum perfectum eundem & hominem perfectum, ſed & perfectionis notiones, id eſt, eundem & unum dicentes adſpectabilem & inadſpectabilem, mortalem & immortalem, potuiſſe corrumpi & non potuiſſe, tangi & non tangi, creatum & non creatum, & ad eandem normam piæ ſententiæ duas etiam voluntates unius & ejuſdem piè tradiderunt. Non ſolùm per determinatum numerum duarum, ſed etiam per pronomea*, ALIAM, *& per proportionem dicendo*, DIVINAM ET HUMANAM. *Non enim unico modo naturam numeri metimur. Quinta verò Synodus, cùm decrevit ipſis verbis, ut amplecteremur omnia ſcripta Sanctorum Athanaſii, & Baſilii, & Gregorii, & aliorum egregiorum Doctorum, in quorum ſcriptis ſunt duæ voluntates, duas voluntates tradidit*. Quod ipſum de Chalcedonenſi præſertim Synodo aſſiduè inculcant in Romana Martini primi Synodo ipſe ante omnes Pontifex, Maximus Aquilejenſis, Deuſdedit Calaritanus, Maurus Cæſenas, ac Victor Epiſcopus Carthaginenſis. Chalcedonenſis namque Synodus definit duas plenas ac perfectas, quibus & Patri & nobis ſit conſubſtantialis, & per omnia dempto peccato ſimilis, eſſe in Domino naturas: Rectè autem in Edicto hujus Synodi confirmatorio ſcribit Conſtantinus Auguſtus de Anima à Domino adſumpta. *Animam dicimus in omnibus ſolidam & perfectam, cui in nihilo deerat humana perfectio. Humanæ autem perfectionis indicium mens eſt, per quam & volumus, & cogitamus, & ab irrationabilibus animantibus ſecernimur. Nihil quippe ſine mente voluntarium: Omne autem voluntarium intellectuale eſt. Ubi igitur mens eſt, ibi modis omnibus & voluntas. Si itaque perfectus homo factus eſt ſalvator, in perfectione permanens Deitatis, neque amens, neque involuntarius exſtitit. Igitur hi, qui humanæ Domini animæ exſtinguere voluntatem, quæ ſecundùm naturam eſt, pertentant, amentem eam, ut verè dementes, adſignant*. Quis enim animam omni rationali motu orbam & alteri principio merè paſſivè ſubjectam dicat plenam ac perfectam; quis ejus cauſa dicat Dominum nobis ſimilem per omnia, dempto peccato?

Eadem Chalcedonenſis Synodus aliud non definivit, niſi dogmaticam Sancti Leonis Epiſtolam, dicens totius orthodoxiæ columnam & firmamentum. Ea verò habet hæc verba. (Cap. 3.) *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante quod verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt*. Quæ adeò clara ſunt, ut etiam Cyrus Alexandrinus Epiſcopus per Sergium Conſtantinopolitanum ab eorum recto ſenſu ægrè potuerit ſeduci. Addit Epiſtola. (Cap. 3.) *Salva proprietate utriuſque ſubſtantiæ, ſuſcepta eſt à Majeſtate humilitas. In integra veri hominis perfectaque natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Tenet ſine defectu proprietatem ſuam utraque natura*. At verò inter naturarum proprietates eſſe etiam naturales voluntates & operationes disertè adfirmat ſermo acclamatorius. Neque enim creator otioſam ſolummodò ſubſtantiam, ſed & voluntatem ac operationem in nobis condidit, ideòque ſine illis nequit Dominus eſſe totus in ſuis, totus in noſtris.

Rectè addit Conſtantinus Auguſtus: *Quæ ſecundùm naturam eſt*. Et Leo Pontifex: *Quæ in nobis ab initio Creator condidit*. Et Theophanius Abbas ad Bajas. (Act. 2.) *Habuit humanam voluntatem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & impeccabilem: Nam & ego dico non habuiſſe ex ſuperſatione diabolica voluntatem carnalem aut peccabiles cogitationes, abſit, ſed naturalem voluntatem, quam ipſe Deus creans Adam ei indidit*. Per humanam impeccabilem voluntatem intelligit non eam, quæ deficere non poſſit, ſed omnem à peccato aut peccati contagio immunem, oppoſitam voluntati carnali & peccabilibus cogitationibus, id eſt, dicta immunditia infectis. Hinc pergit Sanctus Leo: *Nam illa, quæ deceptor intulit, & homo deceptus admiſit, nullum habuere in Salvatore veſtigium*. Quæ ſunt peccatum, aut lex peccati. Hinc iterùm Leo. *Nec quia communionem humanarum ſubiit infirmitatum, ideò noſtrorum fuit particeps delictorum. Aſſumpſit formam ſervi ſine ſorde peccati*. Et in ſermonibus de Dominica paſſione. (Ser. 14. c. 4) *Omnes infirmitates noſtras, quæ veniunt de peccato, abſque peccati communione ſuſcepit, ut & famis, & ſitis, & ſomni, & laſſitudinis, mœroris ac fletus affectionibus non careret, dolores ſæviſſimos uſque ad mortis extrema pateretur*. Et in alio ſermone. (Ser. 16. c. 5) *Infirmitatum noſtrarum ſuſcepit veritatem, & excepta communione peccati nihil à ſe humanæ infirmitatis excluſit, ut & ſua nobis inſereret, & in ſe noſtra curaret*. Et in ſermonibus de Dominica Reſurrectione. (Ser. 2. c. 2.) *Infirmitas atque mortalitas, quæ non peccatum erant, ſed pœna peccati, à Redemptore mundi ſuſcepta ſunt ad ſupplicium, ut impenderentur ad pretium*. Quocircà Dominus adſumpſit quaſdam etiam pœnales, à peccato inflictas, ab omni tamen illius communione mundas, voluntates & cogitationes, quibus eſſet, non caro aut ſimilitudo peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati.

At quæſtio eſt, Quodnam ſit illud contagium, ſeu communio peccati, à quo mundæ ſunt noſtræ voluntates & cogitationes per Dominum adſumptæ? Reſpondet Sanctus Leo in Epiſtola ad Julianum Epiſcopum Coenſem. (Epiſt. 11.) *Anima Domini nihil carnis ſuæ habebat adverſum, nec diſcordia deſideriorum gignebat compugnantiam voluntatum, Senſus corporei vigebant ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine Deitatis & mentis nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis*. Peccati itaque communio eſt humanarum in parte inferiori affectionum adversùs dominam mentem rebellio, quà invitam ac repugnantem & tentant illecebris & ſubdunt injuriis. Reddidit nobis Deus inobedientiam pro inobedientia. Quid enim juſtiùs, quàm ut Deo rebellis humana voluntas patiatur rebellionem ſubditarum affectio-

ctio-

ctionum, immò & ſui ipſius? Ut in ſemetipſam lacerata eamdem rem & velit & nolit, & non poſſit ſeipſam colligens plenè velle aut plenè nolle, ſed miſera cogatur exclamare: *Habeo auctorem Deum, quis in me ſeminavit hoc bellum?* Ea rebellio eſt lex peccati, ipſumque in hominibus ex aqua & Spiritu ſancto necdum regeneratis originale peccatum, in regeneratis verò illius cadaver, fœtidum & contagioſum, ſola noviſſima beatæ Reſurrectionis generatione ſepeliendum. Hæc ſunt illa, quæ à deceptore illata, & ab homine decepto admiſſa nullum in Salvatore habuere veſtigium.

Objici poſſunt variæ & Evangeliſtarum de Domino, & Domini de ſemetipſo voces. *Cœpit tædere, & pavere, & mæſtus eſſe.* Factus in Agonia ſudavit ſanguinem præ mentis anguſtia, eguitque Angelo confortante. Ejus vox eſt: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Hæc verba oſtendunt aliud adſumptum hominem, aliud Deum Patrem, adeòque & Deum Verbum de paſſionis calice voluiſſe: Dei enim Patris & Dei Verbi eſt eadem voluntas, atque ità Chriſti Domini voluntates in invicem omninò pugnarunt. Eaque eſt mens variorum Patrum. Etenim, teſte apud Facundum Hermianenſem Epiſcopum Theophilo Patriarcha Alexandrino, Sanctus Joannes Chryſo-
L. 6. c. 5. ſtomus publicè in Eccleſia dixit, *Quod Chriſtus* Calicis tranſitum *orans non fuerit exauditus, quia non rectè oravit.* Et in quartà oratione contra Arianos ſcribit Sanctus Athanaſius: *Perturbari carnis proprium eſt, poteſtatem habere ponendi & ſumendi, quando vult, animam ſuam non eſt hoc hominis proprium, ſed verbi virtutis.* Et Domini Verbum, *Tranſeat à me calix iſte*, exponit in libro de humana natura à Verbo ſuſcepta. *Duas voluntates hic oſtendit: Humanam quidem, quæ carnis eſt, aliam verò, quæ Deitatis. Et humana quidem propter infirmitatem carnis recuſat paſſionem, Divinitas ejus prompta eſt.* Et Sanctus Leo
Ep. 78. l. 10. in litteris ad Juvenalem Hieroſolymæ Epiſcopum affirmat in Domino fuiſſe *formidinis pavorem.* Et Sanctus Ambroſius in commentariis Sancti Lucæ Evangeliſtæ. *Minùs contulerat mihi Dominus, niſi meum ſuſcepiſſet affectum: Suſcepit triſtitiam meam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur.* At verò *turbari, pavere, non rectè orare, carnis infirmitas*, aliaque id genus omninò important neceſſarios ac rebelles animi motus: quos Philoſophi gentiles rectè dixerunt ſalum mentis & turbellas cogitationum. Et hinc adversùs Sanctum Maximum diſputans Pyrrhus dixit timorem nobis naturaliter ſeu neceſſariò ineſſe, ſubjacere reprehenſioni & peccato, ideòque in Domino non potuiſſe eſſe. Addit ità omninò dogmatizari à nobis, qui tradimus in Domino voluntates naturales: Voluntas enim naturalis eſt omninò idem, quod affectio neceſſaria ac rebellis. Vocem, *Naturalis voluntas*, ait eſſe ſcandaloſam ac piarum aurium offenſivam.

Reſpondet Sanctus Maximus. *Eſt timor ex natura, & præter naturam. Ex natura quidem timor eſt vis ipſius naturæ ad tuendum ſe per contractionem; præter naturam verò timor eſt contractio præter rationem. Timorem igitur præter naturam Dominus, utpotè ex cogitationum proditione profectum, penitùs non admiſit, timorem verò ex natura, utpotè indicem facultatis inditæ naturæ ad tuendum ſe, volens propter nos, tanquam bonus, admiſit. Non enim in Domino, ſicut in nobis, ea, quæ naturæ inſunt, voluntati antecedunt, ſed ſicut cùm verè eſuriebat & ſitiebat, ſic cùm timuit verè, non ſicut nos, ſed ſupra nos timuit.* Timore, non rebelli & neceſſario, ſed obedienti, per voluntatem, liberam & plenam dominam, imperato. Eadem eſt mens Sancti Leonis in ſermonibus de Dominica Paſſione, vocem Domini, *Tranſeat à me calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, exponentis. *Prima petitio* Ser. 5. c. 2.
infirmitatis eſt, ſecunda virtutis: Illud optavit ex noſtro, hoc elegit ex proprio. Nec enim æqualis Patri Filius omnia eſſe Deo poſſibilia neſciebat, aut ad ſuſcipiendam crucem ſine ſua in hunc mundum deſcenderat voluntate, ut hanc diverſarum affectionum compugnantiam perturbata quodammodò ratione pateretur. Sed ut ſuſcipientis, ſuſceptæque naturæ eſſet manifeſta diſtinctio, quod erat hominis, Divinam deſideravit potentiam, quod erat Dei, ad cauſam reſpexit humanam. Superiori voluntati voluntas ceſſit inferior. Quia nempe *vigebant ſenſus corpo-* Epiſt. 11.
rei ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine non tantùm *Deitatis*, ſed & *mentis, nec ten-* Ser. 15. c. 2.
tabatur illecebris, nec cedebat injuriis. Et *Templo corporis ejus nulla vis, niſi ipſe permitteret, potuiſſet inferri.* Et in Romana ſua Synodo Martinus primus elegantiſſimè oſtendit in Domino fuiſſe mæſtitiam, formidinem, perturbationem, aliaſque omnes, *quæ ſine ulla macula exiſtunt*, aſſum- Ser. 5.
ptæ carnis paſſiones, *non ut obtinerent, ſicut in nobis, ſed ut motæ deſtruerentur per inhabitantis verbi virtutem, tranſmutata in meliùs natura.* Et non ſola ſuſceptrix Dei Verbi Divinitas, ſed & ipſa ſuſcepta humanitas habuit *hanc miſericordem materiam, ut per hoc, quod paſſiones permiſit in ſe ſpontè moveri, has robuſtiùs deſtrueret, & noſtram de his liberaret naturam, quæ non aliter poſſet liberari, niſi de his per paſſionem carnis ſpontè ſuſceptis pro nobis experiretur.* Eam eſſe dicit *doctrinam venerabilium Patrum.* Et Synodus noſtra in decreto de fide *prædicat duas naturales voluntates, non contrarias, abſit, juxta quod impii aſſeruerunt* & nobis impoſuerunt *hæretici, ſed ſequentem ejus humanam voluntatem, & non reſiſtentem vel reluctantem, ſed potiùs & ſubjectam Divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.* Omninò igitur Dominus habuit eaſdem nobiſcum inferioris appetitus affectiones. Rationem dat Tertullianus in libro de fuga in perſecutione. *Profeſſus & ipſe eſt animam anxiam* Cap. 9.
uſque ad mortem, & carnem infirmam, ut tibi oſtenderet in ſe utramque ſubſtantiam humanam fuiſſe ex proprietate anxietatis animæ, & imbecillitatis carnis, ne aliam, ut quidam nunc induxerunt, utique cuncti duplicis Divinitatis fabulones, *aut animam aut carnem Chriſti interpretareris.* Eamque rationem adprobant Patres omnes, Latini & Græci. Habuit, inquam,

Do-

Dominus affectiones eaſdem quoad ſubſtantiam, non quoad modum. Mentis enim deſpoticum in eas dominium nos peccato amiſimus, pleniſſimè autem illud habuit innoxius à peccato omni Dominus, atque ità in illo caro quidem aliud, quam ſpiritus, non tamen concupivit adversùs ſpiritum, quia obediens & non niſi juſſa concupivit: Ubi verò eſt unius, licèt aliud volentis, plena obedientia & ſubjectio, nulla eſt affectionum aut voluntatum pugna aut rebellio.

Nec obſunt rationes adductæ in contrarium. A tanta enim blaſphemia innocentiſſimus fuit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: A Theophilo Epiſcopo & Iſaacio monacho paſſum calumnias
L. 6. c. 5. in Synodo ad Quercum, teſtantur Facundus
L. 59. Hermianenſis & Photius in Bibliotheca. Sancti Athanaſii dictum eſt æquivocum, à Theodoro Mopſueſtienſi poſteà adſumptum in ſenſum pravum, ideòque à trium Capitulorum adverſariis, & quinta Synodo juſtiſſimè damnatum. Eum
Facund. damnarunt, quod Dominum in paſſione dixiſ-
l. 3. c. 3. ſet *formidaſſe & fuiſſe turbatum. Horremus*, inquiunt, *ſolam memoriam blaſphemiarum ejus, & Deo ſupplicamus, ut nobis ſit propitius, quod omninò in lingua talia ſuſtinemus, aſſerentes trepidare in paſſione eum poſſe, qui ſuis famulis, qui pro ejus nomine Martyrium ſuſceperunt, talem donavit gratiam, ut cum gaudio, & promptitudine, & alacritate paſſiones adirent.* Damnavit quinta Synodus
Coll. 4. & hunc Theodori articulum: *Et in magna trepidatione per tempus paſſionis conſtitutus* Dominus *apparitione Angeli indiget confortantis eum ad patientiam & tolerantiam imminentium malorum.* Eum-
L. 3. Dial. dem acerrimè inſectatur Leontius monachus Byzantinus. Lapſi hic etiam ſunt Armenii, de quibus Sanctus Nicon monachus in fragmento, exſtante in tertio tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum, de peſſimorum Armeniorum peſſima religione. *E ſacris Evangeliis abſtulerunt vocem, quæ dicit:* ET FACTUS EST SUDOR EJUS, SICUT GUTTÆ SANGUINIS DECURRENTIS IN TERRAM. *Hoc eſſe imbecillitatis exiſtimant, non Divinæ majeſtatis.* Etenim Dominus Angeli confortantis ſolatio aut auxilio non eguit, ſed miniſterio uſus fuit ad noſtram in tali articulo ſpem atque inſtructionem. Et formidavit & turbatus fuit, verùm non quomodò Theodorus, ſed quomodò Sanctus Joannes Evangeliſta dixit: *Turbavit ſemetipſum.* Appetitum inferiorem turbavit Domina mens, nullam ipſa paſſa turbationem. Et hinc Sancto Cyrillo Alexandrino & Epheſino Concilio adhærentes orthodoxi, adversùm quos devius adhuc Theodoretus ſcripſiſſe memoratur à Photio in
L. 46. Bibliotheca, pulchrè dixerunt: *Paſſus eſt ſine paſſione.* Et *Paſſus eſt, uti voluit.* Ejus namque formido, mæſtitia, & aliæ id genus affectiones fuerunt, non neceſſariæ paſſiones, ſed liberrimæ actiones. Quo ſenſu locutus eſt & Sanctus Athanaſius, de quo præſens Synodus in fidei decreto. *Oportebat carnis voluntatem moveri, ſubjici verò voluntati Divinæ, juxta ſapientiſſimum Athanaſium.*

Hinc oritur alia quæſtio, An dictæ doloris & timoris immaculatæ affectiones fuerint in ſolo appetitu inferiori, ac nullatenùs in ipſa Domini mente? Reſpondeo fuiſſe in ſola parte inferiori. Hinc & noſtra Synodus & Patres omnes aſſi- Ser. 16.
duè vocant *voluntates carnis*, ac ſingulariter in c. 7.
ſermonibus de Dominica Paſſione Sanctus Leo *trepidationem carnis.* Addit in adſumpto homine alium fuiſſe affectum, quem ad humanæ formidinis excuſationem Deus Verbum recepit, alium quem ex æterno placito Patris pro mundi reconciliatione prælegit. Et in litteris ad Julianum Epiſt. 11.
Coenſem Epiſcopum ſcribit humanas affectiones, utique formidinem & mæſtitiam, quarum veritatem in Domino profitemur, fuiſſe eas, quæ erat ſub moderamine non tantummodò ſuſceptricis Deitatis, ſed & adſumptæ mentis. Et Sanctus Hieronymus in commentariis ſuper Evangelium
Sancti Matthæi. *Erubeſcant, qui putant Salvato-* Cap. 26.
rem in ipſa domina mente *timuiſſe mortem & paſſionis pavore dixiſſe*, PATER, SI FIERI POTEST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE. Hinc infrà docet Dominum fuiſſe verè contriſtatum, Apollinariſtas, qui garriebant ab illo adſumptam animam irrationalem, durè arguens, & pergit. *Dominus, ut veritatem probaret adſumpti hominis, verè quidem contriſtatus eſt, ſed ne paſſio in anima illius dominaretur, per propaſſio-*
nem cœpit contriſtari. At verò propaſſiones eſſe Cap. 5.
ſolius partis inferioris motus docet lucidè in eiſ- Epiſt. 9.
dem commentariis, & in Epiſtola ad Salvinam. Et trium Capitulorum damnatores meritò horruerunt Theodorum Mopſueſtienſem, quod Domini, ſuis martyribus dantis vires cum gaudio moriendi, non carnem ſolummodò, ſed & mentem diceret in paſſione turbatam formidaſſe. Huic item principio innititur hæc emendatio Leporii Presbyteri Gallicani. *Ne quid inſipientiæ deeſſet meæ, arbitrabar Dominum in cruce clamoris emiſiſſe ſermonem*, DEUS, DEUS MEUS, QUARE ME DERELIQUISTI? *Quod perfecta hominis patientia, minimè adjuvante Deitate, in tantis doloribus probaretur.* Corrigit ſe, non de perfecta adſumptæ mentis patientia, ſed de ejuſmodi patientia citra Divinum auxilium per ſolas naturæ vires exerta, quod eſt nequiſſimè Pelagianum. Aſſumptæ itaque mentis voluntas immobili Divinitatis voluntati immobilis adhæſit, & temporibus & locis invariata, nullam patiens volubilitatem affectuum aut cogitationum. De iſta Domini voce, *Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti*, fœdiùs errarunt Neſtorii in Hiſpania præcurſores Pelagiani, dicentes: *Deus receſſit ab eo.* Eiſque Vitalis & Tonantius, Epiſcopi orthodoxi, conſenſere. Quem errorem acriter, & meritò, expugnat datis ad eos litteris Capreolus Archi-Epiſcopus Carthaginenſis, nec non Sanctus Leo in decimo ſeptimo ſermone de Dominica paſſione. Vocem eleganter exponit Tertullianus in libro adver-
sùs Praxeam. *Non reliquit Pater Filium, in cu-* Cap. 30.
jus manibus Filius Spiritum ſuum poſuit, & ſtatim obiit. Ita reliqui à Patre mori fuit Filio. Tunc Filium Pater dereliquit, cùm adimplevit prædictionem Eſaiæ Prophetæ: *Eum tradidit pro delictis noſtris.* Et Apoſtoli prædicationem: *Proprio Filio non pepercit.* Derelinqui à Patre fuit hanc

ora-

orationem, *Tranſeat à me calix iſte*, non exaudiri, *non erui, non defendi, ſed ſævientium manibus permitti, hoc eſt, Salvatorem mundi fieri, & omnium Redemptorem, non per miſeriam, ſed per miſericordiam, non amiſſione auxilii, ſed deſinitione moriendi. Quare non tantummodò Pater Filium, ſed & Filius dereliquit ſemetipſum, non trepida diſceſſione, ſed voluntaria ceſſione.* Ità exponunt Sanctus Leo in ſermonibus de Dominica paſſione, Leporius in libello emendationis, & latiſſimè Sanctus Auguſtinus in Epiſtola ad Honoratum cathecumenum. Nimiùm deſperata eſt blaſphemia Joannis Calvini, blaterantis Dominum in verbis iſtis deſperaſſe. *Ne mireris*, inquit Sanctus Hieronymus, *verborum humilitatem, querimoniam derelicti, cùm formam ſervi ſciens ſcandalum crucis videas*: Sunt verba doloris permiſſi in appetitu inferiori.

Ser. 16. c. 7
Ser. 17. c. 2
Epiſt. 121
Ad Matth. c. 28.

Reſtat auctoritas Sancti Dionyſii Areopagitæ, Chriſto Domino adſcribentis operationem novam, Theandricam, ſeu *Dei-virilem*, de qua, uti in Romana ſua Synodo teſtatur Sanctus Pontifex Martinus primus, primi digladiari cœperunt Themiſtius, Dux Agnoetarum, à Themiſtio Philoſopho, Ariſtotelis commentatore & Metaphraſte, qui ſub Valentis Imperio floruit, longè diverſus, ac ejus adverſarius Collutus, Clericus Eccleſiæ Alexandrinæ. Ambo Eutychiani convenerunt eſſe unam in Domino & naturam & operationem, eamque Themiſtius dici voluit *Dei-virilem*, Colluthi verò ſenſum audiamus à laudato Pontifice Martino. *Collutus recuſavit aſſerere* DEI-VIRILEM OPERATIONEM, *eò quod talis vox duas ſignificat operationes, Divinam & humanam, non unam tantummodò ſecundùm Themiſtii deliramentum. Et ideò Collutus tantùm Deo decibilem, in hoc ſibi conſentiens, & non* DEI-VIRILEM *operationem, licèt inconveniens erat veritati, aſſerebat, utpotè unam, non duas profeſſus*. Omnis eorum de re convenientium lis erat de voce, *Dei-virilis*, quam Themiſtius, Dionyſio Apoſtoli Pauli diſcipulo nolens adverſari, dogmati ſuo aptam, Collutus ineptam dixit, atque ideò truncare non erubuit Dionyſii textum, cujus hic tenor: *Dominus etiam ſecundùm Deum non Divina operatus eſt, neque humana ſecundùm hominem, ſed Deo homine facto novam quamdam* DEI-VIRILEM *operationem nobis oſtendit*. Vocem, *Dei-virilem*, Collutus expunxit. Apud Monothelitas prævaluit Themiſtii opinio, uti liquet ex huc uſque dictis, ideòque Cyrus Patriarcha Alexandrinus ſeptimo initæ cum Theodoſianis concordiæ Capitulo vocem inſeruit, uſus tamen Colluti & omnium hæreticorum ſolenni privilegio: Nam Dionyſii textum & ipſe alteravit, pro voce, *Novam*, ſubſtituens vocem, *unam*. Ità adversùs Colluti calumniam duxit præſcribendum.

Martinus Pontifex adversùs Sancti Dionyſii auctoritatem uti potuiſſet ea præſcriptione, qua adversùm Severianos Epiſcopos, eandem pro unica in Domino natura adducentes, in Collatione Conſtantinopolitana uſus fuit Hypatius Archi-Epiſcopus Epheſiorum. *Illa teſtimonia, quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, undè poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? Si enim ejus erant, non potuiſſent latere Beatum Cyrillum. Quid autem de Beato Cyrillo dico? Quando & Beatus Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet ejus fuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adversùs Arii diverſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt eu, undè nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſunt, neſcio.* Hæc eſt omninò prima apud Eccleſias de Dionyſii Areopagitæ ſcriptis memoria, è latebris eruta ab Eutychianiſtis ad probandam in Domino Jeſu Chriſto unicam naturam. Et eorum quædam videntur illis favere. Hinc non ſolus Hypatius, ſed cuncti penitùs orthodoxi opera illa in exordio habuere ſuſpecta. Legitima ſint, an ſpuria, longa eſt quæſtio, nec hujus loci. Eorum materia quarti ſæculi exordium, ſtylus pompaticus non hominem Atticum, ſed Aſiaticum manifeſtè olet & ſapit. Quidquid ſit, ea diſcutere cœpit mota Severianis clamoribus Eccleſia, reperit doctiſſima & nihil ineſſe diſſonum à recto dogmate, atque ità illis, diſſimulata natalium & parentis quæſtione, cœpit & ipſa uti, hunc vocans, non Pariſienſem Epiſcopum, ſed Athenienſem. Sergius in Martini primi Romana Synodo Tempſanenſis Epiſcopus vocat Opera cujuſdam Dionyſii Epiſcopi Athenienſis. Aſt verò ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcribit Sanctus Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in litteris per præſentem Synodum comprobatis. *Omnes Domini voces & operationes credimus. Licèt quædam earum ſint Deo decibiles, quædam verò ita rursùs humanæ, quædam verò medium quemdàm ordinem obtinent, tamquam habentes in hoc ipſo quid Deo dignum & humanum. Hujus verò aſſerimus eſſe virtutis etiam illam, quæ dicitur communis &* DEI-VIRILIS *operatio, non unam exiſtentem, ſed diverſi generis ac differentem, quam ex Areopago à Paulo egregio divinitùs captus, Deo vocatus aſſeruit Dionyſius, utpotè Deo decibile in hoc ipſo & humanum habentem, perque alacrem & compoſitam dictionem, uniuſcujuſque ſubſtantiæ atque naturæ unamquamque perfectè ſignificantem operationem.* Non itaque quævis Domini operatio eſt *Dei-virilis*, ſed illa ſola, quæ per utramque idem operantem naturam communiter procedit, ac utrique eſt communis, quales fuerunt miraculorum patrationes, in quibus adſumptus homo plantabat ac rigabat extrinſecùs, ejus autem ſuſceptrix Divinitas dabat intrinſecùs incrementum. Cœli & terræ creatio, item humani alimenti conſueta ſumptio non fuerunt Dei-viriles. De Dei-virilibus ſanctiſſimum Canonem edidit Martinus primus. *Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos* DEI-VIRILEM *operationem, quod Græci dicunt* THEANDRICAM, *unam operationem inſipienter ſuſcipit, non autem duplicem eſſe confitetur ſecundùm ſanctos Patres, hoc eſt, Divinam & humanam, aut ipſam* DEI-VIRILIS, *quæ poſita eſt, novam vocabuli dictionem unius eſſe deſignativam, ſed non utriuſque mirificæ & glorioſæ unitionis demonſtrativam, condemnatus ſit.*

Hinc à Pyrrho Epiſcopo Conſtantinopolitano diſputante cum Sancto Maximo quæri potuit,

An

Digitized by Google

An operatio *Dei-virilis*, licèt reverà duplex, poſſit dici una compoſita, quomodò quidam duplicem Domini naturam dixere unam compoſitam? Videtur Pyrrhus non malè dixiſſe hanc quæſtionem eſſe ſolius nominis, adeòque contemnendam, quod, teſte Gregorio Nazianzeno in litteris ad Cledonium, non in vocibus, ſed in rebus ſolis veritas Chriſtiana conſiſtat. Parum eſt, *quibus* vocibus exprimatur. Reſpondeo tamen *dici* non poſſe. Omnis quippè Domini compoſitio eſt in ſola Hypoſtaſi, nequaquam in natura aut operatione, uti ſuprà diximus ex Sancto Joanne Damaſceno, & Facundo Hermianenſi. Et ille Acephalorum ſeu Semi-Eutychianorum claſſis, quæ duas integras ac inconfuſas in Domino fatebatur naturas, unitas tamen in unam compoſitam, manſerunt omninò Eutychianiſtæ, dicti Monophyſitæ. Rationem dedit Facundus, quod naturæ illæ ad invicem naturaliter tamquam partes non ordinentur: Qui ordo nec inter operationes reperitur. Qui hodie naturalem hujuſmodi ordinem ſpernunt, & animam rationalem, omnemque aliam ſubſtantialem formam exiſtimant & ad partis & ad totius rationem eſſe indifferentem, & hanc aut illam ſortem illis à mero Domini Creatoris arbitrio provenire, fœdè ac miſerè hallucinantur. Dicunt de Monophyſitis, quod Sanctus Proſper à Collatore dici doluit de Pelagianis. *In eum ſtatum deducere Eccleſiæ cauſam moliuntur, ut dum noſtros affirmant non veraciter pro gratia locutos, inimicos gratiæ perſuadeant injuſtè damnatos*. Ex falſis aut certè caducis principiis dicunt damnatos Monophyſitas. Addit Facundus ejuſmodi Philoſophiam penitùs olere Origenem, qui animas noſtras dixit priùs fuiſſe totales mentes, & à vindice Deo tranſire juſſas in animas ſeu partes. Neque hæc eſt quæſtio de ſolo nomine. Et in Eccleſia eſſe debet non ſolummodò rectum dogma, ſed & verbum ſanum atque irreprehenſibile, ne & nos Chriſtum Dominum jam in cœlis regnantem, quod in libris ad Regem Traſimundum monet ſeriò Sanctus Fulgentius, perverſæ locutionis lancea
L. 3. c. 1. percutiamus.

Addit in litteris ad Conſtantinum Auguſtum Sanctus Agatho Pontifex. *Ex diverſis*, quos adduxerat, *probabilibus Patribus fidei veritas claruit, licèt exiguis teſtimoniis: Quia rem apertam, & omnibus claram, Patres laudabiles ſuperfluum eſſe cenſebant diſſerere. Quis enim, licèt tardus ſit ad intelligentiam, non videat quod omnibus patet? Quia impoſſibile & contra ordinem naturæ eſt poſſe eſſe naturam & operationem non habere naturæ*. Adversùm Arianos, Apollinariſtas, atque Eutychianos oſtenderunt Patres eſſe duas in Chriſto Domino naturas plenas atque integras citra omnem confuſionem ac mutilationem, ſecuri ex duabus naturis ſequi & duas operationes, ideòque de operationibus non omninò plenè fuerunt locuti. Crediderunt fieri non poſſe, ut quis ſapiens duabus integris naturis unicam operationem eſſet unquam adſcripturus. A Sanctis Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nyſſeno, aut ullo Doctore orthodoxo abſit iſta infamia. Eorum dicta in ſpeciem dubia exponunt Sanctus Maximus, Martini Pontificis Romana, & hæc noſtra Synodus in fidei decreto.

Decretum hoc confirmat & Epheſinum Canonem de non alterando Symbolo, denuoque canonizans hanc propoſitionem: *Unus è Trinitate eſt crucifixus*. Videatur totus tertius liber Sancti Fulgentii ad Traſimundum Regem, oſtendens Dominum gloriæ & auctorem vitæ omninò rectè dici paſſum, at per carnem ſeu in carne, & ità, ut Deus Verbum non fuerit compaſſus. Oſtendit paſſum in carne, non cum carne. Et hinc patet, cur pro Neſtorio devius Theodoretus integrum apud Photium in Bibliotheca librum ſcripſerit L. 46.
adversùm orthodoxos dicentes: *Verbum per carnem paſſum eſt*. Exiſtimabat ab eis aſſeri Verbum patienti carni fuiſſe compaſſum, quomodò ſolet anima ſuo corpori. Ea enim ſunt delitia blaſphema Arianorum ac Apollinariſtarum, de quibus Cyrillum Theodoretus tunc infamabat.

CAPUT IV.

Exponitur Monothelitarum progreſſus.

THeodorus Pharanitanus ac Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus fœtores hos movere cœperunt ante annum Domini ſexcenteſimum decimum ſextum. Etenim, quomodò ſuprà audivimus à Sancto Maximo, eorum ſcripta Sanctus Joannes Eleemoſynarius Georgio Arſa eripuit, ab ejus degradatione exequenda impeditus per captam à Perſis civitatem Alexandrinam, quam captam fuiſſe anno Domini ſexcenteſimo decimo ſexto, ſexto Heraclii Auguſti, ſcribunt Theophanes, Georgius Cedrenus,
& Chronicon Alexandrinum. Attamen non cre- L. 18. c. 5.
diderim Sanctum Joannem, quod in notis ad ejus vitam vult Joannes Bollandus, tunc ſtatim fugiſſe in Cyprum, inſulam natalem, eodem anno defunctum ibidem, ideòque Epiſcopatui fuiſſe admotum anno Domini ſexcenteſimo ſexto, ſub Imperio Phocę. Leontius Neapolitanus Epiſcopus diſertè dicit promotum ſub Heraclio. Et capta Alexandria mox in patriam fugere olet hominem mercenarium, nequaquam tantùm Epiſcopum. Sub Perſarum barbarica captivitate gementem populum nequaquam dereliquit ſua ſponte, ſed quadriennio poſt crediderim neſcio qua de cauſa ab illis proſcriptum. Civitatis interim calamitas dormitare coegit Eccleſiaſticam diſciplinam, atque ità Georgius Arſa evaſit ictum degradationis. Perſæ per omnem Orientem fuere graſſati uſque ad obſeſſam, quam viſibiliter apparens Deipara defendit, Conſtantinopolim, totoque belli tempore uſque ad Domini annum ſexcenteſimum vigeſimum octavum compreſſa hæreticorum ora tacuerunt. *Silentium*, ſcribit ad Honorium Pontificem Sergius, *ex illo tempore hujuſmodi ſuſcepit Capitulum*. Dicto anno ex Edeſſena Oſrhoenorum Metropoli ad Sergium Conſtantinopolitanum ſcripſit Perſarum Victor Au-

guſtus Heraclius, inſtrui volens de dogmate Mennæ Patriarchæ in ſermone acclamatorio ad Vigilium Papam. Anno ſequenti Hierapoli, quæ eſt Euſrateſiæ Provinciæ Metropolis, egit cum Athanaſio Jacobitarum Primate, Actaque ſua denuò retulit ad Sergium, & Cyrum Lazorum Metropolitam, atque ità duo peſſimi hi angues cœperunt venena conjungere.

Anno Domini ſexceneſimo trigeſimo moritur Georgius Alexandrinus Epiſcopus, Sancti Joannis ſucceſſor ad decem annos, ac Principis favore & grandi Eccleſiæ malo Cyrus è Phaſidis Epiſcopo fit Patriarcha, qui mox fecit, quod ſcribit ad Sergium Conſtantinopolitanum. *Notum facio, quod omnes, qui dicuntur dogmatis Theodoſianorum, circa hanc Alexandrinam Deo amabilem civitatem clerici, unà cum his, qui in dignitatibus & militibus clarent, inſuper & qui ex plebe ſunt in millibus conſtituti, per tertiam Junii menſis adunati ſanctæ noſtræ Catholicæ Dei Eccleſiæ intemerabilia nobiſcum Dei myſteria perceperunt.* Et Sergius in litteris ad Honorium Papam. *Cyrus Sanctiſſimus Alexandriae magnæ civitatis Patriarcha amabiliter & modeſtè adhortatus eſt eos, qui Eutychetis, Dioſcori, Severi, & Juliani hæreſi languerent, ad Catholicam Eccleſiam accedere. Et poſt multas diſputationes & labores hoc, quod feſtinabat, per ſupernam gratiam ordinavit. Facta ſunt inter utraſque partes dogmatica Capitula, in quibus omnes* memorati hæretici *coadunati cum ſanctiſſima Catholica Eccleſia, & unus grex Chriſti veri Dei noſtri omnis Alexandriæ populus factus eſt, & penè univerſa cum eis Ægyptus, & Thebais, & Lybia, & cateræ Ægyptiacæ diſpoſitionis regiones, quas olim conſiderare licebat in innumerabilem hæreſum multitudinem diſciſſas, nunc beneplacito Dei, & ſtudio prædicti ſanctiſſimi Alexandrinorum Antiſtitis, unum labium facti ſunt omnes, una vox, & in unitate Spiritus recta Eccleſiæ dogmata confitentur.* Hanc unionem pompoſiſſimè attollit. Cyrus, inquam, novus Patriarcha totius ſuæ Diœceſeos mox adunavit Synodum, magnis laboribus omnes Eutychianiſtas, Severianos, Julianiſtas, Theodoſianos, ac Dioſcori partem induxit ad recipiendum Synodum Chalcedonenſem, tomum & nomen Sancti Leonis Papæ Romani, duaſque in Chriſto Domino naturas. Compoſuit ſeptem concordiæ dogmatica Capitula, orthodoxa omnia excepto ultimo, quo unam in Domino aſſeruit voluntatem ac operationem *Dei-virilem*. Sacris juſſionibus hæc adjuvit Heraclius Imperator, & Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus ut Divinæ gratiæ magnum opus confirmavit.

Spectabat verò Alexandriæ præſens Sanctus Sophronius adhuc monachus, ejuſmodi non paci & communioni, ſed ſceleratiſſimæ confuſioni *adverſatus eſt, & contradixit ad unius operationis Capitulum, duas omninò operationes Chriſti Dei noſtri dignum inquiens cenſeri. Cyro autem quorumdam Patrum teſtimonia proferente, diſperſim in quibuſdam ſuis opuſculis unam operationem aſſerentium, adhuc quoque & ex abundanti inquiente, quod multoties Sancti Patres, ut lucrarentur plurimarum animarum ſalutem, dum talia emergerent Capitula, Deo placitis diſpenſationibus uſi fuiſſe videntur, nihil de ſubtilitate rectorum dogmatum exagitantes, & dicente, quod oporteat etiam in præſenti, dum tantorum millium populorum ſalus præ manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem operari, ideireò quod etiam à quibuſdam Patribus vox hujuſmodi dicta eſt, nihilque de hoc lædatur rectæ fidei ratio, memoratus Sophronius talem diſpenſationem nullatenùs accepto tulit.* Et jure merito. Ejus enim conſtantiam probat, & ejuſmodi in dogmatis cauſa diſpenſationem acerrimè inſectatur Sanctus Martinus Pontifex in litteris ad Conſtantem Auguſtum. Epiſt. 3.

Addit Sanctus Maximus in diſputatione cum Pyrrho. *Poſtquam Sergius multis modis morbum ſuum in commune propoſuit, & maximam partem Eccleſiæ corrupit ac vaſtavit, ſi Beatus Sophronius admonuit cum humilitate, quæ ejus habitum decebat, ad veſtigia ejus provolutus,* per Domini paſſionem *obteſtans, ne vocem hæreticorum probè olim à Sanctis Patribus extinctam renovaret, fuit ne ipſe auctor hujus ſcandali?* Non igitur Cyrum dumtaxàt auctorem ſceleratæ confuſionis & capitulorum, ſed & Sergium confirmatorem, ſalva, quam Patriarchis monachus debebat, reverentia redarguit, ideòque ab illis habitus eſt hoſtis Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ pacis.

Eodem anno moritur Modeſtus Hieroſolymorum Epiſcopus, & à Deo Eccleſiam ſuam miſerato promovetur ad Patriarchatum laudatus Sophronius, fit Monothelitarum dutiſſimum flagellum, facitque quod Stephanus Dorenſis Epiſcopus dixit ad Martini primi Synodum Lateranenſem. *Sophronius temeratoribus validiſſimè contradixit, conteſtans eos & admonens, ut à propria hæreſi quieſcerent, & ad rectam Patrum fidem remearent, dans in duobus libris ſexcenta teſtimonia Patrum, ad evictionem impietatis eorum, & veritatis oſtenſionem.* Compoſuit auream illam Epiſtolam ſynodicam, In undecima præſentis Synodi Actione lectam & probatam, miſit ex more ad omnes Patriarchas, etiam ad Honorium Pontificem per ſingulares Legatos cum pleniſſimis inſtructionibus ac querimoniis: Licet enim Epiſtola in præſenti Synodo exſtans habeat Epigraphem ad ſolum Sergium Conſtantinopolitanum, exſtant tamen & græca ejus exemplatia laudato Pontifici inſcripta. Ità initam à Cyro & Sergio cum Theodoſianis communionem nutare & per omnem Eccleſiam fœtere fecit Sophronius, dictam diſpenſationem nec audire ſuſtinens, niſi unius operationis voce penitùs proſcripta.

Territus ad hæc Sergius vertit nonnihil vela, fecitque quod ſcribit ad Pontificem Honorium. *Nos conſiderantes incipientem ex hoc inter quoſdam contentionem exardeſcere, & ſcientes quod ſemper ex hujuſmodi decertationibus hæreſum diſſenſiones effectæ ſunt, neceſſarium judicavimus omne ſtudium ponere ad ſedandum atque amputandum talem ſuperfluum verborum conflictum, & ad ſanctiſſimum Alexandriæ Patriarcham Cyrum ſcripſimus, ut poſtquam unitatem cum his, qui pridem ſeparabantur, Deo auxiliante compoſuit, & de cætero nullam permitteret unam aut duas operationes proferre in Chriſto Deo noſtro,*

magis

Digitized by Google

magis autem, ſicut ſancta & univerſalia tradiderunt Concilia, unum eumdemque Filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum, operatum confiteri tam Divina quam humana, & omnem Deo decibilem & homini dignam operationem, ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indiviſè procedere, & ad unum eumdemque dirigi, eò quod unius quidem operationis vox, quamquam à quibuſdam Sanctis dicta eſt Patribus, tamen peregrina videatur, & perturbare aures quorumdam, ſuſpicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuſè atque ſecundùm ſubſiſtentiam unitarum in Chriſto Deo noſtro duarum naturarum, quod non eſt unquam, nec fiat. Similiter autem & duarum operationum dictio multos ſcandalizet, utpotè à nullo Sanctorum probabilium Eccleſiæ inſtitutorum edita. Inſuper & conſequens ei ſit prædicare duas voluntates contrarietatem circa invicem habentes, tamquam Deo quidem Verbo ſalutarem volente adimpleri paſſionem, humanitate verò ejus obſiſtente ejus voluntati, & reſiſtente, & proindè duo contraria volentes introducantur, quod impium eſt. Et poſt quædam. *Hanc igitur contentionem incipientem accendi videntes, neceſſarium judicavimus attritas potiùs Sanctorum Patrum voces & ſynodicè definitas ſemper ſequi, & neque quæ raro à quibuſdam Patribus dicta ſunt, & non circa hæc intentionem habentibus, quaſi planam, & inambiguam de eis doctrinam exponerent, ad regulam & legem per omnia dogmaticam reducere, quale eſt & quod de una operatione ab eis dictum eſt: Neque item quæ nullatenùs dicta ſunt à probabilibus Patribus, nunc verò à quibuſdam proferuntur, duas, inquam, operationes, tamquam dogma Eccleſiaſticum proferre. Et ad ultimum ſtetit & placuit, quatenùs Sophronius venerabilis nullum ſermonem de cætero de una ſive duabus operationibus movere debeat, ſed ei ſufficiat præfata, cautaque, & trita Sanctorum Patrum traditio atque doctrina. His itaque contentus nominatus venerabilis vir, & hæc cuſtodire certificans, petiit nos etiam per Epiſtolam de his ei ſcribere reſponſum, quatenùs hujuſmodi Epiſtolam, ut ait, oſtendat his, qui forſitan interrogare eum de prædicta quæſtione voluerint. Quod & alacriter egimus. Et ille quidem in his hinc enavigavit.* A Sophronio territi Sergius & Cyrus omnem hanc cauſam ad quæſtionem de nomine ſunt conati traducere. Duarum operationum vocem, utpotè à nullo unquam Sancto Patre prolatam, nullatenùs admittere, neque unius operationis vocem, utpotè à quibuſdam Patribus uſitatam definitivè voluerunt damnare. Sua tamen cum Theodoſianis concordata conſenſerunt moderanda, & nova ineunda cum Sophronio. Unius operationis vocem, unicum iſtorum concordatorum fundamentum, tamquam peregrinam, piarum aurium perturbativam, de duabus Domini naturis ſeu everſis ſeu confuſis ſuſpectam; duarum verò operationum vocem, tamquam ſcandaloſam, ſuſpectam de Neſtorio, & contrariarum in Domino voluntatum aſſertivam ſuſpenderunt & circumſcripſerunt ab omni lingua Chriſtiana, ſtatuentes deinceps ſine ulla earum memoria prædicari Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſe unicam in duabus plenis naturis hypoſtaſin, qui tamquam unum principium ſit humana & Divina ſine omni compugnantia operatus. Statutum doloſum, plano tamen ſenſu ſanum & orthodoxum, atque ideò à Sophronio rectè admiſſum.

At citra Sedis Apoſtolicæ auctoritatem vacillant & caduca ſunt quævis, etiam Patriarcharum, pacta de dogmate. Hinc initam cum Theodoſianis concordiam, infinitarum animarum ſalutem, receptam ab illis cum Synodo Chalcedonenſi, tomoque & Sancti Leonis nomine Sedis Apoſtolicæ obedientiam prædicavit cum multo peccatoris oleo Sergius apud Honorium Pontificem, atque poſtrema hæc cum Sophronio, quem de vocum novitate traducebat, concordata poſtulabat confirmari. Et Honorius circumvantus confirmavit in hæc verba. *Non oportet ad dogmata Eccleſiaſtica retorquere, quæ neque ſynodales apices ſuper hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ viſæ ſunt explanaſſe, ut unam vel duas operationes aliquis præſumat Chriſti Domini prædicare, quas neque Evangelicæ atque Apoſtolicæ literæ, neque ſynodalis examinatio ſuper his habita, viſæ ſunt terminaſſe, niſi fortaſſis quidam aliqua balbutiendo docuerunt condeſcendentes ad informandas mentes atque intelligentias parvulorum, quæ ad Eccleſiaſtica dogmata trahi non debent, quæ unuſquiſque in ſuo ſenſu abundans videtur ſecundùm propriam ſententiam explicare. Nam quia Dominus Jeſus Chriſtus ipſe ſit unus operator Divinitatis atque humanitatis, plenæ ſunt ſacræ litteræ luculentiùs denunciantes. Utrùm autem propter opera Divinitatis atque humanitatis una, an geminæ operationes debeant derivatè dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina venditare. Nos enim non unam operationem, vel duas Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque Sanctum Spiritum percepimus, ſed multiformiter cognovimus operatum.* Eum utriuſque naturæ communione docet multiformiter operatum, ac pergit. *Nos ſecundùm ſanctiones Divinarum eloquiorum oportet ſapere vel ſpirare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noſcuntur ſanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare, ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offenſi ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur, aut certè ſi rursùs unam operationem Domini noſtri Jeſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianorum attonitis auribus dementiam fateri putetur, præcaventes, ne quorum inania arma combuſta ſunt, eorum cineres redivivos ignes flammivomarum denuò renovent quæſtionum, ſimpliciter atque veraciter confitentes Dominum Jeſum Chriſtum unum operatorem Divinæ atque humanæ naturæ, electiùs arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores, otiosè negotiantes, & turgidi adversùs nos inſonent vocibus ranarum Philoſophi, quam ut ſimplices & humiles ſpiritu populi Chriſtiani poſſint manere jejuni.* Eadem repetit in aliis ad Sergium litteris, lectis in præſentis Synodi Actione tertia decima, & addit. *Scribentes etiam communibus fratribus Cyro & Sophronio Antiſtitibus, ne novæ voci, id eſt, unius vel geminæ operationis vocabulo inſiſtere vel innemorari videan-*

tur, ſed abraſa hujuſmodi novæ vocis appellatione, unum Chriſtum Dominum nobiſcum in utriſque naturis Divina vel humana prædicent operantem. Quamquam hos, quos ad nos prædictus frater & Co-Epiſcopus noſter Sophronius miſit, inſtruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitatur, quod inſtantiſſimè promiſerunt prædictum virum eſſe facturum, ſi etiam Cyrus frater & Co-Epiſcopus noſter ab unius operationis vocabulo diſceſſerit. Ad inutilem de nomine quæſtionem ſpectare has lites credidit circumſcriptus Honorius, utramque vocem tamquam turbativam, ſcandaloſam, ac unam quidem de Neſtorio, alteram de Eutychete ſuſpectam proſcripſit, ambas contendentes partes ad perpetuum de illis ſilentium, ac veræ citra illas voces fidei prædicationem adſtrinxit, ſilentium fore ſperans fibulam pacis. Et quidem non ſolas relationes, ſed & legatos ad Pontificem miſerat Sophronius, qui ejus nomine ſilentium ſtipulati acceptarunt.

Fuit Honorius à magna illa Theodoſianorum unione, & tot millium animarum ſperata ſalute omninò circumſcriptus. Ejus ſenſum exponit Sanctus Maximus in diſputatione cum Pyrrho. *Quis fuerit fide & auctoritate dignus Epiſtolæ hujus interpres, qui eam ex perſona Honorii ſcripſit, adhuc ſuperſtes, & qui totum occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Chriſtianæ illuſtravit. Is igitur ipſe, cùm ad Divum Conſtantinum Imperatorem ex perſona rurſùs Sancti Joannis Papæ de hac Epiſtola ſcriberet, dixit.* Quomodò Sanctus Hieronymus & Sanctus Proſper Sanctis Pontificibus Damaſo ac Leoni, ità quis vir doctiſſimus Honorio, ac deindè Joanni quarto fuit Secretarius, & Apoſtolicorum reſcriptorum adjutor, atque is ſuum & Pontificis ſui ſenſum exponens ſcripſit ex laudati Joannis nomine ad Conſtantinum Auguſtum, Heraclii filium, ac paucis menſibus ſucceſſorem. *Unam voluntatem diximus in Domino, non Divinitatis ejus & humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cùm enim Sergius ſcripſiſſet, quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, diximus Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe, carnis, inquam, & Spiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantùm, quæ naturaliter ejus humanitatem ſignabat. Hoc autem ità eſſe, argumentum evidens eſt meminiſſe membrorum & carnis, quæ quidem de Divinitate accipi illa non permittunt.* Deindè occurrit objectioni per anticipationem. *Si quis verò dicat, Quare de humanitate Chriſti agentes de Divinitate ejus non meminiſtis, reſpondemus: Primùm quidem reſponſum fuiſſe ad quæſtionem, deindè ut in omnibus, ſic etiam hic conſuetudinem Scripturæ nos ſecutos fuiſſe, quæ aliquando ex Divinitate ejus differit, ut cùm ait Apoſtolus,* CHRISTI DEI VIRTUS ET SAPIENTIA; *aliquando ex humanitate, & ſolùm, ut cùm ait,* QUOD STULTUM EST DEI, SAPIENTIUS EST HOMINIBUS, ET QUOD INFIRMUM EST DEI, FORTIUS EST HOMINIBUS. Quem ſenſum demonſtrant etiam hæc verba Epiſtolæ Papalis. *Unicam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia profectò à Divinitate adſumpta eſt noſtra natura, non culpa: Illa profectò, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata.* Et iterùm. *Non eſt adſumpta à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus, ſed venit quærere & ſalvare quod perierat, id eſt, vitiatam humani generis naturam. Nam Lex alia in membris, aut voluntas diverſa non fuit vel contraria Salvatori, quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis.* Exiſtimabat Honorius de carnis in ſpiritum lucta litigare cum Cyro & Sergio Sophronium, & propendere ad aſſerendos motus dominæ menti adverſos ac rebelles, ideòque non ſine impetu eſt in illum locutus. Neque mireris Pontificem à Sergio circumſcriptum: Etenim ſummi ac pleniſſimè orthodoxi nominis Patriarcha erat Sergius, & grandium in Eccleſia meritorum. Et Theodoſianæ multitudinis ad Eccleſiam reditus erat certè dignus omni poſſibili diſpenſatione. Ex quo vides fœdiſſimè hallucinari eos, qui exiſtimant Honorium fuiſſe hæreticum Monothelitam: Item & illos, qui garriunt Monothelitis ipſum colluſiſſe. Quidquid ſtatuit Honorius, adprobavit fide & vita integerrimus Sophronius: Probavit indictum ſilentium, ſanctiſſimè cuſtodire ſtipulatus: Quin ipſe cum Cyro & Sergio ipſum pepigit, Honoriuſque, licèt non plenè comprehendens, dumtaxat confirmavit: Unius ac geminæ operationis vocem, de qua diſertis verbis nulla generalis reverà Synodus aliquid definiverat, tractandam judicavit, quomodò vocem, *Unus è ſancta Trinitate eſt crucifixus*, eadem de cauſa tractandam Dioſcorus Romanæ Eccleſiæ Diaconus perſuaſerat Pontifici Hormiſdæ. Geminæ operationis vox, licet veriſſima, erat omninò tunc ſcandaloſa, turbativa, de Neſtorio ſuſpecta: Hinc proſcribi aut proſcribenda videri potuit, compelli que omnis Eccleſia ad loquendi formulam à Cyro & Sergio cum Sophronio ſtipulatam. Jonas Abbas iſtorum temporum fidelis ſcriptor affirmat Honorium fuiſſe Præſulem venerandum, animo ſagacem, vigentem conſilio, doctrina clarum, pollentem dulcedine atque humilitate. De eodem liber Pontificalis glorioſè loquitur.

Attamen non dico nullum ejus in hac cauſa fuiſſe delictum. Etenim Leo ſecundus Pontifex de illo ſcribit in litteris præſentis Synodi confirmatoriis. *Honorius flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit.* Et in antiqua Romani Pontificis Enthroniſtica profeſſione dicitur *Hæreticæ pravitati fomenta præbuiſſe.* Exponit Gennadius Maſſilienſis in catalogo virorum illuſtrium, dicens de quadam Julii Romani Pontificis Epiſtola. *Illa quidem tempore utilis viſa eſt adverſùm eos, qui ità duas per incarnationem in Chriſto aſſerebant perſonas, ſicut & naturas; nunc autem pernicioſa probatur: Fomentum enim eſt Eutychianæ ac Timotheanæ impietatis.* Eodem modo apud dictum Gennadium Joannes Eccleſiæ Antiochenæ ex Grammatico Presbyter impugnaſſe refertur Sancti Cyrilli adversùs Neſtorium capitula, *docens incautè prolata, ac nunc eſſe fomen-* Cap. 89.
tum & robur addere Timotheanis, ſeu Eutychianiſtis. Et Valentinianus tertius ac Marcianus Auguſti cunctis civibus Conſtantinopolitanis ſigidiſ-

Digitized by Google

rigidiſſimè interdicunt omnem publicam de ſide
Poſt Con. Chalc. Ep. 3. diſputationem, *Quod hinc conſtet hæreticæ inſaniæ exordia, fomitemque præberi*. Quocircà etiam actio aut vox ſanctiſſima poſſit eſſe ejuſmodi fomentum. Fomentum ab Honorio præſtitum fuerunt hæ voces: *Unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Ipſe de concordiæ inter ſolius adſumptæ humanitatis motus, at verò Sergius & Cyrus intellexerunt de identificationis unitate inter utriuſque naturæ affectus, atque ità ſtipulata pacis ſilentia prævaricantes omnem Orientem ſua hæreſi impleverunt.

Rei ſeriem Romanæ Martini Pontificis Synodo exponit Stephanus Epiſcopus Dorenſis. *Sophronius quondam Patriarcha ſanctæ civitatis, zelo Dei & fiducia repletus, duxit me indignum, & ſtatuit in ſanctæ Calvariæ loco, & ibi alligavit me vinculis indiſſolubilibus, dicens: Tu dabis rationem ipſi, qui propter nos in hoc ſancto loco ſecundùm carnem ſpontè crucifixus eſt Deus, ſi diſtuleris, & poſtpoſueris fidem ejus periclitantem: Licèt ego hoc facere corporaliter, ut noſti, propter emerſam ex noſtris peccatis incurſionem Saracenorum impedior. Quantociùs ergò de finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apoſtolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, pervenias, non ſemel, non bis, ſed multò ſæpiùs aperiens ſacris viris ibidem conſiſtentibus omnia ſecundùm veritatem, quæ in iſtis partibus mota ſunt, & non quieſcas inſtantiùs expetens atque exorans eos, donec ex Apoſtolica prudentia ad victoriam judicium perducere debeant, & noviter introductorum dogmatum perfectam faciant ſecundùm Canones deſtructionem, & ne ſecundùm quod beatus ait Apoſtolus, ſicut cancer paſcuam in amplius inveniant, depaſcentes ſimplicium animas. Igitur in his pertimeſceas ego atque perterritus propter impoſitam mihi terribilem in tremendo ac venerabili loco conjurationem, nec non & creditum mihi ex Dei permiſſa Epiſcopale Miniſterium deſiderans, ſed & ſupplicationes omnium penè habitantium Orientalem tractum reverendiſſimorum Epiſcoporum & Chriſtianorum populorum, non dedi ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, quatenùs adimplere debuiſſem hujuſmodi deſiderabilem juſſionem, ſed abſque ulla mora propter hoc ipſum tantummodò huc properavi. A quo tempore tertiò viſus ſum veſtris Apoſtolicis adeò veſtigiis, expetens & deprecatus, ut quod ille & omnes libenter poſtulare noſcuntur, hoc eſt, fidei Chriſtianorum periclitanti manum porrigere. Quod addiſcentes contrarii non levibus me implicuerunt afflictionibus, præceptiones propter me per loca & Provincias dirigentes, quatenùs comprehenſi, & ferris conſtrictus ad illos deberem deſtinari, ſicut omnes cognoſcunt. Sed Dominus auxiliatus eſt mihi, & liberavit me ab omnibus perſequentibus me, ideòque ad propoſitum currentem, & ad bravium properantem veſtræ Apoſtolicæ Sedis.*

Spretis itaque ſilentii lege & ſtipulatu, Sergius & Cyrus ubique ebuccinarunt unam, nullo modo geminam in Domino voluntatem, tamquam ab Honorio Pontifice, apud cujus Apoſtolicam Sedem rectorum dogmatum fundamenta ſunt, definitam. At ecce interim Saraceni, diabolica nuper ſecta per Mahometem conſpurcati, omnem Ægyptum ac Orientalem Diœceſin pervadunt, & Cyro præſertim Alexandrino Patriarchæ, Heraclii Auguſti ad ipſos frequenti Legato, miſerandas inflixerunt calamitates. Eum cum Sergio & dicto Auguſto fecerunt ex illis, de quibus in libris de civitate Dei Sanctus Auguſtinus. *Perdidiſtis utilitatem calamitatis: Miſerrimi facti eſtis, & peſſimi permanſiſtis*. Reverà permanſerunt peſſimi. Liquet ex eorum jam dictis in Stephanum Dorenſem Epiſcopum attentatis, nec non machinationibus pro Sergio Joppenſi Epiſcopo, quem errori ſuo conjuratum conati ſunt per ipſos Saracenos intrudere in Sancti Sophronii morte viduatam Sedem Patriarchalem. Tædere cœpit Dominum Deum Eccleſiæ Orientalis, & tot in ipſa hæreſeon, ſchiſmatum, turbarum. Nobis Latinis peccata noſtra etiam immiſerunt Gothos, Hunnos, Wandalos, Francos, Burgundos, Svevos, Herulos, Longobardos, Normannos, Hungaros, ac ipſos Saracenos. At ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia: Eos omnes patientia & doctrina ex Gentilibus, Barbaris, Arianis fecimus Chriſtianos Catholicos; Græci ab unis Saracenis facti ſunt Saraceni, aut certè in innumera ſchiſmatum fruſta miſerrimè lacerati. His igitur graviſſimis malis circumcinctus Sanctus Sophronius, adversùm fœdifragos Monothelitas videns non ampliùs tacendam Catholicam veritatem, etiam rupit ſtipulata ſilentia, Stephanum Dorenſem Epiſcopum duxit in locum Sanctæ Calvariæ, adjuravitque Sacramentis jam memoratis, quatenùs tandem à Romana Eccleſia impetraret erroris *perfectam ſecundùm Canones deſtructionem*, id eſt, non ampliùs diſpenſatoria ſilentia, ſed definitivam damnationem.

Capta à Saracenis fuit Hieroſolyma anno Domini ſexcenſimo trigeſimo quinto, Honorii Pontificis decimo, & tunc Sanctus Sophronius ad populum dixit inſignem illam ac verè Epiſcopalem de hiſce calamitatibus lamentationem, quam habemus in tomo ſecundo Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Eodem tempore exiſtimatur Stephanum Dorenſem Epiſcopum adjuraſſe ad iter Romanum. Et tunc omninò pro prima vice venit ille ad Honorium. Quid hic auxilii dederit aut addixerit, ignoro. A Longobardorum Regibus ac Græcorum Exarchis afflictiſſima erat tunc Romana Eccleſia & omnis Italia: Inſuperabilibus iniquitatum aggeribus undequaque circumſeptus Pontifex videtur rebus domeſticis affixiſſe meliorem vigilantiæ partem, atque ità in Orientali Eccleſia graſſantem hæreſin pleno, uti oportebat Apoſtolicam auctoritatem, mentis impetu *non extinxit, ſed negligendo confovit*: Ei nequaquam adſenſus aut colluſionis, ſed mera humanæ negligentiæ præbuit fomenta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CA-

CAPUT V.

Exponuntur Heraclii & Conſtantis Auguſtorum Acta,

ANno Domini ſexcenteſimo trigeſimo ſexto Saracenorum impugnationem negligens Heraclius cum Sergio & Cyro cœpit adversùm Deum ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ejuſque Evangelicum dogma belligerare, de quo Martinus primus Pontifex ad Synodum ſuam La-
Secret. 1. teranenſem. *Sergius per propriam Epiſtolam ad Cyrum Alexandrinum ſcriptam, unam operationem ſuſcipiens, cum eo irrationali præſumptione auſus eſt confirmare. Et non ſolùm hoc, ſed etiam poſt aliquot annos, hoc eſt, per nuper duodecimam indictionem elapſam, hæreticorum & ipſe conſcribens Ecthesin fidei ſub nomine tunc imperantis Heraclii, unam in eadem Salvatoris noſtri, ſecundùm impium Apollinarem, voluntatem & operationem inſtituit.* Et infrà in tertio Secretario. *Age nunc & Sergii novæ Ectheſeos audiamus commentum, quam Ectheſin ſuaſit in tempore ſuo nomini Heraclium quendam Imperatorem titulare, errorem interminationi commixtum contra orthodoxos populos atque dogmata per hunc modum prætendens.*

Ectheſeos hic fuit titulus. *Expoſitio orthodoxæ fidei, facta à magno Principe Heraclio, propter emerſam ab aliquibus altercationem pro requiſitione altercationis, in omnibus conſonans ſanctis & univerſalibus quinque Conciliis, quam cum multa ſatisfactione & gratia exceperunt Patriarchicis Sedibus Præſules, & gratanter ei conſenſerunt, utpotè pacem ſanctis Dei Eccleſiis inferenti.* O miſerabiles Patriarchas, quos fidem orthodoxam doceri oportet à laico Principe! Nam & Synodum fecerunt, cui lux & dux fuit laica Ectheſis, ei adulatione ſtulta acclamantes: *Hæc Patrum dogmata, hæc præſidia Eccleſiæ, ſic & nos credimus; hæc & nos confirmamus, his & nos conſentimus.* Hanc profanam Synodum ſuæ Romanæ legi juſſit ac damnavit Martinus primus, dixitque de ipſa Sanctus Maximus diſputans cum Pyrrho. *Subit me admiratio, quomodò Synodum voces, quæ non eſt habita ut leges & Canones ſynodici, & jura Eccleſiaſtica jubent.* Groſſa ejus vitia exponit. Sufficit unum, de quo Sanctus Ambroſius in litteris
Epiſt. 13. ad Valentinianum Auguſtum. *Quando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſa fidei laicos de Epiſcopis judicaſſe? Ità ergò quadam adulatione curvamur, ut ſacerdotalis juris ſimus immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum? Si docendus eſt Epiſcopus à laico, quid ſequetur? Laicus ergò diſputet, & Epiſcopus audiat: Epiſcopus diſcat à Laico. Aut certè ſi vel Scripturarum ſeriem Divinarum, vel vetera tempora tractemus, quis eſt qui abnuat in cauſa fidei, in cauſa, inquam, fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare?*
L. 8. c. 7. Et Facundus Hermianenſis Epiſcopus: *Utinam ſibi ſæcularis poteſtas nunquam, quod ei creditum non eſt in his negotiis, uſurparet, quæ numquam feliciter uſurpavit.* Eſt imperio Sacerdotum ſuperimponere, quod *poſt Domini adventum gentiles tantùm Principes* attentarunt. Legendum eſt ac Epiſcopis & Doctoribus imirandum, quod adversùs ſimilem Chilperici Regis Ectheſin in Gallicana Eccleſia olim fecerunt Sanctus Gregorius L. 5. c. 45.
Turonenſis ac Sanctus Salvius Epiſcopus Albigenſis.

Heracliana Ectheſeos hæc fuit ſumma. *Nullo modo concedimus alicui unam vel duas dicere operationes in Divina Domini incarnatione, ſed magis, ſicut ſanctæ & univerſales tradiderunt Synodi, unum eundemque Filium unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum confiteri operari Divina & humana, & omnem Deo congruam & homini operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indiviſè & inconfuſè procedere, & in unum eundemque fortiri: Eò quod unius quidem operationis vox, licèt ab aliquibus Patribus dicta ſit, tamen turbat, extraneat quorumdam aures, arbitrantium in interitum eandem eſſe prolatam duarum naturarum, quæ in una ſubſiſtentia unitæ ſunt in Chriſto Deo noſtro. Similiter autem & duarum operationum vocem multos ſcandalizare, utpotè à nemine dictam ſanctorum & præcipuorum Patrum, ſed & ſequi ex eo, ut duas confiteamur voluntates contrariè venientes ad invicem, Deo quidem Verbo volente ſaluberrimam paſſionem explere, incarnationem autem in eo factam obviàm euntem ipſius voluntati, & oppugnantem, & eàindè duo contraria volentes induci, quod impium eſt & alienum Chriſtianici dogmatis.* Silentium cum Sancto Sophronio ſtipulatum, & ab Honorio Pontifice confirmatum prævaricari Cyrus & Sergius omnem ſine ullo profectu Orientem turbis impleverant, & orthodoxa veritas timebatur prævalitura: Hinc ipſum non amplius, quam deſperabant, Romani Pontificis, ſed laici Principis auctoritate reſumendum judicarunt, ſperantes ità tandem cogendam Romanam Eccleſiam ad iteratam ejus comprobationem. Hæ fuerunt Sergii, hominis Jacobitæ, artes, mutuò acceptæ à Theodoro Cæſareenſium in Cappadociæ Archi-Epiſcopo, homine Acephalo, eundem in modum abuſo auctoritate Juſtiniani Auguſti ad damnanda tria Capitula Synodi Chalcedonenſia.

De hac namque Ectheſi ſcribit Cyrus Alexandrinus ad Sergium. *Paratis nobis relaxare reſponſa in Regia urbe conjunxit Euſtatius glorioſus Magiſter militum, & detulit mihi venerandos Apices præcipuè mihi in Domino Deo honorabilis Beatitudinis veſtræ, intùs habentes & exemplar competenter & conſultiſſimè, pariterque Deo amabiliter factæ Ectheſeos venerabilis noſtræ fidei à piiſſimo Domino noſtro, magnoque Principe pro pia fide noſtra, ad Iſaacium excellentiſſimum Patricium & Exarchum Italiæ deſtinatæ, quam debet profiteri communis frater noſter Severinus, qui ordinatur in Roma.* Non ergò ad ſolos Patriarchas miſſa fuit Ectheſis, ſed & ad Iſaacium Italiæ Exarchum, impoſiturum eam etiam Severino Pontifici, in Honorii defuncti locum per hoſce dies electo. Modum exponit Anaſtaſius Bibliothecarius in libro Pontificali. *Devaſtatum eſt Epiſcopium Lateranenſe à Mauritio Chartulario, & Iſaacio Patricio & Exarcho Italiæ,*

cùm

cùm adhuc electus eſſet Dominus Severinus. Omnem Eccleſiæ theſaurum ab Honorio Pontifice congeſtum diripuit, Heraclio Auguſto Conſtantinopolim miſit, reſiſtentes dominos Cardinales urbe ejecit, pergitque Anaſtaſius: *Poſtmodùm ordinatus eſt Sanctiſſimus Severinus, & reverſus eſt Iſaacius Ravennam*. Electus Pontifex ſine Principis auctoritate & confirmatione conſecrari eo tempore non poterat, & hìnc dicit Cyrus de Severino electo: *Qui ordinatur in Roma*. Hoc eſt, cujus electio diſcutitur à Principe, hæretque ſuſpenſa. Nempe Ecthesin ſuam ad Iſaacium Exarchum miſerat Heraclius, recipiendam & confirmandam ab Electo Pontifice, quæſitum ex electione jus alioquin amiſſuro. At theſaurum ille, quam fidem maluit amittere, tandemque ordinatus eſt. Verùm fractus calamitatibus *ſedit menſes ſolummodò duos, dies quatuor*. Quomodò tractarit Ecthesin, refert in ſua Synodo Sanctus Pontifex Martinus. Secret. 3. *Ceciderunt à ſua ſpe, mentiti contra caput ſuum. Nec enim ſuſcepta eſt aut omninò admiſſa ſecundùm vanam ſpem eorum, magis autem condemnata eſt & anathematizata ab Apoſtolica auctoritate huc tranſmiſſa peſſimæ & præſumptæ novitatis Ecthesis*. Revocaſſe Severinus creditur Honorii decretum, licet ſenſu ſanum & integrum: Videbat ab ipſo per dolum extorto præberi jam dicta errandi fomenta.

Eadem fuit conſtantia proximi ſucceſſoris Joannis quarti, de quò Theophanes. *Joannes Romanus Præſul, collecto Epiſcoporum Concilio, Monothelitarum hæreſin*, utique Ecthesin Heraclianam, *anathematizavit: Similiter & in Africa penes Byzacium, Numidiam, & Mauritaniam diverſi Epiſcopi convenientes Monothelitas anathemate perculerunt*. Nec ſine fructu. *Heraclius enim*, inquit in Actis ſuis Sanctus Maximus, *cùm ſenſiſſet à nonnullis in Occidente probrum ſibi adſpergi, Edicto ſe liberavit omni Eccleſiaſtica reprehenſione, hæcque ſcripſit. Ecthesis mea non eſt, nec ego dictavi, aut fieri juſſi. Verùm cùm Sergius Patriarcha quinque antè annis condidiſſet, quam ab Oriente redirem, oravit me, poſtquam ad hanc felicem urbem adveni, ut nomine meo promulgaretur cum ſubſcriptione. Ejus hortatu id feci. Nunc verò cùm cognoverim eam à nonnullis impugnari, declaro ad omnes non eſſe meam. Hoc juſſum fecit ad Beatum Joannem Papam, qui damnarat Ecthesin*.

Ejus cauſam videtur reſumpſiſſe, & ad Honorii Pontificia decretum provocaſſe Hetaclii filius & ſucceſſor Conſtantinus. Tunc enim Joannes Pontifex, uti in diſputatione cum Pyrrho refert Sanctus Maximus, Honorii decretum expoſuit, oſtendens ſolis vocibus, nequaquam ſenſu cum Ecthesi convenire. Et docilis Princeps omninò recepit inſtructionem. Hinc enim illum, inita conſpiratione cum Martina Auguſta, Hæretica noverca, Pyrrhus, Sergii in Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſucceſſor, creditur veneno extinxiſſe, ac throno Auguſto intruſiſſe ejus fratrem Heracleonem. At paucos poſt menſes illum naſo mutilatum Senatus ejecit, impoſuitque Conſtantini filium Conſtantem, pertinaciſſimè Monothelitam, de quo Romanum Martyrologium. Die 13. Aug. *Conſtantinopoli, Sancti Maximi Monachi, doctrina & zelo catholicæ veritatis inſignis, qui cùm adverſùm Monothelitas ſtrenuè decertaret, à Conſtante Imperatore hæretico, præciſis manibus & lingua, Cherſoneſum relegatus reddidit Spiritum*. Erat Maximus è viro nobiliſſimo monachus doctiſſimus & Abbas Conſtantinopolitanus, duriſſimum hujus hæreſeos flagellum, ideòque dudùm profugus apud Eccleſiam Occidentalem. Legenda eſt ejus vita integra, nec non & Acta Sancti Martini Pontificis, atque ex illis cognoſces hæreticam barbariem Conſtantis Auguſti.

Sergio itaque in Epiſcopatum ac impietatem ſucceſſit Pyrrhus, qui ſecundo promotionis anno ob jam dicti facinoris ſuſpicionem fugit in Africam, ſub Gregorio Patricio, Rectore nutantem ac declinantem pedetentim ab imperio. Reperit iſtic Epiſcopos uti à Theophane audivimus, inſigniter Catholicos, nec non Sanctum Maximum, de quo ejuſdem Acta. *Pyrrhus, ubi in Africam pervenit, captioſos cœpit ſuæ hæreſeos laqueos tendere, quibus univerſam illam Eccleſiam captivam duceret. Quod & feciſſet, niſi in omnibus ſibi adverſantem Maximum habuiſſet. Unde exigentibus Epiſcopis Africanis, atque ipſo, qui Provinciæ præerat, Gregorio Patricio, publicæ paci ejus regionis, quam vehementer Pyrrhus perturbaverat, conſulente, factum eſt, ut de publicis controverſiis publica fieret diſputatio*. Integra extat diſputatio doctiſſima, habita apud Carthaginem menſe Julio, indictione tertia, anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, Theodori Pontificis, qui Joanni quarto proximè ſucceſſit, quarto, quarto item Conſtantis Auguſti, ejuſque ſucceſſum edicit Theophanes. *Pyrrhus, cùm perveniſſet in Africam, mutuis cum Sanctiſſimo Maximo videtur adſpectibus, nec non & Divinarum illic exiſtentium Pontificum præſentatur obtutibus: Qui hunc redargutum & perſuaſum Romam ad Papam Theodorum duxerunt. Qui orthodoxo libello tradito Papæ, ab eo receptus eſt*. Et Anaſtaſius Bibliothecarius ad Sanctum Marcellum Presbyter Cardinalis in laudati Theodori Pontificis vita. *Ipſis temporibus Theodori Pontificis venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Patriarcha Conſtantinopolitanus, in urbem Romam ad limina Apoſtolorum: Qui ingreſſus libellum obtulit cum ſua ſubſcriptione Apoſtolicæ noſtræ Sedi in præſentia cuncti Cleri & populi, condemnans in eodem libello omnia, quæ à ſe vel à deceſſoribus ſuis ſcripta vel acta ſunt adversùs immaculatam fidem noſtram. His itaque ab eo peractis, fecit eum Pontifex munera erogare in populo, & cathedram ei poni juxta altare, honorans eum ut Sacerdotem Regiæ civitatis*. Haud dubiè ſe purgarit etiam de ſuſpicione pravi poculi: Nam ex Apoſtolico Canone oportet Epiſcopum eſſe *Non percuſſorem*. Eum Africani Epiſcopi non præſumpſerunt reconciliare, quod hæreſis à primis Eccleſiæ exordiis ſemper fuerit caſus Sedi Apoſtolicæ reſervatus. Et convictus Pyrrhus atque compunctus dixit in diſputatione ad Sanctum Maximum. *Si non eſt alius modus præter hunc, pluris faciens ſalutem meam, quam cætera omnia, præſto ſum ad faciendum hoc cum omni ſatisfactione: Hoc ſolum rogo, ut dignus habear in primis templorum Apoſtolorum, ac potiùs ipſorum Principum Apoſtolorum*

rum

rum adoratione, deindè ut videam faciem Sanctiſſimi Papæ, eique tradam libellum eorum, quæ abſurdè facta ſunt. Utique libellum pœnitentiæ, erroris ejuratorium. Et reſponderunt Sanctus Maximus, & Gregorius Patricius: *Quandoquidem tua propoſitio bona eſt, & Eccleſiæ utilis, ſic fiat.* Pergit ſubnotatio diſputationis: *In hac ergò celeberrima urbe Roma; cùm adeſſet nobiſcum, promiſſum præſtitit, damnavitque dogmata impiæ Expoſitionis,* ſeu Heraclianæ Ectheſeos, *ſeque per rectam profeſſionem cum ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia conjunxit.* Ex quo colligitur ab ipſo Sancto Maximo fuiſſe Romam deductus,

Addunt Sancti Martini Pontificis Acta fideliſſima, à quodam ejus in exilium comite ſcripta è Regia civitate ad Chriſtianos totius Occidentis. *Dicit* ad captivum Pontificem *Demoſthenes* Conſtantis Auguſti *Reſcriptor: Dic nobis ea, quæ de Pyrrho hic & Romæ ſubſequenter geſta ſunt. Pro qua cauſa abiit Romam, juſſus, an proprio propoſito? Reſpondens Sanctus Papa dixit: Proprio propoſito. Ait Demoſthenes: Libellum illum quomodò fecit, compellente aliquo? Reſpondit Sanctus vir: Nemine, ſed propria propoſitione. Demoſthenes inquit: Veniente Pyrrho Romam, quomodò eum ſuſcepit Sanctus vir Theodorus Prædeceſſor tuus Papa, uti Epiſcopum? Reſpondit æquanimis Papa: Uti Epiſcopum. Et quomodò, niſi quia priuſquam veniret Pyrrhus Romam, manifeſtè ſcripſit Beatus Theodorus ad Paulum,* Pyrrho ad Afros profugo ſuperintruſum à Conſtante Auguſto ſucceſſorem, *utpotè ad eum, qui ſupplantationem fecit, & alterius thronum invaſit? Deindè eodem Pyrrho veniente Romam ſponte ſua ad veſtigia Beati Petri, quomodò non haberet eum ſuſcipere & honorare ut Epiſcopum? Reſpondit Demoſthenes: Verè veritas ſic ſe habet. Undè autem ſumebat ea, quæ ad uſum ſui corporis erant neceſſaria? Dicit Beatus manifeſtè: De Patriarchio Romano. Ait concertator: Qualis panis dabatur ei? Reſpondit honorabilis vir: Vos Domini mei noſtitis Eccleſiam Romanam. Dico enim vobis, quia quiſquis venit illuc miſerabilis homo hoſpitari, omnia ad uſum præbentur ei, & nullum immunem ſuis donis Sanctus Petrus repellit venientium illuc, ſed panis mundiſſimus & vina diverſa dantur, & non ſolùm ei, ſed & hominibus ei pertinentibus. Si ergò in miſerabilibus hominibus hæc fiunt; qui venit honorabilis ſicut Epiſcopus, qualem ſumptus habet ſuſcipere? Dicit ad eum Demoſthenes: Nos didicimus, quia Pyrrhus fecit vi libellum Romæ, & quia vincula lignea ſuſtinuit, & multa dolenda paſſus eſt. Reſpondit illi Beatus & dixit: Nihil tale factum eſt. Nam niſi quia formidine aliqui tenentur, non poſſunt fortè loqui veritatem. Hic ſunt Conſtantinopoli plurimi, qui tunc erant Romæ, & ſciunt quæ ibi geſta ſunt, ex quibus interim ſupereſt Plato Patricius, qui tunc Exarchus erat, quique direxit homines ſuos tunc ad Pyrrhum Romam. Percunctamini eum de his, ſi mentior.* Ex quibus verbis cognoſce antiquam, ab Apoſtolis plantatam, etiamnum hodie vigentem, alibi prædicandam, Romanæ Eccleſiæ in quoſvis advenas pietatem. Cognoſce & avitas Græcorum in Romanum Pontificem criminationes: Nam quomodò nunc Theodorum Pontificem de afflicto violenter Pyrrho, ità nuper de trucidato Malcho Dalmatiæ Epiſcopo Sanctum Gregorium Magnum mendaciſſimè infamarunt, L. 6. Ep. 1.

Ea igitur Pyrrhi pœnitentia ac ſpontanea converſio peſſimè torſit Monothelitas, fecitque tunc Conſtans Auguſtus, quod ad Paulum Patriarcham iſtius intruſum ſucceſſorem ſcribunt Epiſcopi Africani Provinciæ Proconſularis. *Quia comperimus, quod quædam contraria in Conſtantinopolitana ſunt civitate contra inſtituta fidelium, & antiquiſſimorum Patrum, & univerſalium Conciliorum propoſita per chartulæ cujuſdam venenoſæ dicta, miramur, immò dolemus, cur à vobis hæc ſint permanere permiſſa, aut non ſtatim conſciſſa, & recto Sacerdotali propoſito radicitùs amputata.* Et Victor Archi-Epiſcopus Carthaginenſis in litteris ad Theodorum Pontificem. *Inquiunt vice epigrammatum quædam chartarum volumina in ſacris ædibus apud Regiam civitatem nuper eſſe ſuſpenſa, Religioni catholicæ, & ipſi veræ fidei, ac Patrum traditionibus omninò contraria:* Utpotè affirmantia & ab omnibus affirmari jubentia unam in Domino operationem ac voluntatem. Numidiæ, Byzacii, ac Mauritaniæ Epiſcopi in litteris ad eumdem Papam ajunt chartam illam *ſuſpenſam fuiſſe præ foribus Eccleſiæ ad ſcandalum populorum.* Nempe Conſtans Auguſtus metuens, ne omnis Regiæ civitatis populus abiret poſt Pyrrhum pœnitentem, in Eccleſia Patriarchali fixit publicum Edictum, confirmatorium hæreſeos ſub gravibus pœnis. Ejuſdem ipſe meminit in ſuo ſcelerato Typo: *Ad perfectam unitatem Sanctarum Dei Eccleſiarum, & communem concordiam, chartas, quæ poſitæ fuerunt in Nartheca Sanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ, quæ continent prædictas quæſtiones, juſſimus levari.* De hiſce ergò chartis Africani Epiſcopi, quorum opera Pyrrhus ad mentem redierat, monuere Paulum ſucceſſorem. At ecce interim Gregorius Patricius invaſit tyrannidem, interciditur Africæ cum Regia civitate commercium, atque ità laudati Epiſcopi litteras ſuas coacti ſunt Romam mittere ad Theodorum Pontificem, ab ipſo Conſtantinopolim deſtinandas. Acta hæc ſunt anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto: Tunc enim exiſtimatur Gregorius Patricius tyrannidem ſuam aperuiſſe.

Tunc item factum eſt, quod Numidiæ, Byzacii, ac Mauritaniæ Epiſcopi ſcribunt ad Theodorum Pontificem: *In quorundam ſuſpicionem noſtra Africana à malignis hominibus apud Regiam civitatem recitata eſt Provincia.* A Monothelitis accuſata eſt Gregorio favere, atque ità apud Principem Monothelitam eſt penitùs exauctorata. Etiam Sancto Maximo impegerunt, quod Angelorum legionem Gregorio accinentem aut vidiſſet, aut vidiſſe ſe finxiſſet. Hinc intellige ea, quæ de Fortunio ſeu Fortunato Carthaginenſi Archi-Epiſcopo in præſentis Synodi quarta decima Actione legit Conſtantinus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter ac Grammaticus Latinus. *Scio, Domine, temporibus Pauli quondam Patriarchæ veniſſe Fortunium, qui fuit Epiſcopus Carthaginenſis, & cùm Miſſas acturus eſſet in ſancta magna Dei Eccleſia, quæſitum eſt, quomodò ſedere debuiſſet, utrumnè ante Metropolitanos, qui hic morantur,*

rantur, an poſt eos. Et requirente eodem Paulo Patriarcha in Bibliotheca Patriarchii librum quinti Concilii, ut cognoſceret, quomodò ſedere debuiſſent, contigit ut inveniretur & Latinus liber ejuſdem Concilii, & exindè inſtructus idem Paulus fecit eum ordinabiliter ſedere. Fortunatus ergò aut à Pyrrho ſeductus, aut veriùs à Gregorio Patricio, quod ejus tyrannidi adverſaretur, pulſus aut profugus abjit Conſtantinopolim ad Principem, factus eſt ſorex Palatinus, Paulo Patriarchæ hæretico atque intruſo communicavit & adhæſit, atque ità ab Eccleſia Africana & Romana excommunicatus eſt ac dejectus. Ejus enim in locum ab Afris ordinatus & à Theodoro Pontifice confirmatus eſt Victor, uti liquet ex ejus Synodicis ad laudatum Pontificem litteris lectis & probatis in Romana Synodo Sancti Pontificis Martini.

Hoc item tempore Sanctus Maximus etiam ab ipſis Catholicis paſſus eſt calumniam de adſertis non duabus ſolummodò, ſed tribus in Domino voluntatibus ac operationibus: Humana, Divina, ac *Dei-virili*, quæ neutrius naturæ eſſet, ſed hypoſtatica ſeu perſonalis. Prodiit & ſub ejus nomine ficta ad Marinum Cypri Presbyterum ac Monachum Epiſtola, erroris iſtius aſſertrix; coactus eſt vir ſanctiſſimus ad litteras apologeticas, ſcriptas Siciliæ Monachis, ſuis commonitoribus, dicitque inter cætera. *Ad Marinum quidem Presbyterum variæ & de diverſis capitibus Scripturæ ſcripſimus, non tamen ullo modo de contrariis dogmatibus dictum eſt, de una, inquam, & duabus, id eſt, quas ipſi fingunt in eodem & uno Chriſto tres operationes vel voluntates.* Memoratam ad Marinum Epiſtolam proteſtatur eſſe fictam, ut alienam abjicit & damnat, rogatque à cunctis abjici ac damnari. Quin exſtat ejus ad eundem Marinum tomus dogmaticus, oſtendens duas ſolummodò in Domino voluntates ac operationes, ac *Dei-virilem* à Dionyſio adductam neque dicendam tertiam, neque unam, ſed duas interpretandam. Certè perſonalem Domini voluntatem in diſputatione cum Pyrrho graviſſimè impugnat. Laudata ejus ſcripta exſtant græcè in Bibliotheca Vaticana, ideòque hæc mutuati ſumus ex fragmentis ab Eminentiſſimo D. Cardi-
A. 645. nali Baronio adductis.

In Actis Sancti Martini Pontificis notanda ſunt hæc verba: *Plato Patricius, qui tunc Exarchus erat, &c.* Oſtendunt, quod Pyrrhum Romæ converſum Plato Exarchus, conatus ſit Ravennam ſeducere, atque ità reducere ad impietatem. At non perfecit. Perfecit ejus ſucceſſor Olympius, homo pertinax, & aſtutus, de quo Theophanes. *Pyrrhus cum Roma diſceſſiſſet, & Ravennam perveniſset, ut canis ad vomitum ſuum reverſus eſt. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine convocata Eccleſiæ, ad ſepulchrum verticis Apoſtolorum acceſſit, & Divino Calice expoſtulato, ex vivifico ſanguine in atramentum ſtillavit, & ità propria manu depoſitionem Pyrrhi excommunicato fecit.* Ejuſdem rei meminerunt Sanctus Maximus in laudatis litteris ad Siciliæ monachos, Sanctus Martinus Pontifex in primo Secretario ſuæ Synodi, ac in vita Theodori Pontificis Anaſtaſius Bibliothecarius, ejus in Pyrrhum ſententiam vocans *damnationem ſub vinculo anathematis juxta mercedem & retributionem propriæ tranſgreſſionis*, id eſt, damnationem irreparabilem ac inſolubilem, quam in libro Præſcriptionum Tertullianus Cap. 30.
vocat *Relegationem in perpetuum diſcidium.*

Addit laudatus Anaſtaſius Cardinalis: *Qui quidem Pyrrhus reverſus eſt in Orientem.* Et D. Cardinalis Baronius: *Ubi in gratiam Imperatoris receptus poſt obitum Pauli in mercedem impietatis pactam Conſtantinopolitanam ſedem reſumpſit, qua quidem veluti porrecta eſca, hamo infelix eſt captus.* Verùm enim verò obſtare videntur Sancti Martini Pontificis apud Conſtantinopolim captivi Acta fideliſſima. *Defuncto Paulo, Pyrrho ſedere nitente, atque quibuſdam Eccleſiæ contradicentibus & prohibentibus, libellumque ejus publicantibus in Palatio, agentibuſque quoniam à Paulo anathematizatus eſt, Pyrrhus reprobatus eſt à Sacerdotio propter libellum, quem Romæ fecerat.* Tamquam utriuſque partis prævaricator ab utraque parte eſt anathemate damnatus. Reſpondeo tamen fuiſſe tandem reſtitutum poſt contentiones multas. Diſertè enim in Chronico ait Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Pyrrhus reſtitutus menſibus quatuor, diebus viginti tribus.* Eum ante Epiſcopatum ait fuiſſe Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyterum, monachum, ac *Monaſteriorum Magiſtrum, Chryſopoli Præcipuum.*

De damnationis ſubſcriptione facta per Sacroſanctum Chriſti Domini Sanguinem nihil habet Anaſtaſius Bibliothecarius. Attamen Theophani eſt omninò credendum: Nam & Nicetas Paphlago in vita Sancti Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani ſcribit de damnatione Photii in eandem Eccleſiam intruſi. *Subſcripſere Epiſcopi cala-* F 352.
mis, non nudo atramento, ſed in quo penitùs contremiſcas, ut eos, qui rem norant, adſeverantes audivi, ipſo Salvatoris Sanguine intinctis. Ità, inquam, Photium exauthorarunt, damnarunt, unàque omnes ab illo ſacris initiatos. Et fœderis ſeu concordati, à Conſtantino Magno Auguſto & S. Sylveſtro Papa cum Tiridate Armeniorum Rege & S. Gregorio eorumdem Patriarcha initi, inſtrumentum ſic habet: *In fidem fœderis noſtri firmi atque indelebilis, hanc utriuſque Occidentalis & Orientalis nationis fraternitatem tremendo ac pretioſiſſimo Jeſu Chriſti Sanguine conſcripſimus.* Suſpectum, immò fictum eſt iſtud fœdus, ejus tamen inſtrumentum eſt omninò antiquum, adeòque oſtendit tremendæ ſubſcriptionis ritum eſſe veterem, Græcum potiùs, quàm Latinum. Nam & Theodorus Pontifex erat homo Græcus. Et hinc Stephanus tertius Carolum Magnum & Carolomannum Francorum Reges adjurans, ne ſororem ſuam Giſilam filio Deſiderii Longobardo- Epiſt. 3.
rum Regis darent in conjugium, adjurationis chartam ſacrato ſanguine nequaquam ſubſcripſit, ſed Beati Apoſtoli Petri dumtaxat confeſſioni impoſuit, ſacrificium ſuper eam obtulit; & ità cum lachrymis ad illos direxit. Facta eſt Pyrrhi damnatio anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo octavo, ſeptimo Theodori Pontificis & Conſtantis Auguſti.

Paulum Pyrrhi ſucceſſorem Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus annis dumtaxat

duobus, at meliùs Onufrius Panuinus & Cardinalis Baronius ſediſſe ajunt annis decem. Ex Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbytero ac Œconomo fuit Pyrrho exuli in ſedem Patriarchalem ſuperordinatus, pertinax Monothelita. Eum & ſuis propriis & Afrorum Epiſcoporum ſanctiſſimis litteris urſit Theodorus Pontifex ad reſipiſcentiam, at nihil retulit, niſi multum, apud Græcos abundare conſuetum, peccatoris oleum, pro unica Domini voluntate & operatione provocationem ad Sanctos Patres & quinque generales Synodos, & hanc concluſionem: *Quibus concordes & conſonantes facti ſunt piæ memoriæ Sergius & Honorius, unus novæ, alter antiquæ Romæ Summi Sacerdotii ſedem decorantes.* Nequiſſima hæc factio non deſiit Honorii decretum, tamquam erroris ſui firmiſſimum fundamentum, impudenter ebuccinare. Et hinc Paulus Patriarcha jam dictas Conſtantis Auguſti chartas, unicam in Domino voluntatem garrientes, auferri juſſit de Eccleſiæ valvis, rediri ad ſilentii pacta ab Honorio probata, edique à Principe eodem Edictum confirmatorium, cui nomen, *Typus Conſtantis Auguſti.* Sancti Maximi Acta prodiiſſe dicunt indictione ſexta, id eſt, anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo octavo.

Poſt expoſitas de una ac gemina Domini voluntate contentiones, nataſque exindè Eccleſiarum calamitates ità loquitur typus. *Sancimus nobis ſubjectos non habere licentiam invicem à præſenti de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam. Hæc autem ſancimus nihil aliud intercipientes de piiſſimis dogmatibus, quæ à Sanctis probabilibus Patribus de diſpenſatione incarnati Dei Verbi dogmatizata ſunt, ſed ulteriùs contentionem, quæ gratia propoſitæ quæſtionis orta eſt, ceſſare præcipientes, & tantummodò de eis ſequi & ſufficientes habere Divinas Scripturas, & traditiones ſanctorum quinque univerſalium Conciliorum, & ſimplicibus ſine quæſtione ſanctorum probabilium Patrum uti vocibus, quorum dogmata regula & lege ſanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſiſtunt, nihil eis addentes proprium, neque minuentes, aut per ſuam intentionem eas interpretantes, ſed priorem habitum ubique cuſtodiri, ſicuti antequam procederet contentio prædictarum quæſtionum, quaſi nulla de eis eſſet orta contentio. Nulli de omnibus, qui uſque ad præſens unam voluntatem & operationem, aut duas voluntates & duas operationes dogmatizaverit, ſub qualemcumque querelam hujus gratia, aut accuſationem facito, niſi tantummodò qui ex ſanctis quinque univerſalibus Conciliis & cæteris orthodoxis probabilibus Patribus ejecti ſunt hæretici cum impiis dogmatibus atque ſcriptis, & quod ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia non accepit, ſed abjecit.*

Hunc ſceleratum Typum etiam Romam iſtic recipiendum & profitendum miſit Conſtans Auguſtus per Olympium Exarchum, factumque tunc eſt quod ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius. *Sanctiſſimus Theodorus Papa ſcripſit Paulo Patriarchæ Regiæ civitatis, tam rogans, quàm regulariter increpans, nec non per Apocriſarios pro hoc maximè deſtinatos præſentialiter ammonens & conteſtans, quatenùs proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem Catholicę Eccleſiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum à ſuo conamine quoquo modo revocare. Propter quod ab Apoſtolica Sede ipſe depoſitionis ultione percuſſus eſt.* Iſtorum Apocriſariorum unus fuit Theodori ſucceſſor Sanctus Martinus, ac in ejus vita laudatus Anaſtaſius edicit legationis ſucceſſum & fructum. *Paulus pravitatem ſuam defendens, quod nunquam nec à prioribus hæreticis præſumptum eſt, ipſe illicitè præſumere ſtuduit in tantum, ut altare noſtræ ſanctæ Sedis, quod erat in domo Placidiæ ſacratum in venerabili oraculo, ſubvertens diriperet, prohibens ne adorandam & immaculatam hoſtiam Apocriſarii noſtri ibidem Deo offerre valeant; nec communionis Sacramenta percipiant.* Deſumpſit hæc Anaſtaſius ex Martino primo adloquente Romanam ſuam Synodum, ejuſdemque inſolentiæ meminit Sanctus Pontifex Leo nonus in litteris ad Michaelem Conſtantinopolitanum & Leonem Epiſcopum Acridenſem: *Paulus altare Latinorum & Legatorum Romanæ Eccleſiæ ſubvertit.* Galla Placidia, Theodoſii ſenioris Auguſti filia, duas Conſtantinopoli domos habuit, aliam in prima, aliam in regione decima, earumque altera erat conſuetum hoſpitium Romanorum Legatorum, habens capellam & altare, in quo illi ritu Latino Divina peragerent: Unde & regnante Juſtiniano Vigilius Pontifex in eadem domo fuit hoſpitatus.

Secret. 1.

Cap. 10.

Pergit ad Synodum ſuam Martinus Pontifex de inſolentia Pauli Patriarchæ. *Apocriſarios, qui ex præceptione Apoſtolicæ auctoritatis commonuerunt eum, ut de tali hæretico intentu recederet, nec non conteſtari viſi ſunt, perſecutionibus diverſis cum aliis orthodoxis viris, & venerabilibus Sacerdotibus inſecutus eſt: Quoſdam eorum cuſtodiæ retradens, alios in exilio deportans, alios verberibus ſubmittens.* Ob hæc igitur attentata Theodorus Pontifex, qui priùs ſolum Principis Typum damnarat, ſynodaliter damnavit etiam Pauli Perſonam, unàque Pyrrhum jam relapſum. Anaſtaſius Bibliothecarius hæc omnia in Martini Pontificis annum primum videtur tranſcribere, at certum eſt contigiſſe anno ſeptimo & ultimo Theodori.

Anno itaque Domini ſexcenteſimo quadrageſimo nono in Papalem thronum elevatus eſt Sanctus Martinus, unus è laudatis Apocriſariis, de quo Theophanes. *Cùm Maximus Abbas Romam perveniſſet, Papamque Martinum ad æmulationem accendiſſet, Synodo centum decem Epiſcoporum collecta, Sergium, Cyrum, Pyrrhum, & Paulum anathematizarunt.* Et Acta Sancti Maximi. *Poſtquam evenit, ut Theodorus Præſul Romæ è vita migraret, vir multis laboribus exercitus & pietate clarus, Martinus religioſiſſimus in ejus throno inſtituitur: Cujus virtutem Divinus Maximus admiratus eum plurimùm frequentabat, atque ubi opus erat, de multis cum eo loquebatur. Itaque cum eo conſilium capit omnes, qui ubique eſſent, Epiſcopos congregare, magnamque Synodum celebrare, ut ſub tot Deiferis viris ſana fides firmiorem haberet ac certiorem confeſſionem, perverſitas verò adverſariorum apertam & inſigniorem repudiationem atque expulſionem. Hi ad centum & quinque convenerunt.* Fuiſſe totidem

dem teſtatur & Anaſtaſius Bibliothecarius, neque plures ſubſcriptos habent Acta ſynodalia. Eam Synodum Sanctus Martinus in litteris ad Sanctum Amandum Trajectenſem Epiſcopum vocat generale Concilium, utpotè totius Italiæ: Aderant enim ipſe Dominus Papa, tres alii Italorum Metropolitæ, Aquilejenſis, Mediolanenſis, Ravennas per Vicarium, & Sardorum Calaritanus. Non ampliùs patientia ac precibus, ſed ex poteſtate agendum vidit Pontifex, ideòque mox in ipſo Papatus exordio hanc Synodum adunavit. Nullam in ipſa Sancti Maximi, qui omninò adfuit, habemus memoriam, quod Synodus, uti ſuprà ab Epiſcopis Orientalibus in Synodo Chalcedonenſi audivimus, non Clericorum, longè minùs Monachorum ſit, ſed ſolorum Epiſcoporum.

Omnia Sergii, Cyri, Pyrrhi, Pauli, Heraclii, & Conſtantis Acta diſcuſſit Synodus, damnavitque ſingula, impiam præſertim Ecthesin ac Typum impiiſſimum, dictorum Epiſcoporum perſonas, ac in capite Theodorum Epiſcopum Pharanitanum. Ecthesin & Typum damnavit ob tres potiſſimùm rationes, expreſſas à Pontifice in litteris ſynodalibus ad univerſam Eccleſiam. Prima eſt, quod Typus & unam & geminam in Domino operationem ac voluntatem dici vetet, adeòque cum ſceleroſis hæreticorum vocibus etiam probatas Sanctorum Patrum voces, ac pium cum impio proſcribat. Quidquid enim garriant Ectheſis & Typus, geminæ voluntatis ac operationis vox eſt omninò uſitata ac prædicata à Sanctis Eccleſiæ Patribus, unica autem operatio à ſolis Arianis, Eunomianis, Apollinariſtis, Eutychianis, cæteriſque Erronibus Dei Hominis Myſterium mutilantibus aut confundentibus. Altera ratio eſt, quod Typus & unicæ & geminæ operationis prædicatoribus tribuat parem impunitatis libertatem: Quod eſt Eccleſiam in Academiam vertere, & reducere gentilem licentiam quodlibet nugandi. Tertia ratio eſt, quod Typus Ecthesin, & Ectheſis deſtruat Typum. Ectheſis enim unicam, Typus nec unicam nec geminam vult in Domino operationem, ut non humana tantummodò, ſed & Divina natura ſit expers voluntatis ac operationis. Monothelitæ enim, inquit Synodus, Secret. 4. *Neſciunt quid credant aut confiteantur per inceſſabilem creberrimam ſuorum dogmatum immutationem, pariterque peremptionem.* Addidit Synodus viginti dogmatica Capitula, quorum quintum decimum, cunctorum principale, ſuprà eſt adductum.

Quæſtio eſt, Quare Synodus non damnarit etiam Honorii Pontificis decretum, Ectheſeos ac Typi fundamentum? Omnia enim tria ſunt ejuſdem tenoris, & tam Typus quàm Ectheſis decretum iſtud dumtaxàt confirmarunt. Reſpondeo erga tria illa proceſſiſſe hanc Lateranenſem Synodum, quomodò erga Sanctum Baſilium ac profanum Neſtorium proceſſerunt in ſuis duodecim Capitulis Sanctus Cyrillus & ſacroſancta Synodus Epheſina. Et Baſilius & Neſtorius Chriſtum Dominum dixere *Hominem Deiferum*, & tamen hic inter hæreticos projectus eſt, ille glorioſus manet inter orthodoxos Eccleſiæ Patres. In pari item locutionis cauſa longè diſſimiliter Ec- Leo. 11. cleſia tractavit Sanctum Dionyſium Alexandrinum ac impium Arium, Sanctum Euſtatium Antiochenum Epiſcopum ac Theodorum Mopſueſtienſem, alioſque plures relatos à Facundo Epiſcopo Hermianenſi. Et laudatus Baſilius in ſermone populari ſacram glorificationem hac formula concludens, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, de Catholico nomine & Sede Epiſcopali periclitatus eſt, eiſdem vocibus glorificans Sanctus Leo Magnus in nullum periculum aut ſuſpicionem incidit, Ariani autem eandem ob cauſam ab omni Eccleſia fuere damnati. Et in Sancto Auguſtino aſſiduè obvias habes haſce de Domino voces, *Homo-Deus*, de quibus tamen adverſùs Petrum Fullonem Pſeudo-Patriarcham Antiochenum ſcribit Sanctus Quintianus Epiſcopus Eſculanus: *Si quis* DEUM-HOMINEM, *&* *non magis* DEUM ET HOMINEM *dicit, damnetur*. Nempe alio Dionyſius, Euſtatius, Baſilius, Auguſtinus, alio ſenſu Arius, Neſtorius, Fullo, Theodorus locuti ſunt, atque ità in pari locutionis cauſa iſti probari, hi meruerunt damnari. Quoniam facta & verba vident homines, intentio judicat omnes. Idem evenit decreto Honorii Pontificis, ac Edictis Heraclii & Conſtantis. Quia tamen decretum iſtud, licèt innoxium, Edictis illis fomenta atque occaſionem præbuit, à nullo ſucceſſore Pontifice confirmatum fuit, ſed ſilentio traditum atque circumſcriptum.

Et ob hæc omnia in rabiem actus Conſtans Auguſtus fecit, quod in vita Sancti Martini ſcribit Anaſtaſius Cardinalis Bibliothecarius. *Ipſis diebus direxit Imperator in Italiam Olympium Cubicularium & Exarchum ad regendam omnem Italiam, præcipiens & dicens: Oportet Gloriam tuam, ſicut nobis ſuggeſſit Paulus Patriarcha, peragere.* Dolis & armis juſſit omnem Italiam ad Typum recipiendum ſeduci, & Pontificem tranſmitti Conſtantinopolim. At verò Divina potentia miraculis protexit Martinum, Olympium verò cum omni exercitu Saraceni in Sicilia trucidarunt. Etenim adverſùs Deum pugnante Romano Principe, Saraceni Ægyptum, Orientem, Africam, Cyprum, Siciliam, ac omne fermè imperium invaſerunt. Porrò Pontifex non intermiſit officium: Ad Principem ſcripſit piiſſimas litteras, Africanos Epiſcopos in fide confirmavit, Antiocheno & Hieroſolymitano Patriarchatibus per Saracenos devaſtatis dedit Apoſtolicum Vicarium Joannem Epiſcopum Philadelphienſem, Pauli Theſſalonicenſis Epiſcopi Monothelitæ, qui Apoſtolicas per Illyricum vices verteſat in Primatum ordinarium, fregit contumaciam, tandemque à Theodoro Calliopa Exarcho, Olympii ſucceſſore, captus eſt in Baſilica Lateranenſi, portatus Conſtantinopolim, ac à Conſtante Auguſto relegatus Cherſoneſum poſt plurimas calamitates, de quibus Paulus Patriarcha moribundus, *ingemiſcens & ad parietem converſus dixit Principi: Hei mihi, & hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum eſt. Nunquid nam Domine* Epiſt. 17. *non eſt miſerabile talia pati Pontificem? Tunc atten-*

tiùs adjuravit Imperatorem ſufficere in his, quæ paſſus eſt, nihilque amplius ſuſtinere. Cherſona eſt rerum omnium, etiam frumenti, indiga, & nec ipſa Romana Eccleſia potuit Pontifici quidquam ſubſidii tranſmittere, atque ità iſtic ex inopia glorioſus Martyr defecit. Relegatus fuit anno ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, eodemque defunctus eſt Paulus Patriarcha, creatus anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, atque ità ſedit, non duobus ſolummodò annis, ſed omninò decem.

Noluit tamen Conſtans Auguſtus videri perſecutor fidei & Eccleſiæ Romanæ: Non de Typi ſui damnatione, ſed de aliis facinoribus eſt optimum Pontificem criminatus. Primò, quod Saracenis ſaviſſet, & communicaſſet per litteras. Deindè, quod in Deiparam Virginem neſcio quid hæreticè blaſphemaſſet. Hinc ad Theodorum Epiſcopum ſcribit magnus Pontifex & Con-

Epiſt. 14. ſeſſor. *Ego aliquando ad Saracenos nec litteras miſi, nec quem dicunt Tomum, qualiter credere debeant, aut pecunias unquam tranſmiſi: Exceptis dumtaxat quibuſdam illinc venientibus ſervis Dei cauſa eleemoſynæ, quibus & modicum quid præbuimus, minimè ad Saracenos tranſmiſſum. Porrò de Domina noſtra glorioſa ſemper Virgine Maria, quæ Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum peperit, quam omnes Sancti & Catholici Patres Dei Genitricem appellant, utpotè quæ Deum hominem peperit, falſiſſimum contra me, immò contra ſuas ipſorum animas, iniqui viri teſtificati ſunt. Nam quiſquis Beatam ſemper Virginem, Matrem videlicet Dei noſtri, non honorat atque adorat, anathema ſit, & in præſenti ſæculo, & in futuro.* Ejus innocentiam fuiſſe multis miraculis à Deo confirmatam teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius.

Deportato Sancto Pontifici alium ſuperordinari juſſit Conſtans Auguſtus, eſtque ſuperordinatus Eugenius. Paulo autem Patriarchæ Conſtantinopolitano ſucceſſit denuò ad paucos menſes Pyrrhus, ac tum Petrus, *Curator accipiendis*

Nicephor. *hoſpitibus in eadem Eccleſia*, de quo liber Pontificalis. *Eugenii temporibus Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus direxit ſynodicam ad Sedem Apoſtolicam juxta conſuetudinem, omninò obſcuriſſimam & ultra regulam, non autem declarans operationes, aut voluntates in Domino Jeſu Chriſto. Et accenſus eſt populus & Clerus, eò quod talem ſynodicam direxiſſet, quæ minimè eſt ſuſcepta, ſed cum majori ſtrepitu eſt à ſancta Dei Eccleſia projecta, ut etiam nec eundem Papam dimitteret populus vel Clerus Miſſas celebrare in Baſilica Sanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præſepe, niſi promiſiſſet is ipſe Pontifex minimè eam aliquando ſuſcipere.* Eugenium doloſis verbis circumducere conatus eſt Petrus, Romanus autem Clerus & populus ejus conſtantiæ à Principis in Sanctum Martinum barbaria timuit, ideòque illum adegit ad ejuſmodi promiſſa. Adeò Romani populi immobilem fidem non ſine fundamento Apoſtolus laudavit. Sancti Nicephori Chronicon ait Petrum ſediſſe annis duodecim, menſibus ſeptem, at certum eſt numeros eſſe vitiatos: Sedit duobus dumtaxàt annis, menſibus tribus.

Ei ſucceſſerunt Thomas Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Chartophylax, Joannes Presbyter & cuſtos ſacrorum vaſorum, & Conſtantinus Diaconus, eorumdem vaſorum cuſtos, quos omnes fuiſſe germanè orthodoxos, ac geminæ in Domino voluntatis ac operationis profeſſores teſtatus eſt in præſenti Synodo, ac demonſtravit Georgius Eccleſiæ ejuſdem Diaconus & Chartophylax, protulitque orthodoxam Thomæ ſynodicam Epiſtolam, paratam ad Vitalianum Pontificem, Eugenii ſucceſſorem, ſed quæ *dirigi non potuit propter nuperum Saracenorum incurſum aſſiduè imminentem*, & Regiæ civitatis *obſeſſionem, quæ facta eſt per biennium, quo geſſit Epiſcopatum.* Ità aſſiduè adversùs Deum, quàm adversùm Saracenos Conſtans militare maluit: Quin & fratrem germanum Theodoſium, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconum, trucidavit, de quo Georgius Cedrenus, *Theodoſius à morte ſua Conſtanti crebrò per quietem viſus eſt habitu Diaconi, poculum ſanguine plenum porrigens, atque dicens:* BIBE FRATER, utique ſanguinem, quem parricidaliter effudiſti. Hinc ille in furias actus eſt, factusalter Cain à facie Domini ſuper terram profugus, omnem Græciam pervagatus, etiam Romam venit, imperii ſedem Syracuſis in Sicilia fixit, atque illic anno imperii vigeſimo ſeptimo à quodam Andrea, Troili filio, qui ſitulam ejus capiti nimiùm durè infixit, in balneo occiſus. Otto Friſigenſis Epiſcopus ait illum Romæ & de hæreſi & de actis in Sanctum L. 5. c. 55.
Martinum ſolenniter pœnituiſſe: At ſine teſte loquitur adversùm plurimos & graviſſimos hiſtoricos referentes ejus barbaricam in Romanas baſilicas ac Italiæ & Siciliæ populos inſolentiam, quibus eſt omninò credendum.

CAPUT VI.

Sextæ generalis Synodi Præſes, Epiſcopi, locus, tempus.

CONjurata factio in Conſtantis occiſi locum intra Siciliam ſtatim levavit Mezenium, Armenium genere; verùm illius filius Conſtantinus mox in inſulam ſe armatus contulit, expugnavit conjuratos, paternumque thronum recepit adjutus à Vitaliano Pontifice, de quo ipſe in litteris ad Donum Papam. *Multam nobis inſtantiam fecerunt tam Regiæ civitatis Patriarcha Theodorus, quam Macarius Patriarcha Theopoleos, ut ejiceretur Vitalianus beatiſſimus de dypticbis, aſſerentes Honorium memorari in dypticbis propter honorem Apoſtolicæ Sedis antiquæ noſtræ Romæ. Nam non acquieſcere, ut memorentur Patriarchæ, qui poſtmodùm fuerunt in prædicta ſancta Romana Eccleſia, donec conquiſitio & ſatisfactio proveniat de quibus contenditur inter utraſque ſedes, & ità veſtro*

Pa-

Digitized by Google

Paterna Beatitudo conſequenter memoretur. Sed huic nos non acquievimus, id eſt, ut ejiceretur idem Vitalianus de Dypticbis. Hoc quidem, utpotè omnem æqualitatem ſervantes, & utroſque orthodoxos habentes; hoc autem & propter charitatem collatam nobis ab eodem Vitaliano, dum ſupereſſet, in motione tyrannorum noſtrorum. Nempe Thomas, Joannes, & Conſtantinus, Patriarchæ orthodoxi, Romanorum Pontificum nomina ſacris Eccleſiæ tabulis inſcripſerant, ea autem ſucceſſor Monothelita Theodorus volebat ejecta, retentumque nomen ſolius Honorii, quaſi fautoris: At verò Auguſtus beneficii memor nequaquam Vitaliani præſertim nomen permiſit radi. Hic eſt Conſtantinus, quem alii quintum vocant, alii quartum, vulgò dictus Pogonatus ſeu barbatus: Non à barba ultra morem longa aut larga, ſed à ſubitò nata. Etenim ex Sicilia, quo imberbis abjerat ad expugnandos tyrannos, paucos poſt menſes rediit Conſtantinopolim plenè barbatus, factus quaſi homo alter. Ità Joannes Zonaras.

Iniit imperium anno Domini ſexcenteſimo ſexageſimo octavo, reperitque in Regia urbe Patriarcham jam dictum Theodorum, ex Presbytero Syncello & ſacrorum vaſorum cuſtode creatum anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, de quo ipſe in litteris jam laudatis. *Theodorus Patriarcha ſuggeſſit noſtræ Serenitati ſuſpectum ſe eſſe dirigere conſueta ſynodica ad veſtram Paternam Beatitudinem, ne forsàn non recipiantur, ſicut & ſub Prædeceſſoribus ſuis Patriarchis factum eſt; ſed magis providit adhortatoriam Epiſtolam facere ad Veſtram Beatitudinem, quam & direxit.* Princeps orthodoxus ſuſcepto imperio mox juſſit Theodoro ſynodicas litteras & Romanæ fidei profeſſionem mittere ad Papam, ac ſuppliciter expoſtulare Epiſcopatus confirmationem, ſpirituque hæretico recalcitrantem compulit ad flagitandam ſaltem Synodum, haſce tandem lites finituram. Macarium Antiochiæ Patriarcham evocavit Conſtantinopolim, rogavitque tantæ cum Romana Eccleſia contentionis & diſcordiæ radicem & cauſam: *Satisfecerunt verè ambo Patriarchæ, quod verba quædam novitatis intromiſſa ſunt, aliquibus quidem hæc ex imperitia introducentibus, aliquibus verò incongruè ſcrutantibus incomprehenſibilia opera Dei.* Nempe quemodò Eutyches de natura, ità Macarius & Theodorus de Dei ſui voluntate nolebant diſputare. Addiderunt eſſe *infinitam contentionem propter viles inquiſitiones.* Imitati ſunt Joannem Jejunatorem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui lites de profano, *Epiſcopus univerſalis*, titulo perſuaſit Mauritio Auguſto eſſe frivolam quæſtionem de nomine, atque ità optimum Pontificem Gregorium Magnum, tamquam qui nodum in ſcirpo quæreret adversùs Regiæ civitatis Eccleſiam, reddidit mirè exoſum. Quare pacem cum Saracenis, & Bulgaris, qui & ipſi in Romanos fines irruperant, compoſuit Conſtantinus, pacificandis Eccleſiis omnem adjecit animum, utramque partem tractavit ut orthodoxam uſque ad futuram generalem Synodum, prima opportunitate omninò à Sede Apoſtolica expoſtulandam. Porrò Theodorus Patriarcha ſedit annis duodecim, in Romanam fidem atque Eccleſiam ſemper contumaciſſimus; Undè tandem ejectus eſt à Principe, ejuſque in locum ſurrogatur Georgius, Presbyter orthodoxus. Eo tamen poſt Synodum præſentem defuncto, pœnitentiam Theodorus aut egit aut ſimulavit, atque ità fuit ſedi reſtitutus. Sancti Nicephori chronicon, ejus priorem ſedem contrahens ad duos annos, certum eſt in numeris eſſe vitiatum.

Anno itaque Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo Conſtantinus Auguſtus à Dono Pontifice poſtulavit generalem Synodum cum hoc moderamine. *Poſtquam tempus non recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur veſtram Paternam Beatitudinem per præſentem noſtram piam ſacram, dirigere viros utiles & modeſtos, notitiam habentes totius à Deo inſpiratæ doctrinæ, peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum, induros perſonam veſtræ Apoſtolicæ Sedis, ejuſque Concilii, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes.* Etenim Saraceni omnem Ægyptiacam, Africanam, ac Syriacam Diœceſim obtinebant, adeſſe proinde non poterant omnes Patriarchæ ac Epiſcopi, & plena fieri Synodus, ideòque Princeps ex Occidente & Septemtrione rogabat mitti Epiſcopos & doctos & multos. Mitti rogat Legatos duplices: Alios ſolius Domini Papæ ſeu Apoſtolicæ Sedis, alios Synodi ejus Patriarchalis, habentes auctoritatem totius Eccleſiæ Occidentalis, Meridionalis, ac Septemtrionalis. Hinc pergit. *Perſonas, quæ dirigentur à paterna veſtra Beatitudine, ità decernat: Ex veſtra quidem ſancta Eccleſia, ſi utique videtur ei, tres perſonæ ſufficiant; quod ſi & plures, quantæ ei placuerint, dirigat. De Concilio verò uſque ad duodecim Metropolitas, & Epiſcopos*, utique aliquot ad eorum Provinciam ſpectantes. *De quatuor verò Monaſteriis Byzantinis ab unoquoque Monaſterio Monachos quatuor.* Varia enim Græcorum Monaſteria habebat Romana Eccleſia, eorumque quatuor erant Conſtantinopolitana, id eſt, habentia Monachos Conſtantinopolitanos.

Addit optimus Princeps. *Per Deum omnipotentem non eſt apud nos partis cujuslibet favor, ſed æqualitatem utriuſque partibus conſervabimus, nullatenus neceſſitatem facientes in quocunque Capitulo eis, qui à vobis diriguntur quoquo modo, ſed & omni honore cum competenti munificentia & ſuſceptione dignos eos habebimus. Et ſi quidem utrique convenerint, ecce & bene; ſin autem minimè convenerint, iterùm cum omni humanitate eos ad vos dirigemus, de cætero nos excuſantes in Judicio Dei imminente nobis, juxta quod conſtituti ſumus ſervare fidem ſanctam & immaculatam, quam percepimus, unoquoque proprio ſenſu abundante, & rationem redditure ante ſanctum & terribile tribunal Dei noſtri.* Et infrà. *Omnem concurſum venientibus juſſimus præbere Theodorum glorioſum Patricium & Exarchum noſtræ Italiæ, tam in navi, quàm in expenſis & omni utilitate eorum: Et ſi neceſſitas exegerit, etiam caſtellatos dromones præbere ad omne munimen, ut ex omnibus illæſi, & ſine periculo, Deo cooperante, ad nos perducantur.* Græcorum antiquus mos eſt Sedis Apoſtolicæ Legatos circum-

cumſcribere, corrumpere, ſeducere, ignominioſè tractare, atque remittere. Etenim de Innocentii primi Pontificis ad Arcadium Auguſtum Legatis, Romanæ Sancti Joannis Chryſoſtomi adverſùm Theophili Patriarchæ Alexandrini violentias appellationi delatum poſtulantibus, L. 8. c. 28. ſcribit Hermias Zozomenus, *Joannis hoſtes hanc rem apud Arcadium quaſi in contumeliam ejus imperii fieret, calumniati ſunt, & ut Legati, tamquam Imperii tranſmarini turbatores, ablegarentur, effecerunt.* Et Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum damnavit Felix tertius, quod Legatos ſuos Miſenum ac Vitalem Epiſcopos chartis privari paſſus fuerit & mancipari cuſtodiæ, coegerit ad ſecum in ſacrificio procedendum & communicandum, præmiis corruperit, ac in Sancti Petri Apoſtoli læſionem reddiderit inefficaces, ac Papalium mandatorum prævaricatores. Latiùs id referunt Gelaſius Pontifex, Evagrius Epiphanienſis, ac Liberatus Diaconus Carthaginenſis. Quomodò Ennodium Ticinenſem ac Peregrinum Miſenatem Epiſcopum, Hormiſdæ Pontificis Legatos, quod pecuniis corrumpere non poſſent, tractarit Anaſtaſius Auguſtus, narrat in ejuſdem Pontificis vita liber Pontificalis. Et Theodori Pontificis Legatos jam ſuprà audivimus fuiſſe à Conſtante Auguſto & Paulo Patriarcha carceratos, deportatos, verberatos. Et quis neſciat Juſtiniani barbaram feritatem in Pontificem Vigilium? Hinc itaque Conſtantinus Auguſtus ſpondet Legatis Apoſtolicis omnem honorem, munificentiam, libertatem. Hinc flexo mentis poplite illum deprecatur Sanctus Agatho Pontifex, ut promiſſa ſervans eos benignè audiat, & tam in fidei rectitudine, quàm in corporum ſoſpitate illæſos remittat.

Et princeps omninò ſtetit promiſſis. *Tribuit eis*, inquit in vita Agathonis Anaſtaſius Bibliothecarius, *quæ ſuſtentationem ſufficiebant in eorum expenſas in domo, quæ appellatur Placidia, die decima octava menſis Novembris. Die Dominico advocati ſunt in proceſſione ad ſanctam Dei Genitricem in Blachernas in tanta honorificentia, ut etiam de palatio caballos ſtratos dirigeret cum obſequio Pietas imperialis, & ſic eos ſuſciperet.* Imitatus eſt Juſtinum Auguſtum, qui quanta pompa Hormiſdæ Pontificis ad ſchiſma Acacianum componendum Legatos ſuſceperit, referunt Legati ipſi in ſuis ad Pontificem ſuggeſtionibus, ac ſingulatim Dioſcorus Diaconus in litteris ad Pulionem Subdiaconum Eccleſiæ Romanæ. (Poſt Ep. 40. Relat. 1. 256.) Quid ſint, & qualiter à Synodo generali recipiendi Romani Legati, paucis ad octavam Synodum dixit Metrophanes orthodoxus Metropolita Smyrnenſium: (Act. 4.) *Sanctiſſimos Vicarios ſenioris Romæ ut Prophetas ſuſcipimus.* Pergit in vita Sancti Agathonis laudatus Anaſtaſius. *Divina gratia omnipotentis Dei conceſſa eſt Miſſis Sedis Apoſtolicæ, ut ad lætitiam populi vel ſancti Concilii, qui in Regia urbe erant, Joannes Epiſcopus Portuenſis Dominico die octavarum Paſchæ in Eccleſia Beatæ Sophiæ Miſſas publicas latinè celebraret coram Principe & Patriarcha, & omnes unanimiter in laudes & victorias piiſſimorum Imperatorum Latinis vocibus acclamarent.* Ità fracti in domo Placidia Latini altaris injuriam duxit Princeps reparandam.

Verùm ejus litteræ Donum Pontificem repererunt defunctum, traditæque ſunt ejus ſucceſſori Sancto Agathoni, de quo Anaſtaſii Bibliothecarii liber Pontificalis. *Hic ſuſcepit Divalem juſſionem Piiſſimorum Principum, Conſtantini, Heraclii, & Tiberii Auguſtorum* (utrumque enim fratrem in imperii ſocietatem Conſtantinus adſciverat) *per Epiphanium glorioſum à ſecretis, miſſam Prædeceſſori ſuo Dono Papæ, invitantem atque adhortantem, ut debeat Sacerdotes vel miſſos ſuos dirigere in Regiam urbem pro adunatione facienda ſanctarum Dei Eccleſiarum, quod & ordinare non diſtulit. Et direxit Abundantium Paternenſem, Joannem Rhegitanum, & Joannem Portuenſem Epiſcopum, Theodorum & Georgium Presbyteros, Joannem Diaconum, & Conſtantinum, Theodorum Presbyterum Ravennatem, atque religioſos ſervos Dei Monachos.* Etenim Princeps non tantùm Domini Papæ, ſed & ejus Patriarchalis Synodi Legatos poſtularat, nec non & Monachos è græcis cœnobiis Eccleſiæ Romanæ. Et quidem Domini Papæ Legatos dumtaxat tres. Et hinc, uti liquet ex Actis ſynodalibus, Theodorus & Georgius Romani Presbyteri, ac Joannes Diaconus, quem Romanæ Eccleſiæ Archi-Diaconum fuiſſe affirmat Princeps in litteris ad Leonem ſecundum Pontificem exſtantibus poſt præſentem Synodum, Agathonis Pontificis, tres autem memorati Epiſcopi egerunt vices *centum viginti quinque Epiſcoporum Concilii antiquæ Romæ*. Sanctus namque Agatho, acceptis Divalibus litteris, mox adeò numeroſam ex Italiæ, Galliæ, Hiſtriæ, & Angliæ Epiſcopis adunavit Synodum, & ad noſtram præſentem miſit ejus avitum de præſenti controverſia ſenſum & Apoſtolicam traditionem. Et hinc tres laudati Romani Clerici Synodo noſtræ præſederunt, tres autem laudati Epiſcopi ſederunt dumtaxàt poſt Patriarchas ac Patriarchalium ſedium Vicarios: Utpotè non Apoſtolicæ Sedis, ſed Legati ſolius Eccleſiæ Occidentalis atque Septemtrionalis. Invitavit Pontifex & magnum Theodorum Eccleſiæ Cantuarienſis Archi-Epiſcopum: At ille juſtis de cauſis ſe excuſavit. Attamen Sanctus Wulfridus Eboracenſis Archi-Epiſcopus, & noſtrorum Friſonum Apoſtolus, adfuit jam laudatæ Synodo Romanæ. Laudatum ſuperiùs ab Anaſtaſio Bibliothecario Conſtantinum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum teſtatur Sanctus Agatho in litteris dogmaticis ad Principem: Legatus ille non fuit, ſed Legatorum adjutor, miniſter, conſultator. Et hinc in Synodo nullus fuit illi locus. Theodorus Ravennæ Archi-Epiſcopus Legatum habuit ſpecialem, Presbyterum Theodorum: Ex reliquiis Autocephaliæ per hoſce dies reſignatæ. Hocce excuſæ ambitionis ſolatium videntur Ravennatibus Epiſcopis Donus & Agatho Pontifices commiſerati indulſiſſe.

Porrò non tantummodò Legatos Metropolitas ac Epiſcopos, ſed & omni Chriſtiana ſcientia inſtructos, unàque libros poſtulavit Princeps, reſpondit verò Sanctus Pontifex. *Apud homines in medio gentium poſitos, & de labore corporis quotidianum victum cum ſumma hæſitatione conquirentes, quomodò ad plenum poterit inveniri Scripturarum*

ſcien-

Google

ſcientia, niſi quod quæ regulariter à Sanctis atque Apoſtolicis Prædeceſſoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita ſunt, cum ſimplicitate cordis & ſine ambiguitate à Patribus traditæ fidei conſervamus, unum ac præcipuum bonum habere ſemper optantes atque ſtudentes, ut nihil de eis, quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, ſed eadem & verbis & ſenſibus illibata cuſtodiantur? Eo namque tempore Longobardorum avaritia, Regum Francorum ignavia, & Saracenorum barbaries in Europa vaſtabat omnia, Caroluſque Martellus Major domus noſtrorum Regum cuncta Eccleſiarum & Monaſteriorum bona militibus ſuis dabat in beneficium, nulla nobis erant ſtudia, nullus Eccleſiæ ſplendor, quouſque Sanctus Bonifacius Archi-Epiſcopus à Gregorio ſecundo in Franciam miſſus Apoſtolus cum Pippino Rege Martelli filio reparare cœpit lapſam Chriſtianitatem, plenè tandem reparatam à Carolo Magno. Nam & Sanctum Amandum Trajectenſem Epiſcopum, Gandenſibus noſtris per ea tempora prædicantem, è manuum labore victitaſſe ſcribit apud Joannem Bollandum Joannes Harvengius Abbas Bonæ Spei. Pergit Pontifex de ſuis Legatis. *Quibus portitoribus & teſtimonia aliquorum ſanctorum Patrum, quos hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſcipit, cùm eorum libris tradidimus, ut facultatem ſuggerendi à benigniſſimo veſtræ Chriſtianitatis imperio conſecuti ex his duntaxat ſatisfacere ſtudeant, dum imperialis Manſuetudo præceperit, quid hæc ſpiritalis mater eorum ac à Deo propagati imperii Apoſtolica Chriſti Eccleſia credat & prædicet, non per eloquentiam ſæcularem, quæ nec ſuppetit idiotis hominibus, ſed per ſinceritatem Apoſtolicæ fidei, in qua & ab incunabulis edocti uſque in finem propagatori veſtri Chriſtiani imperii, cœli Domino, omnes nobiſcum deprecamur ſervire atque obedire.*

Denique illa antiquorum, quos Romana ſuſcipit Eccleſia, ſanctorum Patrum teſtimonia ſunt hæc ipſa Pontificis ad Principes & Synodum dogmatica Epiſtola, aureis litteris ſcribi digna, collecta ex Græcis ac Latinis Patribus, quorum præcipuus eſt Sanctus Auguſtinus, quem dicit Doctorem præſtantiſſimum, & veritatis prudentiſſimum Prædicatorem. Eumdem inter futuros Synodi Duces numerat in litteris ad Principem Manſuetus Archi-Epiſcopus Mediolanenſis, intitulans Doctorem omni ſapientia clarum. Etiam Theophanius Abbas Monaſterii ad Bajas, duriſſimum Monothelitarum in Synodo flagellum, aſſiduè laudavit Sanctum Auguſtinum in ſuis diſputationibus, earum merito evectus, Macarii degradati loco, in Patriarcham Antiochenum. Quin & ipſe Macarius Auguſtinum profeſſus eſt Doctorem Sanctum & acceptabilem, unam in Domino voluntatem ex ipſo proferre vanè conatus. Dogmatica Pontificis Epiſtola adduxit varia ejus loca ex opere illo adversùs Julianum Pelagianiſtam, quod huc uſque habuimus imperfectum: Ei magnas debemus gratias, utpotè quæ opus iſtud ex Monaſterii Ciſtercienſis Bibliotheca productum oſtendat eſſe germanum, liberum ab omni labe ac periculo ſpuriæ ſuppoſitionis. Et hinc Gregorius Monachus, Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani Protoſyncellus, in Synodi Florentinæ adversùs Marcum Epheſium Metropolitam apologia ſcribit Sanctum Auguſtinum eſſe Doctorem præclariſſimum à ſexta Synodo receptum.

Act. 8.

Adjungit adhuc Pontifex de ſuis Legatis. *Licentiam eis ſive auctoritatem dedimus apud tranquilliſſimum veſtrum imperium, dum juſſerit ejus Clementia, ſimpliciter ſatisfaciendi, in quantum, eis duntaxàt injunctum eſt, ut nihil profectò præſumant augere, minuere, vel mutare, ſed traditionem hujus Apoſtolicæ Sedis, ut à Prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſinceriter enarrare.* Proteſtatur adversùs conſuetam Græcorum audaciam, de qua Sanctus Leo Pontifex in litteris ad Maximum Patriarcham Antiochenum. *Subrependi occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob intercurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile eſt, ut cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram ſuam moliatur appetere.* Ità Epheſinam Juvenalis Hieroſolymitanus, Synodum Chalcedonenſem ac laudatum Leonem Papam graviſſimè inquietavit Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Et tria Capitula, à quibus tantum in Eccleſia ſcandalum, aliud non fuere, quàm ejuſdem Synodi Chalcedonenſis conſtituta, attentata ſine mandato Apoſtolicæ Sedis. Hinc admodùm providè Sanctus Agatho interdixit & præcavit ejuſmodi præſumptiones. Et hinc vides generales Synodos Romanæ directioni & poteſtati plenè ſubeſſe. Epiſt. 62. c. 4.

Notanda ſunt verba: *Traditionem hujus Apoſtolicæ Sedis ſinceriter enarrare.* Utique traditionem de duabus in Domino voluntatibus ac operationibus, quam inſigniter exponit, & addit. *Cum corde contrito & profluentibus lacrhymis, mente proſtratus exoro, porrigere dignemini clementiſſimam dexteram Apoſtolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum veſtrorum Beatus Petrus Apoſtolus tradidit, ut non ſub modio condatur, ſed tuba clariùs in toto orbe prædicetur: Quia ejus vera confeſſio à Patre de cœlis revelata eſt, pro qua à Domino Beatus eſſe eſt pronunciatus. Cujus adnitente præſidio hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam de via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, cujus auctoritatem, utpotè Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & univerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt, omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatiſſima Eccleſiæ Chriſti luminaria claruerunt. Et Sancti quidem Doctores orthodoxi venerati, atque ſecuti ſunt, hæretici autem falſis criminationibus ac derogationum odiis inſecuti.* Utique hæretici Monothelitæ, auſi Honorium Pontificem ſuo gregi adnumerare. *Hæc eſt veræ fidei regula, quam & in proſperis & in adverſis veraciter tenuit ac defendit hæc ſpiritalis mater veſtri tranquilliſſimi imperii Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed ut ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata fine tenùs permanet, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, quam ſuorum*

eum

rum diſcipulorum Principi in ſacris Evangeliis fa-
tus eſt: PETRE, ECCE SATHAN EXPE-
TIVIT, UT CRIBRARET VOS, SICUT
QUI CRIBRAT TRITICUM, EGO AU-
TEM PRO TE ROGAVI, UT NON DE-
FICIAT FIDES TUA, ET TU ALI-
QUANDO CONVERSUS CONFIRMA
FRATRES TUOS. *Conſideret itaque veſtra*
tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator
omnium, cujus fides eſt, qui fidem Petri non defe-
cturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admo-
nuit, quod Apoſtolicos Pontifices, meæ Exiguitatis
Prædeceſſores, confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt
cognitum, quorum & Puſillitas mea, licèt impar &
minima, pro ſuſcepto tamen divina dignatione mini-
ſterio, pediſſequa cupit exiſtere. Ità Honorium
Pontificem ſtrenuè & plenè ab omni erroris cri-
minatione expurgat, denuò autem damnat
Theodorum Pharanitanum, Sergium, Cyrum,
Pyrrhum, Paulum, damnatos à Sancto Marti-
no Pontifice in Synodo Lateranenſi centum quin-
que Epiſcoporum, nec non & Petrum Pauli in
Eccleſia Conſtantinopolitana ſucceſſorem, dam-
natum item à ſuis Anteceſſoribus. Proindè Le-
gatis ſuis delegavit tria: Romanæ fidei defini-
tionem; dictorum Hæreticorum iteratam dam-
nationem, ac Honorii Pontificis purgationem
& abſolutionem, utique ex zelo illo, de quo
Gregorius Magnus in litteris ad Sabinianum,
L. 7. Ep. 1. Diaconum ſuum ac in Regia civitate Apocriſa-
rium: *Antè paratus ſum mori, quam Beati Petri*
Apoſtoli Eccleſiam meis diebus degenerare. Roma-
nam Cathedram, ac ex illa docentem Romanum
Epiſcopum errare in fide non poſſe eſt Divinum
illius Eccleſiæ privilegium, ac perpetuæ gloriæ
ſupremum faſtigium, quod à maledicis & dolo-
ſis Honorii circumſcriptoribus Monothelitis ob-
ſcuratum Sanctus Agatho Pontifex omninò de-
buit reſtituere avitæ dignitati. Ab hiſce tribus
mandatis Legatos ſuos nec quoad unum jota aut
apicem addendo aut minuendo voluit recedere,
quod pro elucidanda Honorii cauſa eſt firmè no-
tandum.

Et Romanam Eccleſiam nunquam in fide er-
raſſe, atque errare non poſſe, non eſt commen-
tum Agathonis. Quis enim Simonem Magum,
Montanum, Polycratem, Artemonem, Pau-
lum Samoſatenſem, Origenem, errorem Sancti
Cypriani, alioſque olim plures damnavit, niſi
ſola Sedes Apoſtolica, cujus judicium, tan-
quam Divinum oraculum, nequaquam retracta-
vit Nicæna Synodus, ſed reverenter confirma-
vit? Sanctum Firmilianum, Cæſareenſem in
Cappadocia Archi-Epiſcopum, Ponticæ Diœ-
ceſeos Primatem, quod Romanam Eccleſiam de
Apoſtolici dogmatis ac traditionis prævaricatione
traducere, Sanctus Stephanus Pontifex à com-
munione ſuſpendit, & omnis ſub cœlo Eccleſia
eſt averſata. Et palmaris, quam in Tertulliano
etiam hodie deteſtamur, præſumptio fuit, quod
Zephyrini Pontificis pro mœchis decretum auſus
fuerit ejuſdem lapſus accuſare. Gratianus ac
Theodoſius Auguſti, dum Arii, Eunomii,
Macedonii, Apollinarii, Marcelli, aliorumque
Erronum graſſantem ſuo tempore impietatem
ſupprimunt, omnem Eccleſiam coegerunt ad
Damaſi Pontificis fidem & communionem; eam-
que legem Theodoretus laudat in Hiſtoria Ec- L. 5. c. 2.
cleſiaſtica, & non tantùm Theodoſius Junior,
ſed & Juſtinianus Auguſtus ſuo Codici inſcripſit:
Quod nempe Romanus Epiſcopus ſit fidei Petra
immobilis, & immaculabilis radix communio-
nis. Sanctus Ambroſius in libris de fide laudat
Italiam, *quod ſemper Confeſſores mittere ſoleat*, in L. 2. c. 4.
fide *aliquando tentata, mutata nunquam*: Utique
ob ſedem Romanam, cui ſemper firma adhæſit.
Et Sanctus Hieronymus ſcribit adversùs Ruffi-
num. *Scito Romanam fidem, Apoſtolica voce lauda-* L. 3. c. 4.
tam, iſtiuſmodi præſtigias non recipere; etiamſi An-
gelus aliter annunciet, quàm ſemel prædicatum eſt,
Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari. Et Ge-
laſius Pontifex ad Anaſtaſium Auguſtum. *Hoc* Epiſt. 8.
eſt, quod Sedes Apoſtolica magnoperè cavet, ut quia
mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima
pravitatis, nulla prorsùs contagione maculetur.
Nam ſi, quod Deus avertat, quod fieri non poſſe
confidimus, tale aliquid proveniret, undè unquam
reſiſtere auderemus errori? Et Julianum Pelagiani
erroris ducem, appellantem aſſiduè generale
Concilium, ad Sedis Apoſtolicæ auctorita-
tem, ut irrefragabilem ac indeclinabilem re-
gulam, revocat aſſiduè Sanctus Auguſtinus.
Quod ipſum in libro adversùs Collatorem, & in C. 1. 10.
Carmine de ingratis repetit Sanctus Proſper. 41. 44.
Hormiſda Pontifex Græcorum Epiſcopos, ex
Acaciano ſchiſmate ad pœnitentiam ac unitatem
redeuntes, coegit ad hanc profeſſionem: *Quia*
non poteſt Domini noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſen-
tentia dicentis: TU ES PETRUS, ET SU-
PER HANC PETRAM ÆDIFICABO
ECCLESIAM MEAM, *hæc, quæ dicta ſunt,*
rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica
immaculata ſemper eſt ſervata religio. Eamque pro-
feſſionem illi omnes promptè fecerunt. Et Pe-
lagius ſecundus Pontifex, in litteris ad Eliam
Archi-Epiſcopum Aquilejenſem, hanc Domini
orationem, *Rogavi ut non deficiat fides tua*, fu- Epiſt. 5.
ſam aſſerit pro ſolo Petro Apoſtolo, ideòque
Romanæ Eccleſiæ fidem *in æternum quaſſari non*
poſſe, aut mutari. Et Theodoretus Cyri apud
Eufraten Epiſcopus ſcribit ad Renatum Romanæ
Eccleſiæ Presbyterum. *Habet ſanctiſſima illa Se-* Epiſt. 116
des Eccleſiarum, quæ in toto ſunt orbe, principatum
multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab
hæretica tabe immunis manſit, nec ullus contraria
ſentiens in illa ſedit, ſed Apoſtolicam gratiam inte-
gram conſervavit. Legenda eſt ejuſdem doctiſſi-
ma Epiſtola atque profeſſio ad Sanctum Leonem
Pontificem. Et Sanctus Sophronius Patriarcha Epiſt. 113
Hieroſolymitanus Stephanum Dorenſem Epi-
ſcopum in ſancto Calvariæ loco adjuravit ad iter
Romanum adversùs Monothelitas, quod iſtic ab
antiquo ſint dogmatum rectorum fundamenta.
Et ipſe Hæreſiarcha Sergius ad Theodorum Pon-
tificem ſcripſit, quod Chriſtus Dominus noſter
Romanam Eccleſiam conſtituerit fixum & immo-
bile fundamentum, fidei formam lucidiſſimam,
ſuſtentaculum columnarum Eccleſiæ: Ejuſque
Epiſcopum eſſe profanarum hæreſeon diſſipato-
rem, principem atque Doctorem orthodoxæ ac
imma-

immaculatæ fidei. Exſtat Epiſtola in ſecundo Secretario Synodi Lateranenſis ſub Martino primo: Legenda eſt ibidem ſynodalis Epiſtola Epiſcoporum Numidiæ, Byzacii, ac Mauritaniæ ad eumdem Theodorum. Et in litteris ad Leonem ſecundum Pontificem, noſtræ Synodi confirmatoriis, ſcribit Conſtantinus Auguſtus Apoſtolicam Sedem eſſe *eam Petram, ſuper quam Dominus fundavit Eccleſiam, & prædixit nunquam fore, ut portæ inferi, hoc eſt, hæreticæ inſidiæ adversùs eam prævalerent*. Et Joſephus Methonenſis Epiſcopus in Florentini Concilii adversùs Marcum Epheſiorum Primatem Apologia: *In Romana Eccleſia nec infidelitas, nec turpe dogma unquam manſit*. Et Sanctus Bernardus in litteris ad
Ep. 190. Innocentium ſecundum Pontificem. *Dignum arbitror ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippè hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt*: EGO PRO TE ROGAVI PETRE, UT NON DEFICIAT FIDES TUA? *Ergò quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur*; ET TU ALIQUANDO CONVERSUS CONFIRMA FRATRES TUOS. Quocircà omninò rectè in Dictatu ſuo definivit Gregorius Papa ſeptimus: *Quod Romana Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura teſtante, errabit*.

Et hìnc dogmatica Apoſtolicæ Sedis ad Synodum generalem Epiſtola virtutem ſemper habuit, atque habebit, non tantùm primi ſuffragii, ſed plenæ atque irretractabilis definitionis. Quid enim aliud egit Epheſina Synodus, quàm firmare Celeſtini Pontificis in Neſtorium decreta; quid magna Chalcedonenſis, niſi acclamare Epiſtolæ Sancti Leonis, eam laudare ut firmamentum totius orthodoxiæ, ac Epiſcopis ad ejus receptionem hæſitantibus minari Romanam evocationem? Nec aliter actum in Nicæna Synodo, aut prima Conſtantinopolitana. Et hìnc de ſua dogmatica Epiſtola ad Principes & Synodum præſentem ſcripſit Sanctus Agatho. *Perſonas de noſtræ Humilitatis ordine prævidimus dirigere ad veſtræ à Deo protegendæ Fortitudinis veſtigia, quæ omnium noſtrum, id eſt, univerſorum per ſeptemtrionales vel occiduas regiones Epiſcoporum ſuggeſtionem, in qua & Apoſtolicæ noſtræ fidei confeſſionem prælibavimus, offerre debeant, non tamen tamquam de incertis contendere, ſed ut certa atque immobilia compendioſa definitione proferre*. Et ipſa Synodus in ſermone acclamatorio ad Principem profitetur aliud ſe non feciſſe, quam *Agathonis ſanctiſſimi Patris ſui & ſummi Papæ dogmaticis litteris conſentire*: *Per Agathonem enim Petrus loquebatur*. Et in Relatione ad eundem Pontificem. *Tibi, uti primæ ſedis Antiſtiti univerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit relinquimus, ſtanti ſupra firmam fidei Petram, libenter perlectis veræ confeſſionis litteris à veſtra paterna Beatitudine miſſis, quas ut à ſummo Apoſtolorum vertice divinè perſcriptas agnoſcimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus*. Et Conſtantinus Auguſtus in litteris ad Leonem ſecundum Pontificem. *Nihilum immutata veræ confeſſionis ratio* in laudatis dogmaticis litteris *perſpecta eſt, ac veluti ipſum Principem Apoſtolici chori, primæque cathedræ Antiſtitem Petrum contuiti ſumus mentium noſtrarum oculis, totius diſpenſationis Myſterium Divinitùs eloquentem, verbaque hæc per eas litteras facientem*: TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI. *Nam ipſum totum Chriſtum nobis ſacræ ejus litteræ differendo exprimebant, quas omnes lubentibus animis ſyncerèque accepimus, & veluti Petrum ipſum ulnis animi ſuſcepimus*. Eas litteras eſſe dicit doctrinam Dei, & legem quæ exivit de Sion, id eſt, *Apoſtolico montis culmine*: Et Macarium Antiochiæ Patriarcham, qui ſolus ipſis adſentiri noluit, in ipſum coryphæum ac Principem Petrum inſaniiſſe, ideòque jure à Synodo damnatum. Et Sanctus Tharaſius Patriar- Act. 8.
cha Conſtantinopolitanus dogmaticas Adriani primi Pontificis ad ſeptimam Synodum litteras ait fuiſſe oculum directorem totius ſynodalis corporis ad ſemitam rectitudinis ac veritatis. Quam ſupremam auctoritatem Apoſtolicis litteris fuiſſe in omni ſemper generali Synodo oſtendit Nico- Epiſt. 9.
laus primus Pontifex in Epiſtola ad Michaelem Auguſtum. Et prima Dioſcori Patriarchæ Alexandrini ac totius Epheſini latrocinii ruina fuit occultatio & prævaricatio dogmaticarum litterarum Sancti Papæ Leonis.

Latiùs hæc dixi adversùm neſcio quos noſtrorum temporum turbines, qui cum Schiſmaticis atque Euſebianis Græcis, cum Pſeudo-Synodo Baſileenſi, ac Sanctione pragmatica conantur Romani Epiſcopi in definiendis fidei controverſiis infallibile judicium circumſcribere, & mutilare glorioſo illo privilegio, de quo dixit Dominus ad Petrum: *Confirma fratres tuos*, utique cunctos univerſæ ſub cœlo Eccleſiæ Epiſcopos, etiam in generali Synodo adunatos. Adversùm ſimiles Lotharii Francorum Regis, & quorumdam ejus effræni impudicitiæ patrocinantium Epiſcoporum inſolentias edixit in Romana Synodo Nicolaus primus: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promulgata, contempſerit, anathema ſit*. De quo Edicto ad Hugonem Eccleſiæ Lugdunenſis Primatem ſcribit Sanctus Ivo Epiſcopus Carnotenſis: *Hæc mandata ſic volumus* Epiſt. 60.
obſervare, ut parati ſimus, Deo cooperante, quælibet adverſa, pro eorum defenſione tolerare. Quia nempe novimus Pontificem in illis labi non poſſe aut falli.

Pergit Liber Pontificalis in vita Sancti Agathonis de ſuprà laudatis Sedis Apoſtolicæ ac totius Latinæ Synodi Legatis. *Miſſi Sedis Apoſtolicæ, qui directi fuerant, in Regiam urbem ingredientes die decima menſis Novembris, nona indictione, Domino ſalante atque Principe Apoſtolorum comitante, ſuſcepti ſunt à Principe in oraculo Beati Petri Apoſtoli intra palatium, porrigentes et ſcripta Pontificis*. Fuit is annus Domini ſexcenteſimus octuageſimus, Agathonis Papæ tertius, Conſtantini Auguſti decimus tertius. Per dies aliquot Legati quieverunt, Pontificis ſcripta & mandata ſibi impoſita retractantes, ac tandem

die vigeſima ſecunda menſis Novembris in Baſilica, quæ Trullus appellatur, intra Palatium ſub Regali cultu reſidente cum Conſtantino Auguſto Georgio Patriarcha Conſtantinopolitano, ac Macario Antiocheno, ſuſcepti ſunt Miſſi Sedis Apoſtolicæ, deindè Metropolitæ vel Epiſcopi Orientalium partium numero centum quinquaginta. Qui proni adorantes, reſidere eos præcepit cum noſtris. Licèt non numeroſiſſima, fuit tamen celeberrima Synodus: Adfuerunt enim etiam Petrus Presbyter & Monachus, Vicarius ac Legatus Sedis Alexandrinæ, nec non Georgius Presbyter ac Monachus, Apocriſarius ac Legatus Theodori, non Patriarchæ, ut quidam errant, ſed Vicarii Sedis Hieroſolymitanæ. Rationem dat apud Chriſtophorum Juſtellum ſynodicus incogniti Auctoris liber: C 134. *Propterea quod Patriarchis viduatæ eſſent ob Agarenorum potentiam & Alexandria & Hieroſolyma.* Theodorum illum crediderim fuiſſe Epiſcopum Dorenſem. Nam ejus Prædeceſſor Stephanus in Romana Martini primi Synodo ſeipſum vocat & ſcribit *Primum ſanctæ Synodi ſub Hieroſolymitana Patriarchica Sede conſiſtentis.* Hinc ejuſdem Sedis vacantis Epiſcopus Dorenſis erat Viſitator ac Vicarius, uti in Synodo octava Archi-Epiſcopus Tyriorum dicitur fuiſſe rector vacantis Sedis Antiochenæ.

At de Epiſcoporum numero vix quiſquam convenit cum Anaſtaſio Bibliothecario, niſi Paulus Diaconus in Hiſtoria Longobardorum. Etenim apud laudatum Juſtellum Auctor incognitus in libro de ſex generalibus Synodis, & Nilus Rhodiorum Metropolita in libro ejuſdem tituli fuiſſe ajunt Epiſcopos centum & ſeptuaginta: Theodorus Balſamon centum ſeptuaginta & unum. Georgius Cedrenus & Theophanes ponunt Epiſcopos ducentos octuaginta novem: Poſtrema ſynodalis Actio habet ſubſcriptos centum ſexaginta ſex. Nempè variis actionibus adfuiſſe poſſit numerus varius: quomodò factum eſt & in Synodo Tridentina. Cedrenus & Theophanes forsàn computant & illos Epiſcopos, qui poſtmodùm in ſuis Sedibus reſidentes Synodo ſubſcripſere. Etenim hac via etiam Sanctus Athanaſius multiplicavit Epiſcopos Synodi Sardicenſis. Photius in litteris ad Michaelem Bulgariæ Principem primo loco præſediſſe dicit Georgium Patriarcham Conſtantinopolitanum: Aſt Acta ſynodalia aliud palàm clamant. Porrò Baſilica, quæ dicitur in Trullo, erat Baſilica Palatina.

CAPUT VII.

Exponuntur Acta Synodi præſentis.

ACTIO PRIMA.

PRimam Actionem factam fuiſſe die vigeſima ſecunda Novembris jam ſuprà audivimus ab Anaſtaſio Bibliothecario: at verò Acta ſynodalia factam volunt die ſeptima. Quocircà alter textus aut errat, aut eſt vitiatus. Et hinc Romanos Legatos, quos Anaſtaſius Regiam urbem ingreſſos vult die decima Novembris, quidam ingreſſos volunt ante decimam Septembris. Nam ſacra Principis ad Georgium Patriarcham Conſtantinopolitanum Divalis Epiſtola, quæ eoſdem Legatos affirmat jam adveniſſe, data fuit quartò idus, id eſt, decima die Septembris. Quidquid ſit, Princeps ſedit in medio Baſilicæ ante Altaris cancellos, Legati Apoſtolici cum Latinis atque Illyricianis Epiſcopis, ad Patriarchicam Apoſtolicæ Sedis diœceſim ſpectantibus, & Georgio Legato Sedis Hieroſolymitanæ, à ſiniſtro, Georgius Conſtantinopolitanus & Macarius Patriarcha Antiochenus, nec non Petrus Sedis Alexandrinæ Vicarius cum ſuis Epiſcopis ſederunt à latere dextero: Sancta autem Chriſti Domini Evangelia habuere locum verè medium ac ſupremum, quomodò ſemper conſueſſe fieri in Synodis generalibus eſt ſuprà oſtenſum.

Primam in Synodo vocem emiſerunt Legati Romani, Theodorum Pharanitanum, Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Paulum, ac Petrum Patriarchas accuſantes de novitate vocum, adſertaque unica in Domino operatione, atque eorum ſequaces cogi rogarunt à Principe ad dandas tanti erroris rationes. Urſit Princeps Georgium & Macarium Patriarchas, qui provocarunt ad Erronum jam memoratorum, Honorii Pontificis, Sanctorum Patrum, & quinque generalium Synodorum auctoritatem, ideòque ſeſe ab omni novitate voluere remotiſſimos. Erronum iſtorum auctoritas erat nulla, ideòque Georgius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Chartophylax, juſſus à Principe, è Patriarchali Bibliotheca protulit quinque Synodos, & Stephanus Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter, Monachus, Macariique Patriarchæ diſcipulus ac Syncellus, ex Epheſina Synodo legit Sancti Cyrilli ſermonem acclamatorium ad Theodoſium Auguſtum, ubi dicitur de Chriſto Domino: *Eſt enim ejus omnipotens voluntas.* Ad quæ verba exclamavit Macarius? *Ecce, oſtendi unam voluntatem in Chriſto.* At interceſſerunt Legati Romani, aſſerentes non de utriuſque ſimul naturæ, ſed de ſolius Divinitatis voluntate Cyrillum loqui, *nec numeraliter dixiſſe voluntatem unam.* Et quoniam utraque pars ſuos adducebat Synodorum codices, totam Epheſinam Synodum ex amborum codicibus legi Princeps voluit, atque ità prima Actio eſt concluſa. Nec à Monothelitis, nec à Romanis Legatis ulla facta eſt mentio de Synodo Nicæna aut Conſtantinopolitana, quod ab eis habeamus ſolum Symbolum, ex quo nihil de voluntatibus aut operationibus poſſit lucidè definiri,

ACTIO II.

ACtio ſecunda, facta die decimo menſis Novembris, ab Antiocho Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Lectore, & Georgii Patriarchæ Notario, legi audivit primum librum Synodi Chalcedonenſis, id eſt, varias Synodo prævias dog-

dogmaticas Epiſcoporum aut ſacras Principum litteras, & ad verba hæc Epiſtolæ Sancti Leonis
Ep. 10. c. 4 Pontificis ad Sanctum Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt, Verbo operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt.* Ad hæc, inquam, verba exclamarunt Legati Romani: *Bene, manifeſtè duas naturales operationes inconfusè & indivisè in Domino noſtro Jeſu Chriſto præſens ſanctiſſimus prædicat Pater, cum præſentem ſermonem ſancta quarta Synodus* FIRMAMENTUM ORTHODOXÆ FIDEI *inſcripſit, & damnationem univerſæ hæreſis, utpotè profeſſioni Beati Principis Apoſtolorum Petri convenientem.* Et Macarius Antiochenus aliud reponere nequit, quàm hanc tergiverſationem; *Ego duas operationes non dico, ſed nec ſentio, quod beatæ memoriæ Leo per hunc ſermonem duas operationes dixerit.* Neque unam neque geminam in Domino operationem voluit dicere, ſed ſimpliciter *Dei-virilem* operationem cum Sancto Dionyſio. Et à Principe rogatus, *Quomodò intelligis* DEI-VIRILEM *operationem*, reſpondit, *Ego non ſuperjudico*. Noluit diſputare de Domini ſui operationibus. Quare lectus eſt & ſecundus liber Synodi Chalcedonenſis, id eſt, ipſa Acta ſynodalia, atque ità Actio dimiſſa.

ACTIO III.

Actioni tertiæ, factæ die decimo tertio Novembris, laudatus Antiochus Lector ac Notarius legit Acta quintæ Synodi, quorum erat hoc exordium: *Sermo ſanctæ memoriæ Mennæ Archi-Epiſcopi Conſtantinopoleos ad Vigilium beatiſſimum Papam Romanum de eo, quod una ſit Chriſti voluntas.* At verò interceſſerunt apud Principem Legati Romani. *Piiſſime Domine, falſatus eſt præſens liber quintæ Synodi. Nequaquam relegatur ſermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, quia fictus eſt. Jube diligenter advertere præſentem librum: Satisfieri enim habet piiſſimum veſtrum Imperium, quia non eſt tunc temporis poſitus in exordio, cùm fierent Acta in ſancta quinta Synodo. Iſte, qui dicitur ſermo Mennæ ad Vigilium, nuper appoſitus eſt in principio præſentis libri, eò quod vigeſimo primo anno Juſtiniani Divinæ memoriæ obiit Mennas, quinta autem Synodus vigeſimo ſeptimo anno imperii ejus congregata eſt, Epiſcopatum tenente Regiæ hujus urbis Eutychio venerabilis memoriæ.* Et diligens inſpectio plenè detexit dolum. Etenim *invenit tres quaterniones à principio libri additos, non habentes ſubnotationem numeri, qui ſecundùm conſuetudinem affigitur in quaternionibus, ſed in quarto quaternione habere primum numerum, & in ſequenti quaternione ſecundum, & tertium, & quartum ſubſequenter: Alias verò & diſſimiles eſſe litteras eorumdem in exordiis ſubmiſſorum quaternionum, in quibus continebatur ſermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, à litteris quæ priùs ſcriptæ ſunt in eodem codice.* Quare Princeps fuit interlocutus: *Hujuſmodi non relegatur ſermo, proœmium autem geſtorum ejuſdem ſanctæ quintæ Synodi ordinabiliter relegatur. Et relectus eſt primus liber.*

Exindè Petrus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus ac Georgii Patriarchæ Notarius legit librum ſecundum. Erant igitur quintæ Synodi Acta tunc diviſa in plures libros, atque ità Acta hodierna ſunt omninò decurtata ac mutilata. Et hic liber repertus eſt ſubjacuiſſe eiſdem injuriis Monothelitarum. Etenim *dùm relegeretur ſeptima Actio, reperti ſunt in ea duo libri, quaſi ex nomine Vigilii ſanctæ memoriæ, qui fuit Papa Romanus, unus quidem ad Juſtinianum piæ recordationis quondam Imperatorem, alter verò ad Theodoram piæ memoriæ quondam Auguſtam, in quibus continebatur ità:* ANATHEMATIZAMUS ET THEODORUM, QUI FUIT EPISCOPUS MOPSUESTIÆ, ET NON CONFITETUR INCARNATUM ESSE DEUM VERBUM, ID EST, CHRISTUM DOMIMUM ESSE UNAM SUBSTANTIAM, ET UNAM PERSONAM, ET UNAM OPERATIONEM. At rursùm exclamarunt Legati Romani. *Non faciat Deus, non dixit Vigilius* UNAM OPERATIONEM, *non ſunt libelli Vigilii, falſatus eſt liber, ſicut & exordia primi libri.* Oſtenderunt in quintæ Synodi Actis authenticis, octodecim præſertim dogmaticis Capitulis, nullam penitùs de una operatione fieri mentionem, atque ità Monothelitarum dolus fuit & Synodo & Principi perſuaſus. *Nam ſi unam operationem docuit Vigilius, & ſuſceptus eſt à Synodo, utique & in definitione ejuſdem Synodi de una operatione vox habuit comprehendi.* Et quia hæ artes peſſimæ græcis fuere ſemper familiares, in auctores criminaliter inquiri expoſtularunt Legati, repoſuit verò Princeps: *Quod poſtulatum eſt, in ſubſequenti proveniat, præſens verò liber uſque in finem relegatur. Et relectus eſt.*

Sanctam poſteà Synodum & glorioſiſſimos Judices rogavit Princeps, An quinque generales Synodi jam relectæ dogmatizarent unam in Domino voluntatem ac operationem, quomodò jactitarat Macarius Antiochenus? Et unanimiter judicatum atque reſponſum eſt ejuſmodi nihil iſtis contineri. Hinc perrexit Auguſtus. *Macarius, & qui cum eo ſunt, proſequantur, ſi ſecundùm quę ab ipſis promiſſa ſunt, paratum habent proferre teſtimonia ſanctorum probabilium Patrum, quæ debeant approbare, ſicut polliciti ſunt, unam voluntatem & unam operationem in diſpenſatione incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & hęc proferant.* Etenim non tantùm ad laudatas Synodos, ſed & ad Sanctos Eccleſiæ Patres provocarat Macarius, & contumax ac erubeſcere neſcius hæreticæ in ipſo perduellionis ſpiritus nulla habens Patrum teſtimonia poſtulavit inducias, atque, ne potentiâ ſe queti poſſet oppreſſum, impetravit.

Addit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Sancti Papæ Agathonis. *Et confuſus Macarius coram Synodo inventus eſt mendax. Tunc interdixit Pietas Auguſtalis Georgio Patriarchę, ut minimè in Eccleſia ſua ſuſciperet Macarium, vel ejus homines, interdicens et proceſſum:* Utique ad celebranda Divi-

na. *Hæc prima ejus ruina fuit*. Tractavit Macarium ac ejus Aſſeclas, quomodò Joannis Patriarchæ Antiocheni pro Neſtorio Factionem Epheſi & Chalcedone ſuprà oſtendimus tractatam fuiſſe à Theodoſio Auguſto & Synodo Epheſina. Et hìnc Georgius Regiæ urbis Patriarcha ad ſeipſum rediit, & cum ſuæ Synodi ſeu Diœceſeos Epiſcopis dixit ad Principem. *Piiſſime Domine, petimus veſtram Tranquillitatem, ſuggeſtiones directas ad à Deo inſtructam veſtram Fortitudinem; tam ab Agathone ſanctiſſimo Papa Apoſtolicę Sedis antiquę Romę, quam ab ejus Synodo relegi, ut auditum capiamus, quatenùs cognitionem & nos accipiamus totius virtutis, quę in eis continetur*. Reſponditque Princeps: *Quod à vobis poſtulatum eſt, in ſubſequenti proveniat*.

ACTIO IV.

ACtioni quartæ, quam Acta ſynodalia factam dicunt die Novembris quinto decimo, lectæ ſunt duæ dogmaticæ Epiſtolæ: Altera Agathonis Pontificis, altera Patriarchalis ejus Synodi ad Conſtantinum, Heraclium, & Tiberium Auguſtos, in quibus ſolidè oſtenditur geminæ in Domino voluntatis atque operationis dogma eſſe lucidè Evangelicum ac Apoſtolicum, à quinque generalibus Synodis & cunctis Latinæ ac Græcæ Eccleſiæ Patribus unanimiter & conſtanter confirmatum, unica autem voluntas ac operatio eſſe commentum novitium ſolorum Dominicam ſacroſanctæ incarnationis diſpenſationem mutilantium aut confundentium hæreticorum. Omninò legenda eſt utraque longè doctiſſima atque ſanctiſſima Epiſtola, quarum poſterior hanc habet Epigraphen: *Fuit velut inſtructio Legatorum, qui miſſi ſunt ad ſextam Synodum celebrandam*. Confirmat enim cuncta Romanæ ſub Sancto Martino Papa Synodi Acta, Theodorum Pharanitanum, Sergium, Cyrum, Pyrrhum & Paulum denuò damnat, additque & Petrum Patriarcham, alium neminem volens à Synodo præſenti damnari. Prolixa eſt utraque Epiſtola, ideóque earum lectio Actionem complevit.

ACTIO V.

IN quinta Actione, facta die ſeptimo Decembris, Paulus magnificus à Secretis & Imperatoris Secretarius proclamavit inducias Macario Antiocheno à tertia Actione indultas jam exſpiraſſe, ideóque urgendum ipſum ad producenda ſanctorum Patrum teſtimonia, quibus unica in Domino voluntas ac operatio demonſtretur. Et à Principe juſſus Macarius protulit duos codices, quorum hæc Epigraphe: *Teſtimonia ſanctorum Patrum, unam Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem docentia, quæ eſt etiam Patris & Spiritus Sancti*. Poſt quorum lectionem Princeps eſt interlocutus: *Notitiam habemus modò prolatorum teſtimoniorum à Macario Deo amabili Archi-Epiſcopo Antiochiæ, & qui cum eo ſunt; ſed ſi quidem alia teſtimonia velint proferre ad comprobationem promiſſæ ab eis unius voluntatis & unius operationis in diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, in ſubſequenti hæc proferantur*. Adeò eos Princeps & Synodus noluerunt præcipitari.

ACTIO VI.

EXindè per duos menſes uſque ad duodecimum Februarii diem quievit Synodus, factaque tunc eſt ſexta Actio, in qua à magnifico viro Paulo Secretario monitus, & à Conſtantino Auguſto juſſus Macarius Antiochenus proferre, quæ vellet, reliqua ſanctorum Patrum pro unica Domini voluntate atque operatione teſtimonia, protulit tertium codicillum cum hac Epigraphe: *Sequentia teſtimoniorum de voluntate*. Ejus aſſeclæ erant Petrus Metropolita Nicomedienſis, Salomon Clanei Epiſcopus, ac Stephanus Presbyter & Monachus, ejus diſcipulus ac ſyncellus, qui rogati, num & plura vellent prolata, reſponderunt: *Sufficientes ſumus in his, quæ jam à nobis prolata ſunt, teſtimoniis ſanctorum & probabilium Patrum, & aliud quid proferre nolumus*. Ad quæ Princeps eſt ità interlocutus: *Tres codices, qui prolati ſunt à parte venerabilis Macarii, ſigillentur tam à glorioſiſſimis Judicibus, quam à parte Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ, nec non à parte ſanctæ Sedis hujus ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ. Et ſigillati ſunt*. Ne videlicet ulla fraus fieri poſſet, aut factæ fraudis calumnias Macarius venari.

Interceſſerunt autem Legati Romani, omneſque eorum comites Clerici & Monachi. *Piiſſime Domine, adhuc aliquid de una voluntate & una operatione non oſtenderunt Macarius* & ejus aſſeclæ *in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti per teſtimonia ab eis prolata, Sed & ipſa teſtimonia; quæ protulerunt coram veſtra Pietate & ſancta Synodo, detruncaverunt: Et quæ ad Trinitatis quidem attinent rationem de una voluntate, pro incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti poſita ſunt, tam ſenſum quam verba detruncaverunt. Undè petimus veſtram piiſſimam Fortitudinem, authenticos codices prolatorum ab eis paternorum teſtimoniorum proferri ex venerabili Patriarchio hujus Regiæ civitatis, & conferri cum codicibus ab eis oblatis: Et demonſtramus quæ ab iis in hic facta eſt obcelatio. Præ manibus igitur habentes codicem continentem plurima teſtimonia ſanctorum ac probabilium Patrum, clarè oſtendentia duas naturales voluntates & duas naturales operationes, inconfusè atque indiviſè in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, nec non*

& pro-

& prophanorum hæreticorum teſtimonia inſinuantia unam voluntatem & unam operationem, quę conſonant cum dogmate ſuper una voluntate & una operatione Macarii Archi-Epiſcopi, quæſumus, ut coram veſtra Pietate hæc legantur. Et reſpondit Auguſtus: *In ſubſequenti eorum prolatio fiat.*

ACTIO VII.

ACtio ſeptima convenit die ſequenti, decimo tertio Februarii, ac laudatus magnificus Paulus ſatisfieri poſtulavit Imperatoris promiſſo ac Romanorum Legatorum voluntati de legendis teſtimoniis & ſanctorum Patrum & prophanorum hæreticorum. Legati itaque protulerunt codicem hoc modo inſcriptum: *Teſtimonia ſanctorum ac probabilium Patrum demonſtrantia duas voluntates & duas operationes in Domino Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto. Quem accipiens Stephanus religioſus Presbyter & monachus monaſterii, quod cognominatur domus Arſitia, unus exiſtens partis Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ, relegit ab initio uſque ad finem, tam ſanctorum & probabilium Patrum teſtimonia, quam prophanorum hæreticorum*. Addit Anaſtaſius Bibliothecarius. *Die decimo tertio menſis Februarii, auxiliante Beato Petro Apoſtolo, ut veritatis lumen appareret, intromiſſa ſunt coram Synodo venerabilium Patrum dicta, Joannis Conſtantinopolitani, Cyrilli, Athanaſii, Baſilii, Gregorii, Dionyſii, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, & Leonis, duas naturales voluntates & operationes in Chriſto dicentium ad ſatisfactionem Principis vel Synodi*. Hoc eſt, *Et Synodi*. Voculam enim, *vel*, pro *Et* iſta ætas paſſim uſitabat. Quod notandum.

Exindè à Principe rogati, num & alia producta vellent teſtimonia, reſponderunt Legati. *Licet & plura alia nobis idoneum eſt proferre teſtimonia, ſed ne faſtidium ingeramus à Deo inſtructis auribus veſtris, hæc ſufficiunt nobis ad veritatem demonſtrandam. Petimus autem à Deo firmatam veſtram Fortitudinem, interrogari Georgium ſanctiſſimum Archi-Epiſcopum à Deo conſervandæ veſtræ Regiæ urbis, & ſubjacentem ei Synodum, nec non & Macarium Archi-Epiſcopum Antiochenæ civitatis, & ſubjectos ei Epiſcopos, ſi convenit eis tenor relectarum duarum ſuggeſtionum, id eſt, Agathonis ſanctiſſimi Papæ Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ, & Concilii ei ſubjacentis*. Hoc eſt, An admittant & probent dogmaticas Apoſtolicæ Sedis & Eccleſiæ Latinæ litteras in quarta Actione recitatas. Repoſuerunt verò Georgius & Macarius. *Petimus, ut exemplaria prædictarum ſuggeſtionum percipiamus. Recurrentes namque & conferentes teſtimonia, quæ in eis ſunt, ſanctorum probabilium Patrum cum codicibus hujus venerabilis Patriarchii, in ſubſequenti dabimus competens reſponſum*. Diſquirere voluit Macarius, num fortè & Sanctus Agatho ſanctorum Patrum verba aut ſenſa circumſcripſiſſet aut truncaſſet. Eiſque exemplaria dari Princeps voluit, interlocutus: *Citra dilationem, quod poſtulatum eſt, fiat*. Et adducta per Legatos tam Patrum quàm hæreticorum teſtimonia, ad modum Macarianorum, juſſit ſigillari, atque ità Actio hæc fuit ſoluta.

ACTIO VIII.

MEnſis Martii dies ſeptimus ſuſcepit Actionem octavam, in qua ad ſuggeſtionem magnifici viri Pauli Secretarii Conſtantinus Auguſtus Georgium & Macarium Patriarchas, eiſque ſubjectos Epiſcopos rogavit, an dogmaticas, quarum jam pridem acceperant exemplaria, Sanctiſſimi Agathonis & Latinæ Eccleſiæ litteras probarent parati ſolenniter profiteri, an verò refutarent ex rationibus, & ex quibus? Reſpondit verò illuminatus à Deo Georgius. *Inſpiciens, pie Domine, omnem virtutem ſuggeſtionum directarum ad piiſſimam veſtram fortitudinem, tam ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romæ, quam ab ejus Synodo, & ſcrutans libros ſanctorum ac probabilium Patrum, qui repoſiti ſunt in venerabili meo Patriarchio, inveni cuncta teſtimonia ſanctorum ac probabilium Patrum, quæ in eiſdem ſuggeſtionibus continentur, conſonantia & in nullo diſcrepantia à ſanctis ac probabilibus Patribus: Et conſentio eis, & ſic profiteor, & credo*. Anaſtaſius Bibliothecarius ità hæc exponit. *Georgius Patriarcha profeſſus eſt eo die in ſcriptis duas naturas, duaſque voluntates & operationes in Domino Jeſu Chriſto ſe credere & prædicare, ſicut Sedes Apoſtolica credit, anathematizans eos, qui unam naturam, voluntatem & operationem in Domino Jeſu Chriſto dicunt*. At factum id dicit die ſeptimo decimo Februarii, additque varia intra eundem menſem geſta partim eadem partim alia ab Actis ſynodalibus, quæ proindè D. Cardinalis Baronius exiſtimat mutila, atque ex Anaſtaſio ſupplenda. Aſt dicere ego malim vitiatos in ipſo numeros, ac intruſam vocem, *Februarii*, pro voce, *Martii*. Nam & Macarii dejectionem Februario includit, quam certum eſt factam in Martio. Et cur ipſe memoriæ lapſus non poſſit pro Martio Februarium ſcripſiſſe?

Et hac ſolenni profeſſione non contentus Georgius Vitaliani Pontificis nomen, ab Anteceſſore ſuo Theodoro & Macario Antiocheno *propter tarditatem miſſorum Apocriſariorum ab ſanctiſſimo Papa antiquæ Romæ* tandem ejectum, poſtulavit reſcribi in ſacras Eccleſiæ tabulas, ſpondens eos, qui ſeſe ob perſonam illam à communione ſuſpenderant, Eccleſiæ omninò communicaturos. Reſponditque Princeps: *Quod poſtulatum eſt à Sanctiſſimo Georgio Patriarcha, fiat*. Ità Eccleſia Conſtantinopolitana eſt Apoſtolicæ Sedi & orthodoxæ fidei plenè reconciliata, ideòque Synodus Conſtantino Auguſto, Papæ Agathoni, ac Georgio Patriachæ fauſtiſſima & glorioſiſſima acclamavit.

Georgium ſecuti ſunt omnes primores Thraciæ,

cæ, Aſianæ, ac Ponticæ Diœceſeos Epiſcopi, adduntque Acta ſynodalia: *Et ſurgentes cæteri omnes Deo amabiles Epiſcopi, qui ſub ſede Conſtantinopolitana fuerant, exclamaverunt:* Laudatas dogmaticas litteras, ac duas in Domino voluntates & operationes profitentes, eoſque, qui unam dicunt, anathematizantes. Verùm Theodorus Melitinæ Epiſcopus, in Pontica Diœceſi ſecundæ Armeniæ Metropolita, profiteri noluit, progreſſus in Synodi medium ac dicens: *Ego homo ruſticus ſum, & peto iſtam chartam relegi*. Lecta fuit per Joannem magnificum à Secretis ac Imperialem Secretarium: Et uti multo verborum circuitu flagitabat reſtitui Typum Conſtantis Augusti. Flagitabat enim quinque generalium Synodorum, de una aut gemina Domini operatione nihil decidentium, definitionibus nec addi, nec demi, neminem vivum aut mortuum ob hujus aut iſtius dogmatis adſertionem vexari aut damnari, damnari ſolos à quinque laudatis Synodis nominatim ejectos, ac deinceps ad ſalutem & Eccleſiarum pacem ſufficere, ut quis profiteatur unum Dominum Jeſum Chriſtum, Divina atque humana indiviſè & inconfuſè operatum. Ex adſtipulari ſibi adſeruit Petrum Nicomedienſem, Salomonem Clanci, Antonium Epiſcopum Hypeporum, & quoſdam Clericos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, chartam verò eſſe compoſitam à Stephano Presbytero Syncello Macarii Antiocheni. At verò iſti, dempto Stephano, ſurgentes ſunt ad Synodum proteſtati de calumnia: *Mentitus eſt adverſùm nos Theodorus, neque enim cognoſcentibus nobis facta eſt chartula, ſed & parati ſumus fidem noſtram orthodoxam profiteri*. Repoſuerunt verò Princeps ac Synodus: *Quoniam ſuſpicio nobis data eſt circa vos occaſione chartulæ, non aliter nobis ſatisfacietis, niſi utique in ſcripto libellos fidei veſtræ in ſubſequenti adduxeritis, ut debeatis coram ſanctis & immaculatis Dei eloquiis eos offerre*. Ex antiquiſſimo enim Eccleſiarum more ſolent hæretici aut hæreſeos ſuſpecti in ſcriptis coram Sancta Cruce & Sacro Evangeliorum Codice profiteri & abjurare, Et uſque ad ejuſmodi profeſſionem fuerunt iſti à ſynodali conſeſſu atque ſuffragio ſuſpenſi.

Exindè Macarius Antiochenus duas in Domino naturales voluntates ac operationes, atque dogmaticas Romanæ Eccleſiæ litteras profiteri rogatus & monitus perſuaderi nequiit, pertinaciter dogmatizans *unam voluntatem ac* DEI-VIRILEM *operationem*, ideòque tamquam hæreticus de throno Patriarchali ſurgere juſſus eſt, & ſtans in medio reſpondere ut reus. Audi cauſam. *Quoniam Macarius non conſentit virtuti directarum orthodoxarum ſuggeſtionum ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romano, quas omnes conſentientes gratè ſuſcepimus*. Adeo verè in Dictatu ſuo edixit Gregorius ſeptimus Pontifex: *Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ*. Et Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus in litteris ad Richerium Archi-Epiſcopum Senonenſem. *Sedis*
Epiſt. 8. *Apoſtolicæ judiciis & conſtitutionibus obviare planè eſt hæreticæ pravitatis notam incurrere, cùm Scriptura dicat*: HÆRETICUM ESSE CONSTAT, QUI ROMANÆ ECCLESIÆ NON CONCORDAT. Quia nempè Gregorianus ille Dictatus ſumptus eſt ex ſacra Scriptura. Et Macario inuſta nota non fuit infructuoſa aut inefficax. Etenim Macrobius Metropolita Iſaurorum, Eulalius Zenonopolitanus, Conſtantinus Daliſandi, & Theodorus Olbæ Epiſcopus, Sedi & Synodo Antiochenæ ſubjecti, deſerto Patriarcha ſuo, redierunt ad mentem, dogmaticas Romanæ Eccleſiæ litteras ſolenniter profeſſi.

Poſt hæc Conſtantinus Auguſtus proferri juſſit deflorata à Macario, ſuperiùs lecta, ac in tres ſigillatos codices diſtincta ſanctorum Patrum teſtimonia, nec non fidei ejus profeſſionem, quæ omnia oblata ille recognovit ut ſua & addidit: *Non dico duas naturales voluntates, aut duas naturales operationes in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec ſi membratim incidar, & mittar in mare*. Eademque fuit pertinacia Stephani Presbyteri ejus ac Syncelli. Et quidem fidei profeſſio per Fotinum à Secretis ac imperialem Secretarium prolata, ac per Diogenem ejus Collegam lecta, reperta eſt longè perverſiſſima; Patrum autem teſtimonia truncata, alterata, interpolata, falſata, dixitque offenſa ſancta Synodus: *Non congruit orthodoxis ità circumtruncatas ſanctorum Patrum voces deflorare; hæreticorum potius proprium hoc eſt*. Audi verò effrontem Macarium: *Quærens ſtabilire intentionem meam, hoc modo defloravi*. Ad quæ verba exclamavit Sancta Synodus: *Hæreticum ſeipſum manifeſtè demonſtraſtravit, Novo Dioſcoro anathema, Hujuſmodi deponatur, Novum Dioſcorum foràs mitte, Novo Apollinario malos annos, Meritò ab Epiſcopatu alienetur, Nudetur circumpoſito ei pallio*. Fuitque denudatus. Lucidius exponit Anaſtaſius Bibliothecharius. *Commonitus Macarius, quid ſentiret vel crederet, reſpondit ſe in ea perfidia, quam antè propoſuerat, perdurare, & nullatenùs orthodoxæ fidei acquieſcere. Ea hora ſancta Synodus unà cum Principe ejus Orarium auferri juſſerunt à collo ejus, & exiliens Baſilius Epiſcopus Cretenſis Eccleſiæ ejus Orarium abſtulit, & anathematizantes projecerunt eum foris Synodum, ſimulque & thronum ejus*. Ità Baſſianus Epheſinorum Primas apud Synodum Chalcedonenſem queſtus eſt de ſuis violentis expulſoribus; *Cum vi abripuerunt pallium Sacerdotii* Act. 11.
mei. Et de Paulo Patriarcha Alexandrino per Juſtinianum Auguſtum deponi juſſo ſcribit Liberatus Carthaginenſis: *Auferentes Paulo pallium depoſuerunt eum*. Et de Sancto Martino Pontifi- C. 13.
ce per Conſtantem Auguſtum tyrannicè damnato Auctor incognitus in Actis ejus fideliſſimis: *Su-* Epiſt. 16.
ſcipientes eum carnifices exuerunt eum pallio Sacerdotalis ſtolæ. Et de Sancto Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano per Photii factionem detruſo Nicetas Paphlago: *Procopius Hypodiaconus ablato à Patriarcha pallio, veſteque reliqua ſacra, illud ſolenne proclamabat*; INDIGNUS. Pallii ablatio erat ritus Patriarchalis degradationis.

Nudato ac dejecto Macario oppoſitus eſt diſputator doctiſſimus, Theophanius Presbyter & Abbas monaſterii ad Bajas in Sicilia, lucidè oſtendens duas in Domino operationes ac voluntates, quarum humana ſit naturalis & integra,

qua-

qualem Adamo Deus bonus indidit, non pœnalis & immunda vitio rebellionis, quod Adam prævaricator ſibi ipſi intulit, & circumſcriptor diabolus infixit: Hoc eſt non rebellis libido, ſed liber ac dominæ menti plenè ſubjectus tam inferior quàm ſuperior affectus.

ACTIO IX.

A Nona Actione, facta octavo die Martii, Petrus Nicomedienſis, Salomon Clanei, Antonius Hypeporum, & Theodorus Melitinenſis Epiſcopus, Clerici item varii Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, nec non Georgius ac Stephanus monachi ac Macarii Patriarchæ Preſbyteri ac Syncelli, petierunt atque impetrarunt audientiam. Stephanus, licèt à Baſilio Gortynæ Epiſcopo, Cretenſium Metropolita, ob ablatum Macario pallium jam laudato, graviter monitus, manſit pertinax, adeò ut ejus Collega Georgius de illo dixerit ad Synodum: *Extra intentionem ſanctorum Patrum diſputat adverſarius Patrum exiſtens*. Nequ enim ad pœnitendum advenerat, ſed ad dejectum Macarium reparandum, quaſi alter Barſumas auſus in Synodo Chalcedonenſi tentare reparationem Eutychetis. Patrum teſtimonia truncare ac depravare non deſiit, ideòqoe in illum exclamavit Synodus: *Hæreticum foras mitte, Novo Eutycheti malos annos, Novo Apollinari malos annos, Hæreticum foras mitte*. Pergunt Acta ſynodalia: *Et impulſus eſt Stephanus diſcipulus Macarii, & foras miſſus*. Et Anaſtaſius Bibliothecarius: *Stephanum Macarii diſcipulum Clerici Romani ejicientes expulerunt*. Ex quo liquet, quod Anaſtaſius compendio utens geſta in diverſis diebus & Actionibus contrahat in unum.

De cunctis reliquis jam enumeratis edixit Synodus. *Eos, qui jam pœnitentiam egerunt, & ſuperiùs nominatos tam Epiſcopos quàm Clericos, qui & nunc in medio* tamquam pœnitentes & rei *adſiſtunt, & rectè unà nobiſcum confitentur, prævidimus quidem in propriis locis reſidere. Libellos autem, quos promiſerunt, propriæ eorum fidei cum jurejurando in ſequenti offerent*. Et reſponderunt illi: *Parati ſumus in ſubſequenti rectæ noſtræ fidei cum jurejurando libellos offerre*. Ob hæreticam enim chartam, à Theodoro Melitinenſi Archi-Epiſcopo, homine imperito & ruſtico, obtruſam Synodo hæreſis ſuſpicionem incurrerant, fuerantque uſque ad juratam in ſcripto profeſſionem à ſynodali conſeſſu & ſuffragio ſuſpenſi. Porrò charta illa & Theodori audacia fuerunt omninò artes Stephani Antiocheni.

ACTIO X,

A Decima Actione, facta die decimo octavo Martii, Conſtantinus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Georgii Patriarchæ Notariorum Primicerius, poſtulavit duo: Primò, legi, examinari, & cum authenticis codicibus conferri reliqua ſanctorum Patrum teſtimonia, per Macarium Antiochenum ac ejus diſcipulum deflorata; deindè audiri & recipi pœnitentiæ ac fidei libellos à Petro Nicomedienſi, reliquiſqun Epiſcopis & Clericis jam ſuprà reconciliatis.. Verùm & Synodos & Princeps priùs voluerunt *Codicillum, qui oblatus eſt paternorum teſtimoniorum à parte Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ, qui & ſub ſigillis conſiſtit, ad medium deduci ad relegendum, atque conferendum cum libris venerabilis Patriarchii hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis*.

Et prolatus eſt hujuſmodi Codicillus ſigillatus, habens hanc Epigraphen: *teſtimonia ſanctorum ac probabilium Patrum, oſtendentia duas voluntates & duas operationes in Domino, & Deo, & Salvatore Jeſu Chriſto*. Codicillum itaque Salomon Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus ac Georgii Patriarchæ Notarius, ejus autem collega Petrus legit integros Patrum codices, ex quibus deflorata erant teſtimonia, & ad ſingula dicitur: *Quod teſtimonium collatum conſiſtit*. Lecta ſunt teſtimonia Sanctorum Leonis, Ambroſii, Joannis Chryſoſtomi, Athanaſii, Gregorii Nyſſeni, Cyrilli, Epiphanii, Gregorii Nazianzeni, Auguſtini, Juſtini Martyris ac Philoſophi, Efremii Antiocheni Epiſcopi, Anaſtaſii item Antiocheni, Joannis Schytopolitani, nec non Juſtiniani Auguſti, conſtanter duas in Domino voluntates atque operationes aſſerentium. Lecta item ſunt teſtimonia hæreticorum, Themiſtii Diaconi Alexandrini, Anthymi Epiſcopi Trapezuntini, Severi Antiocheni, Theodoſii Alexandrini, Theodori monachi Alexandrini, noti apud Photium in Bibliotheca, & neſcio cujus Pauli, de quo Sanctus Sophronius in litteris ſynodicis ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum: *Paulus, qui fuſcus, non ſolùm appellatione, ſed & ſecundùm veritatem*. Quæ omnia unam aſſeruere voluntatem. Et collata conſtiterunt. Porrò de Sancto Anaſtaſio quæſivit Baſilius Metropolita Gortynenſis: *Suſcipit ſancta & univerſalis veſtra Synodus hunc Sanctum Anaſtaſium, qui fuit Archi-Epiſcopus Antiochiæ, cujus teſtimonium in præſenti relictum eſt, ſatisfacientis pro Tomo Sancti Leonis?* Et reſpondit Synodus. *Suſcipimus Sanctum Anaſtaſium, orthodoxè ſatisfacientem pro Tomo Sancti & memorabilis Papæ Leonis*. Et Theodorus Epiſcopus Melitinenſis: *Sanctum vocat totus Oriens hunc Sanctæ memoriæ Anaſtaſium, qui fuit Archi-Epiſcopus Antiochię, & qui non ſuſcipit, Deus eum anathematizet*. Et omnis Synodus acclamavit: *Amen*. Hìc eſt Sanctus Anaſtaſius cognomento Sinaita, à Juſtiniano ob orthodoxam de corruptibili Domini corpore fidem ejectus ex Epiſcopatu, & à Mauritio Auguſto reſtitutus ad preces Sancti

Gre-

Gregorii Magni, eidem longè cariſſimus, & in variis Epiſtolis admodùm laudatus. Ejus doctiſſima ſcripta Macarius abnuebat, ideòque eadem tanto præconio Synodus honoravit.

Exindè Petrus Nicomedienſis, aliique ſuprà reconciliati Epiſcopi & Clerici *Corporale coram poſitis ſacroſanctis Dei Evangeliis Sacramentum perſolventes obtulerunt uniformes* fidei ſuæ ac pœnitentiæ *libellos*, ità habentes inter cætera: *Undè & duas ejuſdem Domini Jeſu Chriſti naturales voluntates & naturales operationes confiteor ſecundùm vigorem teſtimoniorum ſanctorum & probabilium Patrum, quę poſita ſunt in ſuggeſtione miſſa ad piiſſimum noſtrum Dominum Imperatorem ab Agathone ſanctiſſimo Papa antiquæ Romæ; & ſimpliciter in omnibus conſentio, & permaneo in omnibus Capitulis, quæ continentur tam in prędicta ſuggeſtione ejuſdem ſanctiſſimi viri, quam in altera ſuggeſtione Concilii, quod circa eum eſt.* Unicum enim Synodorum officium eſt probare, profiteri, confirmare dogmaticas Romanæ Eccleſiæ litteras: *Quoniam hęreticam eſſe conſtat, qui Romanę Eccleſię non concordat.*

Poſt hæc Theodorus Presbyter & Monachus, Apocriſarius Theodori Vicarii Eccleſiæ Hieroſolymitanæ vacantis, legi poſtulavit etiam ſynodicas litteras Sancti Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani ad Sergium Conſtantinopolitanum, cognoſci & definiri volens, *utrùm orthodoxę ſint, an non.* Eas quippè Sergius & Cyrus non tantummodò non receperant, ſed & apud Honorium Pontificem ac omnem ubique Eccleſiam peſſimè accuſarant ut Neſtorianas. Reſponderunt autem Princeps & Synodus: *In ſequentibus harum prolatio atque lectio proveniat.*

ACTIO XI.

ACtio undecima, habita die vigeſimo Martii, ab Agathone Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Lectore & Georgii Patriarchæ Notario legi audivit jam laudatas Sancti Sophronii litteras, quarum hoc eſt exordium. *Papę, Papę Beatiſſimi, quam mihi nunc amabilis quies, & multo quam pridem amabilior, ex quo de inc..ioſo ſilentio in cauſarum turbam decidi, & terrenis quibuſdam fluctibus obruor:* Lamentatur ſe de monaſterii portu ac ſilentio detruſum in curæ Epiſcopalis fluctus atque clamores peſſimos, ſuſcitatos ab ipſis, qui ſuo ſanguine compeſcere debuerant, Patriarchis. Doctiſſima atque ſanctiſſima Epiſtola eſt legenda integra, nervoſè demonſtrans geminam ab omnibus ſemper Eccleſiis atque Eccleſiarum Patribus, unicam verò in Domino voluntatem ac operationem à ſolis Dominicæ incarnationis Sacramentum mutilantibus aut confundentibus hæreſibus fuiſſe dogmatizatam. De lecta tamen Epiſtola nihil hæc Actio definivit.

Perrexerunt Legati Apoſtolici. *Quia cognitam eſt nobis, quod quædam propria ſcripta reperta ſunt apud Macarium & Stephanum ejus diſcipulum, conſonantia ſectis prophanorum hæreticorum, quæ ab eis ablata ſunt, & ſunt in Chartophylacio venerabilis Patriarchii hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis, ſi videtur à Deo inſtructo Domino, & ſancto univerſali Concilio, in medium veniant hujuſmodi opuſcula, quatenùs quæ in eis virtus jacet, cognoſcatur,* & ambo iſti Errones pleniſſimè de hæreſi convincantur. Quare Georgius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Bibliothecarius quæſivit, ac in diverſis tandem locis invenit dicta opuſcula, ſcripta manu ipſius Stephani, & primi hæc fuit Epigraphe: *Exemplar libelli, quem porrexit piiſſimo magno Imperatori Conſtantino Macarius Patriarcha Theopoleos ſive Antiochiæ Orientalis Diœceſeos in palatio.* Theopoleos nomen Antiochia à Juſtiniano Auguſto accepit ob miſerandas à terræ motibus ruinas, de quibus Nicephorus Calixtus. *A Juſtiniano debitam conſecuta eſt curam ſeu provi-* L. 17. c. 3.
ſionem Antiochia, & THEOPOLIS, *hoc eſt, Dei-Civitas appellata. Unuſquiſque enim civium* CHRISTI *nomen pro foribus inſcribens eo modo terræ motum diſpulit, cùm Deus religioſo cuidam oraculo hæc verba foribus inſcribere præcepiſſet:* CHRISTUS NOBISCUM; STATE. Quod ipſum teſtatur Georgius Cedrenus. Et hinc *Theopoleos* nomen primùm reperitur in legibus Juſtiniani. Alterius libelli Macariani hæc fuit Epigraphe: *Sermo acclamatus piiſſimo & pacifico magno Imperatori Conſtantino à Macario Epiſcopo Theopolitano.*

Ad cœptam prioris libelli lectionem interlocuti ſunt Princeps ac Synodus: *Virtutem præſentis libelli in antè geſtis agnovimus, & ſuperflua eſt hujuſmodi lectio.* Adversùs ſecundum, audita ejus Epigraphe, interceſſit Theophanius Presbyter & Abbas monaſterii ad Bajas. *Piiſſime Domine, extra ordinem fecit Macarius hunc, qui dicitur atque relegitur quaſi proſphoneticus ſermo. A Sacerdote quippè ſi factus fuerit proſphoneticus ſermo ad Imperatorem, coram Senatu offertur atque relegitur: Priùs autem, quam hoc faceret, & in Sardiniam, & Romam, & in alia loca codices faciens, eumdem Proſphoneticum ſermonem direxit Macarius, quod penitùs ad ritum ſacerdotalem exiſtit incongruum.* Repoſuit verò Princeps: *Nos proſphoneticum ſermonem à Macario accepiſſe neſcimus.* Ex quo cognoſcis & vafras Macarii artes ad propagandam hæreſin, & naturam ſermonis proſphonetici ſeu acclamatorii. Lectus tamen fuit ſermo ille, repertuſque *plenus omni pravitate.* Lecta item ſunt varia ejuſdem Macarii Capitula, excerpta ex libro ejus ad Lucam Presbyterum ac monachum Africanum, *qui ſcripſerat de nova hęreſi Maximianorum*, id eſt, de fide orthodoxa per Sanctum Maximum Abbatem oſtenſa ac defenſa. Ex quo ſuſpicor Lucam illum fuiſſe Monothelitam. Et iſta item Capitula reperta ac demonſtrata ſunt Themiſtii, Apollinaris, ac Anthymi erroribus per omnia conſentire. Et quidem ſcriptus ille ad Lucam liber *habebat ordinem oppoſitionum, & Ariſtotelis ſyllogiſmos, & diſſonantiam omninò à ſanctis quinque univerſalibus Conciliis, & ſanctis probabilibus Patribus, qui nunquam tale aliquid,* talem utique ſcribendi modum, *admiſerunt.* Hinc illum

illum & lectu indignum judicavit Synodus, ſola quædam erronea capitula ex ipſo extraxit, & ſibi legi juſſit.

Hac item Actione factum exiſtimo, quod addit Anaſtaſius Bibliothecsrius. *Deindè protulit piiſſimus ac ſereniſſimus Princeps tomum ad relegendum, in quo vanum hæreticum dogma Macarii erat conſcriptum, & ejus manu ſubſcriptum, apertiſſimè unam voluntatem in Domino affirmantis: Sub ipſius ſcriptione & Theodori Ex-Patriarchæ, utique juxta eum tenorem, ibi ſubſcriptio.* Quod namque per omnes Bibliothecas, civitates, Eccleſias, monaſteria Princeps propbana Macarii ſcripta quæri juſſerit, liqnet & ex hac & ex ſequenti Actione. Concluſit ipſe præſentem Actionem hac interlocutione. *Quia in Chriſto amabilis noſtræ Reipublicæ cauſis*, utique bello adversùm Bulgaros, *occupamur, jubemus Conſtantinum & Anaſtaſium, glorioſiſſimos Patricios, Polyeuctum quoque & Petrum, glorioſos Ex-Conſules, ex perſona noſtræ Pietatis cum ſancto & universali Concilio veſtro in reliquis conventibus inveniri, poſtquam præſentis cauſæ plurima & præcipua coram noſtra Pietate jam peracta ſunt.* Reliquis ergò Actionibus Prioceps non interfuit.

ACTIO XII.

AD Actionem duodecimam, factam vigeſimo ſecundo die Martii, Princeps per Joannem glorioſiſſimum Patricium & Quæſtorem miſit alias inſuper Macarii chartas, quas Synodus partim jam legi audierat, partim ſprevit ut lectu ſuperfluas, ideòque per Aotiochum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Lectorem ac Notarium legi ſibi juſſit litteras Sergii Patriarchæ Conſtantinopolitani, primi auctoris harum ſordium, ad Cyrum Phaſidis sdhuc Epiſcopum, atque tum laudatus Antiochus legere voluit ſermonem acclamatorium Mennæ Patriarchæ ad Vigilium Pootificem, & hujus litteras ad Juſtinianum Imperatorem ac Theodoram Auguſtam: verùm & Synodus & glorioſiſſimi Judices interceſſere, dicentes ea cuncta eſſe jam convicta ſpuriæ ſuppoſitionis, ideòque lectu indigna.

Lectæ itsque ſunt litteræ Sergii Patriarchæ ad Honorium Pontificem, & Honorii ad Sergium. Et quoniam eas Macarius ſuis ſuprà memoratis ad Principem libellis inſeruerat, ex Patriarchali Bibliotheca quæſitæ ſunt litteræ ipſę originales, adductus integer codex diverſarum Epiſtolarum Sergii, Joannes Portuenſis Epiſcopus ac Romanæ Synodi Legatus produxit & Latinas & Græcas Honorii litteras, facta eſt collatio, & omnia conſtiterunt. Et libellos eſſe ſuos non oegavit Macarius, reſpoodens Synodi Legatis: *Recognoſco ea, anno enim præterito obtuli ea Domino, & verè recognoſco ea.* Ex quo conſtat nihil à Macario ad circumſcribendum Principem fuiſſe omiſſum.

Porrò ille degradatus, & cum ſuo throno è conſeſſu ejectus cuſtodiebatur in quadam *Patriarchii cella*, ac glorioſiſſimi judices de ipſo rogarunt Synodum. *Piiſſimus atque à Domino confirmandus*, io bello adversùm Bulgaros, *Dominus noſter, & magnus Imperator, Dei coronatoris ſui clementiam in omnibus imitatus, & pœnitentiam exſpectans Macarii, per nos indignos ejus famulos veſtram ſciſcitatur ſemper ſanctam ac univerſalem Synodum, ſi forſitan eo pœnitente, poſt depoſitionem à ſancta veſtra Synodo in eo perpetratam, in propria ſede reſtituendus ſit.* Nam & SS. Pontifices Celeſtious & Leo etiam Neſtorium & Eutychetem Hæreſiarchas, dummodò veraciter pœniterent, voluerunt ab Epheſina & Chalcedonenſi Synodis in ſuos gradus reponi. Reſpondit nihilominùs ſancta Synodus: *Juſtè & regulariter à Pontificali habitu denudatum nullatenùs Divina Regula de cætero ſuſcipit in Doctoris ſede reſidere, ne ex hoc propriæ ſuæ hæreſeos multò amplius recrudeſcere faciat intelligentiam, & fiant noviſſima illius pejora prioribus.* Etenim antiqnus Eccleſiæ Canoo ipſis Hæreſiarchis, licèt ex animo pœnitentibus, nihil permittit reddi, oiſi, & quidem ut amplam gratiam, laicam communionem. Et certè *in impietatis dogmate inveteratus* Macarius noo tantummodò Antiochenam civitatem ac Diœceſin, ſed & Regiæ urbis plebem *everſione turbulenta dudùm potarat*, ſanctorum Patrum teſtimonia impudentiſſimè falſarat, optimum Principem tentarat io errorem circumſcribere per artes varias, omnem ſub cœlo Eccleſiam peſtiferis ſuis litteris ac libellis inquietarat, diverſis vicibus à Principe & Synodo pœnitere ſuaſus & meliora ſapere reſpondit pertinaciſſimè: *Quòd ſi membratim incidar, & jacter in mare, ego neque duas voluntates neque duas operationes dico in Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Hìnc omni gratia erat patenter indignus.

Quapropter Eccleſiæ Antiochenæ Clerici & Orientalis Diœceſeos, ad quos novi Patriarchæ ſpectat electio, Epiſcopi ſupplicarunt glorioſiſſimis judicibus: *Petimus veſtram Gloriam ſuggerere piiſſimo & à Deo coronato noſtro Domino & magno Imperatori, alterum pro Macario, qui fuerat Archi-Epiſcopus noſter, ad Patriarchalem ſedem Antiochiæ provenire, ut non ſit vidua hujuſmodi ſedes.* Supplicarunt ex Canone vigeſimo quinto Chalcedonenſi, de quo ad Conſtantium Mediolanenſem & Marinianum Ravennæ Metropolitam ſcribit Gregorius Magnus. *Poſtquam Epiſcopum criminaliter abſcedentem in locum, de quo lapſus eſt,* l. 6. Epiſt. 14. 39.
nulla permittit ratio revocari, & ultra tres menſes Eccleſiam vacare Pontifice ſtatuta ſacrorum Canonum non permittunt, ne cadente Paſtore, Dominicum gregem antiquus, quod abſit, hoſtis inſidiando dilaniet, Fraternitas veſtra Cleri & populi Cornelienſis, *deprecationi conſentire, & in loco lapſi Epiſcopum ordinare debet.* Et hìnc glorioſiſſimi judices Eccleſiæ Antiochenæ preces promiſerunt tractandas in proxima Actione: Quod ipſum hiſce ſpopondit Synodus de Sergii & Honorii litteris atque perſonis.

ACTIO XIII.

AC Actione tertia decima, facta die vigeſimo octavo Martii, Conſtantinus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus ac Georgii Patriarchæ Notariorum Primicerius, inſtitit judicari de litteris ac perſonis Sergii, Sophronii, atque Honorii, jam ſuprà recitatis. Inſtiterunt & glorioſiſſimi judices, repoſuitque Synodus. *Secundum promiſſionem, quæ à nobis ad veſtram Gloriam facta eſt, retractantes dogmaticas Epiſtolas, quæ tamquam à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis ſcriptæ ſunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Epiſcopus Phaſidis, quam ad Honorium, quondam Papam antiquæ Romæ: Similiter autem & Epiſtolam ab illo, id eſt, Honorio reſcriptam ad eumdem Sergium. Haſque invenientes omninò alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & à definitionibus ſanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum, eas omnimodò abjicimus, & tamquam animæ noxias execramur. Quorum autem, id eſt, eorumdem, impia dogmata, horum & nomina à ſancta Dei Eccleſia projici judicavimus, id eſt, Sergii, quondam Præſulis hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis, qui aggreſſus eſt de hujuſmodi impio dogmate conſcribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri, & Pauli, qui & ipſi Præſulatu functi ſunt in ſede hujus à Deo conſervandæ civitatis, & ſimilia eis ſenſerunt. Ad hæc & Theodori, quondam Epiſcopi Pharan. Quarum omnium ſupraſcriptarum perſonarum mentionem fecit Agatho ſanctiſſimus & ter beatiſsimus Papa antiquæ Romæ in ſuggeſtione, quam fecit ad piiſsimum, & à Deo confirmatum Dominum noſtrum, & magnum Imperatorem, eoſque abjicit, utpotè contraria rectæ fidei noſtræ ſentientes, quos anathemati ſubmitti definimus. Cum his verò projici à ſanctæ Dei Catholicæ Eccleſiæ, ſimulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit. Pertractavimus autem & Synodica Sophronii venerabilis memoriæ, quondam Archi-Epiſcopi ſanctę Dei Hieroſolymorum civitatis, & hæc reperientes cum vera fide convenientia, Apoſtolicisque & ſanctorum atque probabilium Patrum doctrinis paria, utpotè quę ſint orthodoxa, recepimus, & ut ſalubria ſanctę & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſuſcepimus, & nomen ejus inſeri ſanctis dypticbis ſanctarum Eccleſiarum, juſtum eſſe judicavimus.*

Glorioſiſſimi judices de ſolis Sergii, Sophronii, atque Honorii perſonis & ſcriptis definiri rogarant, at verò Synodus etiam de Cyro, Pyrrho, Paulo, Petro, ac Theodoro Pharanitano definivit, ideòque, ne inauditi damnari viderentur, eorum ſcripta proferri atque audire illi voluerunt, interim, dum iſta quæruntur, reſpondentes ad poſtulata Eccleſiæ Antiochenæ. *De petitione, quæ facta eſt à reverendiſſimis Epiſcopis & religioſiſſimis Clericis ſubjacentibus ſedi Antiochiæ civitatis, pro ordinando Præſule Antiochenæ civitatis, ſuggeſſimus à Deo inſtructis auribus ſereniſſimi & à Deo muniti noſtri Imperatoris. Et juſſit ejus Serenitas decretum ſecundum ſolitam conſequentiam fieri à reverendiſſimis Epiſcopis & Clericis ſupradictæ ſedis, & hoc offerri ejus manſuetiſſimæ Fortitudini.* Ex tunc ergò graſſabatur violenta & ſacris Canonibus adverſa neceſſitas petendi licentiam & confirmationem Regiam faciendæ & factæ Epiſcopalis electionis.

Porrò adversùs glorioſiſſimorum judicum de relegendis Theodori Pharanitani, Cyri, Pyrrhi, Pauli, ac Petri Patriarcharum ſcriptis excepit ſancta Synodus, *hoc fieri ſuperfluum judicans, eò quod ſententia eorum omnibus manifeſta eſt de una voluntate & una operatione, & quod eos cum propriis ipſorum ſcriptis Agatho ſanctiſſimus Papa* in dogmaticis ad Principes litteris *projeciſſet*. Nihilominùs laudati judices perſtiterunt, atque ità Georgius Diaconus & Chartophylax ex Patriarchali Bibliotheca protulit Cyri Lazorum adhuc Metropolitæ litteras ad Sergium Patriarcham, ejuſdem jam Patriarchæ Alexandrini ad eumdem litteras de unione facta cum Theodoſianis ac unionis illius ſeptem dogmatica Capitula, Theodori Pharanitani diverſos libellos ac Epiſtolam ad Sergium Arſenoitem in Ægypto Epiſcopum, ſex libros habentes ſcripta varia Pyrrhi Patriarchæ, Regeſtum diverſarum Epiſtolarum Pauli, quas inter erat ſynodica ad Theodorum Pontificem, ac ejuſdem tres ſermones proſphoneticos ad Conſtantem Auguſtum, Regeſtum item diverſarum Epiſtolarum Petri, ac nominatim ejus ſynodicam ad Papam Vitalianum, quæ omnia Antiochus Lector & Notarius Synodo legit. Reperta ſunt & unam in Domino voluntatem & unam lucidè operationem docere, & ſanctorum Patrum textus vitiare, ideòque ad glorioſiſſimos judices edixit univerſa Synodus. *Declarantibus nobis, omnem ſatisfactionem veſtra Gloria debet percipere, quòd benè atque juſtè* jam nominatos Epiſcopos & Patriarchas *abjecit Agatho ſanctiſſimus Papa antiquæ Romæ per ſuggeſtionem, quam miſit ad piiſsimum & triumphatorem magnum, noſtrum Imperatorem, & nos quoque conſonanter cum eo hos, utpotè adverſa rectę fidei ſacientes, expelli de ſacris dypticbis, & anathemate percelli cenſuimus, eorumque ſcripta, ut impietate repleta, abominamur, & ut exterminio debeant ſubmitti, decernimus.* Ex quibus verbis denuò vides, quod unicum generalis Synodi officium ſit dogmaticas Apoſtolicæ Sedis non tantùm de ipſo dogmate, ſed & de perſonis litteras probare, exequi, confirmare. Neque ideò generalium Synodorum utilitatem aut neceſſitatem exſufflo: Abſit.

Antiquus Eccleſiæ mos eſt, & Apoſtolica traditio, ut Patriarcha, Metropolitanus, Epiſcopus à conſecrandis Epiſcopis & Clericis exigat profeſſionem orthodoxæ fidei, addatque ejerationem erroris aut ſchiſmatis ſuo tempore graſſantis. Nam & Paulus ab ipſo Domino Jeſu Chriſto in Dei Patris throno ordinatus Apoſtolus, ad Anteceſſores ſuos Hieroſolymam abiit profeſſu-

rus

rus fidem ſuam ac prædicationem, accepitque ab illis dexteram: *Signum*, inquit in libro Præſcrip- Cap. 23. tionum Tertullianus, *concordię & convenientię*, id eſt, Epiſcopatus atque Apoſtolatus confirmationem. Hinc Apoſtolico adversùm Arianos Nicæna, Nicæno Symbolo adversùm Macedonianos atque Apollinariſtas addidit Synodus Conſtantinopolitana. Et de laudato Conſtantinopolitano Symbolo, Sancto Proterio Patriarcha Alexandrino, ac Ægyptiacæ Diœceſeos Epiſcopis Eutychianiſtis ſcribit ad Leonem Auguſtum, in litteris poſt Synodum Chalcedonenſem exſtantibus, Evoptius Cyzicenus Epiſcopus, Metropolita Helleſponti. Epiſt. 47. *Hanc Synodum Proterius Alexandrinę civitatis Epiſcopus unà cum eis preſens firmavit*. Nempè ejus Anteceſſor, Eutychianæ & perſonæ & perfidiæ defenſor, Dioſcorus Symbolum Conſtantinopolitanum rejecerat, ideòque ejus ſucceſſor & omnes per Ægyptum Epiſcopi fuere compulſi ipſum in ſua conſecratione profiteri. Et in libro adversùs Mocianum ſcribit Facundus Hermianenſis Epiſcopus de Acacio Patriarcha Conſtantinopolitano: *Mortuus quoque per libellos ordinandorum Epiſcoporum nunc uſque damnatus eſt*. Quia videlicet poſt compoſitum ejus ſchiſma neminem, niſi qui ejuſdem nomen & opera ejeraret, ordinari apud Græcos Epiſcopum permiſit Pontifex Hormiſda. Pergit Facundus: *Poſtquam contigit, ut in libellis ſuis ordinandi Epiſcopi Theodorum Mopſueſtenum cum ſuis dogmatibus, & Epiſtolam Ibę & Theodoreti ſcripta damnarent*. Utique juſſu Juſtiniani Auguſti. Et ad Conſtantium Archi-Epiſcopum Mediolanenſem ſcribit Sanctus Gregorius Ma- L. 3. Ep. 2. gnus. *Deceſſor Fraternitatis tuę Laurentius diſtrictiſsimam* de obſervanda quinta Synodo & trium Capitulorum damnatione *cautionem Sedi Apoſtolicę emiſit, in qua viri nobiliſsimi & legitimo numero ſubſcripſerunt. Inter quos ego quoque tunc Urbanam Preturam gerens pariter ſubſcripſi. Quia poſtquam talis ſciſſura pro nulla re facta eſt, juſtum fuit ut Sedes Apoſtolica curam gereret, quatenùs unitatem univerſalis Eccleſię in Sacerdotum mentibus per omnia cuſtodiret*. Plurima habemus ejuſmodi exempla: Quæ & hæretici atque ſchiſmatici pro ſui furoris cuſtodia ſunt æmulati. Quomodò Photius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ intruſus adulter hac in violentia exceſſerit, audiemus infrà à Synodo octava. Et apud Euſebium Cæſareenſem in Eccleſiaſtica hiſtoria ſcribit ad Fabium Patriarcham Antiochenum Sanctus Cornelius Pontifex & ejus Romana Synodus de Novatiano, rebelli atque L. 6. c. 35. ſchiſmatico Anti-Papa. *Cùm feciſſet oblationes, & ſingulis partem diſtribuiſſet, miſeros homines pro benedictione & gratiarum actione jusjurandum dare coegit: Atque ſuis utriſque manibus manus accipientis prehendens non priùs dimiſit, quam hoc jurejurando eum obſtrinxiſſet (illius enim verbis utor) jura mihi per Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam me deſerturum, nec reverſurum ad Cornelium*.

Eadem in miſerandas hominum animas violentia uſi ſunt & Monothelitæ, de qua glorioſiſſimi judices dixere ad ſanctam Synodum. *Si videntur ſeu ab Epiſcopis, ſeu à Clericis, vel à Monachis, cęteriſque quibuſdam libellos exegiſſe hi, qui Epiſcopatum geſſerunt hujus à Deo conſervandę Regię urbis, de una operatione & una voluntate, hęc etiam pręvidimus, ut Georgius Deo amabilis Diaconus & Chartophylax ad medium indiminutè deducat, & ipſa ſecundùm judicium ſancti veſtri Concilii exterminio contradantur*. Portò varios variorum libellos ejuſmodi & chartas produxit Georgius, atque Synodus ità pronunciavit. *Cognitionem accipientes prolatorum nobis libellorum atque chartarum, ſive aliorum opuſculorum, comperimus in unam eamdemque impietatem concurrere: Et pręvidimus hęc tamquam profana & animę pernicioſa continuò ob perfectum exterminium igne concremari*. Addunt Acta ſynodalia: *Et combuſta ſunt*.

Poſt hæc glorioſiſſimi judices diſcuſſas voluerunt omnes penitùs ſchiſmati huic commixtas perſonas. Et meritò. Purganda enim erant Dypticha Eccleſiaſtica, è quibus nemo orthodoxus Epiſcopus, præſertim Patriarcha, eradi poſſit ſine graviſsima injuria, nullus hæreticus inſcribi, aut inſcriptus relinqui ſine fœdiſsima macula, immò plena everſione Catholicæ communionis, de qua ad Anaſtaſium Auguſtum Epiſt. 8. ſcribit ſanctus Pontifex Gelaſius. *Poſtquam Acacius* Conſtantinopolitanus Epiſcopus *communionis eſt factus alienæ, non potuit niſi à Catholicę & Apoſtolicę mox ſocietate pręcidi, ne per eum, ſi vel paululùm ceſſaremus, nos quoque videremur ſubjiſſe contagia perfidorum*. Acacianum ſchiſma hæſit in Acacii, Euſemii, ac Macedonii ſecundi, Regiæ civitatis Epiſcoporum perſonis, quas conſtabat fuiſſe nequaquàm hæreticas, ſed Petri duntaxàt Mogi Pſeudo Patriarchæ Alexandrini ac aliorum Eutychianiſtarum hæretica communione pollutas. Eorum nomina Anaſtaſius Auguſtus & plurimi Græcorum Epiſcopi relinquenda volebant diſpenſatoriè in ſacris Eccleſiarum tabulis, refutabat verò conſtantiſſimè Romana Eccleſia, quod non tantùm cum damnato homine vivo, ſed & cum damnato defuncti nomine inita communio ſit ad inſtar verſæ in naturam lepræ contagioſa, adeòque quod iſti per damnata dictorum Epiſcoporum nomina polluere vellent univerſam ſub cœlo Eccleſiam, etiam quam immaculatam ſemper fore promiſit Dominus, Cathedram Romanam. Et ex hoc principio furibundi Donatiſtæ Chriſti Domini, quam toto orbe terrarum ille diffudit, & fore ſemper diffuſam ſpopondit, hæreditatem dixere contractam ad ſolam in Africa partem Donati, quod aliæ omnes gentes Chriſtianæ, etiam Apoſtolica Sedes, Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi pollutæ perſonæ aut nomini contagioſè communicaſſent. Hinc item Tertullianus & Novatianus inſanivere Romanam, omnemque illi adhærentem Eccleſiam, mœchis ac lapſis, quos reconciliatione attentata purgare non poterat, communicando eſſe non ſolùm maculatam, ſed & periiſſe.

Hinc ergò pergunt glorioſiſsimi judices. *Si hi, qui poſt Petrum fuerunt Epiſcopi hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis, id eſt, Thomas, Joannes, & Conſtantinus, videntur ſeu Epiſtolas ſive ſermones compoſuiſſe de novitate vocum, quæ nuper impiè in*

Eccleſiam Catholicam intromiſſa eſt, eorum exemplaria, ſive regeſta, vel authentica in medium proferat Georgius Deo amabilis Diaconus & Chartophylax, quatenùs & eorum cognitionem percipiens ſanctum veſtrum Concilium, quæ æquitati conveniunt, decernat. Laudatus verò Georgius protulit ſynodicam ac Enthroniſticam Thomæ ad Papam Vitalianum Epiſtolam, ſed quę ob graſſantes tunc Saracenos & obſeſſam ab ipſis Conſtantinopolim non potuerit mitti; Synodicam item Joanois & Conſtantini ad Macarium Antiochenum: Eaſque Synodus probavit ut plenè orthodoxas. Et addidit. *Prævidimus, ut Georgius Deo amabilis Diaconus & Chartophylax hujus ſanctæ magnæ Dei Eccleſiæ in conſpectu noſtro coram poſitis ſacroſanctis Chriſti eloquiis ſatisfaciat nobis, quod omnibus modis perſcrutatus nequaquam ceperit libellos ſcriptos à quibuſdam, atque oblatos prædictis tribus Patriarchis, Thomę, Joanni, & Conſtantino, unam voluntatem & unam operationem adſtruentes in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, veri Dei noſtri.* Etenim in ſacris Eccleſiæ tabulis manſurus Epiſcopus eſſe debet immaculatus, non tantùm à pravo dogmate, ſed & ab omni ejus conniventia atque communione. Et corporale de his Sacramentum præſtitit omninò Georgius, atque tum Synodus ità pronunciavit: *Hos ſanctæ memoriæ tres viros, id eſt, Thomam, Joannem, & Conſtantinum, prævidimus in identitate manere, atque in ſacris dypticbis ſanctarum Eccleſiarum recitari, utpotè qui in omnibus immaculati atque irreprehenſibiles inventi ſunt circa rectam noſtram Chriſtianorum fidem.*

Protulit laudatus Bibliothecarius inſuper dogmaticam Epiſtolam Pyrrhi Patriarchæ ad Joannem quartum Pontificem, nec non & aliam Honorii Pontificis ad Sergium Patriarcham, ſilentii à Sancto Sophronio cum Sergio & Cyro ſtipulati confirmativam: Fuerunt lectæ, at ob temporis anguſtias nihil judicatum.

ACTIO XIV.

AB Actione decima quarta, facta die quinto menſis Aprilis, Conſtantinus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus, & Georgii Patriarchæ Notariorum Primicerius, ſatisfieri tandem expoſtulavit, juxta tertiæ Actionis promiſſum, voluntati Romanorum Legatorum, hoc eſt, criminaliter inquiri in quintæ Synodi falſatores per aſtutas pſeudo-litteras Vigilii Pontificis ad Juſtinianum & Theodoram Principes, nec non pſeudo-ſermonem acclamatorium Mennæ Patriarchæ ad laudatum Vigilium. Georgius itaque Bibliothecarius denuò produxit tres quinti Concilii vitiatos codices, quorum duo continebant Acta omnia, tertius ſolam Actionem ſeptimam. Adduxit & quartum integri Concilii codicem, caſu in Patriarchali Bibliotheca repertum. Et tactis ſacroſanctis Chriſti Domini Evangeliis juravit omnes & ſingulos eſſe à ſe & quovis alio intactos, ſed ipſiſſimos in Bibliotheca repertos, ac nuper in tertia Actione productos. Priores tres denuò diſcuſſit Synodus, juxta Romanorum Legatorum adſertionem reperit vitiatos, *eos obelis obduci juſſit in locis depravatis; eos autem, qui falſarant, anathemati ſubmitti, & nominatim cum eis anathematizari libellum, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & duos libellos quaſi à Vigilio ad Juſtinianum & Theodoram.*

Hinc inquiſitum in auctores. Porrò Macrobius Seleucienſis in Iſauria Archi-Epiſcopus, Macarii Antiocheni aſſecla & ſubditus, conſcius myſteriorum, at nuper Eccleſiæ ac Synodo per pœnitentiam reconciliatus, dixit ad ſanctam Synodum & glorioſiſſimos judices. *Suggero veſtræ Gloriæ, & huic ſancto atque univerſali Concilio, quod pervenit ad me liber ſancti quinti Concilii, datus mihi à quodam Philippo Magiſtro militum imperialis obſequii: Quem relegens inveni eſſe falſatum in ſeptima Actione. Et interrogans eumdem Philippum, Quia alicui dediſti hunc librum? Dixit mihi, Quia Stephano diſcipulo Macarii eum dedi. Litteræ verò, quibus falſitas libri facta eſt, propriæ manus ſunt Georgii monachi apud Macarium. Quia cùm eſſet Patriarcha meus ipſe Macarius, ingrediebar in domum ejus, & adſpiciebam eumdem Georgium monachum ſæpius ſcribentem, & ſcio accuratè, quia propriæ ejus manus ſunt.* Et à Synodo citatus Georgius ille, utpotè nuper per pœnitentiam & ipſe reconciliatus, confeſſus eſt omnia: Nempè Mennæ ſermonem ac Vigilii Epiſtolas à Macario Antiocheno & Theodoro Patriarcha Conſtantinopolitano productos è Bibliotheca Patriarchii Conſtantinopolitani, oſteoſos & ſparſos ubique Eccleſiarum, diverſis Latinis & Græcis quinti Concilii codicibus quaſi incompletis & mancis intruſos, eorum codicum unum fuiſſe præſentem Philippi Magiſtri militum, & Stephano Macarii Presbytero Syncello conſanguinei, adductum ex Occidente, atque dictas falſationes inſcriptas omninò ſua propria manu.

Attamen Theodorus & Macarius non fuère primi auctores impoſturæ. Etenim Paulus Patriarcha Latino quinti Concilii codici, empto ſex ſolidis ab uxore Innocentii quondam Patricii, juſſit per Theodorum librarium compactorem intrudi jam dictas Epiſtolas, à Sergio Antipiſidio, Diacono ſuo & optimo Scriptore deſcriptas, latinè autem redditas à Conſtantino Eccleſiæ ſuæ Presbytero ac Grammatico Latino, uti hi ipſi Conſtantinus & Sergius ſunt coram plena Synodo confeſſi. Eaſdem Epiſtolas à Sergio & Cyro Patriarchis ſuprà audivimus, ut grandem theſaurum & palmare erronei dogmatis fundamentum, deprædicari. Quocircà primus mali fons ignoratur, ac à Synodo reperiri nequiit, quæ nihilominùs exclamavit. *Anathema libro, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & qui eum finxerunt, ſeu ſcripſerunt; Anathema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe à Vigilio ad Juſtinianum ac Theodoram Divæ memorię, qui & ſunt falſi demonſtrati; Anathema ſimul omnibus, qui falſarunt Acta ſancti & univerſalis quinti Concilii.* Ex quo vides patentis delicti occultum auctorem, quod & Sanctus fecit Gre-

Gregorius Pontifex, omninò poſſe anathemate damnari. Vides corporale juramentum eſſe illud, quod præſtatur tactis corporaliter ſacroſanctis Evangeliis. Undè & Vigilius Pontifex adversùs Sebaſtianum Cardinalem ſuum Diaconnm dicit in ſententia ejus damnatoria: *Tactis Evangeliis juramentum corporaliter præſtitiſti*. Et hìnc de Epiſcnpo, quem ab omni penitùs jurandi onere eximuntantiqui Canones, ajunt Synodi recentiores, ac nnminatim ſecunda Ravennæ ſub Cle-
Cap. 26. mente quinto: *Juret ad ſancta Dei Evangelia coram ſe expoſita, ſed non tacta*. Nempè ad corporale juramentum adſtringere noluit.

Exindè Theodorus Thrimithuntorum in Cypro Epiſcopus, ac Epiphanii Metropolitæ Vicarius & Legatus, habere ſe dixit authenticum valdè codicem operum Sancti Athanaſii, præſertim verò librum, qui inſcribitur de textu Evangelii, *Nunc anima mea turbata eſt*, eſſe in illo lucidiſſimum pro duabus in Domino voluntatibus ac operationibus teſtimonium, petiitque ad majorem veritatis illuſtrationem Synodo legi. Lectum eſt, & comprobatum.

Acceſſit tum Dometius Pruſiados Epiſcopus, dicens ad ſanctam Synodum ac glorioſiſſimos judices. *Suggero tam Gloriæ veſtræ, quam ſancto & univerſali Concilio, quod Polychronius quidam, Presbyter ac monachus, conſentaneus exiſtens Macarii & Stephani hæreticorum, & illorum impia ſtabilire cupiens dogmata, non mediocriter ſimplices decipit per ſuam impiam falſamque doctrinam. Si ergò placet tam veſtræ Gloriæ, quam ſancto & univerſali Concilio, hunc ad vos advenire, ut propriam ſuam fidem exponat?* Et reſponſum eſt eum in proxima Actione audiendum.

ACTIO XV.

Actio quinta decima, habita die vigeſimo ſexto Aprilis, audivit amentem ac vanum Polychrnninm. Quid enim ſtultiùs, quàm hæc ejus ad ſynodalem interrogationem profeſſio? *Ego expoſitionem fidei meæ do in opere mortui, rogans pro eo Filium Dei, ut ſuſcitet eum; ſin autem non reſurrexerit, ecce, Concilium & Imperator, quæ eis placuerint, in me faciant*. Patres obſtupuerunt, dixeruntque: *Qualem fidei expoſitionem vis ſupra mortuum ponere, ut reſurgat, volumus agnoſcere*. Et prophanus monachus: *Ego pono expoſitionem meam ſupra mortuum, & tunc eam relegetis*. Protulit verò bullatam chartulam bulla *exprimente monogrammon Polychronii Confeſſoris*, quam Synodus diſbullari juſſit, & legi habentem his verbis. *Conſtantino à Deo coronato, & manſuetiſſimo magno Principi: Ego Polychronius tamquam præſens ſaluto & adoro. Et quia vidi multitudinem virorum candidatorum, & in medio virum, cujus virtutem narrare non valeo, dicentem mihi*, QUIA NOVAM FIDEM COMPONIT, FESTINA ET DIC IMPERATORI CONSTANTINO, NON FACIAS NOVAM FIDEM, NEQUE ACQUIESCAS. *Et veniente me ab Heraclea Chryſopolim, & ſtante in ſolario (hora erat quaſi ſeptima diei) vidi virum terribilem, candidatum valdè, & ſtetit coram me dicens*: QUIA QUI NON CONFITETUR UNAM VOLUNTATEM ET DEI-VIRILEM OPERATIONEM, NON EST CHRISTIANUS. Hæ ſunt antiquæ hæreticorum artes, de quibus Tertullianus in libro adversùm Valentinianos. Cap. 4. *Valentiniani ſi aliquid novi adſtruxerint, revelationem ſtatim appellant præſumptionem, chariſma ingenium*. Per eaſdem ipſe etiam Tertullianus, Marcion, Ætius Eccleſiæ Antiochenæ Diaconus, Urſacius & Valens Epiſcopi Ariani, Adelbertus Epiſcopus à Sancto Bonifacio Francorum Apoſtolo damnatus, & plures alii aut ſeipſos aut alios miſerè ſeduxerunt.

Et rogatus ſtultus Polychronius, *Num hæc chartula propria ejus manus eſſet, & ſi ipſa eſt, quæ debeat ſupra mortuum poni, & reſuſcitare eum*, reſpondit: *Ità eſt, propriæ meæ manus exiſtit, & iſta eſt chartula, quæ debeat à me ſupraponi mortuo, eumque reſuſcitare*. Perrexerunt glorioſiſſimi Judices & ſancta Synodus: *Prævidimus, ut chartula, quæ relecta eſt, ſuper mortuum ponatur à Polychronio juxta propoſitionem, quæ ab eo facta eſt, extra hoc ſacrum palatium, in loco publico, in præſentia noſtra & plebis, quæ inventa fuerit, ad ſatisfactionem Chriſto amabilis populi, qualiter Deus veritatem demonſtret*. De orthodoxa veritate, adversùs quam etiam Angelo mortuos ſuſcitanti debeant inlidi anathema, nequaquam fluctuavit ſancta Synodus, ſed amentem hæreticum coram omni plebe voluit confuſum, & fidem orthodoxam etiam ita roboratam. Proceſſit ad publicum Zeuxippiani lavacri atrium, appoſuit in argenteo exequiali feretro mortuum, adunavit omnem populum Regiæ civitatis: *Et ſuperaſſiſtens Polychronius poſuit ſupra ipſum mortuum fidei ſuæ chartulam, perque plures horas perſeverans, & inſuſurrans ei, nihil horum, quæ ab eo ſtolidè & blaſphemè promiſſa fuerant, valens peragere, dixit nullatenùs ſe poſſe mortuum ſuſcitare*. Quare exclamavit omnis populus: *Novo Simoni anathema, Polychronio ſeductori populi anathema*. De hac item hæreticorum arte & virtutum faciendarum vano ambitu ſcribit Tertullianus in libro Præſcriptionum. Cap. 44. *Adjicient multa de auctoritate cujuſque Doctoris hæretici, illos maximè doctrinæ ſuæ fidem confirmaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe, futura ſignificaſſe, ut meritò Apoſtoli crederentur*. Et Cap. 30. reſpondet in alio ejuſdem libri loco. *Probent ſe novos Apoſtolos eſſe: Dei illis Chriſtus virtutem eadem ſigna edendi, quæ & ipſe. Volo igitur & virtutes eorum proferri: Niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in perverſum æmulantur. Illi enim de mortuis vivis faciebant, iſti de vivis mortuos*. Quomodò Cyrola Wandalorum Epiſcopus Arianus, dum ficto miraculo tentat circumſcribere Africæ plebem, fecerit de vidente cæcum, referunt Sanctus Victor Uticenſis Epiſcopus & Sanctus Gregorius Turonenſis. L. 1 c. 3. Hominem miſerabilem, pecunia ab Arianis emptum

ad

ad dolos ſacrilegos noſtri Epiſcopi per ſignum crucis denuò illuminarunt. Eodem modo Joannes Calvinus, operarius peſſimus noſtrorum temporum, è vivo mortuum fecit. Verè enim ſcribit, ab Euſebio Cæſareenſi in Eccleſiaſtica Hiſtoria laudatus Sanctus Ireneus Lugdunenſis
L. 5. c. 7. Epiſcopus: *Plurimùm abeſt, ut hæretici poſſint mortuum ſuſcitare, ſicut Dominus ipſe, ſicut ejus Apoſtoli prædicationis ſubſidio adjuti, ſicut alii è fratribus complures ſuſcitarunt*. Et hinc Judaicam invidiam, quæ ſuſcitatum à Domino Lazarum cogitavit interficere, nonnumquam opere adimplerunt hæretici, uti apud Paulinum Presbyterum in vita Sancti Ambroſii videre eſt in Arianis non ferentibus & blaſphemantibus miracula Sanctorum Gervaſii & Protaſii. Fateor tamen ab hæreticis quædam hinc indè facta miracula. Et dico de illis cum Sancto Auguſtino in libris adversùs
L. 13. Fauſtum. *Miracula non facitis, quæ ſi feceritis, etiam ipſa in vobis caveremus per inſtruentem nos Dominum, & dicentem*. EXURGENT PSEUDO-PROPHETÆ, ET FACIENT SIGNA ET PRODIGIA. Eodem modo in libro Præ-
Cap. 44. ſcriptionum loquitur Tertullianus.

Inſanus porrò & confuſus Polychronius reductus eſt ad Synodum, rogatus redire ad mentem, & profiteri fidem orthodoxam; verùm corrigi non poteſt, quem Deus dereliquit, ſaxo durior repoſuit hæc verba: *Sicut continet chartula, quam obtuli & poſui ſupra mortuum, ità credo unam voluntatem &* DEI-VIRILEM *operationem, & alterum quid non dico*. Quare coacta Synodus pronunciavit. *Poſtquam Polychronius monachus in proprio errore uſque in ſenium perſeveravit, nunc autem etiam à nobis commonitus, quomodò ſentiat de humanatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, veri Dei noſtri, conatus eſt tentare Spiritum ſanctum, & blaſphemam componens chartulam, obſtinanter effatus eſt ponere eam ſuper mortuum, & ad firmitatem blaſphemiæ, quæ in ea fuerat ſcripta, ut non dicamus, fidei hujuſmodi mortuum reſurrecturum, nos, juxta quod dictum eſt à Sancto Paulo Apoſtolo, anathemati jam hunc ſecundùm animam ſubmiſimus. Sed ad ſatisfactionem Chriſto amabilium populorum, quorum plurimos præteritis temporibus tam ipſe, quàm ejus conſentanei deceperant, permiſimus talem ejus præſumptionem, dæmonioſamque ac temerariam propoſitionem publicè fieri, & mortuum, quem quæſierat, in medium deduci in præſentia noſtra & glorioſiſſimorum judicum, & multitudinis Chriſto amabilis populi, & ſicut ille propoſuit, tale ejus impium ſcriptum ſuperponens, & plurimam horam, quantam ipſe voluit, ſuperaſſiſtens eidem mortuo, & ſuperſuſurrans intra ſemetipſum quæque putavit, donec dixit non ſe poſſe facere. Quomodò namque eſſet poſſibile, blaſphemantem in Deum virtutes operari? Undè prævidimus hunc tamquam ſeductorem populi & deceptorem, & manifeſtum hæreticum, omni ſacerdotali ordine & officio denudari*. Ex exclamarunt Epiſcopi omnes: *Polychronio hæretico & conſentaneis ejus anathema, Macario & Stephano & Polychronio anathema, Trinitas iſtos tres depoſuit*. Eum in ſermone ad Principem acclamatorio Synodus vocat *Puerilis intelligentiæ delirum ſenem, qui mortuos ſuſcitare pollicitus, dum non ſuſcitaret, deriſus eſt*.

ACTIO XVI.

Rectè adversùs Julianum Pelagianiſtam dixit Sanctus Auguſtinus hæreticorum frontem non eſſe frontem: Etiam hæc factio erubeſcere neſciit. Etenim ab Actione decima ſexta, facta die nono Auguſti, ad poſtulatam audientiam admiſſus Conſtantinus, Metropolitanæ in ſecunda Syria Apameenſis Eccleſiæ Presbyter, peſſimus Monothelita, imperitus, græcè neſciens, à neſcio quo ſubornatus, flagitavit damnatæ cauſæ retractationem. *Veni*, inquit, *ad ſanctum veſtrum Concilium, ut inſtruam vos, quia ſi auditus eſſem, hoc anno non habuiſſemus perpeti hoc, quod paſſi ſumus in prælio Bulgariæ*. Ex quo liquet Conſtantinum Auguſtum ob novas Bulgarorum incurſiones receſſiſſe à Synodo. Pergit imperitus ille. *Volui ingredi in Synodo, & rogare ut pax fieret, quatenùs aliquod Henoticon, id eſt, aliquod adunatorium fieret in medio, ut neque illi, neque illi contriſtarentur, hoc eſt, qui dicunt unam voluntatem, & qui dicunt duas voluntates*. Innovari voluit typum Conſtantis Auguſti.

Impudentiam denuò obſtupeſcentes ſancta Synodus & glorioſiſſimi judices rogavere fidem hominis & Henotici modum, repoſuitque ille. *Ego duas naturas dico, ſicut dictum eſt in Chalcedone, & duas proprietates, & de operationibus contentionem non habeo, ſint proprietates eas dicitis, voluntatem verò unam dico perſonæ Dei Verbi ipſius ſubſiſtentiæ*. Unicam Domini voluntatem dixit eſſe ipſius Divinitatis, communem Patri ac Spiritui ſancto. Addidit de humana natura. *Etiam habuit naturalem voluntatem. Habuit namque eam ab utero uſque ad crucem, & proprietatem hanc dico, & proprietas eſt. A cruce non manſit cum eo humana voluntas, ſed manſit cum ſanguine & carne, quia non indiget neque comedere, neque bibere, neque dormire, neque ambulare. Chriſtus deſeruit eam cum carne & ſanguine. Exuit carnem & ſanguinem, & cum ipſis humanam voluntatem*. Eam eſſe dixit ſententiam etiam Patriarchæ ſui Macarii Antiocheni, utporè à quo ità didicerit. Et adjunxit. *Sic ſentio, & ſic credo, & non eſt poſſibile aliter*. Quare in illum exclamavit Synodus: *Hæc ſecta Manichæorum eſt, hæc eſt fides Apollinarii, Anathema illi cum ſuis dogmatibus, Novo Apollinario anathema, Foras mittatur Manichæus, Omnibus hæreticis anathema*. Ità fœdus ille Conſtantinus eſt è Synodo expulſus.

Exindè Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſupplicavit Synodo. *Ego & quidam pauci, qui ſub ſede mea ſunt, venerabiles Epiſcopi propter diſpenſationem rogamus, ut, ſi poſſibile eſt, nominatim non anathematizentur in exclamationibus, id eſt,*

eſt, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus. Eos per ſimplicem ſententiam, citra generalem ab omni Synodo execrationem, rogavit damnari, & tantùm reverentiæ deferri ſedi Regiæ civitatis. Reſpondit verò Synodus. *Eos, qui ſemel condemnabiles demonſtrati ſunt, & ſecundùm ſententiam noſtram jam dudùm ejecti de ſacris dypticbis, opportunum exiſtit etiam in exclamationibus hos nominatim anathematizari*. Et mox ſecuta eſt exclamatio: *Theodoro hæretico Pharanitano anathema, Sergio hæretico anathema, Cyro hæretico anathema, Honorio hæretico anathema, Pyrrho hæretico anathema, Paulo hæretico anathema, Petro hæretico anathema, Macario hæretico anathema, Stephano hæretico anathema, Polychronio hæretico anathema, Aſpergio Pergenſi anathema, omnibus hæreticis anathema*.

Ex quibus liquet Acta ſynodalia eſſe hic omninò mutila. Deeſt exameo cauſæ, & judicium datum in Aſpergium Pergenſem Epiſcopum, Metropolitam Pamphyliorum. Aliquid item de iſtis anathematizatis præceſſiſſe oportet, in quod quadret jam adducta interceſſio Georgii Patriarchæ. Notanda ſunt & hæc ſanctæ Synodi de eiſdem verba: *Jam dudùm ejecti ſunt de ſacris dyptichis*. Factum id eſt ab Actione decima tertia, cui addit Anaſtaſius Bibliothecarius. *Deindè abſtulerunt de dypticbis Eccleſiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Eccleſiæ figuras eorum; aut in foribus, ubi eſſe poterant, id eſt, Cyri, Sergii, Pyrrhi, Pauli, Petri, per quos error orthodoxæ fidei uſque nunc pullulavit*. Patriarcharum imagines aut inſignia in Eccleſiis figere eſt mos antiquiſſimus, de quo & Theodorus Lector in Collectaneis. *Timotheus* ſedis Conſtantiopolitanæ ab Anaſtaſio Auguſto intruſus *Epiſcopus Eccleſiam ingreſſus nec ad Liturgiam acceſſit, niſi primùm detractis Macedonii* Anteceſſoris ſui violenter ejecti *imaginibus & inſignibus*. Quod item Leo quartus Pontifex ſuam ac Lotharii Auguſti imaginem poſuerit in Eccleſia Sancti Petri, ſcribit laudatus Anaſtaſius. Et in Lateranenſi Palatio depicta olim fuiſſe omnia Romanæ Eccleſiæ ſchiſmata, ſchiſmaticoſque Anti-Papas per laicam poteſtatem intruſos veris Pontificibus pro ſcabello in hac pictura datos, habemus à Joanne Sareſberienſi. Hinc ille de Alexandro ſecundo verſus laudatus ab Ottone Epiſcopo Friſingenſi: *Regnat Alexander, Cadolus cadit & ſuperatur*. Ex ſimili Innocentii ſecundi Lotharium Auguſtum coronantis pictura natas fuiſſe primas quæſtiones inter Cardinalem Rolandum, poſteà Alexandrum tertium Pontificem, ac Fredericum primum Imperatorem, videre potes in magno Belgii Chronico, & Radevico Presbytero Friſingenſi. Hac item decima tertia Actione factum eſt, quod ſubjungit laudatus Anaſtaſius. *Ea hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur, ac dicerent, quod ſordes hæreſum expulſæ ſunt. Et Deo auxiliante unitæ ſunt ſanctæ Dei Eccleſiæ*.

L. 1. Epiſt. 59. L. 6. c. 6. L. 1. c. 9. Io. 55. 16.

Jam dictam Synodalem in anathematizatos hæreticos acclamationem præceſſit fauſta acclamatio in Conſtantinum Principem, Agathonem Papam, Georgium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ac Theophanium Antiochenum, de quo idem Bibliothecharius: *In loco Macarii ordinatus eſt Theophanius, Abbas Monaſterii, quod appellatur Bajas, Inſulæ Sicilienſis*. Erat unus è monachis, quos Synodo ad Principis preces miſerat Sanctus Agatho; Adeò huic illa voluit in omnibus gratificari. Dilectos enim & fidos illi monachos in Patriarchas evehi non poteſt non placuiſſe. De ejus electione & conſecratione nihil penitùs habent Acta ſynodalia, omninò & hic mutila: Etenim omninò in Synodo, juxta ejus vetuſtum privilegium, fuit electus & conſecratus. A ſuis tamen Epiſcopis & Clericis. Ità enim jubebat licentia data ſuperiùs à Principe. Et Anatolium Patriarcham Conſtantinopolitanum graviter arguit Sanctus Leo Magnus, quod in Epheſino latrocinio Maximum Antiochenum in Domni dejecti locum conſecraſſet. Nullus in generali Synodo, niſi Romani Legati, poterat ordinariis Conſecratoribus præjudicare.

ACTIO XVII. XVIII.

Actio decima ſeptima, habita die undecimo menſis Septembris, indictione decima, ſtatuit Synodo finem imponere, ideòque conceptam fidei definitionem Epiſcopis legit, diſcutiendam à ſingulis ad dies aliquot, ac in ſequenti Actione ſolenniter pronunciandam ac promulgandam. Eam ſuprà exhibuimus. Ad Actionem itaque decimam octavam & poſtremam, factam die decimo ſexto Septembris, rediit Conſtantinus Auguſtus, ac præter Georgium Theodori Vicarii Hieroſolymitani Apocriſarium adfuerunt etiam *Jordanes & Polychronius, Presbyteri ac Monachi, Reſponſales ſanctæ Chriſti Dei noſtri civitatis Hieroſolymorum*. Ex quo vides hujus Synodi vocales dietim creviſſe.

Principi pro tantis erga fidem orthodoxam & Eccleſiarum pacem curis egit gratias, ex more legi ſibi juſſit Symbolum Nicænum & Conſtantinopolitanum, laudavit Synodos Epheſinam, Chalcedonenſem, & quintam, tamquam ſui directrices regulas, ac tandem ſuam de præſenti controverſia definitionem ſolenniter promulgavit. Et Principi roganti, *ſi cum conſenſu omnium Epiſcoporum promulgata eſt definitio*, reſpondit unanimi acclamatione: *Omnes ità credimus, Una fides, Omnes idipſum ſentimus, Omnes conſentientes & complectentes ſubſcripſimus, orthodoxè omnes credimus, hæc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides orthodoxorum*. Addidit fauſtiſſima in optimum Principem, & iteratum anathema in omnes hujus erroris complices, etiam Honorium Papam. Et Princeps. *Deum teſtem proferimus ſancto & univerſali veſtro Concilio, quod abſque quolibet favore vel invidia principale deſiderium & zelus nobis extitit, irreprehenſibilem eſſe immaculatam noſtram orthodoxam Chriſtianorum fidem*. Quod ipſum in litteris ad Donum Pontificem ſuprà adductis, & in aliis ad

ad Agathonem infrà à Georgio ſecundo laudandis, Synodi poſtulatoriis fuit proteſtatus. Dignus proindè laude Leonis Auguſti, ſingularum per omnem Orientem Provincialium Synodorum de magno Chalcedonenſi Concilio judicium ad rebellantes illi Eutychianiſtas compeſcendo expoſtulantis, de quo Facundus Epiſcopus Hermia-
L. 12. c. 3. nenſis. *Leo religioſiſſimus Imperator, non de temporali poteſtate, quam acceperat, Sacerdotes Dei terruit, ſed potiùs contra timorem humanum eis timorem omnipotentis Dei incuſſit. Nec ſibi eos rationem ſuæ reſponſionis daturos eſſe præmonuit, ut dici forſitàn poſſet, hoc eos reſpondiſſe, quod ejus animo placiturum crederent, qui eis dixit:* DIVINÆ MAJESTATI DE CAUSA HUJUSMODI DABITIS RATIONEM. Eodem ſanè ſpiritu dixit ad Synodum noſter Conſtantinus. *Judicabimur vobiſcum apud terribile tribunal Dei, ſi forſan aliquid unquam conſcientiam habetis fuiſſe intermiſſum in definitione, quę à vobis promulgata eſt.* Eſſe voluit quinque generalibus Synodis & unanimi ſanctorum Patrum confeſſiooi conformem per omnia, quam nullus unquam poſſit vel cavillari. Epiſcopis de longinquo itinere & diuturna commnratione egit gratias, ac ſibi, licèt invitus, dici permiſit ſermonem acclamatorium, longè doctiſſimum, integrè legendum. De libero ſuffragio Epiſcopis per Leonem Auguſtum concesſo pergit Facundus. *Quod Leo Auguſtus non pro ſola Chriſtianę religionis diſciplina & obſervantia dixiſſe credendus eſt; verùm etiam quod nulla coactorum decretorum poſſit eſſe auctoritas, & extremæ ſit vanitatis vel proferre adversùs aliquem vel recipere ſententiam poteſtati conceſſam: Cùm & ipſum nomen ſententię pereat, quando non illud dicitur, quod ſentitur.*

Exindè definitionem ſuam ſubſcripſerunt ſinguli Epiſcopi, dixeruntque ad Principem. *Petimus piam à Deo coronatam Domini Poteſtatem, ſicut per oblatum pio veſtro Imperio Acclamatorium rogavimus, ut per ſacram veſtram obſignationem robur prębeatur definitioni à nobis cum ſubſcriptionibus editę, quę & coram à Deo inſtructa veſtra Serenitate lecta eſt.* Acclamatorius itaque ſermo non tantummodò laudabat Principem, ſed Acta ſynodalia ab illo firmari poſtulabat. Ità omninò liquet ex ejuſmodi ſermooibus Epheſinæ etiam Synodi & Chalcedonenſis. Porrò Auguſtus ſubſcribi priùs voluit ab omnibus omninò Epiſcnpis, adeòque anteà finiri cauſam Theodori Aureliopolitani, & Citonati Calaritani Epiſcopi, Metropolitæ Sardorum. Quid contentionis habuerit Theodorus cum Principe, ignoro: Citonatus machinationis in Rnmanam Rempublicam accuſatus fuerat, ideòque hærebat ab Epiſcopatu ſuſpenſus. Etiam nuper ſub Martino primo Pontifice Rnmanæ Eccleſiæ jura læſerat, uſurpans conſecrationem Epiſcopi Turritani, uti in vita Joannis quinti narrat Anaſtaſius Bibliothecarius. Et ipſe tamen & Theodorus à calumnia fuere abſoluti, atque ità Synodo ſubſcripſerunt: *Et tunc in manus ſumens piiſſimus Imperator ſubſcriptam ſancti Concilii definitionem propria manu ſubſignavit.* Poſtremus poſt omnes Epiſcnpos.

Ex hinc liquet, quo ſenſu aſſiduè dicant Acta ſynodalia: *Præſidente magno Imperatore Conſtantino.* Præſedit, nequaquam poteſtate, ſed ſolo loco & honore. Egregiè id oſtendit Gregorius ſecundus Pontifex in litteris ad Imperatorem Leonem Iſaurum. *Cùm Patriarcha Dominus Georgius ſuggeſſiſſet, perſuaſiſſetque Conſtantino, Conſtantis filio, Juſtiniani* ſecundi *Patri, ut Romam ad nos*, id eſt, Prædeceſſores noſtros, *ſcriberet, ſic interpoſito jurejurando ſcripſit ad nos, & nobiſcum egit, ut ad univerſalem Synodum congregandam viros utiles mitteremus.* Audi Chriſtianiſſimi Principis verba. *Neque cum illis tamquam Imperator ſedebo, aut imperioſè loquar, ſed tamquam unus ex illis: Et prout ſtatuerint Pontifices, exequar. Et eos, qui rectè loquuntur, admittemus; eoſque, qui malè loquuntur, expellemus, & exiliis relegabimus: Si Pater meus quidquam ex intemerata puraque fide perverterit, ego primus illum anathematizabo.* Epiſt. 1. Grandi Eccleſiæ damno periit aut latet hæc Epiſtola, pleniſſima pietatis. Pergit Pontifex. *Tunc nos, Deo benè volente, miſimus, & cum pace ſexta Synodus celebrata eſt.*

Perrexit Synodus ad Principem. *Petimus à Domini poteſtate inſtructa à Deo, ad majorem fidei orthodoxæ ſtabilitatem & confirmationem, ut ſubſcripta exempla definitionis electę edantur quinque Patriarchalibus ſedibus unà cum pia veſtra ſubſignatione.* Etenim Auguſta confirmatio neqnaquam ſufficit, nullum Synodo addens robur, niſi ſolùm adversùs rebelles armati brachii terrorem: Opus eſt confirmatione Sedis Apoſtolicæ, ac tum per omnes Patriarchas facta publicatione. Acta itaque ſynodalia miſit Auguſtus *Quinque Patriarchalibus ſedibus, hoc modo. Apoſtolicę Sedi Sancti ac Principis Apoſtolorum Petri, nempè Agathoni ſanctiſſimo Papę ſenioris Romę: Sedi ſanctiſſimę Catholicę & Apoſtolicę magnę Eccleſię Conſtantinopoleos, ſive Georgio ſanctiſſimo & beatiſſimo Patriarchę. Apoſtolicę Sedi Sancti Evangeliſtę Marci, qui honoratur in Alexandrinorum magna civitate; per Petrum honorabilem Presbyterum, Monachum, & Vicarium. Sedi Antiochenſium ſive Theopolitarum magnę civitatis per Theophanem venerabilem & ſanctiſſimum Patriarcham. Sedi ſanctę Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis, id eſt, Hieroſolymorum, obtinenti locum ejuſdem honorabiliſſimæ Sedis Theodoro Deo amabili Presbytero per Georgium Presbyterum, Monachum Sebaſtenum, qui poſteà Patriarcha Antiochiæ fuit.* Acta, inquam, ſynodalia Princeps miſit Pontifici, non tantummodò publicanda, ſed & priùs diſcutienda, probanda, confirmanda. Nam & Synodus Chalcedonenſis Acta ſua Sancto Leoni Pontifici miſit per Marcianum Auguſtum: Tantæ majeſtatis & auctoritatis pondere ſperans Pontificem efficaciùs permovendum. Etiam volens honoratum. Et hinc item ad ſolum Pontificem conſuevit fieri ſynodalis relatio. Hæc noſtra Synodus retulit ſe egiſſe omnia ex dogmaticis Apoſtolicis litteris, eas ut à ſummo Apoſtolorum vertice Divinè perſcriptas agnoviſſe, per eaſdem hæreticam multiplicis erroris ſectam depuliſse, egiſſe ſine gratia & odio, in dejectas præſertim hæreticorum perſonas, quas omni pietate tentarit ad Eccleſiam & pœnitentiam reducere, in nullo diſceſſiſse à ſanctorum Patrum

una-

unanimi dogmate, & concludit: *Orthodoxę fidei ſplendidam lucem vobiſcum prędicavimus, quam ut iterùm per honorabilia veſtra Reſcripta confirmetis, veſtram oramus Paternam Sanctitatem.*

Supplici huic Relationi adjunxit Princeps ſuas gratiarum actiones, & grande illud beneficium, de quo Anaſtaſius Bibliothecarius. *Agatho Pontifex ſuſcepit Divalem juſſionem, ſecundum ſuam poſtulationem, ut ſuggeſſit, per quam relevata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen, ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, niſi priùs decretum generale introducatur in Regiam urbem, ſecundùm antiquam conſuetudinem, & cum Imperatoris conſcientia & juſſione debeat ordinatio provenire.* Heruli & Gothi, Italiam obtinentes, Reges Ariani Romanum Pontificem ordinari non permiſerunt, niſi de ſua licentia, confirmatione, & ſoluta certa penſione auri, quaſi pro benevolè & gratiosè indultà Religionis & eligendi orthodoxi Pontificis libertate. Didicerant à Wandalis: Qui quomodò hac in re tractarint Africanam Eccleſiam, videri poſſit apud Victorem Uticenſem Epiſcopum, & Auctorem incognitum, probatiſſimum tamen, in vita Sancti Fulgentii. Ejectis ex Italia Barbaris, barbaram conſuetudinem exigere perrexit Juſtinianus Auguſtus, eamque, etiam poſt conſecrationem, Mauritio Auguſto explere compulſus fuit & Sanctus Gregorius Magnus, in expoſitione quarti Pſalmi pœnitentialis eamdem meritò damnans de ſimonia. Utique ex parte ſolius exigentis. Abſit enim, ut Magnum Gregorium, ejus ſanctiſſimos ſucceſſores, & plurimos per omnem Eccleſiam Epiſcopos, qui per violentiam ſolverunt, credam ſimoniacos. Fuit coacta redemptio barbaræ violentiæ, quam non poterant de Regum rapacibus manibus afeſtucare. Efeſtucaturus Sanctus Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus exulare maluit, quam vel obulum pendere Guilielmo ſecundo Anglorum Regi. Quod laici Principes, nec ad publicas Reipublicæ utilitates aut neceſſitates, ſine ſimonia poſſint à promovendis Epiſcopis aut Abbatibus quid exigere, res eſt nimiùm manifeſta. Et qui in templo Judaico columbas vendiderunt, eorum cathedræ flagellante Domino ceciderunt: Undè & uſque nunc fuit, & uſque ad ſæculi finem ſimonia erit everſiva regnorum. Hanc ergò barbaricam, & Romanum imperium fœdiſſimè maculantem conſuetudinem, in ſextæ Synodi confirmandæ gratiam, ad Agathonis Pontificis preces, diminuit, ad iteratam autem Benedicti ſecundi inſtantiam penitùs exſtinxit Conſtantinus Auguſtus. *Benedictus ſecundus*, inquit Anaſtaſius Bibliothecarius, *ſuſcepit Divales juſſiones clementiſſimi Conſtantini Magni Principis, per quas conceſſit, ut perſona, qui electus fuerit ad Sedem Apoſtolicam, e veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur.* Ceſſit, non tantùm exactioni, ſed & Electi Pontificis confirmationi. Utraque enim ſacris Canonibus, Eccleſiaſticæ libertati, ac Divinis Romanæ Eccleſiæ privilegiis capitaliter adverſabatur. Attamen Conſtantinus ità honoravit ſolam Eccleſiam Romanam. Remanſit jugum ſuper alias Patriarchales ſedes, etiam Conſtantinopolitanam, uſque ad Turcicam captivitatem: Tunc à Mahomete Principe fuiſſe remiſſum teſtatur Phranzes in chronico. Reſtituit Symeon Trapezuntinus, oblatis quingentis florenis à barbaro Rege mercatus ſacrilegè Patriarchatum. Creviſſe primùm ad duo, deindè ad tria florenorum millia Zygomalas in Turco-Græcia, & Chronicon Conſtantinopolitanum, tandem verò reductum ad duo affirmat Malaxus in hiſtoria Patriarcharum. Additum poſteà eſt & aliud tributum, quod quotannis Patriarchæ debeant barbaro: Primum Peſceſion, ſecundum Charatzion à Græcis nominatur.

Duplex occurrit quæſtio circa præcedentia. Prima eſt, An Theodorus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Vicarius, cujus in Synodo Apocriſarius fuit Georgius Presbyter & Monachus, fuerit Epiſcopus neſcio cujus ſedis, an Presbyter laudatæ Eccleſiæ? Etenim ſupra conjecturavi fuiſſe forſan Dorenſem Epiſcopum; at verò Acta noſtra ſynodalia affirmant Presbyterum: Ità etiam vocat ipſe Georgius in ſubſcriptione definitæ fidei, ſermonis Proſphonetici, & Relationis ſynodalis ad Papam Agathonem. Reſpondeo tamen fuiſſe Epiſcopum. Eo namque tempore vacantes Eccleſiæ, Romanam excipe, non per Capitulum, aut Vicarium Presbyterum, ſed per Viſitatorem ſeu Interceſſorem Epiſcopum gubernabantur. Neque novum eſt Epiſcopum vocari Presbyterum. Ità vocari poſſit Theodorus, quod in prima Palæſtina eſſet ſenior Provincialis. Et cur nequeat eſſe mendum? Laudatæ namque ſubſcriptiones etiam Theodorum Melitinæ Epiſcopum, quem certum eſt fuiſſe ſecundæ, vocant Metropolitam primæ Armeniæ.

Altera quæſtio eſt, Quomodò Legati Apoſtolici ſine contradictione paſſi ſint Georgium Patriarcham Conſtantinopolitanum aſſiduè ſedere, loqui, ſubſcribere primo loco ante ſedem Alexandrinam, & Patriarcham Antiochenum? Quomodò paſſi ſunt ejus Sedem vocari Apoſtolicam? Etenim Remenſis ſub Leone nono Pontifice Synodus *Excommunicavit Sancti Jacobi Archi-Epiſcopum Gallicienſem, quod contra fas ſibi vendicaret culmen Apoſtolici nominis.* Culmen iſtud Conſtantinopolitano nequaquam competere declaravit abundè Sanctus Leo magnus in litteris adversùs ambitum Anatolii. Reſpondeo Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum ſuperbiam ſemper creviſſe uſque ad affectatum ſupremum Eccleſiæ Primatum, & apertum ſchiſma. Hac in Synodo, uti & in ſeptima poſtmodùm, ob Eccleſiæ pacem Romani Legati diſpenſatoriè multa diſſimularunt. Et benefica iſta juſſio fuit omninò miſſa, & ab Agathone Pontifice recepta. Synodalis Relatio, neſcio quibus de cauſis, dilata fuit; interim quartò Idus Januarias, indictione decima, anno Domini ſexcenteſimo octuageſimo ſecundo, objit laudatus Pontifex, atque ità & Relationem & Romanos Legatos Princeps detinuit uſque ad promotum novum Pontificem, Synodi confirmationem ab illo petiturus. Lucidè id affirmat novus Pontifex Leo ſecundus in litteris Synodi confirmatoriis, Principi directis. *Legatos hujus Apoſtolicæ Sedis, Ma-*

tris veſtræ Romanę Eccleſię, Pietatis veſtrę ſervulos, Theodorum & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum, filios noſtros, qui à Prędeceſſore meo Apoſtolicę memorię Agathone Papa per octavam indictionem pro cauſa fidei illuc directi fuerant, per nuper elapſam decimam indictionem, menſe Julio, cum Divalibus Clementię veſtrę apicibus & ſynodalibus geſtis ſuſcepimus. Pro *Decima* legendum eſt, *Indictione duodecima:* Etenim poſt Agathonis mortem Apoſtolica Sedes vacavit anoo integro, menſibus ſeptem, diebus quinque, ac ordinatus tunc eſt Sanctos Leo ſecuodus, die decimo quinto menſis Auguſti. Adeò diuturnæ vacationis cauſam aperit Sanctus Nicepborus Patriarcha io Chronico: *Theodorus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ob hæreſio Monotbeliticam ac varias io Romanam Eccleſiam inſolentias dejectus, *reſtituitur, anno uno, tribus menſibus*. Eo ipſo anno, quo ad meliorem vitam abiit S. Agatbo, in ſedem ille rediit, coram Legatis Apoſtolicis doloſam pœnitentiam egit, novi Pontificis creationem per reconciliatum ſibi Principem, ſine cujus licentia fieri non poterat, moratus eſt, & ad exequendas cogitationes ſuas detineri eò uſque Legatos perſuaſit. Firmo teſtimooio hæc nequeam adſevetare: Verùm quæ alia cauſa tantarum in creando Pontifice morarum? Novo itaque Pontifici, nec non nuperæ centum viginti quinque Epiſcoporum ſub Agathone Romanæ Synodo, à qua dogmaticas & directrices acceperat litteras, ſolenniter ac bonorificè ſuos remiſit Legatos, præſentem Synodum confirmari petiit & quoad fidei definitionem & quoad damnatas perſonas. Et adjuoxit. *Hortamur veſtram ſacratiſſimam Summitatem, ut quam primùm mittat deſignatum ab ea Apocriſarium, ut is in Regia urbe degat, & in emergentibus, ſive dogmaticis, ſive canonicis, ac prorsùs in omnibus Eccleſiaſticis negotiis, veſtræ Sanctitatis exprimat ac gerat perſonam*. Loquitur adversùs audaciam Pauli Patriarchæ, qui Latinum altare in domo Placidia deſtruens ſperarat firmare perpetuum ſchiſma, ac in perpetuum excludere Legatos Romanos.

Legatos Princeps non remiſit vacuos. Quomodò ad Agathonem Divales juſſiones Papalis conſecrationis tributum relevantes, ità ad Leonem ſecundum miſit juſſiones, de quibus Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Joannis quinti Pontificis, qui Diaconus fuerat unus Legatorum. *Expleta ſexta Synodo, Joannes à Clementiſſimo Principe relaxatus magnum gaudium Eccleſiæ ſecum detulit, id eſt, ipſam ſextam Synodum, vel Edictum Clementiſſimi Principis confirmans eandem Synodum: Nec non & alias Divales juſſiones, relevantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ & Calabriæ non pauca, ſed & præceptum frumenti ſimiliter, vel alia diverſa*, utique à Patre ejus Conſtante crudeliter impoſita, *quę Romana Eccleſia annuè minimè poterat perſolvere*. Quare præſentem Synodum lubenter & plenè quoad omnia confirmavit Leo ſecundus. Benedictus ſecundus recipi fecit etiam ab Hiſpanis, adversùs Græcorum Synodos ob quintæ de tribus Capitulis Acta recalcitrantibus, uti videre eſt apud quartam decimam Synodum Toletanam. Eamdem coofirmavit Juſtinianus ſecnodus Auguſtus, noſtri Conſtaotini filius & ſucceſſor: Recepit omnis ſub cœlo Eccleſia, inſertam tandem profeſſioni Romani Pontificis, ac omnium ſub cęlo Epiſcoporum. Eam è Græco Latinè redditam ab ipſo Leone Pontifice, Anaſtaſius teſtatur.

Addit in vita Sancti Agathonis. *Macarius cum ſuis amatoribus, id eſt, Stephano, Anaſtaſio ex-Presbyteris, & Leontio ex Diaconis, Polychronio, Epiphanio ex-Presbyteris, truſi in exilium in Romanam directi ſunt civitatem*. In vita Leonis ſecundi ait Anaſtaſium Presbyterum, Leontium fuiſſe Diaconum Eccleſiæ Cooſtantinopolitanæ, à præſenti Synodo necdùm anathematizatos. At quæſtio eſt, Quomodò Ex-Patriarcha Macarius, Stephanus ejus Syncellus, demens Polychrooius, omninò anathematizati, ſiot miſſi Romam in exilium? Oaſin quippè aut Cucuſum deportari cooſueverunt hæreſiarchæ: Quomodò Romana urbs cœpit in exilium demutari? Exponit Conſtantious Auguſtus in litteris ad Leonem ſecondum. *Sanctum & univerſale Concilium inſanum Macarium cum illius hæreſeos ſociis Pontificali habitu nudavit. Omnes verò ſcriptis precibus Serenitatem noſtram precati ſunt, ut eos ad veſtram Beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eoſque ad vos miſimus, veſtro Paterno judicio omnem ipſorum cauſam permittentes*. Macarius ergò cum ſuis damnatis aſſeclis à Synodi ſententia appellavit Romam ac Sedem Apoſtolicam, & neque Princeps neque Synodus præſumpſit non deferre. Ex quo liquet Dominum Papam eſſe generali Synodo majorem ac ſuperiorem. Et quidem Anaſtaſius Presbyter ac Leontius Diaconus ad mentem per pœnitentiam reduces receperunt in die ſancto Theophaniæ pacem à Pontifice & Eccleſiæ communionem: *Exponentes per propria ſcripta fidem ſuam, juxta quod & ſancta Synodus determinavit, anathematizantes omnes hæreticos, & ſupra ſcriptos viros complices, quos ſancta Synodus vel Sedes Apoſtolica anathematizavit*. At verò Macarius, Stephanus, Polychronius, Epiphanius manſerunt obſtinati, ideòque *per diverſa monaſteria ſunt* in carceres *detruſi*. De Macario addit in ſeptima Synodo Petrus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, ac Adriani primi Pontificis Legatus. *Et Romæ quoque extorris erat Macarius à ſancta Synodo ſexta damnatus: Verùm piæ memorationis Pater noſter Benedictus* ſecundus Pontifex *deliberandi ſpacium per triginta dies illi conceſſit, & quodam tempore Bonifacium Conſiliarium ad eum miſit, quò verbis admonitione plenis ex ſacra Scriptura illum inſtrueret. Verùm ad meliorem mentem haudquaquam perduci potuit. Id autem Pater beatus ob id egit, quò illum rursùs in priſtinum ſtatum reciperet*. Defuncto, qui quinque ſedit annis, Theophanio, volebat, diſpenſatorio pacis amore, Benedictus ſecundus levare ac in gradum reſtituere Macarium: At fruſtrata in Æthiope fuit illius pietas, atque ità in Romanis carceribus eſt infelix Macarius defunctus. Eccleſia Antiochena habet & ſanctum Patriarcham Macarium, à Flandris noſtris dilectum, cujus Acta & vitam habet Laurentius Surius ad diem decimam Aprilis.

Reſtant aliquot quæſtiones. Prima eſt, quomodò

modò

modò præſens Synodus non damnarit etiam
Theodorum Ex-Patriarcham Conſtantinopolita-
num, ob nimias pro hæreſi Monothelica in Se-
dem Apoſtolicam contumacias à Conſtantino
Auguſto, haud dubiè de Sanƈti Agathonis Pon-
tificis juſſu atque licentia, ejeƈtus proximè ante
Synodum è ſede? Synodus enim diſcuſſit atque
damnavit cunƈtos huic ſchiſmati quovis modo
commixtos, Epiſcopos, Clericos, Monachos,
vivos, mortuos. Diſcuſſit etiam Thomam,
Joannem, Conſtantinum, Patriarchas ortho-
doxos, circa eorum Aƈta & ſcripta perſcrutans
omnem Hieruſalem in lucernis. Quomodò ergò
pepercerit uni nequiſsimo adhuc viventi Theo-
doro? Et in vita Sanƈti Agathonis ait Anaſtaſius
Bibliothecarius. *Deindè protulit Conſtantinus Au-*
guſtus tomum ad relegendum, in quo vanum hære-
ticum dogma Macarii erat conſcriptum, & ejus ma-
nu ſubſcriptum, apertiſſimè unam voluntatem in
Domino affirmantis. Sub ipſius ſcriptione & Theo-
dori Ex-Patriarchæ, utique juxta eum tenorem,
Aƈt. 14. *ibi ſubſcriptio erat*. Eum etiam ad quintæ Synodi
Aƈta falſanda fuiſſe Macario cooperatum teſta-
tus eſt Georgius Presbyter ac Monachus Antio-
chenus. Dubitandum non videtur, quin ob
ejuſmodi fuerit Theodorus omninò damnatus.
Reſpondeo non dubitandum. Adduƈta argu-
menta plenè me convincunt. Et hæc eſt cauſa
Papalis creationis ultra annum & medium di-
latæ, & detentorum eò uſque poſt Synodum
in Regia civitate Legatorum Apoſtolicorum.
Defunƈto namque Georgio Patriarcha, ambi-
tioſus Theodorus ſimulavit, & coram eiſdem
Legatis egit erroris pœnitentiam, Eccleſiaſti-
cam communionem & cathedram Patriarcha-
lem recepit, impetravit è damnatorum catalo-
go expungi nomen ſuum & radi omnia in ſe
aƈta, atque amore pacis Leo ſecundus acquie-
vit. Nam & ex eodem amore Benediƈtus ſecun-
dus volebat reſtituere peſſimum Macarium.

Altera quæſtio eſt, An Honorius Pontifex
reverà fuerit à ſexta Synodo damnatus? Eſt quæ-
ſtio ſcabroſa, in qua audire malim. Pro parte af-
firmativa facit auƈtoritas præſentium Aƈtorum
ſynodalium, quæ binas Honorii ad Sergium Pa-
triarcham dogmaticas litteras maturiſſimè diſcuſ-
ſerunt, ſuper illis deliberarunt, & tandem unà
cum perſona damnarunt. Damnationem etiam
fidei decreto inſeruit. Eamdem laudant ſermo
acclamatorius ad Principem, Relatio ſynodalis
ad Sanƈtum Agathonem, ad eumdem ac Leo-
nem ſecundum ejus ſucceſſorem litteræ Conſtan-
tini Auguſti, ac in laudati Leonis vita Anaſta-
ſius Bibliothecarius. Et Sanƈtus Tharaſius Pa-
triarcha Conſtantinopolitanus in litteris ad Ec-
cleſiam Alexandrinam, Antiochenam, ac Hie-
roſolymitanam, leƈtis & probatis in tertia Aƈtio-
ne ſeptimæ Synodi. *Per ſextam Synodum, ſicut*
ex duabus naturis Chriſtum, ex quibus & eſt, olim
didiceram, ità & duas naturales voluntates & ope-
rationes ejus in utraque natura credidi, humana ſci-
licet & Divina: Submittoque anathemati Cyrum,
Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paulum, & om-
nes conſeƈtatores eorum, utique à ſexta Synodo
damnatos. Et Theodorus Patriarcha Hieroſoly-
mitanus in litteris ſynodicis, ibidem leƈtis ac
probatis. *Sexta Synodus quemadmodum alius ſol*
emicuit: Anathematizavit Sergium, Pyrrhum, Pe-
trum, Cyrum, Honorium, Theodorum Pharanita-
num, & Polychronium delirum ſenem. Addit Sy-
nodo adfuiſſe Epiſcopos ducentos oƈtuaginta no-
vem. Et ipſa ſeptima Synodus in fidei decreto
per Romanam Eccleſiam confirmato: *Sexta Sy-*
nodus abjecit Sergium, Honorium, Cyrum, Pyr-
rhum, Macarium, & eos, qui ſine voluntate ſunt
pietatis, atque iſtis ſimilia ſentientes. Et in ſermo-
ne ad Principem Conſtantinum & Irenem accla-
matorio, ac in litteris ad Eccleſiam univerſam
iſtud ipſum confirmat. Et oƈtava generalis Sy-
nodus in fidei ſeu profeſsione ſeu decreto, per
Apoſtolicam Sedem item comprobato. *Anathe-*
matizamus Theodorum, qui fuit Epiſcopus Pharan,
& Sergium, & Pyrrhum, & Paulum, & Petrum,
impios Præſules Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ,
atque cum eis Honorium Romæ, unà cum Cyro Ale-
xandriæ, nec non & Macarium Antiochiæ, & di-
ſcipulum ejus Stephanum, qui ſine voluntate et
operatione animatam anima rationali Dei carnem
prædicaverunt. Et Adrianus ſecundus Pontifex
in Romana ſua adversùs impium Photium Sy-
nodo, apud oƈtavam laudatam leƈta & probata.
Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præ- Aƈt. 7.
ſulibus judicaſſe legimus, de eo verò judicaſſe quem-
quam non legimus. Licèt enim Honorio ab Orienta-
libus poſt mortem anathema ſit diƈtum, ſciendum ta-
men eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter
quam ſolam licitum eſt minoribus Majorum ſuorum
motibus reſiſtere, vel pravos ſenſus liberè reſpuere.
Quamvis & ibi nec Patriarcharum nec cæterorum
Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fuerit proferendi
ſententiam, niſi ejuſdem primæ Sedis Pontificis
conſenſus præceſſiſſet, auƈtoritas. Damnatum fuiſ-
ſe eum expreſſa Agathonis Pontificis licentia af-
firmat & noſtra præſens Synodus in relatione ad
laudatum Agathonem: *Eos, quos inter Hono-*
rios, *anathematibus interfecimus ex ſententia per*
veſtras litteras de iis priùs lata. Et Romani
Pontificis antiqua profeſsio damnat omninò
etiam Honorium.

Pro parte autem negativa faciunt hæ ipſæ lit-
teræ, in quibus idem Pontifex ac ejus Romana
Synodus Honorium ab omni hæreſi lucidè
expurgant, vetantque damnari ullum, niſi à
ſeſe, aut Lateranenſi Sanƈti Martini Pontificis Sy-
nodo damnatum, inter quos certum eſt non
fuiſſe Honorium. Quis hocce momentoſiſsimum
mandatum credat à Legatis ſpretum fuiſſe aut
negleƈtum? Et hinc Eminentiſsimus Dominus
Cardinalis Cæſar Baronius credit Aƈta ſynodalia
falſata à jam diƈto Patriarcha Theodoro, qui in
Romanam Eccleſiam implacabilis pro ſuo eraſo
Honorii nomen inter damnatos inſcripſerit.
Eum egiſſe ait eum præſenti, quomodò Theo-
dorus Cæſareenſis in Cappadocia Archi-Epiſco-
pus & Juſtinianus Auguſtus egerunt cum Syno-
do Chalcedonenſi, purgandam aſſeverantes à
nævo trium Capitulorum. Hanc ille non pur-
gandam, ſed ſupplendam atque ornandam per-
ſuaſit addita damnatione Honorii. Eam egit
per Principem ac detentos Romanos Legatos.

Et ità error etiam ad ſeptimam & octavam Synodum fuit propagatus.

Verùm dura ſunt iſta: Apoſtolicos Legatos arguunt manifeſtæ in re longè graviſſima prævaricationis. Quomodò in vita Joannis quinti, unius è Legatis, Anaſtaſius Bibliothecarius eos reduces affirmat ab omni Romana Eccleſia ſuſceptos fuiſſe omni gaudio tanquam ob Apoſtolicas vices feliciſſimè geſtas? Quomodò dicit de Leone ſecundo Pontifice? *Hic ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum, in qua condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius.* Quis Theodorus librum Pontificalem vitiavit? Quare labitur Bibliothecæ Photianæ Scholiaſtes, affirmans dictæ impoſturæ Anaſtaſium palàm adverſari? Quomodò nullus unquam Romanus Pontifex, nullus per ea tempora Eccleſiæ Latinæ Pater impoſturam detexit, arguit, abraſit? Certè Adrianus ſecundus Pontifex, dicens de Apoſtolicæ Sedis licentia damnatum Honorium, omninò locutus eſt ex authenticis archivis Eccleſiæ Romanæ. Quis eum intruſit in Romani Pontificis profeſſionem, à qua damnatur, non ut hæreticus, ſed tamquam *Qui pravitati hæreticæ præbuerit fomenta*?

Apoſtolici ad Græcorum Synodos ac Principes Legati paſſim à Romano Pontifice acceperunt duplicia mandata, commonitoria, inſtructiones: Publica ſeu patentalia, ac ſecreta. Liquet ex Regeſto ac Epiſtolis Hormiſdæ Pontificis, quas inter etiamnum exſtat ſecreta inſtructio data Legatis ad Anaſtaſium & Juſtinum Auguſtus. Probari poſſit etiam ex litteris Sanctorum Georgii ac Leonis. Quapropter duplicia mandata habuerunt etiam Legati ad præſentem Synodum. Publica ſeu patentalia mandabant damnari ſolas à Martino primo aut Agathone Papa damnatas perſonas, lucidèque eximebant Honorium. Verùm quid ſi orthodoxi Græcorum Epiſcopi illum in prophanis hæreticorum Dyptichis ubique radiantem velint damnatum, aliàs in Eccleſiarum pacem non conſenſuri? Eum quippè ut ſuum ebuccinarant ubique mendaces Monothelitæ, & plurimis etiam orthodoxis perſuaſerant. Hoc ergò in caſu ſecreta Legatorum inſtructio eum diſpenſatoriè damnari, & pro plurimorum ſalute immolari, utpotè qui aliquid cauſæ dederat, permiſit. Et ità eſt omninò ſactum. Eoque omninò reſpexit Adrianus ſecundus, ajens Honorio poſt mortem dictum Anathema, non ab univerſa Eccleſia, ſed ab Orientalibus: Romana namque & omnis Latina Eccleſia ad anathema iſtud diſpenſatoriè ſolummodò tacuit & diſſimulavit. Et hinc ipſum ſuis Synodi confirmatoriis litteris inſeruit etiam Leo ſecundus.

Tertia tandem quæſtio eſt, An hæ Leonis ſecundi tam ad Conſtantinum Auguſtum, quàm ad Hiſpaniæ Epiſcopos, Epiſtolæ ſint legitimæ? Etenim & ipſas D. Cardinalis Baronius adfirmat ſpurias & ſuppoſitas. De priore probat ex tribus argumentis. Primò, quod ipſa dicat à Conſtantino Auguſto ſcriptum pro habenda Synodo ad Agathonem Pontificem, cùm tamen ſcriptum fuerit ad ſolum Donum ejus Præceſſorem. Secundò, quod ſibi ipſi adverſetur Epiſtola in tempore ac indictione: Etenim data ſcribitur nonis Maii, indictione decima, & tamen Auguſtas quibus reſpondet litteras, Romam adveniſſe dicit menſe Julio ejuſdem indictionis. Et data eſſe debuit, non decima, ſed duodecima indictione. Tertiò, quod poſt damnatum cum Monothelitis Honorium addat; *Et omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt, ſimiliter anathematizamus.* Hiſce verbis aſſeri exiſtimat D. Cardinalis Honorium in errore defunctum, quod à vero & Leonis ſecundi pietate eſt penitùs alienum. In Epiſtola poſteriori arguit hæc verba: *De diverſis Conciliis huic ſanctæ Apoſtolicæ Sedi ſubjacentibus Archi-Epiſcopi ſunt à nobis* ad ſextam Synodum *deſtinati*. Nullus enim miſſus fuit Archi-Epiſcopus, ſed tres dumtaxàt Epiſcopi: Et ab Agathone miſſi ſunt, non à Leone.

Reſpondeo tamen hæc non convincere. Ad primum dico à Conſtantino pro habenda Synodo fuiſſe omninò ſcriptum etiam ad Agathonem. Diſertè id adfirmat ipſe Princeps in litteris ſuis ad Leonem ſecundum, & Gregorius ſecundus in litteris ſuperiùs laudatis ad Leonem Iſaurum, dicens ſcripſiſſe Principem perſuaſum à Georgio Patriarcha, qui ſedere non cœpit, niſi ſub Agathone. Ad ſecundum reſpondeo diem & Conſulem, quod & D. Cardinalis fatetur, facillimè olim ab imperitis aut negligentibus librariis fuiſſe in numero vitiatos. Ad tertium dico illam clauſulam nequaquàm extendi neceſſariò etiam ad Honorium. Ad quartum dico miſſos etiam Archi-Epiſcopos; at per Legatos. Adfuit enim Legatus Archi-Epiſcopi Ravennatis: Et tres Epiſcopi miſſi tenuere vices omnium per Occidentem & Septemtrionem Archi-Epiſcoporum. Et vox illa, *A nobis*, æquivalet huic, *A Romanis Pontificibus*. Res lucida non eget exemplis. Et priorem Epiſtolam Paulus quintus Pontifex, tamquam legitimam Synodi confirmationem, nuper edi juſſit typis Vaticanis.

CANO-

Digitized by Google

CANONES
CONCILII TRULLANI.
CANON PRIMUS.

ORdo eſt optimus ei, qui omnem orationem & rem incipit, & à Deo incipere & in Deum deſinere, ut dicit Theologus. Quocircà cùm & pietas à nobis clarè prædicetur, & Eccleſia, in qua Chriſtus eſt fundamentum, aſſiduè augeatur ac promoveatur, ut ea ſupra cedros Libani extollatur: & nunc ſacros Canones ordientes, ſtatuimus fidem à Verbi miniſtris, quique ipſum ſuis oculis viderunt, & à Deo electi ſunt, Apoſtolis traditam, citra ullam innovationem, immutabiliterque ac inviolabiliter eſſe ſervandam. Prætereà autem & trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum, qui Nicææ convenerunt ſub Conſtantino, qui fuit noſter Imperator, adversùs impium Arium, & gentilem ab eo dogmatizatam Deitatis diverſitatem, vel Deorum potiùs, ut aptiùs dicam, multitudinem; qui nobis unanimi fidei agnitione conſubſtantialem, in tribus divinæ naturæ conſiſtentibus perſonis, & revelarunt & declararunt, hanc ſub ignorantiæ modio abſconſam eſſe non ſinentes, ſed Patrem & Filium & Spiritum Sanctum una adoratione fideles adorare apertè docentes: & inæqualium divinitatis gradum opinionem detrahentes ac divellentes; & ab hæreticis ex arena conſtructa adversùs rectam opinionem puerilia ludibria dejicientes & ſubvertentes. Similiter & eam quæ ſub Theodoſio majore, qui fuit noſter Imperator, à centum quinquaginta ſanctorum Patribus, qui in hac urbe imperante convenerunt, prædicata eſt, fidem confirmamus, de Spiritu Sancto voces, quæ eum Deum eſſe ſtatuunt, amplectentes, & prophanum Macedonium unà cum prioribus veritatis inimicis expellentes; ut qui eum, qui dominatur, ſervum eſſe decernere auſus ſit, & inſectibilem unitatem ſecare prædonis more voluerit, ut non eſſet perfectum fidei noſtræ myſterium: unà etiam cum iſto odioſo ac deteſtabili quique adversùs veritatem fuit rabie percitus, etiam Apollinarem ejuſdem iniquitatis myſtam unà condemnantes: qui Dominum corpus mente & anima non præditum ſumpſiſſe impiè eructavit, hinc quoque & iſte imperfectam nobis factam ſalutem ratiocinans. Jam verò & quæ in Epheſiorum civitate à ducentis divinis Patribus ſub Theodoſio Arcadii filio Imperatore noſtro expoſitæ ſunt, doctrinas

tamquam

tamquam infractum pietatis robur obſignamus, unum Chriſtum Filium Dei & incarnatum prædicantes, & quæ ipſum ſine ſemine peperit, impollutam ſemper Virginem, propriè & verè Deiparam decernentes, & ineptam Neſtorii diviſionem, tamquam à divina ſorte ſemotam perſequentes, hominem ſeparatim unum Chriſtum decernentis, & impietatem Judaicam renovantis. Quin etiam quæ in Chalcedonenſium Metropoli ſub Martiano, qui fuit & ipſe Imperator noſter, à ſexcentis triginta deſcripta eſt Patribus, fidem orthodoxè confirmamus: quæ unum Chriſtum Filium Dei ex duabus naturis creditum, magna ac ſublimi voce terrarum finibus tradidit; & ſtultè ac ineptè ſentientem Eutychen, qui magnum œconomiæ myſterium apparentia perfectum eſſe dicebat, tamquam vertendum aliquod portentum tetramque peſtem, ex ſacris Eccleſiæ ambitibus exturbavit. Una autem cum eo etiam Neſtorium, & Dioſcorum, quorum ille quidem diviſionis, hic verò confuſionis defenſor erat & propugnator: qui quidem ex impietatis diametro ad unum perditionis & abnegationis Dei barathrum deciderant. Sed & centum ſexaginta quinque divinorum Patrum in hac civitate imperiali congregatorum ſub Juſtiniano piæ memoriæ, qui fuit Imperator noſter, pias voces ut à Spiritu editas cognoſcimus & poſteros noſtros docemus, qui Theodorum Mopſueſtiæ Neſtorii magiſtrum, & Origenem & Didymum, & Evagrium, qui gentiles fabulas rursùs ficta retulerunt, & corporum quorumdam, & animarum circuitiones & immutationes ſeu tranſmigrationes de integro ruminaverunt, ſuis quibuſdam mentis deliriis ac ſomniis: & in mortuorum reſurrectionem impiè ac contumelioſè inſultarunt: & quæ à Theodoreto ſcripta ſunt adversùs rectam fidem & duodecim Beati Cyrilli capita, *&* eam, quæ dicitur Ibæ, Epiſtolam ſynodicè anathematizarunt *&* execrati ſunt. Porrò ſextæ quoque ſanctæ Synodi, quæ in hac civitate imperiali ſub divæ memoriæ Imperatore noſtro Conſtantino pridem congregata fuerat, fidem, quæ majorem ex eo firmitatem accepit, quod pius Imperator eam ſcriptam ſuo ſignaculo muniit ad futuram in omnia ſæcula ſecuritatem non movendam nec agitandam, nos ſervare rursùs profitemur; quæ duas naturales voluntates ſeu volitiones, duaſque naturales operationes in incarnata Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei œconomia nos piè opinari debere, apertè docuit; iis qui rectum veritatis decretum adulteraverunt, *&* unam voluntatem ac operationem unam in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto populos docuerant, pia ſententia condemnatis. Teodoro (inquimus) Pharan, Cyro Alexandriæ, Honorio Romæ, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, qui in hac à Deo ſervata civitate præſederunt; Macario, qui fuit Antiochenſium Epiſcopus, Stephano ejus diſcipulo, *&* inſipiente Polychronio: hac ratione intacto *&* illibato communi corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti ab eis ſervato. Atque ut ſemel dicamus omnium, qui in Dei Eccleſia decora, ornamentaque fuerunt, *&* luminaria in mundo, vitæ rationem obtinentia, firmam fidem valere, *&* uſque ad ſæculi conſummationem inconcuſſam, ac illabefactatam permanere

manere

manere ſancimus, eorumque ſcripta ac decreta divinitùs tradita: rejicientes omnes, & anathematizantes, quos rejecerunt, & anathematizarunt, ut veritatis inimicos, & qui adversùs Deum inaniter fremuerunt, & iniquitatem in altum meditati ſunt. Si quis autem ex omnibus prædicta pietatis decreta non tenet & amplectitur, ſicque opinatur & prædicat, ſed iis contra adverſari conatur, ſit anathema, ſecundùm prius expoſitum declaratorum ſanctorum, & beatorum Patrum decretum, à Chriſtiano quoque catalogo ut alienus extrudatur & excidat. Nos enim juxta priùs definita neque aliquid adjicere, neque quicquam adimere omninò ſtatuimus, vel ullo modo potuimus.

SCHOLION.

CAnon ſingulariter commendat factam nuper ſextam Synodum, utpotè necdum liberam ab occultis peſſimorum hoſtium inſidiis, quorum unus, neſcio quis in Calliſtrati Monaſterio malè feriatus ac Aſtrologica judicia vendens Monachus, apud Theophanem dixit ad Bardanem Philippicum, nobilem Palatinum. *Imperium tibi eſt repoſitum. Hoc autem dico, quia ſexta Synodus malè facta eſt; ſi ergò imperaveritis, hanc projice, & imperium tibi fiet forte atque longævum.* Et miſer Philippicus *eum juramento ſpopondit ſe facturum*. Stetitque promiſſis. Etenim factus Auguſtus ſextam Synodum damnari ſynodaliter fecit à Pſeudo-Epiſcopis, & Conſtantino Pontifici, non conſuetam orthodoxæ fidei atque obedientiæ, ſed contumacem & execrabilem Monothelitici dogmatis profeſſionem miſit, de qua Anaſtaſius Bibliothecarius. *Ejus ſacram cum pravi dogmatis execratione Conſtantinus ſuſcepit, ſed cum Apoſtolicæ Sedis conſilio reſpuit. Hujus rei cauſa, zelo accenſus omnis cœtus Romanæ urbis imaginem, quam Græci votaream vocant, ſex continentem ſanctas & univerſales Synodos, in Eccleſia Beati Petri erexere.* Laudatas quippè Synodos in Eccleſia Conſtantinopolitana depictas abradi juſſerat Philippicus, ideòque injuriam illam in Romana Eccleſia Pontifex ac Romanus populus compenſarunt. Ejuſmodi verò Conſtantinopoli imaginem ad perfectam ſanctarum Synodorum Auguſtus, ſextæ præſertim firmitatem erexerat haud dubiè Conſtantinus imitatus Juſtinianum, qui Chalcedonenſem firmaturus omnes quatuor primas juſſit ſacris Eccleſiarum tabulis inſcriptas ad ſolenne ſacrificium omni populo recitari. Imaginem Conſtantinopoli pòſt repoſuit Theodoſius Auguſtus, uti in vita Gregorii ſecundi Pontificis refert laudatus Bibliothecarius. In vita Benedicti tertii addit Romæ in Eccleſia Sancti Petri adjunctam fuiſſe & ſeptimæ Synodi imaginem à Leone Papa quarto. Ità pro noviſſima Synodo & adversùm graſſantes ejus rebelles ſolicita ſingulariter ac ſemper fuit Eccleſia, adeòque & hodie nos eſſe debemus pro ſacroſancta Synodo Tridentina.

CANON II.

HOc quoque huic ſanctæ Synodo pulcherrimè & honeſtiſſimè placuit, ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi ſtabileſque maneant, qui à ſanctis Patribus, qui nos præceſſerunt, ſuſcepti ac confirmati ſunt, atque adeò nobis etiam traditi ſunt Sanctorum & glorioſorum Apoſtolorum nomine octoginta quinque Canones. Quoniam autem in his nobis Canonibus præceptum eſt, ut eorundem Sanctorum Apoſtolorum per Clementem conſtitutiones ſuſciperemus, quibus jam olim ab iis, qui à fide alieni ſentiunt, ad labem Eccleſiæ adſpergendam adulterina quædam & à pietate aliena introducta ſunt, quæ Divinorum nobis decretorum elegantem ac decoram ſpeciem obſcurarunt, has conſtitutiones ad Chriſtianiſſimi gregis ædificationem ac ſecuritatem conducibiliter rejecimus, hæreticæ

ticæ falſitatis fœtus nequaquam admittentes & germanæ ac integræ Apoſtolorum doctrinæ inſerentes. Obſignamus etiam reliquos omnes Canones, qui à ſanctis & beatis noſtris Patribus expoſiti ſunt, id eſt, à trecentis decem & octo ſanctis ac deiferis Patribus, qui Nicææ convenerunt, iiſque qui Ancyræ, & iis etiam qui Neocæſareæ, ſimiliter & qui Gangris, præterea & iis qui in Antiochia Syriæ; atque iis etiam qui in Laodicea Phrygiæ: præterea autem & centum quinquaginta Patribus qui in hac à Deo conſervanda & imperiali civitate convenerunt; & ducentis qui in Epheſiorum Metropoli priùs coacti ſunt; & ſexcentis triginta ſanctis & beatis Patribus, qui Chalcedone: ſimiliter & iis qui Sardicæ, & qui Carthagine, & qui rursùs in hac Dei cultrice & imperatoria urbe convenerunt ſub Nectario, qui imperanti huic civitati præſidebat, & Theophilo qui fuit Alexandriæ Archi-Epiſcopus. Quin etiam Canones Dionyſii qui fuit Archi-Epiſcopus magnæ Alexandrinorum civitatis; & Petri qui fuit Alexandriæ Archi-Epiſcopus & Martyr; Gregorii Neocæſareæ Epiſcopi Thaumaturgi; Athanaſii Alexandrini Archiepiſcopi, Baſilii Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ; Gregorii Epiſcopi Nyſſæ, Gregorii Theologi, Amphilochii Iconii, Timothei Archiepiſcopi Alexandriæ, prioris Theophili Archiepiſcopi ejuſdem Alexandriæ, Cyrilli ejuſdem Alexandriæ Archiepiſcopi, & Gennadii qui fuit Patriarcha hujus à Deo conſervandæ & imperantis civitatis. Præterea verò & à Cypriano, qui Aphrorum regionis fuit Archi-Epiſcopus & Martyr, & Synodo quæ ſub ipſo fuit, emiſſum Canonem, qui in prædictorum Præſulum locis ſolum ſecundùm traditam eis conſuetudinem ſervatus eſt. Et nulli licere priùs declaratos Canones adulterare, vel non admittere, vel alios præter hic propoſitos recipere Canones à quibuſdam falſa adjecta inſcriptione compoſitos, qui veritatem cauponari conati ſunt. Si quis autem quod prædictorum Canonum aliquem innovare vel ſubvertere conetur, convictus fuerit, reus erit ſecundùm eum Canonem, ut ipſe pronunciat Canon, pœnam luens & per ipſum in eo, in quo offendit, medelam ſuſcipiens.

SCHOLION.

PRavus & antiquus, ac à Sancto Gelaſio Pontifice damnatus Græcorum mos eſt, non tantùm Epiſtolas, ſermones, tomos, ſed & Eccleſiaſticos Canones ſub alieno nomine fingere, miſcere legitimis, ſpargere per Eccleſiam, atque ità diſcretionis ſpiritum cogere ad ſolvendos nodos ejuſmodi confuſionum. Hinc prodiit illa Canonum collectio, per Synodum Chalcedonenſem diſcuſſa & probata, quam paſſim dicimus Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ. Hinc item tot aſſiduæ dietim prodierunt collectiones aliæ & aliæ, in duo jam volumina congeſtæ per Chriſtophorum Juſtellum, poſt quas tamen pleraſque Theodoſius apud Corinthios Monachus à Nicephoro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Chartophylace quæſivit, *quod hinc dubitanter & multi alii quærebant*, quinam legitimi, quinam ſpurii eſſent Canones. Et quidem Joannes tertius, cognomento Scholaſticus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Juſtiniano Auguſto Epiſcopus, ſuæ quinquaginta capitum collectioni primus non ità pridem inſeruerat octuaginta quinque Canones, apud vulgum Apoſtolicos, cùm anteriores & Græci & Latini ſolos paſſim quinquaginta noviſſent. Additos ergò ab illo Canones præſens Synodus recipit & probat. Ob ejuſdem auctoritatem admittit refutatos huc uſque à Græcis Canones Sardicenſes, quorum cauſa dictam ejus collectionem laudavit in litteris ad Michaelem Auguſtum Sanctus Pontifex Nicolaus primus.

Poſtremus Apoſtolorum Canon mandat in auctoritatem recipi etiam *Clementis* Romani Pontificis *ordinationes* ſeu conſtitutiones *Epiſcopis editas in octo libris*; at verò præſens Canon aſſerit depravatas ab hæreticis, ideòque ad apocrypha proſcribit. *Secundus ſextæ Synodi Canon*, inquit

Theo-

Theodorus Balſamon, *earum lectionem prohibuit, quod in eis adulteratio facta ſit*. Quod ipſum adſerunt, & Canonem hunc eodem rigore exponunt Joannes Zonaras & Alexius Ariſtinus. Aliter in Bibliotheca Photius. *Conſtitutiones ex tribus capitibus reprehenſioni videntur obnoxiæ. Ex mala fictione, quam depellere non eſt admodùm difficile. Deindè, quod contra Deuteronomium criminationes quaſdam adducant, quæ & ipſæ dilui facillimè poſſunt. Denique ex Arianiſmo, quem item accuratiùs paulò inſtando refellere queas.* L. 113. Nempe homo ſchiſmaticus aliquid ex illis adverſùs Romanam Eccleſiam venatur. Venatus eſt poſtmodùm & Nicetas Pectoratus, eis utens tamquam verè Apoſtolicis. At repoſuit Cardinalis Humbertus, Leonis noni Conſtantinopoli Legatus, ſe dedignari *Apocryphorum fabuloſas traditiones*. Pariter Marco Epheſio apud Xixtum Senenſem reſpondet Beſſarion Metropolita Nicænus. Earum in Clemente Romano non meminit ſcriptus à Sancto Hieronymo catalogus virorum illuſtrium, quin immò ut apocryphas abjicit in Romana ſua Synodo Sanctus Gelaſius, ejuſque judicium omnis ſemper Latina Eccleſia eſt ſecuta, noſtris nominatim temporibus D. Cardinalis Baronius, D. Cardinalis Bellarminus, D. Cardinalis Peronius, & Gabriel Albaſpinæus, doctiſſimus Epiſcopus Eccleſiæ Aurelianenſis. Quare bonas horas, quam illis vindicandis, meliùs locare potuerant Carolus Bovius & Franciſcus Turrianus. Eas Spiritu Apoſtolico pleniſſimas, ac in ſacrarum litterarum Canonem referri aptas malè dixit Thomas Stapletonus. Hauſerit forsàn ab Abyſſinis ſeu Æthiopibus, de quibus Cap. 81. Alvares: *Habent librum in octo partes diviſum, quem ab univerſis Apoſtolis Hieroſolymæ congregatis ſcriptum ferunt, quemque ipſi vulgò* MANDA ET ABETILIS *vocant*. Fuit opus editum à neſcio quo quarti ſæculi homine Ariano, variè & in dogmate & in ritu maculoſum, uti facilè poſſit oſtendi. An ſit iſtud ipſum, quod Sanctus Athanaſius & Euſebius Cæſareenſis vocant Doctrinam Apoſtolorum, longa eſt quæſtio, non penitùs malè agitata à Joanne Uſſerio in commentariis Epiſtularum Sancti Martyris Ignatii & Joanne Dallæo in proprio de hac re opere, hominibus quidem hæreticis ac deviis, tamen eruditis. Quid quid ſit, *Doctrinam* illam uterque laudatus antiquus Doctor rejicit ad apocrypha. Conſtitutionum prima & varia mentio eſt apud Sanctum Epiphanium: Quæ & ipſæ an fuerint veraciter Apoſtolicæ, Theologi certant, & adhuc ſub judice lis eſt. Erant tamen ſanæ ac immaculatæ, ideòque ab illis, quas nobiſcum præſens Synodus habuit ac damnavit, aut penitùs aut plurimùm diverſæ. Verùm moleſtas de illis & Apoſtolicis Canonibus quæſtiones in aliud tempus differamus.

Obſignamus, inquit Synodus, *etiam reliquos omnes Canones*: Nicænos, Ancyranos, Neo-Cæſareenſes, Gangrenſes, Antiochenos, Laodicenſes, Conſtantinopolitanos, Epheſinos, Chalcedonenſes, quos omnes habes in pleno codice Eccleſiæ univerſæ. Addit & Sardicenſes, & Conſtantinopolitanos ſub Nectario & Theophilo Patriarchis editos, quos hodie ignoramus. Exiſtimo fuiſſe Synodum illam, ſub Merobaudis & Saturnini Conſulatu celebratam, cujus L. 5. c. 10. L. 7. c. 12. Cap. 77. meminerunt Socrates, Zozomenus, & apud Chriſtophorum Juſtellum incogniti auctoris libellus ſynodicus: At illo anno Theophilus necdùm erat Patriarcha Alexandrinus.

Porrò Sancti Dionyſii Alexandrini ac aliorum adductorum Patrum non quævis ſcripta opera recipit in auctoritatem præſens Canon, ſed ſolas eorum canonicas Epiſtolas, atque ità Gregorii Thaumaturgi ejuſmodi Epiſtolam, dempto tamèn uno ſuperiùs adducto capite, liberare poſſit à nota ſpuriæ ſuppoſitionis. Omittit Canones Joannis Jejunatoris, Epiſcopi Conſtantinopolitani, haud dubiè ob rationes à Nicephoro Chartophylace ſcriptas ad Theodoſium monachum ſuperiùs laudatum. Admittit omnes & ſingulos Sancti Baſilii Canones: Quin & damnatum Sancti Cypriani errorem & deviam Synodum de exſufflando ac repetendo hæreticorum baptiſmate, utique ex dictis Sancti Baſilii Canonibus, aſſerentibus ejuſmodi exſufflationem atque repetionem, non ad immobile Chriſtianum dogma ſpectare, ſed ad mobiles Eccleſiarum conſuetudines, circa quas in ſuo ſenſu abundare poſſit quiſque Epiſcopus, actus ſui rationem communi Domino redditurus. Addit & pœnas in eum, qui etiam hunc errorem peſſimum tentarit ſubvertere: Atque ità non ſolummodò in Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam, Canoneſque Nicænos & Conſtantinopolitanos, ſed & ſceleratè impingit in Conſtantinopolitanum Symbolum, à cujus verbis, *Confiteor unum Baptiſma*, proſcriptam fuiſſe iſtam Sancti Baſilii doctrinam, eſt ſuprà oſtenſum. Ità Græci in novos quotidie errores prolapſi ſunt, quaſi deſerti à Deo, præſertim Epiſt. 8. poſt ſextam Synodum, ut in litteris ad Michaelem Auguſtum rectè advertit Pontifex Nicolaus primus. Undè hanc Canonis partem meliores Græci nunquam receperunt, uti liquet ex litteris Sancti Theodori Studitæ ad Naucrationis de hac re quæſtiones reſponſoriis, exſtantibus in tertio tomo Bibliothecæ Patrum. Oſtendit ipſe rebaptizandos ſolos illos hæreticos, qui in ſacroſancto trium Perſonarum nomine non fuerint baptizati, ac ità limitandum Canonem Apoſtolicum, qui omnes rebaptizandos videtur generaliter adſerere. Servandum ait ſeptimum Canonem Conſtantinopolitanum.

CANON III.

Quoniam verò pius Chriſtique amator Imperator noſter hanc ſanctam & univerſalem Synodum allocutus eſt, ut eos, qui in Clerum relati ſunt & aliis divina tranſmittunt, puros & à culpa ac reprehenſione alienos miniſtros efficiant; & quod intelligentia percipitur, magni Dei, qui eſt & Sacrificium & Pontifex, Sacrificio dignos, & quæ ex nefariis nuptiis iis inuſta ſunt probra ac dedecora, repurgent: & propterea qui ſunt ſanctiſſimæ Romanorum Eccleſiæ exactæ perfectionis Canonem ſervandum proponant; qui verò ſub hoc à Deo conſervandæ & imperantis urbis throno, quod eſt humanitatis & miſericordiæ; utriſque paternè ſimul & religiosè mixtis, ut neque quod eſt mite ac manſuetum, diſſolutum; neque quod eſt auſterum, aſtrictivum relinquamus, & maximè cùm ex ignorantia lapſus in non exiguam hominum multitudinem pervadat, decernimus ut qui duobus quidem matrimoniis implicati fuere, & uſque ad decimum quintum præteriti menſis Januarii præteritæ quartæ indictionis, anni ſexies milleſimi centeſimi noni, peccato ſervierunt, & non ab eo reſipiſcere voluerunt, depoſitioni canonicæ ſubjicere: eos autem, qui tali quidem bigamiæ probro ac dedecori implicati fuere, ante noſtrum autem decretum, id quod utile eſt agnoverunt, & malum à ſe abſciderunt, & hanc adulterinam & alienam congreſſionem procul abegerunt, vel eos etiam, quorum uxores in ſecundis nuptiis jam mortuæ ſunt, vel ipſi etiam ad converſionem reſpexerunt, & continentiam didicerunt, & priorum ſuarum iniquitatum obliti ſunt, ſive ſint Presbyteri, ſive Diaconi, eos ab omni quidem ſacerdotali miniſterio ſive exercitio jam ceſſare, præfinito aliquo tempore punitos; honorem autem in cathedra & ſtatione participare, prima ſede contentos: & cum fletu à Domino poſtulantes, ut eis condonetur peccatum ignorantiæ. Neque enim convenit, ut is alteri benedicat, qui debet propria curare vulnera. Eos verò, qui uni quidem uxori copulati ſunt, ſi vidua erat, quæ accepta eſt, ſimiliter & eos, qui poſt ordinationem uni matrimonio ſe applicarunt, hoc eſt, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, brevi aliquo tempore à ſacro miniſterio prohibitos, & punitos, rurſùs propriis gradibus reſtitui, ad alium gradum nequaquam promovendos, eis nefario videlicet diſſoluto conjugio. Hæc autem in his, qui deprehenſi ſunt uſque ad decimum quintum, ut dictum eſt, menſis Januarii quartæ indictionis, in prius declaratis delictis, ſolùm valere ſtatuimus; ab hinc definientes, & renovantes Canonem qui dicit: Eum qui duobus matrimoniis poſt Baptiſmum implicatus fuerit, vel concubinam habuerit, non poſſe eſſe Epiſcopum vel Presbyterum, vel Diaconum, vel omninò ex ſacerdotali Catalogo. Similiter & qui viduam accepit, vel dimiſſam, vel meretricem, vel ſervam, vel ſcenicam, non poſſe eſſe Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel omninò ex ſacerdotali Catalogo.

Scho-

SCHOLION.

CAnon veraciter Apoſtolicus eſt: *Nemini citò manus impoſueris, ne communices peccatis alienis*. Imponendæ manus examen & modum oſtenderunt in Matthiæ Apoſtoli ac ſeptem Diaconorum electione ipſi Apoſtoli, convocantes univerſam diſcipulorum multitudinem, & cum ipſis deliberantes ac eligentes, ut in litteris ad Hiſpaniarum Epiſcopos latiùs exponit Sanctus Epiſt. 68. *Cyprianus*. Forma per plurimos Canones, & Auguſtorum Principum, quos hìc Juſtinianus ſecundus laudatur fuiſſe imitatus, leges firmata atque innovata; at per variorum ambitum ac Epiſcoporum deſidiam frequentiſſimè violata. Meritò jam dictus Juſtinianus Romanam commendavit Eccleſiam, quod omnes Patriarchali ſuæ poteſtati ſubjectos Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos cogat ad plenam continentiam: Meritò Eccleſiam Conſtantinopolitanam, quæ ſuis etiam Presbyteris ac Diaconis ex miſeratione & conniventia conjugii uſum indulget, hortatur fixos ſibi terminos non excedere, ſervarique præſertim Canonem etiam veraciter Apoſtolicum: *Oportet Epiſcopum, Presbyterum, ac Diaconum eſſe unius uxoris virum*. Apud Sanctum Hieronymum in commentariis Apoſtolicæ C. 1. Epiſtolæ ad Titum. *Quidam de hoc loco ità ſentiunt: Judaicæ, inquiunt, conſuetudinis fuit vel binas habere uxores, vel plures, & hoc nunc volunt eſſe præceptum, ut is, qui Epiſcopus eligendus eſt, uno tempore duas pariter habeat uxores*. At certum C. 7. eſt Apoſtolum loqui etiam de bigamia ſucceſſiva. Uniusquippè uxoris apud Apoſtolum eſt id, quod unius matrimonii vir, uti in libro ad caſtitatem Exhortatorio advertit Tertullianus. Pulchrè item adversùs Jovinianum, qui Epiſcopos & Clericos omnes delirabat ab Apoſtolo ad conjugium adſtringi, aut certè ſuaderi, Sanctus Hie- L. 1. c. 19. 20. ronymus: *Non dicit Apoſtolus, Eligatur Epiſcopus, qui unam ducat uxorem & filios faciat; ſed qui unam habuerit uxorem, & filios ſubditos in omni diſciplina*. Ex hoc ſecundùm indulgentiam: Quia nempè primo illo Evangelii tempore *Non tanti erant virgines, quanti neceſſarii Sacerdotes*. Undè poſterioribus ſæculis eum, qui uxorem aut fi- L. 1. Cod. tit. 3. c. 48. lios habeat, in Epiſcopum eligi voluit Juſtinianus.

Laudatus Apoſtolicus Canon rigidiſſimè ſem- Cap. 7. per in Eccleſia fuit ſervatus. Hinc Tertullianus in libro ad caſtitatem Exhortatorio: *Memini bigamos loco dejectos*. Et Felici Nuceriano Epiſcopo, nullos habenti ad Clerum aptos, niſi quoſdam corpore mutilos aut Bigamos, reſpondit Epiſt. 4. Innocentius primus Pontifex: *De Bigamis nec conſuli debuit, quod manifeſta ſit lectio Apoſtoli,* UNIUS UXORIS VIRUM *ad Sacerdotium ſive ad Clericatum debere admitti*. Ad ſacrum Ordinem diſpenſare bigamum nec à Brunichildi Francorum Regina potentiſſima rogatus voluit L. 11. Ep. 8. Gregorius Magnus. Ejuſdem Canonis obſervantiam Anaſtaſio Theſſalonicenſi Archi-Epiſcopo, ac ſuo per Illyricum Vicario, Sanctus Leo ſingulariſſimè commendat, etiam in litteris nuper editis per D. Lucam Holſtenium. Ad Epiſcopis Ep. 24. 25. & Clericis poſt ſecundas nuptias in Mauritania Cæſareenſi ex neceſſitate promotis faciendam gratiam vertit ſe in omne latus, ac tandem concludit: *Eos nec Apoſtolica nec legalis auctoritas Sacer-* Epiſt. 87. c. 1. *dotium obtinere permittit*. Similes Eccleſiæ Aſtigitanæ Diaconos dejecit ſecunda Synodus Hiſpalenſis. Et Irenæum Tyriorum Metropolitam, non tantummodò quod Neſtorium oleret, ſed & quod Bigamus eſſet, tamquam læſorum Canonum vindex ejecit Theodoſius Auguſtus. Adeò verè ad Ruſum Theſſalonicenſem, ac omnes Macedoniæ Epiſcopos ſcribit Innocentius primus: *Nos, omneſque per Orientem Occidentem-* Epiſt. 22. c. 1. *que Eccleſias noverit veſtra Dilectio bigamos penitùs non admittere, nec ad ultimum Eccleſiaſtici Ordinis locum adſumere, & ſi reperti fuerint, ſubmovere*.

Frequentibus tamen prævaricationibus etiam ſubjacuit Canon. Nam & Pſychicos, id eſt, orthodoxos in libro de monogamia arguit aut criminatur Tertullianus: *Quot enim & bigami* Cap. 12. *præſident apud vos, inſultantes utique Apoſtolo, certè non erubeſcentes, cum illis leguntur* ejus verba. UNIUS UXORIS VIRUM? Quin & Innocentio primo, damnanti ejuſmodi Epiſcopos & Clericos, generalem Illyricianæ Diœceſeos conſuetudinem opponere non erubuit Ru- Epiſt. 22. fus Epiſcopus Theſſalonicenſis. Et ſupra memoratum Irenæum, à ſe apud Tyrios conſecratum, ac ſemetipſum purgare ſtudens Theodoretus Cyri Epiſcopus ſcribit ad Domnum Patriarcham ſuum Antiochenum. *Quod ad biga-* Epiſt. 110. *miam attinet, Majorum veſtigiis inhæſi. Nam & beatæ ſanctæque memoriæ Alexander, qui Apoſtolicam hanc Sedem rexit, unà cum Beatiſſimo Acacio Berrhææ Epiſcopo beatæ memoriæ Diogenem bigamum ordinavit. Eodemque modo Beatus Praylius* Hieroſolymæ Epiſcopus *Beatum Domninum Cæſareæ, qui bigamus item erat. Conſuetudinem ergò ſecuti ſumus, & viros illuſtres, ſcientiaque & vita celeberrimos. Ac multa etiam alia hujuſmodi minimè ignorans beatæ memoriæ Proclus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & ordinationem ipſe admiſit, & laudans admiranſque reſcripſit. Similiter etiam Ponticæ Diœceſeos primarii Deo cariſſimi Epiſcopi, & Palæſtini omnes: Neque ulla orta eſt hac de re controverſia. Et iniquum ducimus unum damnare* Irenæum, *multis ac variis egregiis facinoribus illuſtrem*. Eum eſſe adſeverat orthodoxum, fidei zeloſum, magnanimum, beneficum in pauperes, ornatum omni Epiſcopali virtute. Nihilominùs Theodoſii Principis in ipſum permanſit executio, eamque à Juſtiniano ſecundo monita præſens Synodus adversùs graſſantem denuò abuſum imitatur.

Hæc Canonis verba, *Uſque ad decimum quintum præteriti menſis Januarii præteritæ quartæ indictionis*, demonſtrat hanc Synodum habitam anno Domini ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, Sergii primi Pontificis quinto, octavo Juſtiniani ſecundi Auguſti. Dicto Januarii die adversùs Clericos Bigamos emanarat neſcio quod, ſeu Patriarchale ſeu Imperiale Edictum, quod Canon noſter honorat eo fermè modo, quo

ſimile ſui Anteceſſoris Siricii adversùs incontinentes Clericos decretum honoravit Innocentius primus Pontifex in litteris ad Exuperium Ep. 3. c. 1. Epiſcopum Tholoſanum. *Si ad aliquos forma illa Eccleſiaſticæ vitæ atque diſciplinæ, quæ ab Epiſcopo Siricio ad Provincias commeavit, non probabitur perveniſſe, his ignorationis venia remittitur, ità ut de cætero penitùs incipiant abſtinere. Et ità gradus, in quibus inventi fuerint, ſic retenteus, ut eis non liceat ad potiora conſcendere. Quibus in beneficio eſſe debet, quod hunc ipſum locum, quem retinent, non amittunt. Si qui autem ſciſſe formam vivendi à Siricio miſſam deteguntur, neque ſtatim cupiditates libidinis abjeciſſe, illi ſunt modis omnibus ſubmovendi: Quia poſt admonitionem cognitam ſunt arbitrati præponendam voluptatem.* Dixi, *Eo ferè modo*: Etenim non de ignorantibus prius Edictum, ſed de iis, qui ſeſe poſt ejus promulgationem cœperant corrigere, agit præſens Canon, eoſque non plenè priori gradui relinquit, ſed ad tempus ſuſpenſos ac pœnitentes, vetito etiam adſcenſu ad ſuperiora.

Hoc ipſum definit de illis, qui unicam quidem, ſed viduam duxerint in uxorem. Etenim & hoc vetat Canon veraciter Apoſtolicus, de quo Sanctus Leo Magnus in litteris ad Epiſcopos Ep. 87. c. 1. Mauritaniæ Cæſarienſis. *Apoſtolicis debemus inſervire præceptis, ut quamlibet quis bonis moribus præditus, & ſanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad Diaconii gradum, vel ad Presbyterii honorem, vel ad Epiſcopatus culmen adſcendat, ſi aut ipſum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuiſſe claruit.* Cauſam Cap. 7. dat Tertullianus in libro de monogamia: *Priſtina exempla poſterioribus communicant, & de diſciplina ac forma vetuſtatis ad novitatem tranſmittunt.* Hoc eſt, Apoſtolicus iſte Canon natus eſt ex antiquo Judaico Canone, qui Sacerdotem vetuit bis nubere, aut alterius viduæ conjungi. Neque refert, quod Dominus priorem legem adimpleverit & caſſarit. Etenim *planè & nos dicimus ſic deceſſiſſe legem, ut onera quidem ejus, quæ ſecundùm ſententiam Apoſtolorum nec Patres ſuſtinere valuerant, conceſſerint; quæ verò ad juſtitiam ſpectant, non tantùm reſervata permaneant, ſed & ampliata, ut videlicet juſtitia noſtra abundare poſſit ſupra Scribarum & Phariſæorum juſtitiam.* Quod viduarum maritos & Occidens & Oriens cenſuerit de Clero ejiciendos, teſtatur Innocentius primus in laudatis litteris ad Rufum Epiſcopum Theſſalonicenſem.

Tom. 1. Attamen non ubique obtinuit hic rigor & perfectio. Liquet apud Jacobi Sirmondi Concilia Gallicana ex Epiſtola Sancti Lupi Trecenſis & Euphronii Auguſtodunenſis ad Talaſium Epiſcopum Andegavenſem. *De Clericis bigamis, uſque ad Oſtiarios Eccleſiæ permittit & patitur: Et quam quis Sacerdotum regulam pro diſtrictione ſua adſumpſerit, jure cuſtodiet. Exorciſtas verò aut Subdiaconos à ſecundis nuptiis penitùs excludit: Nam jam Eccleſiæ obſequiis aggregatos ad ſecundas nuptias tranſire non patimur, quos, poſtquam adſumpti fuerint, etiam à primis penitùs arcemus, Exorciſtas dumtaxat atque Subdiaconos. In Auguſtodonenſi autem Eccleſia vel Oſtiarius in imo officio conſtitutus, ſi uxorem acceperit, ab officio penitùs abdicatur.* Prima Toletana Synodus Lectorem, qui viduam Cap. 2. 3. duxerit, permittit promoveri in Subdiaconum; Subdiaconum verò, qui prima defuncta duxerit uxorem ſecundam, mandat inter Oſtiarios & Lectores haberi, & ob tertias dumtaxàt nuptias ad laicos proſcribit. Diverſæ Eccleſiæ diverſo modo circa minores Clericos ſtatuerunt ac egerunt.

Hinc tranſit Canon ad Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, *qui poſt Ordinationem uni ſe Matrimonio applicarant*: Brevi aliquo tempore à ſacro miniſterio prohibitos & punitos rursùs propriis gradibus reſtituit, ad alium gradum nequaquam provehendos, *nefario Matrimonio diſſoluto*. Eo namque tempore Eccleſia Græca ſervabat Canonem vulgò Apoſtolicum: *Innuptis, qui ad* Cap. 27. *Clerum provecti ſunt, præcipimus, ut, ſi voluerint, uxores accipiant, ſed Lectores Cantoreſque tantùm.* Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis indulgebat priùs inita, ineunda Matrimonia vetabat ac annullabat. Et hic rursùm additur moderatio ob decretum menſis Januarii indictionis quartæ.

Exindè innovatur & confirmatur ſeptimus decimus inter vulgares Apoſtolicos Canon, adſeverans ex uno ante ex altero poſt Baptiſmum inito Matrimonio non induci irregularitatem, conſtantiſſimè ſemper refutatus & projectus ab Eccleſia Romana & omni Latina. Excipe Sanctum Hieronymum in Epiſtola ad Oceanum. *Carte-* Epiſt. 83. *rius Hiſpaniæ Epiſcopus, homo & ætate vetus & Sacerdotio, unam antequam baptizaretur, alteram poſt lavacrum, priore mortua, duxit uxorem: Et arbitraris eum contra Apoſtoli feciſſe ſententiam, qui in catalogo virtutum Epiſcopum unius uxoris virum præcepit eſſe ordinandum. Miror autem te unum protraxiſſe in medium, cùm omnis mundus his Ordinationibus plenus ſit. Non dico de Presbyteris, non de inferiori gradu: Ad Epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis Synodi multitudo ſuperetur.* Totis doctrinæ ac eloquentiæ nervis conatur ſententiam ſtabilire. Et in commentariis Apoſtolicæ Epiſtolæ ad Titum. Cap. 1. *Multi ſuperſtitioſius magis, quam verius etiam eos, qui cùm gentiles fuerint, & unicam uxorem habuerint, qua amiſſa poſt Baptiſmum Chriſti alteram duxerint, putant in Sacerdotio non legendos, cum utique ſi hoc obſervandum ſit, illi magis ab Epiſcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices anteà exercentes libidinem, unam regenerati acceperint, & multò deteſtabilius ſit fornicatum eſſe cum pluribus, quam bigamum reperiri.* Et Ruffino, opinionem hanc, tamquam erroneam & à Latina Eccleſia alieniſſimam improperanti, repoſuit: L. 1. c. 7. *Brevi ſermone reſpondebo: Habent libellum, quem in crimen vocant, illi reſpondeant, hunc ſua diſputatione ſubvertant, & ſcripta ſcriptis arguant.*

Attamen Ruffini improperium fuit omninò ratum & firmum. Etenim Latina, cujus morem Ep. 1. c. 9. ac ſenſum ſequi debebat Hieronymus, Eccleſia ſemper aliud docuit, uti liquet ex Reſcripto Siricii Pontificis ad Himerium Archi-Epiſcopum Ep. 1. 22. 23. Tarraconenſem, ac litteris Sancti Innocentii

primi

Digitized by Google

primi ad Victricium Rotbomagenſem, ad Ru-
ſum Epiſcopum Theſſalonicenſem, ac ad Syno-
dum Toletanam. Et Hiſpani enim & Illyticiani
cum Græcis carni io hac parte indulgebant. Ad-
verſùm eos ſcribit in primo officiorum libro, &
io Epiſtola ad Eccleſiam Vercellenſem Sanctus
Cap. 50. Ambroſius. *Plerique argumentantur* UNIUS
Epiſt. 25. UXORIS VIRUM *dici poſt Baptiſmum habi-
tæ, eò quod Baptiſmo vitium ſit ablutum, quo affe-
rebatur impedimentum. Et vitia quidem atque pec-
cata diluuntur omnia, ut ſi quis contaminaverit ſuum
corpus cum plurimis, quas nulla conjugii lege ſocia-
verit, remittantur ei omnia; ſed conjugia non re-
ſolvuntur, ſi quis iteraverit. Culpa enim lavacro,
non lex ſolvitur.* Ex quo liquet duplici etiam ante
baptiſma inito coojugio quem effici irregularem.
Ait id eſſe præceptum oon ſolius Apoſtoli, ſta-
tuentis de ſolis Epiſcopis, Presbyteris, ac Dia-
conis; ſed etiam Patres in Nicæni Concilii tra-
ctatu addidiſſe, nec ioſeriorem Clericum eſſe
debere, qui ſecunda, licet ante Baptiſmum, con-
jugia ſortitus ſit. Ea enim ad omnem Clericum
extenſio eſt longè antiquiſſima, utpotè nota
L. 1. c. 7. etiam Tertulliano in libris ad oxorem: *Diſciplina
Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli uon ſinit Bigamos præ-
ſidere.* Quod oempè Eccleſiæ diſciplina Apoſtoli
præſcriptionem ad omnem penitùs Clericum am-
pliarit. Eamdem diſciplinam tradit & commeo-
dat Sanctus Auguſtinus in libro de booo conju-
Cap. 18. gali. *Quoniam ex multis animabus una civitas fu-
tura eſt habentium unam animam & cor unum in
Deum, propterea Sacramentum nuptiarum temporis
noſtri ſic ad unum virum & unam uxorem redactum
eſt, ut diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinare,
uiſi unius uxoris virum. Quod acutius iutellexeruut,
qui nec eum, qui catechumenus vel paganus habue-
rit alteram, ordinaudum eſſe cenſuerunt. De Sa-
cramento enim agitur, uon de peccato. Nam in Ba-
ptiſmo peccata omnia dimittuntur.*

Eccleſia alium ante, alium ſtatum babuit poſt
Dei Verbi ad nos in carne adventum. Antè non
una, ſed diviſa erat in plures diſparatos greges,
poſtea redacta in unum ſub ono Sacramentorum
viſibilium ſignaculo, ac uno & viſibili & inviſi-
bili Paſtore, ideòque in antiquo Deus permiſit
etiam ſimultaneam, quæ unius Dei cum diverſis
iſtis Eccleſiis ſignificaret, unius viri cum pluri-
bus mulieribus polygamiam, in novo Teſtameo-
to peoitùs interdixit, quoniam viri ac mulieris
Sacramentum tunc in Chriſto & Eccleſia debuit
eſſe veraciter magnum, id eſt, oſtendere con-
junctionem unius Chriſti cum unica Eccleſia,
virgine, nulli alteri nupta, à nunquam deſeren-
do ounquam deſerenda. Novum hocce Sacra-
mentum reſplendere debuit etiam in ejus mini-
ſtris, ideòque nullum in Clerum promoveri, qui
ipſum per duplex, aut etiam unicum cum diſſo-
na perſona Matrimonium in ſemetipſo deſtruxiſ-
ſet. Hinc & Ambroſius & Auguſtious dicunt
aliam irregularitatem ex peccato, aliam, qualis
hæc præſens, naſci ex Sacrameoto, ſeu ex defe-
ctu Sacramenti. Quod ipſum in libro de mono-
C. 11. 12. gamia ait Tertullianus. Sanctus Leo in litteris
Ep. 87. c. 1 ad Mauritaniæ Cæſareenſis Epiſcopos fuiſſe ait
etiam in antiqui Teſtamenti Sacerdotibus: Eo-
rum unctio unius Dei cum unica Synagoga de-
monſtrabat, unius inhumanandi Dei Verbi cum
unica gentium Eccleſia coojugalem adunatiooem
promittebat. Et hinc vaga cum plurimis citra
conjugalem ligamen libido, quoniam noo ab-
rumpit laudatum Sacramentum, non facit irre-
gularem. Hinc item non fieri quem irregularem
per duplex Matrimonium invalidum, aut per
aliud validum, aliud invalidum, rectè, ſub
quadam tamen moderatione, poſteriores Ponti-
fices reſpouderunt. Saoctus Ambroſius in landa-
tis ad Eccleſiam Vercellenſem litteris dat & aliam
cauſam bujus irregularitatis: *Quod Bigamus ne-
queat conſolari viduam, bonorare, cobortari ad cu-
ſtodiendam viduitatem, ſervaudam marito fidem,
quam ipſe priori conjugio non reſervarit.* At illa
locum obtinet in ſola Bigamia vera.

Porrò Bigamia interpretativa eſt omninò ao-
tiquiſſima, per Apoſtolos introducta in Eccle-
ſiam ex lege antiqua: *Sacerdos accipiat virginem,
non viduam, aut ejectam.* De ea ſcribit ad San-
ctum Victricium Rothomageoſem Epiſcopum C. 5.
Innocentius primus. *Si quis viduam duxit uxo-
rem, ſive ante Baptiſmum, ſive poſt Baptiſmum,
non admittatur ad Clerum, quia eodem* Bigamiæ
vitio, ſeu Sacramenti defectu *videtur excluſus. In
Baptiſmo enim crimina dimittuntur, non acceptæ
uxoris conſortium relaxatur.* Quomodò enim
Chriſtus Domioos ſolam ſibi deſpooſavit Eccle-
ſiam, ità Eccleſia nulli onquam alteri nupſit.
Ipſa eſt Evangelicus ac Propheticus almæ pullus,
quem nullus hominum ſederat; ipſa eſt operarii
dicentes ad Patrem-familias, *Quia nemo uos con-
duxit.* Et hocce Sacrameotum omnlnò deficit in
viduæ aut repudiatæ marito.

Et ooſter & Apoſtolicus Canon addunt irre-
gularem eſſe etiam illum, qui poſt Baptiſma ha-
buerit concubinam. Quod ipſum in litteris ad
Felicem Nuceriæ Epiſcopum ſcribit Innocentius
primus. Attamen oon ob Sacramenti defectum,
ſed cauſa criminis. Nam illum, qui poſt Baptiſ- Epiſt. 4.
ma vel ſemel dumtaxàt fuerit fornicatus, licèt
complicem poſteà in uxorem ducat, eſſe irrepa-
rabiliter irregularem, ſcribit Romana apud Jaco-
bum Sirmondum Synodus ad Epiſcopos Gallica-
nos. Quod ipſum io commonitorio ad Ammo-
nem Lycopolitanum adfirmat Theophilus Pa- Tom. 1. c. 5.
triarcha Alexandrious. Omnes una voce id cla-
mant antiqui Canones. Quin & poſterioribus
ſæculis idem aſſerit in litteris ad Theodoſium
Corinthi Monachum Nicephorus Chartophylax
Eccleſiæ Conſtaotioopolitanæ. Clero eoim ini-
tiandum Apoſtolus mandat eſſe ſine crimine,
etiam ſimplicis ac onicæ fornicatioois mœchia.
At commiſſi poſt Baptiſmum: Anterior, licet
vaga, fæda, plurima, quoniam in veterem
hominem peccat, à Clero nunquam arcuit aut
abjecit. Verùm apud nos Latinos jam pridem
ceſſat, prob dolor, hæc ſanctiſſima diſciplioa.
Etenim Sanctua Gregorius Magnus Andream
Tarentinum Epiſcopum, qui laicus concubi-
nam certò habuerat, reliquit io cathedra ſub
hac conditione: *Si in ſacro Ordine conſtitutus ejus* Lib. 2.
te permixtione recolis eſſe maculatum, Sacerdotii Ind. 11.
bonore depoſito, ad admiuiſtrandum nullo modo Ep. 44.
præ-

præſumas accedere. Eo enim tempore carnalis in
ſacro Ordine lapſus adhuc faciebat irregularem,
L.3.Ep.26. uti liquet ex ejus litteris ad Januarium Metropoli-
tam Sardorum. Et hinc in ejus, quæ oppoſitum
L.7.Ind.2. aſſerit, ad Secundinum Monachum Epiſtola eſſe
Ep. 54. veſtimento veteri nequiter à neſcio quo adſutum
pannum novum, eſt longè certiſſimum.

Confirmatur tandem & decimus octavus Ca-
non Apoſtolicus, etiam viduæ, dimiſſæ, mere-
tricis, ſervæ, aut ſcenicæ maritum arcens à ſa-
cerdotali catalogo. Etenim Innocentius primus
Ep. 4. in litteris ad Felicem Nuceriæ Epiſcopum, Gre-
gorius Magnus in litteris ad Joannem Epiſcopum
L.2.Ep.25 Squillitanum, ſeculis item poſterioribus, Ur-
banus ſecundus in Synodo Malphitana, ac in
Reſponſione ad Nicetæ Pectorati calumnias Car-
dinalis Humbertus adfirmant neminem poſſe in
Clerum adſumi, niſi virginem, aut maritum
unius virginis. Quarè meritò quarta Synodus
Toletana à Clero arcet, non tantummodò vi-
duarum aut relictarum, ſed & maritos corrupta-
C. 19. 44. rum atque meritricum. Synodus Tarraconenſis
addit item Lectorem atque Oſtiarium, qui adul-
teræ uxori, quam omninò dimittere debuerat,
fuerit commixtus: Gerundenſis etiam illum lai-
cum, qui poſt uxorem cognoverit quamvis aliam
mulierem. Confirmat Pelagius ſecundus in lit- Epiſt. 12.
teris ad Epiſcopum Florentinum. Quæ omnia
ſunt Apoſtolicus & antiquiſſimus Eccleſiæ Ca-
non, ſpectans ad Bigamiam interpretativam, &
mutuatus à lege antiqua: *Sacerdos virginem uxo-
rem accipiat*. Cauſam dat Innocentius tertius in
litteris ad Epiſcopum Metenſem: Quia omni-
bus illis modis *Eadem caro dividitur in plures*. L.1.tit.21.
Eccleſia enim eſt virgo caſta, deſponſata uni c. 5.
Chriſto, nunquam deſerto, nunquam deſeren-
do, nunquam ad aliam Eccleſiam declinaturo:
Adeòque quicumque uxorem, ſeu vivam, ſeu
defunctam, per aliam copulam deſerit, ducit
non virginem, aut adulteram cognoſcit, exhi-
bere in ſe non poteſt magnum iſtud Sacramen-
tum. Quocircà hæc omnis irregularitas funda-
tur, non in crimine, quod ſæpè nullum inter-
venit, ſed in defectu Sacramenti. Et hinc rectè
Innocentius tertius reſcripſit per ratum dumtaxàt
Matrimonium non contrahi hanc irregularita-
tem, quia nempè per ipſum non fuit unio aut
diviſio carnis.

CANON IV.

SI quis Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor, vel Oſtiarius, cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Chriſti ſponſæ vitium attulerit. Sin autem laicus, ſegregetur.

CANON V.

NUllus eorum, qui in ſacerdotali catalogo degunt, extra eas, quæ in Canone recenſentur, à ſuſpicione alienas perſonas mulierem poſſideat vel ancillam, ſe nulli reprehenſioni affinem ex hoc ſervans. Si quis autem quæ à nobis definita ſunt tranſilierit, deponatur. Hoc ipſum autem etiam Eunuchi ſervent, ut à vituperatione alieni ſint, providentes. Qui autem tranſgrediuntur, ſi ſunt quidem Clerici, deponantur; ſi verò laici, ſegregentur.

SCHOLION.

EST innovatio tertii Nicæni Canonis adver-
sùm extraneas Agapetas, de quibus jam
pridem ſtatuerant Honorius ac Theodoſius Au-
guſti, ac ex hujus Codice in ſuum tranſcripſe-
rat Juſtinianus. *Eum, qui probabilem ſæculo di-* Cod. l. 1.
ſciplinam agit, decolorari conſortio ſororiæ appel- tit.3.c.19.
lationis non decet. De eiſdem eſt antiquus, à Ni-
cæna Synodo omninò reſpectus, ac ad univer-
ſam ſub cœlo Eccleſiam extenſus, Canon An- C. 19.
cyra-

cytanus: *Virgines, quæ cum quibuſdam tamquam cum fratribus habitant, prohibuimus.* Eas eſſe *ſub dilectionis & charitatis prætextu* diaboli ad incautas aut ignaras animas irretiendas ſubtilitatem, & Eccleſiæ blaſphemiam, verè dixit, ideòque rigidiſſimè in prima Carthaginenſi Synodo & à laicis & à Clericis proſcripſit Gratus Archi-Epiſcopus Carthaginenſis. Et addidit: *Juxta viduos & viduas eadem lex manet & ſententia.* Ex mutua enim viduitate volebant quidam ſeſe ſub Nicæno Canone non eſſe comprehenſos. Adversùs ſimilem cavillationem addit præſens Canon: *Hoc ipſum etiam Eunuchi ſervent.* Idque ut ſint *Alieni à vituperatione.* Etenim & Sancto Cyrillo, Alexandriæ Patriarchæ longè caſtiſſimo, affinxerunt æmuli, quod Epheſum ad Synodum conduxiſſet mulieres canonicas, ut ipſe queritur in litteris ad Theopemptum, Potamonem, ac Danielem Epiſcopos, exſtantibus in Actis Concilii Epheſini. Et Calligonum, Valentiniani ſecundi Auguſti Eunuchum, ob irritam turpitudinem fuiſſe gladio percuſſum refert in libris adversùs
L. 6. c. 14. Julianum Sanctus Auguſtinus. Quare meritò Agapetum Clericum ab officio ſuſpendit Ilerdenſis, Agapetam autem per Epiſcopum auferri, ac in ſervitutem vendi mandant quarta Toletana Synodus, ac Hiſpalenſis. Quòd ipſum de Clericorum uxoribus, quas apud nos irrepere permiſerat Epiſcoporum deſidia, ſtatuit Pontifex Leo nonus:

Canon præſens excipit omnes exceptas à Synodo Nicæna, videlicet matrem, ſororem, amitam. Tertia Synodus Carthaginenſis addit Cap. 17.
item fratrum ac ſororum filias, neceſſarias familiæ ancillas, uxores filiorum ac ſervorum. Eumque Canonem reſpexit Sanctus Poſſidius dicens de S. Auguſtino, eadem de cauſa per Sanctum Gregorium laudato in litteris ad Romanum ac Fantinum Defenſores, quod in Epiſcopali ſua domo manere aut verſari neque ſororem paſſus fuerit, neque patrui aut fratris filias, *quas ſanctorum Epiſcoporum Concilia in exceptis poſuerunt.* Eodem modo Synodus Foro-Julienſis, ſub Adriano primo celebrata, excludit omninò omnes fœminas, etiam matrem ac ſororem, *Eò quod ex-* Cap. 4.
perimento didicimus illarum velamento alias licentiùs ad Clericos aditum veniendi perditionis cauſam habuiſſe. Eamdem rationem pro laudato ſuo facto Cap. 10.
adduxit Sanctus Auguſtinus. Alium adducunt Cap. 3.
Moguntina ac Metenſis ſub Stephano ſexto Sy- Cap. 3.
nodi, item Nannetenſis ſub Formoſo, & Capi- Cap. 1.
tula Gualonis Cardinalis, Legati in Franciam à Paſchali ſecundò: *Sæpè audivimus per exceptarum mulierum conceſſionem plurima ſcelera eſſe commiſſa, ità ut quidam Sacerdotum cum propriis ſororibus concumbentes filios ex eis generaſſent.* Addunt Nannetenſis ac Foro-Julienſis: *Si quis Presbyter matrem, amitam, ſororem habuerit neceſſitatem patientem, habeat in vico aut in villa domum longè à ſua converſatione, & ibi eis miniſtret neceſſaria.*

CANON VI.

QUoniam in Apoſtolicis Canonibus dictum eſt, eorum, qui non ducta uxore in Clero promoventur, ſolos Lectores, & Cantores uxorem poſſe ducere; & nos hoc ſervantes decernimus, ut deinceps nulli penitùs hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc auſus facere, deponatur. Si quis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege Matrimonii mulieri conjungi, antequam hypodiaconus vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.

SCHOLION.

CAnon ille Apoſtolicus eſt vigeſimus ſeptimus jam ſuprà adductus. Exponit in ſcripta ad Joannem Prætoriorum Præfectum Lege
L. 1. Cod. tit. 3. c. 45. novella Juſtinianus: *Si quis inter Clericos, ultra Lectorem aut Cantorem dictimus, omninò contraxerit nuptias, hunc ex noſtra Conſtitutione cadere Sacerdotio conſtituimus atque volumus.* In Lege ad Julianum Præfectum graviter queritur Canonem iſtum violari à multis, ideòque ultra degrationem filios ex ejuſmodi Matrimonio natos facit non tantùm naturales, ſpurios, aut nothos, ſed *undique prohibitos, & ſucceſſionis genitorum indignos*: Utpotè natos ex coitu jam pridem damnato. Ex quo vides ſacrilega hæc Matrimonia à Juſtiniani temporibus apud Græcos invaluiſſe. Eaſque Leges ad minùs confirmaſſe, non moderatus fuiſſe debuerat præſens Canon.

CANON VII.

QUoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante Presbyteros ſedere; ſtatuimus ut Diaconus, etiamſi in dignitate, id eſt, in quovis ſit officio Eccleſiaſtico, ante Presbyterum ne ſedeat, præterquam ſi proprii Patriarchæ vel Metropolitani vicem gerens adſit in alia civitate ſuper aliquo capite: Tunc enim ut locum illius implens honorabitur. Si quis autem tyrannica adductus audacia tale quid efficere auſus fuerit, is ex proprio gradu dejectus ſit omnium ultimus ejus ordinis, in cujus eſt catalogo in ſua Eccleſia, Domino noſtro admonente; ne primis ſedibus delectemur, ſecundùm eam, quæ in Sancto Evangeliſta Luca, ut ex Domino noſtro & Deo profecta, poſita eſt, doctrinam. Iis enim, qui vocati erant, dicebat hanc parabolam: Quando ab aliquo ad nuptias invitatus fueris, ne in primo loco accubueris, ne fortè quiſpiam te honoratior ab eo invitatus fuerit, iſque qui te & ipſum invitavit, veniat & dicat: Da ei locum, et tunc incipies cum pudore ultimum locum tenere. Sed quando invitatus fueris, in ultimo loco accumbe, ut quando venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice aſcende altiùs. Tum erit tibi gloria coram iis, qui tecum accumbunt. Nam quiſquis ſe extollit, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Hoc ipſum autem etiam ſervabitur in reliquis ſacris ordinibus; quandoquidem ſæcularibus dignitatibus ſpiritales præſtantiores eſſe ſcimus.

SCHOLION.

ANtiquam & variam Diaconorum ſuperbiam ſuprà ad decimum octavum Nicænum Canonem enarravi. Poſt varios ejuſmodi Canones retinuerunt, utpotè Eccleſiarum ac Epiſcoporum miniſtri, varia ac magna officia: eorum vigore excutere pedetentim conati ſunt injectum modeſtiæ frænum, ac redire in priſtinam, ſedendi præſertim, arrogantiam, quam proindè, unico caſu dempto, præſens Canon compeſcit. Et quidem Diaconum eſſe ad generalem Synodum ſui Epiſcopi Legatum ac Vicarium, eſt res admodùm antiqua. Etenim Conſtantius Auguſtus, teſte Hermia Zozomeno, omnes Orientis Epiſcopos adeſſe juſſit Synodo Seleucienſi, [L. 4. c. 25.] demptis infirmis, miſſuris *ſuo loco Presbyteros aut Diaconos, qui ipſorum declararent ſententiam, & de rebus controverſis conſilium inirent*. Et Lucifer Calaritanus Archi-Epiſcopus ad Alexandrinam Sancti Athanaſii Synodum, adeſſe nolens [L. 5. c. 22.] ex cauſis, miſit cum Euſebio Vercellenſi Epiſcopo Diaconum, *qui pro ſe Concilio intereſſet*. Et Baſſula Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus, non dumtaxat ut Capreoli ſui Archi-Epiſcopi, ſed ut totius Africanæ Diœceſeos Legatus adfuit Concilio Epheſino. Et inter Romanæ Eccleſiæ ad Synodum generalem Legatos ac Præſides fuit paſſim quis Cardinalis Diaconus.

Et quidem in Meletii Patriarchæ Antiochena Synodo, ac ejus ad Jovianum Auguſtum litteris Lamydrin Piſonis Adananſis Epiſcopi Presbyter ac Legatus ſedit ac ſubſcripſit illius loco in hanc formam: *Piſo Adanorum Epiſcopus per Lamydrionem Presbyterum*. [Socrat. l. 3. c. 21.] At verò in Epheſina Synodo laudatus Baſſula poſt omnes demùm Epiſcopos ſedit ac ſubſcripſit. Etiam in Epheſino latrocinio Epiſcoporum Legatos Presbyteros ac Diaconos omnibus præſentibus Epiſcopis Dioſcorus poſtpoſuit. Et Chalcedone Quintillus, Heracleæ Epiſcopus, Anaſtaſii Theſſalonicenſis Archi-Epiſcopi Legatus, ejus quidem ſedit loco, at verò illius in legatione collega Andreas Presbyter Theſſalonicenſis cunctis Epiſcopis ceſſit ſedendi ac ſubſcribendi locum. Et hunc morem ſemper ſecuta eſt Gallicana Eccleſia, uti liquet ex Synodis Rejenſi, Arauſicana, Agathenſi, ſecunda Lugdunenſi. Hiſpaniarum Eccleſia fuit durior in Diaconos, ſtatuens in Synodo Emeritenſi, Epiſcopalem ad Synodos Vicarium ac Legatum debere eſſe ipſum Archi-Presbyterum,

aut

Cap. 5. *aut ſi illi impoſſibilitas fuerit, Presbyterum utilem, cujus dignitas cum prudentia pateat. Injuſtum*, inquit, *accipit hoc cætus noſter, ut quiſquam Epiſcoporum Diaconum ad ſuam perſonam dirigat. Hic enim, quia Presbyteris minor eſſe videtur, ſedere cum Epiſcopis in Concilio nulla ratione permittitur.* Et Presbyterum Legatum, licet ſynodalia Acta ſcire & ſubſcribere permittat, ſedere tamen non vult, niſi retrò Epiſcopos inter reliquos Presbyteros præſentium Epiſcoporum. Diaconos enim in Synodis retrò Epiſcopos ſuos oportebat ſtare.

Præſens itaque Canon, non tantùm in Presbyteris Legatis, ſed etiam in Diaconis probat morem laudatæ Synodi Antiochenæ. Et videtur fuiſſe Græcorum mos uſitatus. Nam & ſexta nuper Synodus Petrum Eccleſiæ Alexandrinæ, & Georgium Theodori, non Patriarchæ, ſed Vicarii, ſolummodò, quem neſcimus an Epiſcopus fuerit, Hieroſolymitani Legatos Presbyteros admiſit ad conſeſſum & ſuffragium inter Patriarchas: Ità poſtmodùm in octava Synodo Joſephus Monachus, Eccleſiæ Alexandrinæ Archi-Diaconus, ac Michaelis Patriarchæ Legatus ſedit ac ſubſcripſit loco laudati Michaelis. Hinc item originem ducit, quod de Metropolitæ Diacono & Chartophylace, Epiſcoporum electiones cum Provinciæ Epiſcopis dirigente, ac illis præſidente, ſcribit in libru de ſacris Ordinationibus Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis: *In medio Epiſcoporum ſedet, non ut Chartophylax, ea enim ratione cathedram inter Epiſcopos non habet, ſed ut vices agens magni Epiſcopi.* Cap. 6. Et in Florentina Synodo Gregorius Monachus, quomodò vices, ita & locum habuit Patriarchæ Alexandrini, atque ità Marco Epheſiorum Archi-Epiſcopo, Antiocheni Vicario, prælatus præbuit duræ invidiæ anſam, uti in ejuſdem Synodi hiſtoria exponit Sylveſter Sgurupulus. Quin & in Romana Adriani ſecundi Pontificis Sect. 4. c. 32. Synodo, per laudatam octavam probata & lecta, Joannes Eccleſiæ Urbinatis Diaconus & Sect. 5. c. 15. Legatus Epiſcopi ſui loco ſedit ac ſubſcripſit. Act. 7. Et cunctis Dominis Cardinalibus, etiam Diaconis, Romana, & Cruciferis, etiam ſolummodò Diaconis, primum ante quoſvis Epiſcopos ac Metropolitas locum jam pridem dedit Eccleſia Conſtantinopolitana, etiam extra legationem.

CANON VIII.

IN omnibus ea, quæ à noſtris ſanctis Patribus decreta ſunt, nos quoque rata ac firma eſſe volentes, Canonem quoque renovamus, qui jubet uniuſcujuſque Provinciæ Epiſcoporum quotannis fieri Synodos, ubi Metropolitanus Epiſcopus ſatiùs eſſe duxerit. Quoniam autem propter Barbarorum incurſiones, & quaſdam alias incidentes cauſas non poſſunt, qui Eccleſiis præſident, Synodos bis in anno facere, viſum eſt ut omninò ſemel in anno propter Eccleſiaſticas quæſtiones, ut conſentaneum eſt, emergentes fiat prædictorum Epiſcoporum Synodus à ſancto Paſchæ Feſto & uſque ad Octobris menſis complementum ſingulis annis, in loco, quem, ut prædictum eſt, Metropolitanus Epiſcopus aptiorem judicaverit, Ii autem, qui non conveniunt, Epiſcopi cùm in ſuis civitatibus agant, & ſani ſint, & ab omni inevitabili & neceſſario negotio liberi, fraternè corripiantur.

CANON IX.

NUlli licere Clerico cauponariam habere tabernam. Si autem in cauponam ingredi non eſt permiſſum, quanto magis aliis in ea miniſtrare, & ea, quæ non licet ipſi tractare? Si quis autem tale fecerit, vel ceſſet, vel deponatur.

CANON X.

EPiſcopus, Presbyter, vel Diaconus, qui uſuras, vel quæ dicuntur centeſimas accipit, vel ceſſet, vel deponatur.

CANON XI.

NEmo eorum, qui in ſacerdotali Ordine enumerantur, vel laicus, Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accerſat, vel ab eis medicinas accipiat, vel unà cum eis in balneis lavetur. Si quis autem hoc facere aggreſſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponetur; ſi autem laicus, ſegregetur.

SCHOLION.

ANtiquiſſimum eſt Canonis præſentis interdi-
ctum. Vulgares Apoſtolici Canones om-
C. 69. 70. ni Epiſcopo, Clerico, laico rigidiſſimè vetant
cum Judæis jejunare, feſta agere, lucernas ac-
cendere, oleum ad Synagogas ferre, Azyma
aut quodvis Xenium accipere. Confirmant Syno-
dus Eliberina, Laodicenſis, quarta Carthagi-
nenſis, & in Hiſpanis & Gallicanis Canonibus
C. 49. 50. nihil eſt frequentiùs. Eorum quippè ſacra jam
C. 37. 38. dudùm, non ſolummodò vacua ac egena, ſed
& mortifera ac Deo exoſa elementa facta ſunt,
ideòque non minùs, quàm à gentilium ſacrile-
giis, oportet nos ab ipſis abſtinere. Fuere olim,
uti in Hiſpaniis, ità & in Galliis longè plurimi:
Quod Philippus Pulcher, Francorum Rex, in
nos Flandros movens exercitum, triginta Judæo-
rum millia armarit, ac in fronte poſuerit, teſtatur
in chronico Henricus Stero, Monachus Altha-
A. 1295. nenſis. Hinc & eorum uſualis menſa fuit nobis
1294. olim ſeveriſſimè interdicta. Odo Pariſienſis ſub
Gregorio octavo Pontifice Epiſcopus ſtatuit in
ſuis Capitularibus, ne laniones Chriſtiani *car-
nes ſuas à Judæis laniari permittant, niſi totas deti-
neant*. Etiam calcato per eos vino uti vetuit, *propter illam horribilem immunditiam, quam in contemptum Sacramenti Altaris faciunt*. Ob ejuſmodi ſacrilegum facinus fuere ab ipſo Philippo Pulchro è Gallia proſcripti, & à pluribus Chriſtianis Principibus durè pro merito puniti. Et quis neſciat Carolum Calvum, Imperatorem ac Francorum Regem, Sedeciæ Judæi, medici ſui, maleficio occiſum? Hìnc jure etiam Gregorius decimus tertius Pontifex eorum medicos ac medicinas fidelibus interdixit.

Hæc verba, *Si Clericus ſit, deponatur; ſi laicus, ſegregetur*, frequenter occurrunt in Græcorum Canonibus, Epiſcopum aut quemvis Clericum vix ob ullum crimen privantibus gradu ſimul & communione. Adverſari id crediderunt Divino Canoni: *Non vindicabis bis in idipſum*. Et hìnc Theophilum Patriarcham Alexandrinum, qui Biſtem Presbyterum adulterio lapſum extra laicorum etiam communionem abjecerat, culpat Theodorus Balſamon, dicens judicaſſe adversùm Apoſtolicos, Sancti Baſilii, & Carthaginenſes Canones, Clericum carne lapſum ſolo gradu, nequaquam communione mulctantes. Verùm Eccleſia Latina reos graviter Epiſcopos & Clericos mulctavit frequenter utroque, uti liquet ex primo & ſecundo Canone Sardicenſi.

CANON XII.

POrrò hoc quoque ad noſtram cognitionem pervenit, quod in Africa, et Lybia, et aliis locis quidam ex iis, qui illic ſunt, religioſiſſimi Præ-

Præſules cum propriis uxoribus, etiam poſtquam ad eos proceſſit ordinatio, unà habitare non recuſant, ex eo populis offendiculum et ſcandalum afferentes. Cùm itaque ſtudium noſtrum in eo magnoperè laboret, ut omnia ad gregis in manus noſtras traditi nobiſque commiſſi utilitatem fiant, nobis viſum eſt, ut nihil ejuſmodi deinceps ullo modo fiat. Hoc autem dicimus non ad ea abolenda et evertenda, quæ Apoſtolicè anteà conſtituta ſunt, ſed populorum ſalutis et ad meliora progreſſionis curam gerentes, et ne ſtatus Eccleſiaſticus ullo probro afficiatur. Dicit enim D. Apoſtolus: Omnia ad Dei gloriam facite, ſine offendiculo eſtote et Judæis, et Græcis, et Dei Eccleſiæ, quemadmodùm et ego omnibus in omnibus placeo, non quærens meam utilitatem, ſed multorum, ut ſerventur. Imitatores mei eſtote, ſicut et ego Chriſti. Si quis autem tale quid agere deprehenſus fuerit, deponatur.

Scholion.

FÆminis in Epiſcoporum & Clericorum familiam introduci aut permanere à Canone Nicæno permiſſis perpetua omnium Eccleſiarum conſuetudo addidit uxores anteà ductas, utpotè per profeſſam continentiam demutatas in ſorores, de quibus in lege ad Palladium urbis Præfectum, exſtante & in Theodoſiano & in Juſtinianæo codice, Honorius & Theodoſius Auguſti. L. 1. tit. 3. c. 19. *Illas etiam non reliqui caſtitatis hortatur affectio, quæ ante Sacerdotium maritorum legitimum meruere conjugium. Neque enim Clericis incompetenter adjunctæ ſunt, quæ dignos Sacerdotio viros ſua converſatione fecerunt.* Et inter vulgares Apoſtolicos Canon ſextus: *Epiſcopus aut Presbyter uxorem propriam*, anteà ductam, *nequaquam ſub obtentu religionis abjiciat; ſi abjecerit, excommunicetur, ſi perſeveraverit, dejiciatur.* Et Synodus Gangrenſis damnavit Euſtatium, Sebaſtenum in prima Armenia Metropolitam, non tantùm quod laicos, ſed & quod è conjugatis adſumptos Clericos ab uxoribus, damnans Matrimonia, ſepararet. Quin immò plurimos per Galliam atque Hiſpaniam Presbyteros, Diaconos, Epiſcopos, à fœdo Vigilantio aut Joviniano ad nuptiarum uſum reductos ac ſeductos, nequaquam ad uxores ejiciendas, ſed dumtaxat ad ceſſandum à ſacrilego commercio coegerunt Siricius Pontifex ac Innocentius primus. Et de adſumptis è conjugio Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis ſcribit Sanctus Leo ad Ruſticum Archi-Ep. 92. c. 2. Epiſcopum Narbonenſem. *Ut de carnali fiat ſpirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, ſed quaſi non habeant ſic habere, quo & ſalva ſit charitas conjugiorum, & ceſſent opera nuptiarum.* Et Sanctus Gregorius Magnus in litteris ad Sym-L. 1. Epiſt. 50. machum Romanæ Eccleſiæ Defenſorem: *Volumus, ut Sacerdotes, qui in Corſica demorantur, prohiberi debeant, ne cum mulieribus converſentur, excepta dumtaxat matre, ſorore, vel uxore, quæ* L. 7. Ind. 2. Ep. 39. *caſtè regenda eſt.* In litteris ad Romanum & Fantinum Defenſores Sanctum Auguſtinum, mulieres etiam à Carthaginenſi Canone permiſſas domo Epiſcopali excludentem, admodùm laudat, commendat omnibus Epiſcopis, ac addit: *Hoc adjecto, ut hi, ſicut canonica decrevit auctoritas, uxores, quas caſtè debent regere, non relinquant.* Et in quarto Dialogorum libro prædicat Urſinum Nurſienſis civitatis Presbyterum, quod Presbyteram ſuam, non domo & cohabitatione, ſed ſolo miniſterio & familiaritate ſua penitùs excluderet, etiam in mortis articulo dicens ad ſolatii noviſſimi & valedictionis cauſa accedentem: *Recede à me mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle.* Quod ipſum ſtatuunt & firmant prima, tertia, & quarta Synodus Toletana, Gerundenſis, quarta & quinta Aurelianenſis, Arvernenſis, ſecunda Turonenſis, ſecunda Lugdunenſis, prima & ſecunda Matiſconenſis, & exempla longè plurima.

Porrò Presbyteri uxorem Sanctus Gregorius rectè vocat Presbyteram. Ità enim etiam in Synodo ſecunda Turonenſi, Antiſiodorenſi, & Romanis ſub Gregorio ſecundo ac Zacharia Pontificibus, eodem ſenſu habes Epiſcopam, Diaconiſſam, ac Subdiaconiſſam. Ex quo vides voces *Presbytera & Diaconiſſa* apud ſacros Canones eſſe æquivocas, & quandoque pro Eccleſiæ miniſtra accipi, quandoque pro ſacra & continentiam profeſſa miniſtri uxore. Epiſcoporum, inquam, & ſacrorum Clericorum uxores non ſolummodò profitebantur continentiam, ſed & adſumebant habitum monaſticum, uti lucidè ſcribit Sanctus Gregorius in litteris ad Joannem Epiſcopum Panormitanum. L. 11. Ep. 62. Et huc reſpicit Sanctus Hieronymus in litteris ad Sanctum Paulinum Nolenſem Epiſcopum, agens de ejus uxore. Ep. 13. *Soror tua matronarum declinet conſortia, nec inter ſericas veſtes & gemmas circumſedentium fœminarum ſed ſordidatam aut doleat aut miretur.*

Exactæ profeſſionis cauſam adſignat laudatus Gregorius in litteris ad Urbicum, Abbatem Sancti Hermetis Panormitani, ac in litteris ad Theoctiſtam Patriciam. L. 5. Ep. 49. *Agathonem* in monaſterio, adeòque & in ſacro Ordine L. 9. Ep. 39. *ità ſuſcipiendum eſſe cognoſce, ſi & uxor ipſius ſimiliter converti voluerit. Nam cùm unum utrorumque corpus*

conjugii copulatione ſit factum, incongruum eſt partem converti, & partem in ſæculo remanere. Quæ enim fuerit iſta converſio, *in qua una eademque caro & ex parte tranſit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione?* Quam rationem ut antiquam laudat in Canonicis Cap. 44. ad Sanctum Amphilochium litteris Sanctus quoque Baſilius: Adeò Cap. 8. Cap. 16. non eſt recens Gregorii inventum. Et hinc Epiſcoporum ac ſacrorum Clericorum viduæ tranſire non poterant ad alias nuptias, uti liquet ex laudatis Baſilii litteris, prima Synodo Toletana, ſecunda Matiſconenſi, & laudatis Gregorii litteris ad Joannem Epiſcopum Panormitanum. Quin & Græcorum Presbyterorum ac Diaconorum viduæ etiam hodie ſine ſacrilegio non poſſunt nubere, uti liquet ex decreto Leonis decimi, ac Clementis ſeptimi Pontificum, adducto per Joannem Morinum in prima Cap. 4. parte operis de ſacris Ordinationibus. Quod nempe earum mariti in Ordinatione ad conjugalem continentiam, ſeu à profeſſione ſeu à Canone adſtricti nequeant ſecunda vota prætendere, adeòque & ipſæ, utpotè eadem caro, tenentur eadem lege, *gaudentes eiſdem immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, quibus gaudebant viris viventibus*. Quare hunc articulum, *Dicunt quod uxor Sacerdotis eo mortuo non poteſt de cætero maritari*, Armeniorum erroribus perperàm adſcribit Vincentius Epiſcopus Bellovacenſis. Hinc item juſta fuit Sancti Gregorii ſententia pro vidua Specioſi Subdiaconi Catanenſis. Siciliæ Subdiaconos ad continentiam primus ad- L. 3. Ep. 34. ſtrinxit Pelagius ſecundus Pontifex, neminem ſine tali profeſſione volens ordinandum, ac cunctis jam ordinatis mandans aut ab uxore aut à miniſterio ceſſare: Specioſus à miniſterio ceſſare maluit, ejus poſtmodùm vidua Honorato nupſit, Leo Epiſcopus tamquam prævaricatricem monaſterio clauſit, at verò Gregorius marito juſſit reddi, quod continentiæ profeſſionem vir ejus nunquam admiſiſſet, adeòque ipſa nullum ſecundi Matrimonii obicem pateretur. Ex eiſdem principiis ſecunda Synodus Matiſconenſis etiam Exorciſtæ atque Acolythi viduas arcet à novis nuptiis: Quod nempe illic etiam iſti gradus, licèt non à prioris uſu, tamen à novi conjugii adgreſſu prohiberent. Quod tamen omne uxorum onus an ſit Apoſtolicus aut planè antiquiſſimus Canon, apud quoſdam eſt incertum: Quoniam Tertullianus duobus libris, quos ex occaſione ſuſcepti Presbyteratus ſcripſiſſe videtur, adhortetur uxorem, ut deinceps caſtè vivens poſt ſuam mortem non ampliùs nubat, aut certè non niſi in Domino, id eſt, non niſi viro Chriſtiano. Verùm alii non de voto, ſed de ſimplici caſtitatis pacto putant libros agere, ſcriptoſque occaſione Baptiſmi, in quo iniri pacta ejuſmodi fuit olim frequentiſſimum.

Rectè item ad uxorem ſuam dixit Sanctus Urſinus Presbyter: *Recede mulier, igniculus adhuc vivit, tolle paleam*. Quis enim neſciat lapſum Sancti Gondebaudi primi Laudunenſium Epiſcopi, aliorumque plurium? Hinc ſtatuit Synodus Gerundenſis, *Ut à Pontifice uſque ad* C. 6. *Subdiaconum, qui ex conjugatis fuerit ordinatus, ſemper alterius fratris utatur auxilio, cujus teſtimonio vita ejus debeat clarior apparere*. Fratrem iſtum ſemper intra uxorati Clerici conclave dormire mandat quarta Toletana, ipſis autem C. 22. 23. conjugibus conclave, & multò magis lectum communem interdicunt rigidiſſimè quarta & quinta Aurelianenſes. Diverſas etiam diurnas, in eadem tamen domo, manſiones præcipit ſecunda C. 20. Turonenſis, Archi-Presbyteros, Diaconos, ac Subdiaconos ruſticanos, præ reliquis ſuſpectos, ſubjiciens cautelæ ſpeciali. Verùm palea ab igne ſeparanda eſt. Et hinc tertia Toletana Synodus Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos Arianos, huc uſque uxoribus uſos, ad Eccleſiam reduces adſtringit, ut deinceps cum illis *ſub uno conclavi non maneant*, *ſed* ſi quidem *virtus ſuffragatur, in alia domo faciant ipſas habitare*. Et ſecunda Lugdunenſis omnes ex conjugatis C. 1. Presbyteros ac Diaconos non ſolùm lecto, ſed & quotidiana frequentatione mandat ab uxoribus ſequeſtrari. Qui mos poſtmodùm ab omni Latina Eccleſia in Canonem receptus eſt, uti liquet ex primo Capitulo Cardinalis Gualonis, Legati in Franciam à Paſchali ſecundo. Præciſum receptionis initium ignoro. Eumdem pro Græca Eccleſia recipit præſens Canon, idque ſine damnatione ac reprehenſione anteriorum Canonum; Diverſa enim Eccleſiæ tempora pro diverſis morbis exigunt diverſas diverſorum Canonum medicinas. Eam cohabitationem ut periculoſam ac ſcandaloſam proſcribit, Quoad ſolos tamen Epiſcopos: Græcorum quippè ex conjugatis Presbyteri ac Diaconi permanebant in uxorum uſu, adeòque nulla ratio illos ſuadebat ſeparari.

Juſtinianus Auguſtus in legibus ſuprà laudatis vetuerat Epiſcopos è conjugatis aut filios habentibus adſumi. Et hinc in litteris ad Cethegum, quarum fragmentum Gratianus, integras tranſ- Diſt. 28. c. 13. miſit nobis illuſtriſſimus Lucas Holſtenius, Pelagius primus Pontifex Electum Syracuſanum toto integro anno confirmare noluit, quod ſuperſtitem haberet uxorem & filios, *per quos Ec-* Ep. 45. *cleſiaſtica ſolet periclitari ſubſtantia*. Eam eſſe dicit rationem finalem principalis conſtitutionis. Epiſcoporum ergò continentiam non reſpexit Juſtinianus. Et hic Canon demonſtrat legem ejus neque à Græcis ipſis ſervatam: Neque enim uxoratos ab Epiſcopatu arcet, ſed ſolas uxores domo ſeparat ab Epiſcopis maritis. Conjugati enim paſſim ac filiis ſtipati Græcorum Presbyteri ac Diaconi noluerunt laica lege fieri ad Epiſcopatum irregulares. Etiam dictum Syracuſæ Electum Pelagius Pontifex tandem confirmavit.

CA-

CANON XIII.

QUoniam Romanæ Eccleſiæ pro Canone traditum eſſe cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum profiteantur ſe non ampliùs ſuis uxoribus conjungendos, nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfectionis ordiniſque ſervantes, hominum, qui ſunt in ſacris, legitima conjugia deinceps quoque firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutua tempore convenienti conſuetudine privantes. Quamobrem ſi quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo poſtuletur, ut profiteatur ſe legitima cum uxore conſuetudine abſtenturum: Ne ex eo à Deo conſtitutas, & ſua præſentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, Evangelica voce exclamante, *Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Et Apoſtolo docente, *Honorabiles nuptias, & torum immaculatum*: Et, *Alligatus es uxori? Ne quære ſolutionem*. Scimus autem, ſicut & qui Carthagine convenerunt, & vitæ miniſtrorum honeſtatis curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & Diaconi & Presbyteri ſecundùm proprios terminos à conſortibus abſtineant: Ut & quod per Apoſtolos traditum eſt, & ab ipſa uſque antiquitate ſervatum, nos quoque ſimiliter ſervemus, tempus in omni re ſcientes, & maximè in jejunio & oratione. Oportet enim eos, qui Divino Altari aſſident, in ſanctorum tractandorum tempore eſſe omninò continentes, ut poſſint id, quod à Deo ſimpliciter petunt, obtinere. Si quis ergò fuerit auſus præter Apoſtolicos Canones incitatus aliquem eorum, qui ſunt in ſacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore, & conſuetudine privare, deponatur. Similiter & ſi quis Presbyter vel Diaconus ſuam uxorem pietatis prætextu ejecerit, ſegregetur: Et ſi perſeveret, deponatur.

Scholion.

PEſſimè hic Canon reprehendit morem Eccleſiæ Romanæ, à ſuis Presbyteris ac Diaconis exigentis plenæ ac perpetuæ caſtitatis profeſſionem. Falsò dicit ſuum Græcorum morem carnalem & licentioſum eſſe Canonem Apoſtolicum, ac Apoſtolicæ perfectionis. Quod namque olim plures ipſorum Epiſcopi à conſecrandis Diaconis laudatam profeſſionem exegerint, liquet ex decimo Canone Ancyrano. [C. 6.] Sanctus Hieronymus in libro contra Vigilantium teſtatur ſuo tempore eamdem ſanctitatem viguiſſe non tantùm in Sede Apoſtolica, ſed etiam in Ægypto ac Diœceſi Orientali: A Vigilantio, Martini Lutheri ac Joannis Calvini magiſtro, ſeductos Epiſcopos, qui Apoſtoli verbo, *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*, *abuſi non ordinabant Diaconos, niſi priùs uxores duxiſſent, nulli cælibi credentes pudicitiam*, dicens nec Epiſcopos nominandos. Iſtud ipſum, at ſpontaneè citra legem, ſervatum fuiſſe etiamnùm ſuo tempore ab illuſtrioribus cunctis per Diœceſin Orientalem Epiſcopis ac Presbyteris, teſtatur Socrates, & addit: *Non pauci illorum, dum Epiſcopatum gerunt, etiam liberos ex uxore legitima procreant*. [L. 5. c. 21.] Eamdem ſanctitatem, & quidem ſub Canone obligante, viguiſſe in Pontica Diœceſi, non obſcurè colligitur ex canonicis Sancti Baſilii litteris ad Gregorium Presbyterum, & Sanctum Amphilochium Archi-Epiſcopum Iconienſem.

Nam

Nam & Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, Sancti Gregorii Theologi pater, poſt ſuſceptos ſacros Ordines caſtè omninò vixit cum Nonna uxore. Et hinc Euſtatius Sebaſtenus in prima Armenia Archi-Epiſcopus, Clericalis caſtitatis nimius uſque ad hæreſin zelator, nequaquam Presbyteros priori Matrimonio adhuc utentes, ſed eos ſolos, qui, licèt jam abſtinerent, olim contraxerant conjugium, blateravit ſpernendos, ac eorum non attingenda Sacramenta: Quod nempe per Ponticas regiones nulli eſſent Presbyteri generis prioris. Et Sanctus Epiphanius, Cypriorum in Patriarchatu Antiocheno Archi-Epiſcopus, ſcribit in refutatione hæreſis Novatianen-

Hæreſ. 55. ſis. *Sancta Dei prædicatio in Diaconum, Presbyterum, Epiſcopum, & Hypo-Diaconum non ſuſcipit unius uxoris virum liberos adhuc gignentem, ſed eum, qui ſe ab unica continuit, aut in viduitate vivit: Maximè ubi ſinceri ſunt Canones Eccleſiaſtici. At dices mihi; Omninò in quibuſdam locis liberos adhuc gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non eſt juxta Canonem, ſed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cùm non inveniretur Miniſterium.* Hoc eſt, *Propter duritiam cordis veſtri, ab initio enim non fuit ſic.* Etenim Clericalis caſtitatis originem, Apoſtolicumque, ſi non Canonem, certè exemplum tradit Tertullianus in

Cap. 8. libro de monogamia. *Petrum ſolum* inter Apoſtolos *invenio maritum, per Socrum; cæteros enim maritos non invenio, aut ſpadones,* id eſt, profeſſos virgines, *intelligam neceſſe eſt, aut continentes.* Et hinc meritò Romani paſſim Pontifices & Canones aſſerunt ſuum Clericalis ſanctimoniæ morem eſſe omninò Apoſtolicum. Nolim dicere eſſe Apoſtolicum Canonem, & Græcos traducere de ejus prævaricatione. Etenim in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis laudat Sancti Dionyſii Corinthiorum Epi-

l. 4. c. 23. ſcopi Epiſtolam ad Gnoſios ſeu Cretenſes, *qua Pynitum Eccleſiæ illius Epiſcopum* Metropolitanum *admonet, ne grave caſtitatis onus fratribus ex neceſſitate imponat, ſed multitudinis accuratè conſideret imbecillitatem.* Fatetur cum Sancto Epiphanio onus iſtud eſſe ſanctiſſimum, at metuit tantæ ex tunc Clericorum multitudini ſecurè non imponendum. *Enim verò è contrario obſecrat Pynitus, ut jam aliquando cibum illis impartiat ſolidiorem, & perfectiore doctrina populum ejus procurationi commiſſum educet, ne umbratili cuidam inſtitutioni, & molli inſtar lactis ſemper perpetuò adſuefacti, puerili quadam diſciplina nec opinantes conſeneſcant.* Ex quo vides rem hanc primis Eccleſiæ ſæculis variè ab Epiſcopis Græcis fuiſſe actam & diſceptatam. Et hinc à conſecrandis Diaconis continentiæ profeſſionem exigere, Epiſcoporum arbitrio dereliquit Canon Ancyranus. Nihil de hoc definiviſſe videntur, qui apud Græcos prædicarunt Apoſtoli, intenti in ſolam fidei plantationem, dicenteſque de hoc puncto: *Cætera, cùm venero, diſponam.* Et Pynitus videtur hoc onus inchoaſſe apud Cretenſes, haud dubiè ex juſſu Romanæ Eccleſiæ, ad cujus Patriarchalem poteſtatem ſemper ſpectavit omnis, in qua & Cretæ Provincia, Diœceſis Illyriciana. Et hinc Socrates eamdem ſanctitatem viguiſſe ſcribit etiam in Hellade, Macedonia, Theſſalonicæ, ac omni Theſſalia; inchoatum ab Heliodoro Epiſcopo Tricenſi. Quæſtionem ad Synodum Nicænam deduxerunt ex Sancti Sylveſtri Pontificis mandato Legati Apoſtolici, morem ſuum volentes impoſitum univerſæ ſub cœlo Eccleſiæ, at impedivit Paphnutius Ægypti Epiſcopus, intercedens per unicam Dionyſii Corin- L. 5. c. 22.
thii rationem, multitudinis infirmitatem: Nam ipſe à puero immaculatus in monaſterio vixerat, & omnis Ægyptiaca Diœceſis, uti à Sancto Hieronymo audivimus, ſervabat ſententiam Romanam. Scio Paphnutii interceſſionem à quibuſdam ad apocrypha proſcribi: At ſine fundamento. Eam enim ante omnem nobiſcum litem laudant Socrates, Hermias Zozomenus, Gelaſius Cyzicenus, inſinuatque Sanctus Ambroſius in litteris ad Eccleſiam Vercellenſem.

Errant verò Socrates & Zozomenus *Veterem* L. 1. c. 23.
Eccleſiæ traditionem eſſe, ut qui cælibes gradum ſacerdotalem conſecuti fuiſſent, poſteà minimè uxores ducerent; qui autem poſt nuptias ad eum Ordinem vocati eſſent, hi ab uxoribus, quas habebant, minimè ſepararentur. Errant hanc traditionem ex Paphnutii interceſſione confirmatam à Synodo Nicæna. Certum eſt Sanctorum Epiphanii & Hieronymi tempore necdum fuiſſe iſtam traditionem: Atque ità nequit eſſe Canon Apoſtolicus. Quin immò inter vulgares Apoſtolicos Canon vigeſimus ſeptimus, noſtri præſentis palmare fundamentum, necdùm erat, aut certè non ſervabatur tempore Concilii Chalcedonenſis, utpotè cujus Canon decimus quartus dicat, non quod ubique, ſed in quibuſdam dumtaxat Provinciis conceſſum ſit Lectoribus & Pſalmiſtis uxores ducere. Traditionis iſtius præciſam originem & traducem ignoro: Exiſtimo ipſam dudùm fuiſſe apud quaſdam Eccleſias, ac tandem extenſam ad omnes à Juſtiniano Auguſto per Legem novellam ad Joannem Prætorio Præfectum, & Legem codicis ad Julianum Præfectum, L. 22. c. 42.
qui ante ſua tempora graſſantem unà cum Acaciano ſchiſmate inter Græcorum ſacros Clericos licentioſiſſimam libidinem pleniùs non potuerit ſanare. Graſſata queritur ſola Presbyterorum ac Diaconorum ſacrilega matrimonia, ideòque Socrates, adfirmans ſuo tempore etiam Orientalibus Epiſcopis licuiſſe uſum uxorium, falli poſſit aut hallucinari. Etiam illi, qui ab exemplo argumentabantur adversùs Sanctum Epiphanium, adduxerunt exempla ſolorum Presbyterorum, Diaconorum; ac Subdiaconorum. Græcorum quippè Epiſcopi ſemper & ubique fuerunt adſtricti ad plenam continentiam, quod etiam præſens Synodus in præſenti, proximè antecedenti, ac in quadrageſimo octavo Canone confirmat.

Fœdiſſimè errat & criminatur Romanam ſanctitatem eſſe in nuptias à Deo inſtitutas ac benedictas injurioſam. Eſt Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam de errore Euſtatii Sebaſteni Epiſcopi infamare. Hinc ſanè Photius audaciam ſumpſit nos, ut in litteris ad Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopos lamentatur Nicolaus primus Pontifex, inſimulandi: *Quod abominemur & damnemus* Epiſt. 70.
nuptias,

Digitized by Google

nuptias, quia Presbyteros ſortiri conjuges prohibemus. Plus auſus eſt Nicetas Pectoratus: *Quis tradidit vobis prohibere & abſcindere*, id eſt, quoad vinculum diſſolvere, *nuptias Sacerdotum*? Ab hoc Canone, quem à Sancto Agathone Pontifice confirmatum mentitur imperitiſſimè, damnatas ait Latinas traditiones, tamquam adulteras & ab Apoſtolorum doctrina alienas.

Conſt. 34. Sanctiſsimè ſtatuit Clemens octavus Pontifex, ut Græcus Presbyter miſſæ ſacrificium oblaturus ab uxore ceſſet per ſeptem, aut certè per tres dies: Nam & carnale Judæorum ſacrificium ità per Moyſen Deus honoravit. Et iſtud confirmat præſens Canon. At peſſimè ſe fundat in Canone Carthaginenſi. Quis enim neſciat Presbyteros ac Diaconos fuiſſe ab omni Africana Eccleſia adſtrictos ad plenam continentiam? Quis ferat ab hoc Canone eos omnes, qui Presbyteros, Diaconos, aut Subdiaconos ab uxorio uſu impediunt, tamquam Apoſtolicorum Canonum prævaricatores deponi? Ità enim Romanum Pontificem, omneſque cum illo deponit Epiſcopos & Clericos Latinos. Et ità illum intellexit Nicetas Pectoratus.

CANON XIV.

SAnctorum, Divinorumque Patrum noſtrorum Canon in his quoque valeat, ut Presbyter ante triginta annos non ordinetur, etiamſi ſit homo valdè dignus, ſed reſervetur. Dominus enim Jeſus Chriſtus trigeſimo anno baptizatus eſt, & cœpit docere. Similiter nec Diaconus ante 25. annos, nec Diaconiſſa ante 40. annos ordinetur.

SCHOLION.

L. 123. EST reverà antiquus Patrum Canon. Corrigit
Cap. 13. Legem novellam Juſtiniani Auguſti ad
Joannem Præfectum Prætoriorum: *Presbyterum*
minorem triginta quinque annis fieri non permitti-
Cap. 11. *mus*. Et noſtro Canoni, tam de Diacono quàm
Cap. 4. Presbytero, adſtipulantur Synodus Neo-Cæſa-
Cap. 10. reenſis, tertia Carthaginenſis, & quarta Toletana, durè increpans quoſdam Epiſcopos, qui paſſim etiam pueros atque infantes contra Canones ac Divinam Legem in Diaconos provehebant. Quarta item Arelatenſis, Agathenſis, tertia Aurelianenſis, Francofordienſis, tertia Turonenſis, Caroli Magni Capitulare Aquiſgranenſe, Tholoſana ſub Victore ſecundo Pontifice, Urbani ſecundi Malphitana, Dalmatica
Ep. 62. c. 3 ſub Innocentio tertio, Sanctus Hieronymus in
Cpa. 5. litteris ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum, ac in libro de ſacris Ordinationibus Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis. Et hìnc Sancto Boniſacio Francorum Apoſtolo, roganti viginti quinque annorum ordinare Presbyteros, diſpenſatoriè ob perſonarum inopiam conceſſit Zacharias Pontifex, addens eſſe Canonibus adverſum. Ità Sancti Malachiæ, Dunanſis poſtmodùm Epiſcopi, ante dictos annos Dia-
Cap. 2. conalem ac Presbyteralem Ordinationem improbat Sanctus Bernardus in ejus vita, donandam tamen ſuadens Ordinantis zelo ac meritis Ordinati. Gregorium Thaumaturgum, ejus fratrem Athenodorum, Sanctum Athanaſium, Sanctos Alexandrum ac Eleutherium Pontifices, Sanctum Remigium Remenſem, Sanctum Lambertum Epiſcopum Leodienſem, & quoſdam alios fuiſſe aut in adoleſcentia aut in prima juventute
ſacris Ordinibus, etiam Epiſcopatu initiatos, L. 6. c. 23.
teſtantur Euſebius, Socrates, Nicephorus Ca- L. 1. c. 11.
lixtus, Flodoardus, ac magnum Belgii Chroni- L. 1. c. 11.
con: At dico diſpenſatoria fuiſſe, Divino etiam F. 25.
miraculo paſſim confirmata, quomodò & adoleſcentem Timotheum Apoſtolus promovit in Epiſcopum, ſecundùm præcedentes Prophetias. Undè noſter Canon putatur eſſe omninò Apoſtolicus.

Ejus cauſam edicit Sanctus Hieronymus in laudatis litteris: *Triginta annorum ætas juxta myſterium adſumpti hominis*, qui tunc docere & Presbyterum ac Epiſcopum agere cœpit, *perfecta eſt*. Addit & aliam. *Recordetur* Joannes Hieroſolymæ Epiſcopus *Legis antiquæ, & poſt viginti quinque annos à Levitica tribu eligi in Sacerdotium pervidebit. Aut ſi in hoc ſolo teſtimonio Hebraicam ſequitur veritatem, noverit triginta annorum fieri Sacerdotem*. Ad quæ verba Marianus Victorius:
Nos hodie Hebræam cum vulgata editione conſentien- C. 20.
tem habemus. Et quarta Synodus Toletana: *In veteri Lege ab anno vigeſimo quinto Levitæ tabernaculo ſervire mandantur, cujus auctoritatem in Canonibus & Sancti Patres ſecuti ſunt*. Et meritò: Ne- Hieron.
queunt enim *Presbyteri per antiphraſin à ſuo nomine* Ep. 62. c. 3.
diſcrepare. Diaconi ætatem ad viginti, Presbyteri ad viginti quinque annos poſtmodùm contraxit ob alias temporis rationes in Synodo Vien-
nenſi Clemens quintus: At nunc Diaconos eſſe L. 1. tit. 6.
completè annorum viginti duorum præcepit ſacra Synodus Tridentina.

CA-

CANON XV.

Subdiaconus ne minor 20. annis ordinetur. Si quis autem in quovis Sacerdotii gradu præter præfinita tempora ordinatus fuerit, deponatur.

Scholion.

Eumdem in Subdiacono annum requirit in opere de ſacris Ordinationibus Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis, & apud nos Latinos ſecunda Synodus Toletana. Et Leo ſapiens Auguſtus in Lege novella ad Stephanum, fratrem ſuum, Patriarcham Conſtantinopolitanum, ac in Lege ad Stylianum Officiorum magiſtrum. L. 75. 76. *Sexta Synodus Vicenarium Hypodiaconum ordinari poſſe ſancit; huic verò Lex civilis contradicens viginti annis quinque admetiri jubet. Nos itaque ut ſacram Legem ſacer Ordo ſequatur, convenire rati, ut ad Hypodiaconatum, qui quidem eo digni ſunt, anno ætatis ſuæ vigeſimo admittantur, ſancimus.* Caſſat Legem novellam Juſtiniani Auguſti ad Joannem Prætoriorum Præfectum: L. 123. c. 13. *Subdiaconum fieri non permittimus minorem viginti quinque annis.* Adeò Juſtiniani de rebus ſacris Novellas etiam Græci contempſerunt. Melphitana Urbani ſecundi Pontificis Synodus longè aliter: Cap. 4. *Nemo ante annos quindecim aut quatuordecim Subdiaconus ordinetur.* Tertia Ravennas ſub Cap. 12. Clemente quinto requirit annos ſedecim, octodecim ipſe Clemens in Synodo Viennenſi: Sacroſancta Tridentina viginti & unum completos.

CANON XVI.

Quoniam actuum liber ſeptem Diaconos ab Apoſtolis conſtitutos eſſe tradit, Neocæſareenſis autem Synodus ſic in à ſe editis Canonibus apertè diſſeruit. Quod ſeptem debent eſſe Diaconi ex Canone, etiamſi ſit validè magna civitas, ex libro autem actuum perſuadeberis: Nos cum dicto Apoſtolico Patrum mentem adaptaſſemus, invenimus eos eſſe locutos non de viris, qui miniſtrant myſteriis, ſed de miniſterio, quod in uſu menſarum adhibebatur, cùm liber Actuum ſic habeat: In diebus illis, cùm diſcipulorum multitudo creſceret, fuit Græcorum murmur adversùs Hebræos, quod deſpiciebantur eorum viduæ in miniſterio quotidiano. Duodecim ergò, accerſita diſcipulorum multitudine, dixerunt: Non placet, ut verbo Dei relicto, menſis ſerviamus. Providete ergò fratres viros ex vobis, de quibus bonum ſit teſtimonium, ſeptem Spiritu ſancto & ſapientia plenos, quos in hoc uſu conſtituemus: Nos autem in oratione, & verbi miniſterio fortiter perſeverabimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu ſancto, Philippum & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum Proſelytum Antiochenum, quos ſtatuerunt coram Apoſtolis. Hæc interpretans Eccleſiæ Doctor Joannes Chryſoſtomus, ſic proſequitur: Eſt operæ pretium admirari, quomodò non eſt ſciſſa multitudo in virorum electione, quomodò non ſunt ab ipſis rejecti ac reprobati Apoſtoli.

ſtoli. Quamnam autem habebant hi auctoritatem, & quam acceperunt ordinationem, ſcire eſt neceſſarium. Nunquid Diaconorum? Atqui hoc non eſt in Eccleſiis. Sed Presbyterorum diſpenſatio? Atqui nullus adhuc erat Epiſcopus, ſed ſoli Apoſtoli. Undè nec Diaconorum, nec Presbyterorum nomen exiſtimo apertum eſſe ac manifeſtum. Propter hæc ergò nos quoque prædicamus, ut prædicti ſeptem Diaconi non de iis accipiantur, qui myſteriis ſerviunt, ut eſt priùs expoſita doctrina; ſed eos eſſe, quibus fuit concredita ac tradita diſpenſatio communi eorum uſui, qui tunc collecti fuerant. Qui nobis in hoc quoque forma fuere humanitatis & ſtudii in eos, qui indigent.

SCHOLION.

L.7.c.19. Diaconorum in Eccleſiis Cathedralibus numerum rectè inter mobiles earum conſuetudines refert Hermias Zozomenus: *Diaconi apud Romanos hactenùs non plures ſunt, quàm ſeptem, ad ſimilitudinem eorum, qui ab Apoſtolis ordinati fuerant; apud alios verò numerus eorum promiſcuus eſt*. Non obſtante interdicto Canonis Neo-Cæſareenſis, qui certè ſolas Ponticam ac Orientalem, cujus etiam quidam Epiſcopi videntur interfuiſſe, Diœceſes potuerat obligare. Etenim in Synodo Beritenſi dixit Ibas Archi-Epiſcopus Edeſſenus: *Eſt Clerus noſter nominum ducentorum, plùs minùs, aut etiam plurium*. Porrò *inſtructioni ac deprecationi* ad eandem Synodum miſſæ *ab omni Clero* ejuſdem civitatis ſubſcribunt Presbyteri quatuordecim, Diaconi triginta novem. Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Clerus fuit longè amplior: Præter centum Oſtiarios habuit Clericos quadringentos viginti quinque, quos inter erant ſexaginta Presbyteri, Diaconi centum, uti ſtatuit Juſtinianus Auguſtus in Lege novella ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum. L. 3. c. 1. Ejus augendi licentiam non ſolummodò laudatus Princeps, ſed & poſtmodùm ad Sergii Patriarchæ preces debuit Heraclius Auguſtus compeſcere. Hunc numerum ut Apoſtolico facto non adverſari oſtendat præſens Synodus, admodùm indignè ait ſeptem primos Diaconos Sacramentali conſecratione non fuiſſe ab Apoſtolis initiatos. Septenarius numerus congruebat primis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ exordiis: Pro Canone neque datus ab Apoſtolis, nec unquam ab Eccleſia receptus.

CANON XVII.

Quoniam diverſarum Eccleſiarum Clerici, propriis, in quibus ordinati ſunt, relictis Eccleſiis ad alios Epiſcopos ſe contulerunt, & ſine proprii Epiſcopi ſententia in alienis Eccleſiis conſtituti ſunt, & ex eo ipſis reddi inſolentes, ac inobedientes evenit: Statuimus ut à menſe Januario præterito quartæ indictionis, nullus omninò Clericus, in quocumque ſit gradu, poteſtatem habeat ſine proprii Epiſcopi ſcripta dimiſſoria in alienæ Eccleſiæ catalogum referri. Qui hoc enim à præſenti nunc tempore non ſervaverit, ſed quod in ſe eſt, eum, qui illi manus impoſuit, dedecore affecerit, deponatur & ipſe, & qui eum præter rationem ſuſcepit.

CANON XVIII.

EOs, qui barbaricæ incurſionis prætextu, vel alio modo propter aliquam circumſtantiam emigrarunt, Clericos, poſtquam modus ille ac circumſtantia ceſſarit, vel barbaricæ incurſiones, propter quas receſſerant, rurſus in ſuas jubemus Eccleſias reverti, nec eas diu abſque ulla occaſione relinquere. Si quis autem non, ut præſens vult Canon, adierit, ſegregetur, donec ad ſuam Eccleſiam redeat. Hoc ipſum autem etiam in eo fiat Epiſcopo, qui illum detinet.

SCHOLION.

L. 3. Ep. 43. ETiam Gregorius Magnus Bacaudæ Epiſcopi Clericos, qui ex Italia à Longobardorum barbaris ſpathis in Siciliam aufugerant, juſſit ad matricem Eccleſiam redire. Quin & Joannem Luſitaniæ civitatis, ab hoſtibus penitùs deſtructæ, Epiſcopum in Eccleſiam Squillitanam traſtulit ea lege: *Si civitatem illam ab hoſtibus liberam effici, & Domino protegente ad priorem ſtatum contigerit revocari, ad eam, in qua priùs incardinatus es, Eccleſiam revertaris.* L. 1. Ep. 25. Eadem lege Sanctum Arctardum Nannetò Turones, & Frotarium Pictavis Biturigas tranſtulerunt Adrianus ſecundus ac Joannes octavus.

CANON XIX.

QUod oporteat eos, qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipuè Dominicis, omnem Clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloquia, ex Divina Scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis, & non tranſgredientes jam poſitos terminos, vel Divinorum Patrum traditionem. Sed & ſi ad Scripturam pertinens controverſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodò Eccleſiæ luminaria & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt, & majorem ex iis laudem aſſequantur, quam ſi quæ à ſe dicuntur, componant, ne dum quandocumque ad id hæſitant, ab eo quod convenit, excidant. Per prædictorum enim Patrum doctrinam populi ad eorum, quæ ſunt bona & expetenda, & inutilia ac rejicienda, cognitionem venientes vitam in melius componunt, nec in ignorantiæ vitium delabuntur: Sed doctrinæ mentem adhibentes ſeipſos ad id, ne mali quid eis accidat, excitant, & imminentium ſuppliciorum metu ſibi ſalutem operantur.

SCHOLION.

REformat Canon Græcorum Epiſcoporum ac Parochorum vetuſtam ſocordiam, adverſùs quam in Florentini Concilii Apologia ad Marcum Epheſiorum Primatem ſcribit Gregorius Proto-Syncellus: *Utinam nobis tot eſſent concionatores in Eccleſia diebus feſtis ac Dominicis populum docentes, quot ſumma felicitate viſuntur in Latina Eccleſia, quotque monachi extremam amplexi paupertatem.* P. 753. Et Barlaamus Hieracen-

racenſis Epiſcopus in litteris amicorum ſuorum ad faciendam cum Latinis pacem hortatoriis. Epiſt. 1. *Apud Latinos Evangelica doctrina ubique viget, currit, multiplicatur, & omnibus Divinus ſermo prædicatur. Multitudinibus per civitates, villas, oppida, & caſtella, & in ſacris templis, & ubicumque inveniuntur ſimul multi aggregati, & præſertim feſtivis diebus, qui ſciunt Divina eloquia, prædicant congruenter audientium habitui & loquelæ, aperientes eis per totum annum & hiſtoriale, & narrativum, & ſententiale, & morale Divinæ Scripturæ, veteris pariter & novæ, & cum his Sanctorum vitas in eorum natalitiis. Ità illorum illiterati, mares ſimul & fœminæ, nihilominus ab his, qui litteris ſtudent, habent.* Graviter queritur hocce bonum Eccleſiæ Græcæ deeſſe. Malum graſſatum fuiſſe ſingulariter apud Armenios, de quibus Clemens Galanus in opere de eorum unione cum Eccleſia Romana. *Magiſterium* ſeu ſacræ Theologiæ doctoratus *adeò ſupremæ apud Armenios eſt dignitatis, ut ipſi præferatur Epiſcopatui, nec aliis, niſi pauciſſimis è ſapientioribus Monachis, ac tanto cæremoniarum & Divinarum precum ritu confertur, ut ab incauto populo verè Sacramentalis Ordo, qui aliorum omnium ſupremus credatur, utpotè qui, ut ipſi dicunt, Chriſti Domini perſonam, qui Rabbi, hoc eſt, magiſter appellabatur, præ ſe fert. Magiſtris iſtis dumtaxàt licet concionari in Eccleſiis. Quare ſuos Epiſcopos, qui ſunt ut plurimùm indoctiſſimi, non penè, niſi ad ſolos ſacros Ordines conferendos, adhibent.*

Quanta Epiſcopis, Apoſtolorum Vicariis & ſucceſſoribus, ſit prædicandi obligatio, liquet ex verbo Sancti Pauli Apoſtoli ad Corinthios: *Non miſit me Dominus baptizare, ſed prædicare.* Et præcipua ejus ad Timotheum Epiſcopum per Jeſum Chriſtum Judicem & tremendum ejus in igne tribunal adjuratio fuit: *Prædica verbum.* Ejus etiam ad Titum præcipua vox eſt: *Oportet Epiſcopum eſſe Doctorem.* Epiſcopi enim officium eſt fungi legatione pro Chriſto, inter cujus palmaria à Patre accepta mandata fuit pauperibus Evangelizare. Hinc Euſebius Cæſareenſis Epiſcopos vo- L. 3. c. 31 32. cat *Evangeliſtas.* Et Patres olim noſtri Epiſcopatum appellabant *Prædicationis officium*, uti liquet apud Jacobi Sirmondi Gallicana Concilia ex profeſſione Adalberti Morinenſis Epiſcopi, facta Hincmaro Metropolitæ Remenſi, ac ex vetuſta omnium Archi-Epiſcoporum profeſſione, producta ex veteri codice monaſterii Floriacenſis, Regiæ item confirmationis præceptum habebat olim hæc ad electum Epiſcopum verba: *Commiſſam vobis plebem juxta canonicam inſtitutionem aſſiduis prædicationum ſermonibus expolite.* Et Eccleſiæ Laudunenſis ad jam dictum Hincmarum pro Hedenulfo Electo decretum: *Hedenulfum nobis & Eccleſiæ noſtræ Doctorem inſtitui poſtulamus.* Et in libris officiorum de ſemetipſo Sanctus Ambroſius: L. 1. c. 1. *Officium docendi nobis impoſuit Sacerdotii neceſſitudo.* Lapſam apud nos Chriſtianitatem reparantis Caroli Magni prima fuit ſacra juſſio, laudata à monacho Sancti Galli in ejus vita, ut omnes Epiſcopi aſſiduè docerent plebem, aut ab Epiſcopatu L. 8. Ep. 140. deponerentur. Et Brixienſem Epiſcopum, linguæ officio deſtitutum, cedere coegit Innocentius

tertius, quod Dei Verbum in lingua Epiſcopi nequeat eſſe alligatum. Secutus eſt antiquum & C. 57. vulgò Apoſtolicum Canonem: *Epiſcopus aut Presbyter, qui Clerum vel populum pietatem non docet, ſegregetur; & ſi in ſocordia perſeverat, deponatur.* Sua tempora, quibus Epiſcopus prædi- L. 2. c. 7. cans erat quaſi miraculum, meritò deplorat Henricus Coychtonus. Et apud Matthæum Paris A. 1072. imperito ac negligenti Clero de intermiſſo prædicationis verbo, ac natis indè inferni lucris diabolus gratias agit: Quotquot enim ex verbi defectu pereunt, perire Epiſcopo rectè ex Sancto L. 2. c. 5. Proſpero, & cum Ezechiele Propheta tradit ſexta Synodus Pariſienſis. Plurimos habemus ejuſmodi Canones.

Rectè item ait Aquiſgranenſis ſub Ludovico L. 1. c. 8. Pio Synodus: *Presbyteri conſortes ſunt cum Epiſcopis in doctrina populorum & officio prædicandi.* Neque obeſt antiquus quarumdam Eccleſiarum mos, de quo Hermias Zozomenus: *Apud Alexandrinos* L. 7. c. 19. *in Eccleſia docet ſolus civitatis Epiſcopus.* Et Sanctus Leo, ſeu quis alius in Epiſtola ad Germaniæ & Galliæ Epiſcopos: *Presbyteris non licet Epiſcopo coram poſito populum docere.* Et Sanctus Poſſidius Valerium Hipponenſem Epiſcopum, dum San- Ep. 88. cto Auguſtino adhuc *Presbytero poteſtatem dedit coram ſe in Eccleſia Evangelium prædicandi*, fatetur feciſſe *contra uſum & conſuetudinem Eccleſiarum Africanarum*, ideòque illi *nonnullos Epiſcopos detraxiſſe.* Reſpondet enim Sanctus Hieronymus in litteris ad Nepotianum. *Peſſimæ conſuetudinis* Ep. 2. *eſt in quibuſdam Eccleſiis tacere Presbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui, quaſi aut invideant, aut non dignentur audire. Gaudeat Epiſcopus judicio ſuo, cùm tales Chriſto elegerit Sacerdotes.* Et hinc memoratum Valerii factum laudat Poſſidius, utpotè *qui in Orientalibus Eccleſiis id ex more fieri ſciens, utilitati Eccleſiæ conſulens, obtrectantium non curavit linguas.* Etenim Ancyrana Synodus inter Presbyteri officia omninò numerat *ſermonem facere ad populum.* Et jam adductus vulgaris Apo- Cap. 1. ſtolicus Canon non tantùm Epiſcopo, ſed & Presbytero prædicationem negligenti infligit ſegregationem, & degradationem comminatur. Et apud Euſebium Cæſareenſem Smyrnenſis Ec- L. 4. c. 14. cleſia in litteris ad omnes ſub cœlo Eccleſias laudat Pionii Presbyteri ſui *conciones ad docendum accomodatas.* Et de Dorotheo Eccleſiæ An- L. 7. c. 26. tiochenæ Presbytero ipſe Euſebius: *Iſtum nos Scripturas in Eccleſia non incommodè explicantem audivimus.* Et de Pierio, quem ſub Theona Patriarcha prædicare ſolitum ſcribit in catalogo virorum illuſtrium Sanctus Hieronymus, Presbytero Eccleſiæ Alexandrinæ: *Fuit in concionibus publicè in Eccleſia faciendis ſupra modum exercitatus.* De adverſa enim iſtius Eccleſiæ conſuetudine addit Hermias Zozomenus ſuprà adductus: *Ajunt tamen hanc conſuetudinem non priùs inoleviſſe, quam ex quo Arius Presbyter de doctrina differens inſolitam introduceret.* Ante ejus turbas L. 5. c. 22. fuiſſe Alexandriæ varias Parochiales Eccleſias, & ſuos in ipſis Presbyteros prædicare ſolitos, etiam Socrates & Sanctus Epiphanius teſtantur. Addit Socrates eumdem morem viguiſſe etiam Cæſareæ Cappadocum, ac in Inſula Cypro. Et

improbatus à Sancto Hieronymo mos fuit in ſolis Eccleſiis Cathedralibus, ubi præſens Epiſcopus: Vicanis Presbyteris in ſuis Eccleſiis ſemper licuit & incubuit docere, idque ſingulis diebus Dominicis ac Feſtis, uti rigidiſſimè mandant Canones longè plurimi.

Hæc præſentis Canonis verba, *Ex Divina Scriptura colligentes intelligentias*, exponit egregiè Sanctus Hieronymus in litteris ad Nepotianum. Epiſt. 2. *Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur: Lacrymæ auditorum laudes ſint tuæ. Sermo Presbyteri Scripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe & rabulam, garrulumque ſine ratione, ſed myſteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditiſſimum. Verba volvere & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt. Nihil tam facile, quàm vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur.* Et in libro adversùm Luciferianos queritur indoctos paſſim promoveri Epiſcopos, & addit; *Ex litteratis quicumque hodie ordinantur, id habent curæ, non quomodò Scripturarum medullas ebibant, ſed quomodò aures populi declamationum floſculis mul-*
Cap 82. *ceant*. Caroli Magni Capitulare Aquiſgranenſe,
Cap. 9. item Herardi Turonenſis, Hincmari ac Sonnatii Remenſium Epiſcoporum Capitularia mandant populo exponi Symbolum, virtutes omnes, peccata mortalia, ſignificationes Sacramentorum, quod ipſum mandat Sacroſancta Synodus Tridentina. Theodulfi Aurelianenſis Epiſcopi Capitulare à Presbyteris Scripturas ignorantibus prædicari aſſiduè vult hoc magnum Dei Præce-
C. 14. 15. ptum: *Declina à malo, & fac bonum.* Secunda
C. 17. Remenſis & tertia Synodus Turonenſis Sanctorum Patrum homilias jubent ab Epiſcopis ac Presbyteris transferri in linguam vulgarem, ac ità ad plebem declamari. Debet eſſe verbum penitùs irreprehenſibile. Etenim in Synodo ad Quercum accuſatus fuit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, quod vocibus, *Depereo, inſanio, fu-* C. 39.
ria, in concione uteretur, *quas Eccleſia ignorat*. Tertullianus in libro Apologetico ait eſſe *diſciplinam præceptorum inculcationibus denſatam, exhortationes, caſtigationes, cenſuram Divinam*. Sanctus Ambroſius in libris officiorum ſuadet L. 1. C. 22.
non ſemper eſſe idem verbum, ſed quandoque de doctrina fidei, quandoque de magiſterio virtutum, prout dederit diei occurrens lectio. Exponit antiquum Capitulare Epiſcoporum Franciæ:
Omnibus Feſtis ac Dominicis diebus quiſque Sa- C. 4.
cerdos Evangelium occurrens *populo prædicet*. Et Sanctus Cyrillus Alexandrinus in litteris ad Acacium Berreenſem Epiſcopum, exſtantibus in prima parte Epheſini Concilii: *Oportet moralibus* C. 21.
expoſitionibus populum erudire, niſi cui forsàn ea Divinarum rerum cognitio & cautio ſuppetat, ut cum fructu ſublimia proponere queat.

Er hic ſublimium prædicator exactiſſimè ſervare debet regulam præſentis Canonis: *Ne Scripturam aliter interpretetur, quam quomodò Eccleſiæ luminaria & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt*. Conſonat fidei profeſſio edita per Pium quartum Pontificem: *Sacram Scripturam nunquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam &*
interpretabor. Rectè enim Sanctus Hieronymus C. 5.
in commentariis Apoſtolicæ Epiſtolæ ad Galatas. *Quicumque aliter Scripturam intelligit, quam ſenſus Spiritus ſancti flagitat, quo conſcripta eſt, licèt de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt, & de carnis operibus eſt, eligens quæ pejora ſunt*. Ex iſto fonte omnes hæreſes ſcaturierunt. Et hinc ſecunda Ravennas ſub Clemente quinto Synodus meritò requirit in Prædicatore ætatem, gravitatem, ſcientiam,
ſanctitatem. Ætatem triginta annorum, etiam C. 13.
in Religioſo mendicante.

CANON XX.

NE liceat Epiſcopo in alia, quæ ad ſe non pertinet, civitate publicè docere. Si quis autem hoc facere deprehenſus fuerit, ab Epiſcopatu deſiſtat, Presbyteri autem munere fungatur.

CANON XXI.

QUi Canonicorum quidem criminum rei facti, & propterea perfectæ ac perpetuæ depoſitioni ſubjecti, in laicorum locum detruſi ſunt, ſi quidem ad converſionem ſua ſponte reſpicientes peccatum deflent,

ſtent, propter quod à gratia exciderunt, & ab eo ſe penitùs alienos efficiunt, Clerici habitu tondeantur. Sin autem non ſua ſponte hoc elegerint, comam ſicut laici nutriant, utpotè qui mundanam converſationem vitæ cœleſti præpoſuerunt.

CANON XXII.

EOs, qui pecuniis ordinantur, ſive Epiſcopos, ſive qualeſcumque Clericos, & non per examinationem ac vitæ electionem, deponi jubemus, ſed & eos etiam, qui ordinaverunt.

CANON XXIII.

UT nullus ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, ſive Diaconus, immaculatam præbens communionem, ab eo, qui communicat, ejus participationis gratia obolos, vel quamvis aliam ſpeciem exigat. Non eſt enim venalis gratia, nec pro pecuniis Spiritus ſanctificationem impartimur: Sed ea iis, qui digni ſunt, abſque ulla eſt calliditate communicanda. Si quis autem eorum, qui ſunt in Cleri catalogo, ab eo, cui immaculatam impertit communionem, ullam ſpeciem exigere viſus fuerit, deponatur, ut Simoniaci erroris & maleficii æmulator.

SCHOLION.

ETiam in Remenſi Synodo ſtatuit Leo nonus Pontifex: *Ne quis pro Eucbariſtia quidquam exigat*. Idem ibidem à Calixto ſecundo confirmatum teſtantur Symeon monachus Dunelmen-
A. 1126. ſis, & Richardus Prior in libro de bello Standar-
A. 1138. dico. Et Synodus Londinenſis ſub Honorio ſecundo: *Interdicimus, ut pro communione corporis Chriſti pretium exigatur*. Et Richardus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, Sancti Thomæ Martyris ſucceſſor, in Synodo Weſtmonaſterienſi relata per Rogerum Hovedenſem. *Dictum eſt ſolere nummos in quibuſdam locis dari pro communione: Hæc ſimoniacæ hæreſis eſſe deteſtata eſt ſancta Synodus, & anathematizavit. Statuimus ergò, ut de cætero nec pro communione quidquam exigatur, ſed gratis dona Chriſti gratuita diſpenſatione donentur. Si quis contra hæc facere præſumpſerit, anathema ſit*. Plurimi Canones eodem rigore quidquam exigi vetant pro quovis Sacramento, etiam ſub prætextu conſuetudinis, de qua apud Guilielmum Neubrigenſem rectè Alexander tertius Pontifex in Synodo Turonenſi: *Diuturnitas temporis non minuit peccata, ſed auget*. Addit in L.2.c.15.
ſuis ſtatutis Gualo Cardinalis. *Moneantur tamen laici diligenter, ne quod pro reverentia Sacramentorum devotio fidelium introduxit, ex avaritia velint aliquatenùs revocare*.

CANON XXIV.

NE cui liceat eorum, qui in ſacerdotali Ordine enumerantur, vel Monachorum, in equorum curriculis ſubſiſtere, vel ſcenicos ludos

dos ſuſtinere. Sed & ſi quis Clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingreſſa fuerint, ſurgat & diſcedat, Patrum noſtrorum ſic jubente doctrina. Si quis autem ejus rei convictus fuerit, vel ceſſet, vel deponatur.

SCHOLION.

SPectacula, ludos præſertim ſcenicos, eſſe diaboli pompss, quibus in Baptiſmo renunciamus, tradit in libro de ſpectaculis Tertullianus, Sanctus Cyprianus, Sanctus Auguſtinus frequentiſſimè, uno ore Patres omnes. Quidam tamen eorum cupiditate capti fideles dixere: *Planè nuſquam invenimus, quemadmodum apertè*
Cap 3. *poſitum eſt*, NON OCCIDES, NON IDOLUM COLES, NON ADULTERIUM, NON FRAUDEM ADMITTES, *ità exertè definitum*, NON IBIS IN CIRCUM, NON IN THEATRUM, NON IN AGONEM, MUNUS NON SPECTABIS. Reſpondet verò laudatus Tertullianus prohiberi voce Regii Prophetæ; *Beatus vir, qui non abiit in Concilio impiorum*. Impiorum quippè concilium reverà erat peſſimus ethnici populi cætus, à quo vivus & verus Chriſtianorum Deus ſacrilegis vocibus & imaginibus blaſphemabatur, & paſſim clamabatur ad præſentem Principem & Magiſtratum: *Chriſtianos ad Leonem*. Ità Sanctum Polycarpum, Smyrnenſem Epiſcopum, Proconſule ſedente in ampbiteatro, & univerſo populo adversùs eum perſonante, fuiſſe damnatum ſcribit in catalogo virorum illuſtrium Ssnctus Hieronymus. Rei enim capitali ſupplicio addicti paſſim in munere & arena jubebantur ad beſtias pugnare. Ità Epheſi Apoſtolus Paulus, Romæ pugnsvit Sanctus Ignatius. Hìnc item in Stiliconem Conſulem, qui ejuſmodi reum de Eccleſiæ aſylo raptum produxerat in amphitheatrum, graviter, teſte Paolino Presbytero in ejus vita, invectus fuit Sanctus Ambroſius.

Quatuor erant ſpectaculorum genera, ſuperiùs à Tertulliano enumerata: Circus, theatrum, agon, munus, id eſt, curſus circenſes, luctæ agonales ſanguinaria arena ſeu amphitheatrale munus pugnantium cum beſtiis, & ſcenicæ in theatro voluptates, quorum omnium auctores ipſi gentiles Romani, partim ob fœditatem,
Cap. 22. partim ob crudelitatem, *damnabant ignominia & capitis diminutione, arcentes curia, roſtris, ſenatu, equite, cæteriſque honoribus omnibus ſimul & ornamentis quibuſdam*. Abominandas ſcenæ obſcænitates videre poſſis apud Sanctum Auguſtinum in locis variis de civitste Dei. Certè vox *Obſcænitas* à ſcens ducit originem. Cunctis ſpectaculis admixism fuiſſe variam idololatriam oſtendit idem Tertullianus, ideòque in qusdrigarii furoris, glsdiatorii cruoris, ſcenicæ fœditatis, & Xixticæ vanitatis ſpectaculs lapſum fidelem rectè proſcribit ad idololatras in libro de pu-
Cap. 7. dicitia. Et in libro de idololatria ad proximè moram quæſtionem, An fidelis poſſit publicas in gentili Republica dignitates ſeu poteſtstes adminiſtrare, reſpondit poſſe, exemplo Joſephi Patriarchæ ac Danielis Prophetæ, dummodò ſpe- Cap. 17.
ctacula non edat. Nam & munerum editores L. 1. c. 1 7.
tsmquam idololatrss punit Synodus Eliberina. Et hinc ne ipſi quidem Marcionitæ ſpectacula adibant.

Es abrogare ſtatim non potuit Conſtantinus Auguſtus, aut alii Principes Chriſtiani. Ab omni idololatria purgarunt, Epiſcopique fidelibus potiùs diſſuaſerunt, quam interdixerunt. Hìnc tertiæ Carthaginenſis Synodi Canon undecimus ab eis prohiberi, utique jure naturali ac Divino, dicit omnem fidelem, eorum tamen exhibitionem ac ſpectationem ſolis ipſe Epiſcoporum & Clericorum filiis, in quos Eccleſiæ fuit ſemper major poteſtas, interdicit. Et quarta Cap. 86.
Synodus Neophytos mandat à ſpectaculis abſtinere, non tsmquam à re damnsbili, ſed quomodò sb uxoribus & cibis lautioribus. Alius Africsnus Canon ſtatuit Principi ſupplicandum, ut theatrorum & cæterorum ludorum ſpectacula deinceps non fiant diebus Dominicis ac feſtivis, præſertim per octavam feſti Paſchalis: Ut Chri- Codic.
ſtiani sd illa non cogantur, & ſingulariter, ut Afric.
Gentiles ex ludicra arte converſi poſſint ab illa c. 63.
macula liberi permanere.

Amphitheatrum & crudele beſtiarum munus in Romano imperio viguit uſque ad Theodoſium juniorem, palàm in ejuſmodi ſpectaculo dicentem sd populum Conſtantinopolitanum: *An non* Socrat.
exploratè cognitum habetis nos ità adſueſactos eſſe, l. 7. c. 22.
ut nulla crudelia ſpectacula contemplari poſſimus? Non dixit ſine fructu: Etenim populus *de reliquo ab eiſdem abſtinere didicit*. Hìnc & ſpectatum munus crudele, *Ubi beſtiis adversùm homines pugna eſt*, eſſe in fœmina crimen ſufficiens ad repudium ac divortium ſtatuit idem Princeps, exindè à Juſtiniano Auguſto laudatus in lege novella de nuptiis ad Joannem Præfectum Prætoriorum. Spectacula gladistoria Romæ ſuſtulit Honorius Auguſtus motus à ſanguine Sancti Telemachi ſeu Almachii monachi, uti referunt ad primam Januarii diem Romanum Martyrologium, in ejus notis D. Cardinalis Baronius, ac in Eccleſiaſtica Hiſtoria Theodoretus. Eadem ſuſtulerant per leges in Codice Theodoſiano exſtantes Conſtantinus Auguſtus atque Conſtantius ſucceſſor & filius, at ſine pleno effectu, quouſque omnes Gladiatores *in extremas ſolitudines amendavit* Honorius.

Manſerunt ſoli ſcenici ludi, & curſus circenſes, de quibus Sanctus Ambroſius in funebri encomio Valentinisni ſecundi Auguſti. *Ferebatur Valentinianus primò Circenſibus delectari: Sic illud abſterſit, ut ne ſolennibus quidem Principum natalibus vel imperialis honoris gratia Circenſes putaret eſſe celebrandos*. Eiſdem delectatum in Italia, & à ſe correctum Alypium diſcipulum refert in Con-

Digitized by Google

L. 6. c. 7. Confeſſionum libris Sanctus Auguſtinus. Et Evagrius Epiphanienſis, agens de capta Syria per Choſroen Perſarum Regem tempore Juſtiniani Auguſti, & Thoma Archi-Epiſcopo Apameenſi. L. 4. c. 24. *Thomas unà cum Choſroe certamen equorum in circo ſpectare, licèt hoc Eccleſiæ Canon vetaret, neuti quam recuſavit: Quod propterea ab eo factum eſt, uti omnibus modis Choſrois furorem molliret & mitigaret.* Canon itaque ſolos Epiſcopos, Clericos, ac Monachos vetabat adeſſe ejuſmodi ſpectaculis, uti liquet ex lege, ejus confirmatrice, laudati L. 1. tit. 4. c. 34. Juſtiniani, ſcripta in Codice ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum. Eundem præſens Canon innovat & confirmat.

Nuptias ſolemnibus conviviis, ſaltibus, ſcenis fœdare potiùs, quàm ornare eſt abuſus antiquus, à gentilibus devolutus in Eccleſiam, adversùs quem acriter in ſermone de habitu Virginum declamat Sanctus Cyprianus, & ſtatuit Cap. 53. Synodus Laodicena: *Quod non oportet Chriſtianos ad nuptias venientes ſe turpiter & indecorè gerere, vel ſaltare, ſed modeſtè cœnare & prandere, ut decet Chriſtianos.* Saltus vetat etiam Capitulare Herar-Cap. 112. di Archi-Epiſcopi Turonenſis. Apud Ægyptios, fuiſſe totam noctem nuptialibus epulis hilariter conſumptam ſcribit ad Germanum Epiſcopum in Euſebii Cæſareenſis Hiſtoria Sanctus Dionyſius L. 6. c. 33. Patriarcha Alexandrinus. Et a Conſtantino Auguſto in filiorum nuptiis paratas fuiſſe omni populo pompoſas epulas refert in ejus vita ipſe Eu-L. 4. c. 49. ſebius. Mauritii Auguſti cum Conſtantina nuptialem celebritatem ediſſerit Evagrius Epiphanienſis, addens etiam in ſuis nuptiis publicum fuiſſe feſtum in omni civitate Antiochena. Ea L. 6. c. 18. Sanctus Cyprianus eſſe dicit *Feſta improba, convivia laſciva & temulenta, verba turpia, colloquia inceſta, quibus libidinum fomes accenditur, ſponſa ad ſtupri patientiam, ad audaciam ſponſus animatur,* ideòque ſacras Virgines eis nullatenùs poſſe intereſſe. Eadem ſacris Clericis interdicit Synodus Venetica, & Agathenſis, *quod illic amatoria* Cap. 11. *cantentur & turpia, obſcœni corporum motus cho-* Cap. 39. *reis, & ſaltibus efferantur, ac ejuſmodi verborum & ſpectaculorum contagio pollui non oporteat auditum ac obtutum ſacris myſteriis deputatum.* Et Synodus Coyacenſis apud Hiſpanos habita tempore Leonis noni Pontificis: *Presbyteri ad nuptias cauſa edendi non eant, niſi ad benedicendum*: Præſens Canon eſt mitior, uti & Laodicenſis. *Quod non oporteat Sacerdotes aut Clericos quibuſcumque ſpectaculis in ſcenis aut nuptiis intereſſe, ſed antequam Thymelici ingrediantur, exurgere eos convenit, atque indè exire.* Ravennas ſub Honorio quarto Pontifice per Bonifacium Archi-Epiſcopum celebrata Synodus damnat abuſum, quo nuptialibus ſcenis & ſaltibus quidem Clerici non intererant, ſed quod ſponſi ad eorum domos mittebant joculatores & hiſtriones, munera emendicaturos, atque ità pauperibus obſtrictum pauperis Jeſu Chriſti patrimonium in haſce ſordes effundebatur. *Si quis,* inquit illa Synodus, *contra fecerit, duplum ejus, quod dederit joculatori aut hiſtrioni, reſtituere Eccleſiæ, à qua habet beneficium, teneatur, per ipſam in uſus pauperum convertendum.* Henricum tertium Auguſtum Siffridus Presbyter, A. 1040. Otto Epiſcopus Friſingenſis, Hermanus Contra-L. 6. c. 32. ctus, Paulus Langius, ac Fredericum ſecundum A. 1013. meritò laudat Godefridus monachus, quod è nuptiis ſuis ejecerint omnes hiſtriones. Eis effundi A. 1235. ſolita Henricus juſſit pauperibus impartiri. Quare meritò ſtatuit ſacroſancta Synodus Tridentina. *Nuptias Epiſcopi, ut ea, qua decet, mode-* Seſſ. 24. *ſtia & honeſtate fiant, curabunt: Sanctæ enim res* c. 10. *eſt matrimonium, & ſanctè tractandum.*

CANON XXV.

PRæterea renovamus etiam Canonem, qui dicit agreſtes & quæ ſunt in Provincia Parochias inconcuſſas manere apud Epiſcopos, qui eas poſſident; & maximè ſi triginta annorum ſpatio eas ſine vi poſſidentes adminiſtraverint. Si autem intra triginta annos fuit, vel fuerit aliqua de iis controverſia, licere iis, qui ſe injuria affectos dicunt, de eo actionem movere apud Synodum Provinciæ.

CANON XXVI.

PResbyterum, qui per ignorantiam illicitis nuptiis eſt implicatus, eſſe quidem cathedræ participem, ſecundùm ea, quæ ſunt nobis à ſa-

ſacro Canone decreta; A reliquis autem operationibus abſtinere. Ei enim qui eſt talis, ſatis eſt ſi venia detur. Ut is autem aliis benedicat, qui debet propria curare vulnera, non eſt conſentaneum. Benedictio enim eſt ſanctificationis impertitio; Qui autem id non habet propter delictum ex ignorantia, quomodò alteri impertiet? Nec ergò publicè, nec privatim benedicat, nec Chriſti Corpus aliis diſtribuat, nec aliquod aliud miniſterium obeat; ſed præcedentia contentus Domino defleat, ut illi ex ignorantia peccatum remittatur: Manifeſtum enim eſt, quod nefarium conjugium diſſolvetur, nec vir cum ea ullo modo conſuetudinem habebit, propter quam ſacra operatione privatus eſt.

CANON XXVII.

NUllus eorum, qui in Cleri catalogum relati ſunt, veſtem ſibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens, ſed utatur veſtibus, quæ iis, qui in Clerum relati ſunt, attributæ fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una ſeptimana ſegregetur.

SCHOLION.

LUxurioſas Clericorum veſtes damnant plurimi Canones, antiqui & recentes. Ejuſmodi Clericos deridens Sanctus Hieronymus ſcribit ad Euſtochium: *Tales cùm videris, ſponſos magis exiſtimato, quàm Clericos*. Prima Aquiſgranenſis Synodus *totis eos viribus elaborare jubet, ut & indumenta virtutum habeant interius, & per immoderatum cultum caveant deboneſtare religionis dignitatem exteriùs*. Legenda eſt ſecunda & quadrageſima ſecunda Sancti Bernardi Epiſtola, nec non litteræ Sancti Petri Damiani ad Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos Cardinales. Rectè tamen in ſuo Capitulari Herardus Turonenſis Archi-Epiſcopus Clericorum indumenta vult eſſe munda: *Quæ*, inquit Synodus Pontigonenſis, *deceans apicem tanti ſtatus*. Cauſam dat Sanctus Poſſidius Calamenſis Epiſcopus ſcribens de indumentis Sancti Auguſtini. *Ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimiùm, nec abjecta plurimùm, quia his plerique vel jactare ſeſe inſolenter homines ſolent, vel abjicere, ex utroque nòn quæ Jeſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærentes*. Et laudata Synodus Aquiſgranenſis: *Inter utrumque virtus diſcretionis moderatiſſimè tenenda eſt*.

Epiſt. 22. c. 12.
L. 1. c. 124.
L. 2. Ep. 2.
Cap. 16.

CANON XXVIII.

QUoniam in diverſis Eccleſiis intelleximus, uva ad altare allata, ex quadam quæ invaluit conſuetudine, miniſtros hanc incruento oblationis ſacrificio conjungentes, utraque ſimul populo diſtribuere; Decernimus, ut nullus Sacerdos hoc amplius faciat, ſed ad vivificationem & peccatorum remiſſionem ſolam oblationem populo impertiat, tanquam primitias autem uvæ allationem exiſtimantes, Sacerdotes eam ſeorsùm bene-

benedicentes, petentibus impertire ad fructuum datoris gratiarum actionem, per quos corpora noſtra Divina diſpoſitione augentur & aluntur. Si quis autem Clericus præter hæc decreta fecerit, deponatur.

CANON XXIX.

CArthaginenſis Synodi Canon dicit, ut ſancta altaris non niſi à ſobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo cœna Domini peragitur; tunc fortaſsè propter aliquas in iis locis occaſiones Eccleſiæ utiles ſanctis illis Patribus hac diſpenſatione uſis. Cùm nihil ergò nos inducat, ut accuratam obſervationem relinquamus, ſtatuimus Apoſtolicas ac paternas traditiones ſequentes non oportere in Quadrageſimæ poſtrema ſeptimana quinta feria jejunium ſolvere, & totam Quadrageſimam injuria afficere.

Scholion.

CArthaginenſis ille Canon eſt Synodi tertiæ vigeſimus nonus: *Sacramenta altaris non niſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo cœna Domini celebratur.* Exponit Sanctus Auguſtinus in Epiſtola ad Ja-
Ep. 118. c. 7. nuarium. *Præmittimus ex omnium Eccleſiarum conſuetudine Euchariſtiam ſumi non poſſe, niſi à jejunis. Nonnullos tamen probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipſam cœnam Dominus dedit, tanquam ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri & accipi liceat Corpus & Sanguinem Domini. Honeſtiùs autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, poſt refectionem, quæ hora nona fit, ad oblationem poſſit occurrere. Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, ſed nulli etiam contradicere audemus. Hoc tamen non arbitror inſtitutum, niſi quia plures, & propè omnes in pleriſque locis eo die lavare conſueverunt. Et quia nonnulli etiam jejunium cuſtodiunt, manè offertur propter prandentes, ad veſperam verò propter jejunantes.* Addit & cauſam, ex qua plerique in variis locis eo die lavarent.

Abuſus, ſeu veriùs, uti & noſter Canon loquitur, diſpenſatoriæ diſſimulationis originem edicit Tertullianus in libro de corona militis:
Cap. 3. *Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam ante-lucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præſidentium ſumimus.* Laudat Africanæ Eccleſiæ morem, cu-
Epiſt. 64. jus & Sanctus Cyprianus in litteris ad Cæcilium manifeſtè meminit agens adverſùm Aquarios, ex quo plebs bis de die, manè jejuna, veſperi pranſa aut cœnata Euchariſtiam ſumebat. Eum abrogarunt poſteriores Epiſcopi, at quaſdam ejus reliquias, in gentis ſuarum, licèt pravarum, conſuetudinum tenaciſſimæ ſolatium, in ſola Domini cœna reliquerunt. Errat verò Tertullianus Sacramenti hujus perceptionem *in tempore victus*, ſive poſt paſtum, ac ejus oblationem eſſe *omnibus* præceptam à Domino. Liber eſt omninò hominis Montaniſtæ, atque ità errores erroribus commiſcens Apoſtolicas aut alias Eccleſiaſticas traditiones vult etiam adverſùs Divinam Legem poſſe prævalere. Rectè in laudatis ad Januarium litteris Sanctus Auguſtinus: *Si Dominus monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper Euchariſtia acciperetur, credo quod eum morem nemo variaſſet.* Longè minùs, ſi Dominus iſtud præcepiſſet.

Africanam conſuetudinem videtur ſecuta fuiſſe Eccleſia Gallicana, in ſecunda Synodo Matiſconenſi dicens injuſtum, *Ut ſpiritali alimento* Cap. 6.
corporale præferatur, ideòque Euchariſtiam à ſolis jejunis ſumendam, & addens: *Jam enim de tali cauſa & in Conciliis Africanis definitum eſt, quam definitionem noſtro quoque dignam duximus ſociare decreto.* Adducit jam memoratum integrum Canonem Carthaginenſem. Longè aliter Hiſpaniarum Eccleſia in prima Synodo Braccarenſi. *Si quis feria quinta Paſchali, quæ vocatur cœna Domini, hora legitima poſt nonam jejunus in Eccleſia Miſſas non tenet, ſed ſecundùm ſectam Priſcilliani feſtivitatem ipſius diei ab hora tertia per Miſſas defunctorum ſoluto jejunio colit, anathema ſit.* Ex quo vides, uti latiùs ediſſerit ſecunda Synodus, abuſum hunc fuiſſe novum apud Hiſpanos, intruſum in ſolas Eccleſias à Priſcilliano ſeductas. In Domino Jeſu Chriſto non veram ille carnem ſeu hominem, ſed cum Marcione ac Manichæo dogmatizavit phantaſma, ideòque paſſionem ejus & mortem, utpotè non veram, ſed imaginariam, & per defunctorum Miſſam, & ſine jejunii triſtitia juſſit in quinta feria blaſphemandam. Plures pervertit ritus Eccleſiaſticos.

De eodem abuſu ſcribunt Socrates & Hermias Zo-

L. 5. c. 21. Zozomenus. *Ægyptii, qui Alexandrinis finitimi* L. 7. c. 19. *ſunt, & illi, qui Thebaidem incolunt, Sabbatho Synaxim exequuntur illi quidem, ſed non ut mos fert Chriſtianorum, myſteriis participant. Nam ubi epulati ſunt, & variis cibariis ſe ſaturarunt, ſub veſperum oblatione facta, myſteriis communicant.* Ità olim communicaſſe plures Græcorum Eccleſias inſinuat Canon quinquageſimus Laodicenſis, utpotè bona lex nata ex malis moribus: *Quod non oporteat in Quadrageſimæ poſtrema ſeptimana jejunium ſolvere, & totam Quadrageſimam injuria afficere, ſed oportet totam jejunare.* Ejus namque ſeptimanæ quinta feria ad veſperam omnes ubique Eccleſiæ ſumpſerunt & obtulerunt Euchariſtiam. Iſthunc Canonem innovat hic noſter, utique adversùs abuſum denuò irrepentem. Noviſſimis ſæculis irrepſit & apud nos Latinos per hæreticos Seſſ. 13. Huſſitas, compreſſus à Sancta Synodo Conſtantienſi.

Rectè addit præſens Canon Euchariſtiam, etiam in Domini cœna, à jejunis ſumi eſſe paternam atque Apoſtolicam traditionem. Teſtatur idem Sanctus Cyrillus Alexandrinus in libris adversùs Neſtorium. L. 4. c. 5. *Nonnulli ex iis, qui crediderant, hujus myſterii traditionem ac vim ignorantes, ab eo, quod conveniebat, divertere volebant, & omnibus expoſita convivia & publicas epulas in Eccleſiis ſuſtinebant: Homines, qui id facere conſueverant, objurgat Beatus Paulus, ſcribens,* NUNQUID DOMOS NON HABETIS AD MANDUCANDUM ET BIBENDUM? Quod ipſum in Epiſtola ad Januarium tradit Sanctus Auguſtinus: Corinthiorum morem ait ab Apoſtolo non ſolummodò correptum, ſed & correctum, ideòque per univerſam Eccleſiam jam ſervari præſcriptam ab illo jejunii legem, & adjungit cauſam: *Hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Eandem rationem adducit Tertullianus in libris ad L. 5. c. 5. uxorem: *Ante omnem cibum guſtes.* Licèt eo tempore apud Afros vigeret veſpertina oblatio & communio, matutina tamen, etiam domeſtica, ſemper fiebat à jejunis. Et ſuperiùs laudata Synodus Matiſconenſis: *Injuſtum eſt, ut ſpirituali ali-* C. 6. *mento corporale præferatur.* Et Nicolaus primus Pontifex in reſponſis ad quæſtiones Bulgarorum. *Remedium ſalutiferum eſt Corpus Chriſti contra peccatum: Et certè quotidiè medicos vacuis viſceribus ſua cernimus pocula propinare. Et ſi hoc pro ſanitate corporis agitur, quantò potiùs eſt pro ſalute animæ patrandum?* Quocircà hocce jejunium ſemper debuit eſſe naturale, adſtringens etiam, licèt ſolas Euchariſtiæ reliquias ſumerent, parvulos, uti liquet ex eodem Matiſconenſi Canone, Nicepho- L. 17. c. 25. ro Caliſto, & Evagrio Epiphanienſi. L. 4. c. 35.

Porrò Dominus poſt cœnam obtulit & dedit ex cauſa admodùm ſpeciali, de qua Sanctus Auguſtinus in laudata Epiſtola. *Salvator, quo vehementiùs commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctiùs infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat.* Quam rationem laudat & ampliat Sanctus Eligius Noviomenſis Epiſcopus in octavo ad Epiſt. 63. populum ſermone. Aliam in litteris ad Cæcilium dat Sanctus Cyprianus. *Chriſtum offerre oportebat circa Veſperam diei, ut hora ipſa ſacrificii oſtenderet occaſum & veſperam mundi, ſicut in Exodo ſcriptum eſt:* OCCIDENT ILLUM AD VESPERAM. *Nos autem Reſurrectionem Domini manè celebramus.* Eamdem rationem in libro de Divinis officiis laudat Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, & Sanctus Gregorius Nazianzenus in ſecunda oratione Paſchali.

Et hinc non jejunum communicare fuit ſemper ſummum in Eccleſia crimen. Liquet ex criminatione adversùs Sanctum Joannem Chryſoſtomum Epiſt. 125. conficta, de qua ipſe in litteris ad Cyriacum Epiſcopum. *Multa adversùs me ſtruxerunt: Ajunt me poſt epulas quibuſdam communionem impertiiſſe. Hoc ſi feci, de Epiſcoporum libro nomen meum expungatur, nec in orthodoxæ fidei volumine ſcribatur. Si quidquam ejuſmodi perpetravi, abjiciat me etiam Chriſtus à regno ſuo.* Et in litteris ad Pippinum Francorum Regem Stephanus ſecundus Pontifex Epiſt. 4. accuſat Longobardos, quod Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti *contaminatis vaſibus, quos folles vocant, immiſerint, & cibo carnium copioſo ſaturati comedebant eadem munera.* Hinc item natus mos, de quo in litteris ad Hubertum Presbyterum Sanctus Petrus Damiani. *Nos hanc conſuetudinis regulam in diſciplinatis Eccleſiis & didicimus & tenemus, ut Calicem differamus in Miſſarum fine perfundere, ſi noſmetipſos in eadem die ſacrificium offerre denuò ſperamus.* Hoc ipſum in Synodo Oxonienſi, habita ſub Honorio tertio Pontifice, mandat Stephanus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus, & jam pridem omnis Eccleſia recepit.

Sunt tamen quædam cauſæ, ex quibus liceat communicare non jejunum. Etenim in laudatis ad Cyriacum litteris pergit Sanctus Joannes Chryſoſtomus adversùm ſuos calumniatores. *Si pergant hoc mihi objicere, deponant & Paulum, qui poſtquam cœnavit, totam domum baptizavit,* haud dubiè etiam cœnatam: Nemini autem olim dabatur Baptiſmus ſine Euchariſtia. Domus illa fuit aut Stephanæ Corinthii, aut Purpurariæ Lydiæ: Verùm an utraqua aut altera poſt cœnam baptizata fuerit, forsàn demonſtrari non poſſit. Et antiqua auctoris incogniti Chronologica compilatio ſcribit de Sancto Udalrico Epiſcopo Auguſtano. *Iſte Udalricus Epiſcopus fe-* A. 972. *cit prandium cum Conrardo Conſtantienſi Epiſcopo, & eodem die facto prandio celebravit Miſſam ſolennem coram Clero & populo. De hoc incuſatus reſpondit:* EGO NON COMEDI, SED CHARITAS. At forsàn ſit illi adficta fabula, quales & omninò ſunt pro Clericis conjugatis litteræ, damnatæ à Gregorio ſeptimo, & paſſim vocatæ, *Capitulum Udalrici.* Quidquid ſit, ejuſmodi cauſam jam pridem refutamus, admittimuſque eas ſolas, de quibus Synodus Conſtantienſis: *Hoc* Seſſ. 13. *Sacramentum non debet recipi à fidelibus non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à jure vel Eccleſia admiſſo.* Prima igitur admiſſa cauſa eſt mortis ex infirmitate periculum, ac viatici neceſſitas, de qua videatur elegans Epiſtola Sancti Ivonis Carnutenſis Epiſcopi ad Manaſſem Meldenſem. Alteram admiſſam cauſam edicit Ep. 251. ſeptima, confirmatque undecima Toletana Sy- C. 2. C. 14.

nodus:

nodus: Nempè neceſſitatem complendi ſacrificii à Sacerdote in ſubitam infirmitatem lapſo non completi. Ità juberi ait *à ſacro honore myſteriorum*. Extra hunc caſum nemo naturaliter non jejunus *Miſſas facere præſumat*. Addit tertia Synodus Car-
Ca9. 48. thaginenſis. *Si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, ſive Epiſcoporum, ſive Clericorum, ſive cæterorum, commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniuntur*. Ex quo liquet Afros anteà etiam ex hac cauſa non jejunos celebraſſe. Hodie nec licet ad moribundo Viaticum conficiendum.

CANON XXX.

AD Eccleſiæ ædificationem omnia facere volentes, etiam Sacerdotes, qui ſunt in barbaricis Eccleſiis, complecti cura conſtituimus. Quare ſi Apoſtolicum Canonem de uxore non ejicienda pietatis ac religionis prætextu ſe ſupergredi debere exiſtimant, & ultra ea, quæ ſunt conſtituta, facere, & ideò communi cum ſuis conſortibus conventione & conſenſu inito, à mutua conſuetudine abſtinent, ſtatuimus eos non amplius cum illis ullo modo cohabitare debere, ut ex eo nobis perfectam ſui promiſſi demonſtrationem præbeant. Hoc autem illis non propter aliud, quàm propter eorum puſillanimitatem, extraneoſque ac non ſatis firmos mores conceſſimus.

SCHOLION.

CAnon imitari adfectat Theodoſium Auguſtum, quem Joannis Patriarchæ Antiocheni Epheſinum Conciliabulum laudat, quod etiam *Eccleſiarum Perſidis, & earum, quæ ſunt inter Barbaros, curam gereret*. Porrò ſextum inter vulgares Apoſtolicos Canonem peſſimè intelligit, quaſi ille Epiſcopis aut Presbyteris præcipiat aut permittat ductæ anteà uxoris uſum. Certè in lege novella ad Epiphanium Patriar-
L. 6. c. 5. cham Juſtinianus Auguſtus, optans omnem Clericum vivere in plena caſtitate, primo diſciplinæ ſecundùm Divinos Canones principio ac fundamento, lucidè fatetur græcum morem eſſe diſpenſatoriam ex neceſſitate adversùm Canones indulgentiam, atque adeò præſens Canon errat hanc ſanctitatem à barbaris Eccleſiis cuſtodiri ex ſola privata conventione. Pejùs eam illis quaſi ob puſillanimitatem, extraneoſque & non ſatis firmos mores concedit. Non malè tamen earum ſacros Clericos, conformiter ad duodecimum Canonem, ab uxorum cohabitatione ſeparat: Hoc enim jam pridem & Romana Eccleſia recepit.

CANON XXI.

CLericos, qui in oratoriis, quæ ſunt intra domos, ſacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Epiſcopi ſententia facere debere decernimus. Quare ſi quis Clericus hoc non ſic ſervaverit, deponatur.

SCHOLION.

A Viris ac feminis nobilibus haberi Oratorium, Altare, & Presbyterum domeſticum, res eſt antiquiſſima, & apud Latinos & apud Græcos. Etenim Conſtantinus Auguſtus, teſte Euſebio in ejus vita, ſtatim à Baptiſmo ſibi & firmam palatinam, & cum caſtris ambulatoriam Eccleſiam, Altare, & Clerum inſtituit, L. 1. c. 8.
ejuſque exemplum ſecutos & nobiles Palatinos teſtatur Hermias Zozomenus. Etiam Sancta Gor-

Gorgonia, uti in ejus funebri Encomio refert frater Sanctus Gregorius Naaianzenus, in domeſtico Altari Sacroſanctam Euchariſtiam habuit. Crediderim & cunctos olim fideles, dum propter Gentilium perſecutiones viguit domeſtica communio, habuiſſe. Nobilem Terradiam, Deſiderii Ducis relictam, quod frequenter cilicio induta in ejuſmodi Oratorio L. 10. c. 8. nocturnas vigilias perſolveret, prædicat Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis. Quod Princeps noſter Carolus Burgundus, & quivis ejus palatinus, cum domeſtico ſuo Presbytero canonicum F. 416. quotidie officium etiam in caſtris recitaret, habemus à magno Belgii chronico. Quarta Aure- C. 26. lianenſis Synodus laudat & *Oratoria Domini prædiorum, & conſtitutas in potentum domibus parochias*. Quæ quomodò differant, & an illæ fuerint veræ parochiæ, non poſſim adfirmare. De eiſdem quidam intelligunt Zachariæ Pontificis Reſcriptum ad Pippinum Francorum Regem, mandans nullum Oratorium, niſi priùs dotatum, conſecrari à loci Epiſcopo per Miſſas dumtaxàt privatas, eis non concedi baptiſterium aut Presbyterum Cardinalem, ſed ad Miſſas iſtic faciendas ſingulis vicibus Presbyterum ab Epiſcopo poſtulari. Ego malim de campeſtribus Capellis intelligi, de quibus & agit Sanctus Gregorius Magnus in Epiſtolis illis, à quibus Zacharias Reſcriptum ſuum eſt mutuatus.

Canonis hujus cauſam dedit Severi Antiocheni, Anthymi Trapezuntini, Petri Apameenſis Epiſcopi, & Aſſeclarum præſumptio, de qua in libellis Agapeto Pontifici exhibitis, ac in Conſtantinopolitana Mennæ Patriarchæ Synodo lectis, queruntur Archimandritæ Diœceſeos Conſtantinopolitanæ, Antiochenæ, ac Hieroſolymitanæ. *In multas domos eorum, qui in excellentia ſunt, intrant ac indecentia faciunt: In ipſis propriis domibus & ſuburbiis Altaria & Baptiſteria erigunt in oppoſitum veri Altaris, & ſancti fontis, & omnia ſimul contempſerunt propter attributum eis patrocinium ab his, qui in domo Domini & aliquo alio modo potentes ſunt*. Neque iſtic ſolummodò baptizarunt, ſed & rebaptizare, ac parabaptizare non erubuerunt. Ea, aut certè erecta in ipſis Baptiſteria, ac omne ſine Epiſcopi licentia exercitium damnat, & civibus Conſtantinopolitanis rigidiſſimè in lege novella ad Mennam Pa- L. 58. triarcham interdicit Juſtinianus Auguſtus, quod in ipſis fierent *quædam Catholicæ & Apoſtolicæ traditioni extranea*. Quapropter cuncta præſertim Pſeudo-Baptiſteria haud dubiè deſtruxit laudata legis iſtius expoſtulatrix Synodus, manſiſſe tamen videtur conſuetudo in eis baptizandi nobilium filios, quam abſit, quod prima fronte videri poſſit, ut probet noſter Canon. Patet ex Canone quinquageſimo nono: *In Æde oratoria, quæ eſt intra domum, Baptiſmus nequaquam peragatur, ſed qui illuminatione digni habendi ſunt, ad Catholicas Eccleſias accedant*. Vox, *Catholicas Eccleſias*, lucidè inanit damnata hæreticorum baptiſmata in privatis ædibus fuiſſe etiam tunc graſſata. Ea reſuſcitarant poſt ſextam Synodum Monothelitæ.

Permittit tamen Canon in domeſticis Oratoriis fieri Miſſæ ſacrificium, at de licentia Epiſcopi. Quod ipſum confirmat laudata Juſtiniani lex, innovatque ſeptimæ Synodi Canon decimus, addens alienos Clericos à Principibus laicis ſine proprii Epiſcopi ac Patriarchæ Conſtantinopolitani licentia non poſſe ſuſcipi, ſine qua nec ullus Epiſcopus ſuo eos poſſit catalogo incardinare. Eumdem apud nos Latinos graſſantem abuſum proſcribunt ſexta Synodus Pariſienſis, L. 1. c. 36. Vernenſis, & Caroli Magni Capitulare Eccleſia- L. 3. c. 13. C. 12. ſticum. Synodus Regia-Ticinenſis Clericos ab- tit. 1. ſolutè ordinatos, ac ſub nullius Epiſcopi diſci- C. 1. plina vagantes, ait ab antiquis, utique Toletanis, Canonibus vocatos fuiſſe acephalos, & pergit: *Docendi ſunt ſæculares viri, ut ſi in domibus ſuis* Cap. 18. *Myſteria Divina jugiter exerceri debeant, quod valdè laudabile eſt, ab his tamen tractentur, qui ab Epiſcopis examinati fuerint, & ab Ordinatoribus ſuis commendatitiis litteris comitati probantur, cùm ad peregrina migrare eſt*. Urbani ſecundi Pontificis Synodus Malphitana queritur iſtud Acephalorum genus denuò emerſiſſe, morari in curiis, nobilibus viris ac fœminis contra Ordinis ſui decorum ſubdi, & *præcipiendo præcipit, ac prohibendo prohibet, ne quis retineat hujuſmodi, ſed Proceres ab Epiſcopis procurent Clericos poſtulare*. Et Claromontana Synodus: *Nullus Presbyter Ca-* Cap. 18. *pellanus alicujus nobilis eſſe poſſit ſine conceſſione ſui Epiſcopi*. Confirmat ſecunda Regia-Ticinenſis in Relatione ad Ludovicum ſecundum Auguſtum. Iſaaci Lingonenſis Epiſcopi Capitulare L. 11. c. 15. ultra Epiſcopi licentiam vult Oratorium ab eodem dedicati, domum, in qua aliter actum fuerit, Fiſco, loci Comitem addicens exauctorationi. Hincmarus Remenſium Archi-Epiſcopus licentiam illam vetuit concedi ab Archi-Diacono, ideòque omnes nobiles ab Ebbonis Prædeceſſoris ſui tempore Oratorium habentes ſibi referri juſſit. Eberhardi Salisburgenſis Metropolitæ Syno- L. 5. c. 8. dus ſtatuit, ne ejuſmodi Capellani in ſuis Oratoriis celebrare præſumant, niſi priùs Epiſcopo aut Archi-Diacono faciant obedientiam manualem veniendi ad Synodos, earum mandata recipiendi, dominis ſuis, quibus paſſim Parochi non audent, referendi, & obſervandi Eccleſiaſtica interdicta.

Æneas Sylvius in libro de ſtatu Europæ ſub Frederico tertio Auguſto laudat ſola ejuſmodi Oratoria in nobilium caſtris ab Eccleſia Parochiali remotis. Conformiter ad Synodum ſecundam Regia-Ticinenſem: *Quidam laici, & maximè potentes ac nobiles, quos ſtudioſius ad prædicationem convenire oportebat, juxta domos ſuas habent baſilicas, in quibus Divinum audientes officium ad majores Eccleſias rariùs venire conſueverunt*. Queritur Parochiales Eccleſias frequentari à ſolis afflictis & pauperibus, & ad iſta Oratoria etiam decimas transferri. Confirmat Synodus Pontigo- L. 3. c. 7. nenſis, latibuloſa illa Miſſarum officia diebus Dominicis ac Feſtis nullatenùs permittens ſine expreſſa Epiſcopi licentia. Videndus & tertius Canon Synodi Antiſiodorenſis, & vigeſimus ſextus quartæ Aurelianenſis. Septimæ Synodi Canon decimus vetat laica dominorum negotia curari ab illis Capellanis, mandat verò

fa-

familiæ filios & famulos doceri Divinas Scripturas, utique Symbolum, Dominicam orationem, & reliqua vitæ Chriſtianæ Præcepta.
C. 74. Addit Meldenſis per eos eliminanda familiæ peccata, præſertim famulorum aut filiorum fornicationes, ut ſint quaſi Parochi iſtarum domorum.

CANON XXXII.

Quoniam ad noſtram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantùm in ſacra menſa offerunt, aquam illi non miſcentes, qui incruentum ſacrificium peragunt, adducentes Eccleſiæ Doctorem Joannem Chryſoſtomum hæc dicentem in interpretatione Evangelii ſecundùm Matthæum: Quamobrem non aquam bibit cùm ſurrexit, ſed vinum? Improbam ſanè hæreſin radicitùs extirpans. Quoniam enim nonnulli aqua in myſteriis uſi ſunt, oſtendens quod & quando myſteria tradidit, & quando, poſtquam reſurrexiſſet, abſque myſteriis ſolam ac nudam menſam appoſuit, uſus eſt vino, Ex genimine, inquit, vitis: Vitis autem vinum, non aquam generat: Et ex eo aquæ in ſacro ſacrificio adjunctionem Doctorem ſubvertere exſtimant. Ut non ab hoc tempore in poſterum ignorantia teneantur, Patris ſententiam orthodoxè aperimus. Cùm enim improba Hydroparaſtatarum, hoc eſt, eorum, qui aquam offerebant, antiqua eſſet hæreſis, qui pro vino ſola aqua in proprio ſacrificio uſi ſunt, refellens hic vir divinus deteſtabilem ejuſmodi hæreſis doctrinam, & oſtendens quod directè Apoſtolicæ traditioni adverſatur, id, quod jam dictum eſt, affirmavit. Nam & ſuæ Eccleſiæ, ubi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit, quando incruentum peragi ſacrificium oportet, ex Chriſti noſtri Redemptoris latere ex ſanguine & aqua contemperationem oſtendens, quæ in totius mundi vivificationem effuſa eſt, & peccatorum redemptionem, & in omni verò etiam Eccleſia, ubi ſpiritalia lumina refulſerunt, hic ordo divinitùs traditus ſervatur. Nam & Jacobus Chriſti Domini noſtri ſecundùm carnem frater, cui Hieroſolymitanæ Eccleſiæ thronus primùm eſt creditus, & Baſilius Cæſareenſium Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervaſit, myſtico nobis in ſcriptis tradito ſacrificio, ità conſecrandum in Divina Miſſa ex aqua & vino ſacrum Calicem ediderunt. Et qui Carthagine convenerunt Sancti Patres his verbis apertè & præcisè mentionem fecere, ut in Sanctis nihil plus, quàm Corpus & Sanguis Domini offeratur, ut ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua myxtum. Si quis ergò Epiſcopus vel Presbyter non ſecundùm traditum ab Apoſtolis ordinem facit, & aquam vino miſcens ſic immaculatum offert ſacrificium, deponatur, ut imperfectè myſterium enuntians, & quæ tradita ſunt, innovans.

SCHO-

SCHOLION.

HYdroparaſtatarum ſeu Aquariorum hæreſis eſt verè antiqua, utpotè cujus meminerunt Sanctus Irenæus, Cyprianus, Philaſtrius, Auguſtinus, Joannes Chryſoſtomus, Epiphanius, Marcionem conſtituens principem erroris: *Aqua hic in myſteriis utitur*. Secutus eſt & Tatianus, Marcionis ſurculus: *Myſteriis uſus eſt ad imitationem Eccleſiæ, verùm aqua ſola uſus eſt in eiſdem myſteriis*. Eum in primo hæreticarum fabularum libro Theodoretus ſtatuit primum parentem erroris. Pergit Sanctus Epiphanius de

C. 10. Encratitis. *Utuntur & ipſi myſteriis per aquam. Vino omninò non utuntur, diabolicum eſſe dicentes, & bibentes ac utentes eſſe iniquos & peccatores*. Severus Apellis diſcipulus delirat diabolum in ſerpentis ſpecie cum terra mulieris formam induta commixtum, ac indè vitem proceſſiſſe. Ex eo fonte & Manichæi blaſphemant vinum eſſe fel principis tenebrarum, ideòque Sancti Leonis tempore, licet nobiſcum Sanctum Euchariſtiæ Panem dolosè ſumerent, ſacrum tamen Calicem penitùs averſabantur. Ex his magiſtris etiam Mahometes ſuis ſequacibus vinum interdixit. At verò Sanctus Joannes Chryſoſtomus erroris duces ſtatuit Ebionitas, de quibus & Sanctus Irenæus: *Nolunt cæleſtis vini permixtionem, ſed ſolo illum revolunt aqua*. Adanenſis Armeniorum Synodus, exſtans apud Clementem Galanum, dat cauſam, *Unionem Divinitatis cum humanitate non fatentur in Chriſto, ſed purum hominem illum affirmant: Eâpropter vinum, quod rei cæleſtis, nempè Divinitatis, indicium eſt, nolunt aqua miſcere, ne illam videantur unionem admittere, ſed ſolam offerentes aquam, terreſtrem tantùm hominem illum confitentur*. Ex quo vides principiis admodùm diverſis diverſos hoſce Aquarios fuiſſe uſos.

Aliam Aquariorum ſpeciem refert ac impugnat Sanctus Cyprianus in litteris ad Cæcilium.
Epiſt. 63. *Omnis religionis & veritatis diſciplina ſubvertitur, niſi id, quod ſpiritaliter præcipitur, fideliter reſervetur. Niſi in ſacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per ſaporem vini redoleat Sanguinem Chriſti. Sic ergò incipit & à paſſione Chriſti in perſecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus diſcit de ſanguine ejus & cruore confundi*. Gentilium Frumentarii, noſtrorum myſteriorum nòn penitùs ignari, Chriſtianos ex matutino vini odore venabantur, omnemque illud manè redolentem, tamquam de ſecta graviſſimè ſuſpectum trudebant in cuſtodiam. Quod periculum à plebe ſua averſuri quidam Epiſcopi manè ſemper in ſola aqua, dumtaxàt autem veſperi offerebant in aqua & vino. Erroris cauſa fuit Epiſcoporum ſimplicitas, de qua ibidem Cyprianus. *Viderit, ſi quis de Anteceſſoribus noſtris vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc obſervavit vel tenuit, quod nos Dominus facere exemplo ſuo & magiſterio docuit; poteſt ſimplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi, nobis verò non poterit ignoſci, qui nunc à Domino admoniti & inſtructi ſumus, ut Calicem Domini cum vino mixtum, ſecundùm quod Dominus obtulit, offeramus. Et de hoc quoque ad Collegas noſtros litteras dirigamus, ut ubique lex Evangelica & traditio Dominica ſervetur, & ab eo, quod Chriſtus & docuit & fecit, non recedatur*. Unicus ejus in iſta Epiſtola ſcopus eſt auctoritate ſua Primatiali extinguere iſtum errorem.

Armenii, dum vitant ſtolti vitia, in contraria cucurrerunt, ſolum vinum in Domini Calice offerentes. Erroris originem edicit Gregorius Siſenſis eorum Patriarcha in litteris ad Haytonem ex Rege monachum, patrem Leonis Regis. *Interroga Cœnobitas iſtos tuos confratres, quidnam referant libri, quos & ipſi in futuro Concilio oſtendemus, aut quid narret Albanenſis Hiſtoricus: Id planè, quod univerſo notum eſt Orienti. Decem nimirùm Epiſcopos in Tevinenſi Conciliabulo permutaſſe totam penè legem, quæ à divo uſque Gregorio*, Ep. 442.
Armeniorum Apoſtolo ac primo Epiſcopo, *in nobis inviolata perſtiterat*. Ejuſdem Conciliabuli meminit antiqua Armeniorum Hiſtoria. *Dominus Nierſes Patriarcha Pacrievantanus, ex oppido Aſcdaracbenſi, juſſu Regis Perſarum, ut Armenos ſepararet à Græcis, Synodum coegit in civitate Thevin, cujus ſuffragio* decrevit errores varios ſeductus à Jacobo Syro Eutychianæ blaſphemiæ propagatore, Synodum Chalcedonenſem ac duas in Domino naturas anathematizandas, addendum ſacro triſagio, mutandum ritum Dominicarum feſtivitatum, ſacroſancto ſacrificio detrahendam aquam, atque ità unico elemento unicam in Domino naturam deinceps profitendam, uti teſtatur Nicephorus Calixtus, meritò arguens recentiores Armenos, non confuſos effutire errorem ſibi à Sancto Gregorio Apoſtolo tranſmiſſum. Quomodò Ebionitæ ſola aqua ſolam humanam, ità Armeni Jacobitæ ſolo vino ſolam Divinam in Domino naturam duxere profitendam. Cap. 10. L. 18. c. 5.

Aliam erroris cauſam dant in litteris jam laudatis Gregorius Siſenſis, & Adanenſis Synodus per Conſtantinum Patriarcham celebrata ſub Oſcino Rege ad annum Domini milleſimum treceteſimum octavum. *Dicebant nefas eſſe aquam in Calicem injicere, quod aqua corruptibilis ſit, in Chriſto autem nulla fuerit corruptio*. Et quod Dominus neque in cœna, neque poſt reſurrectionem cum diſcipulis bibens *vinum novum in regno Patris ſui*; fuerit illa uſus, quod è quatuor Evangeliſtis nullus faciat ejus mentionem, quod Sanctus Joannes Chryſoſtomus non ſolùm Aquariorum abuſum damnet, ſed omninò omnem in ſacrificio aquam. Aquam è Domini latere fluxiſſe dicebant non ad potum, ſed ad ſolum lavacrum.

Duravit error uſque ad Heraclium Auguſtum, cujus juſſu Jeſer Necainus Patriarcha in Charnenſi Synodo damnavit Thevinenſe Conciliabulum, reſtituit Synodum Chalcedonenſem, omnem fidem orthodoxam, ac uſum aquæ in ſacrificio, uti teſtantur laudata antiqua Hiſtoria, Gregorius Siſenſis, Tharſenſis Armeniorum Synodus, ac in oratione ibidem habita Nierſes Lampronienſis. Verùm circa ſextæ Synodi tempora cecidit juſto Dei judicio Patriarchatus in ungues Joannis Ozinienſis, hypocritæ nequiſſimi, de quo eadem antiqua Hiſtoria. *Hic juſſu Homaris Saracenorum* Cap. 17.

Ducis, *& auxilio Calipbæ Babylonis*, *Synodum congregavit in urbe Manaſchierti in confinibus Hyrcaniæ Provinciæ*, *ubi convenientibus cum Armenis ſeu Aſſyriis Epiſcopis*, *definita fuit una in Chriſto natura*, *una voluntas*, *una operatio*, perfidiæ Eutychianæ ſuperaddita Monothelitica, *Canoneque ſtatutum eſt non eſſe ampliùs in ſacrificiis vino aquam miſcendam*. Et hunc Pſeudo-Canonem præſens noſter meritò damnat. At nihil profeciſſe docet nos lamentatio Moyſis doctiſſimi monachi, laudata ab Armeniorum Menologio ad diem vigeſimum quintum Novembris. *Defleo te Armeniorum regio*, *defleo te univerſa Septentrionis ora*, *lugeo vos Armeniorum Eccleſias*, *deſpoliatas ſpecie ornamenti altaris*, *ſtrenuis privatas ducibus ac Paſtoribus*. Miſerandos exindè fluctus paſſa eſt Armenia, qnos Nicolaus primus, Gregorins ſeptimus, Innocentius ſecundus, aliique Romani Pontifices, ac ipſa Florentina Synodus variis medicinæ modis conati ſunt curare.

Rectè addit Canon aquæ & vini in ſacrificio mixtionem eſſe omnium Patrum dogma, atque ipſins Domini traditionem. Adanenſis Synodus id probat teſtimoniis Sanctorum Irenæi, Athanaſii, Baſilii, Joannis Chryſoſtomi, Gregorii Nazianzeni, Cypriani, Hieronymi, Ambroſii, Bedæ, uno ore adſeverantium ſacroſanctum Calicem ab ipſo Domino Jeſu Chriſto fuiſſe omninò mixtum, idque ex hiſce ſancti Evangelii vocibus: *Hic eſt Calix*. Vox enim *Calix* apud Orientales ſignificat, non qualecumque vini vas, ſed in quo ſoleat vinum ad potum temperari & miſceri. Et quidem Sanctus Cyprianus in laudatis ad Cæcilium litteris addit iſtud Domini exemplum eſſe Legem Evangelicam, rigidumque præceptum, cujus prævaricatio aut neglectus ſit non ſolummodò graviſſimum delictum, ſed & mutilatio hujus ineffabilis Sacramenti. *Aquas*, inquit, *populos ſignificare*, *in Apocalypſi Scriptura Divina declarat dicens*: AQUÆ, QUAS VIDISTI, POPULI ET GENTES SUNT. *Quod perſpicimus & in Sacramento Calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi Sanguinem Chriſti. Quando autem in Calice aqua vino miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in Calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari. Undè Eccleſiam, id eſt, plebem in Eccleſia conſtitutam, fideliter & firmiter in eo, quod credidit, perſeverantem, nulla res ſeparare poterit à Chriſto. Sic autem in ſanctificando Calice Domini aqua ſola offerri non poteſt, quomodò nec vinum ſolum poteſt. Nam ſi vinum ſolum quis offerat, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur, tunc Sacramentum ſpiritale & cæleſte perficitur. Sic verò Calix Domini non eſt aqua ſola aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur, quomodò nec Corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage ſolidatum.*

Ad quæ verba ſcribit Jacobus Pamelius. *Hinc veriſimilis videtur eorum ſententia, qui admixtionem aquæ ità neceſſariam volunt, ut ſine illa ſit irrita Calicis Dominici conſecratio*. Et quoſdam ſuo tempore ità docuiſſe adfirmat in Epiſtola ſexageſima nona Sanctus Bernardus, permittens ipſe unumquemque in ſuo ſenſu abundare. Et favere videntur decretum ſub Julii Pontificis nomine relatum à Gratiano in ſecunda diſtinctio-
ne de conſecratione, tertia Synodus Bracaren- Cap. 1. 8.
ſis, Wormatienſis, ac Triburienſis. Omnis jam Cap. 4.
pridem Latina Eccleſia recepit Capitulum Odo- Cap. 19.
nis Pariſienſis ſub Gregorio octavo Pontifice Epiſcopi: *Si de ſimplice vino*, *vel aqua ſine vino fiat conſecratio*, *vinum reputatur pro Sacramento*,
ſed aqua non reputatur. Addit Sanctus Petrus Da- L. 4. Ep.
miani adverſùm ſui temporis deformatos Presby- 14.
teros: *Aliquando aqua vino in Euchariſtia non miſcetur*, *& ſic quodammodò per errorem occulti ſchiſmatis à Chriſto populus ſeparatur*. Atque ità ejuſmodi Calicis Sacramentum, licet eſſentialiter validum, eſt tamen integraliter mutilum, utpotè cui deſit pars requiſiti à Chriſto Domino elementi ac ſignificationis. Neque enim in admirando Euchariſtiæ ſacrificio ſolus Jeſus Chriſtus Deus ac Dominus noſter, ſed & tota cum ipſo Eccleſia, tamquam ex capite & membris corpus unum, & una completa rationalis hoſtia, Deo Patri & in pane & in Calice offertur: Caput in propria ſubſtantia, membra in imagine ac figura, de quo magno Chriſtianitatis dogmate erit alius differendi locus. Interim liquet omninò labi eos, qui aquæ mixtionem autumant eſſe merum Eccleſiaſticum Præceptum: Et quidem per Sanctum Cyprianum jam adductæ aquæ ratio ac ſignificatio eſt omninò præcipua, attamen & aliæ binæ, qua duplex Domini natura, & qua fluens ex ejus latere ſanguis & aqua ſignificantur, ſunt admodùm momentoſæ, omneſque tres eſſe Divinum inſtitutum adſerunt conſtanter Patres jam laudati.

CANON XXXIII.

QUoniam cognovimus in Armeniorum regione eos ſolùm in Cleri ordinem referri, qui ſunt ex genere ſacerdotali, iis, qui hoc facere aggrediuntur, mores Judaicos ſequentibus: Nonnullos autem eorum, etiam non tonſos, ſacros Cantores, & Divinæ legis Lectores conſtitui: Decernimus ut deinceps non liceat iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad ejus, cui manus imponitur, genus reſpicere: Sed examinantes an digni ſint juxta expoſita in ſacris Canonibus decreta, in Cleri catalogum referri, ut eos Eccleſiaſticè promoveant, ſive ſint ex majoribus ſuis Sacerdotibus, ſive non. Sed etiam ut nulli ex omnibus permittant, juxta ordinem eorum, qui ſunt in Clericorum ordinem relati, populo in ſuggeſtu Divinas Scripturas recitare, niſi is ſacerdotali tonſura uſus fuerit, & benedictionem à ſuo Paſtore canonicè ſuſceperit. Si quis autem præter hæc facere deprehenſus fuerit, ſegregetur.

SCHOLION.

HÆreditaria in Eccleſiaſticas dignitates ſucceſſio eſt antiquum in Eccleſia malum,
L.5.c.13. adeò ut Polycrates Epheſiorum Archi-Epiſcopus apud Euſebium Cæſareenſem ſcribat ad Victorem Pontificem: *Septem erant Epiſcopi mihi cognatione conjuncti, ego octavus ſum.* Et Sanctus Gregorius Turonenſis Epiſcopus omnes Anteceſſores ſuos gloriatur fuiſſe de ſuo ſanguine, ſolis quinque exceptis. Et Brunichildim Francorum Reginam, ne Epiſcopatus ac alios Eccleſiaſticos gradus proximitatis deinceps jure dari
L.7.c.5. permittat, obteſtatur Sanctus Gregorius Ma-
L.1.c.9. gnus. De eodem abuſu queritur habita ſub Ludovico Pio Auguſto Synodus Aquiſgranenſis. Fœdiſſimè per omnem Europam graſſatus eſt, dum per eamdem graſſabantur impura conjugia Sacerdotum. Eum in Synodo Pictavienſi, quam ex Bibliotheca Vaticana protulit D. Cardinalis Baronius, damnarunt Joannes & Benedictus Cardinales, Legati Paſchalis ſecundi Pontificis, noti in Epiſtolis Sancti Ivonis Epiſcopi Carnutenſis, in Rhemenſi Synodo Calixtus ſecundus, in Rhotomagenſi Legatio Alexandri tertii, in Londinenſibus Joannes de Crema Cardinalis, Honorii ſecundi Legatus, Sanctus Anſelmus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus, ac ejus poſt Sanctum Thomam ſucceſſor Richardus, in Nannetenſi Sanctus Hildebertus Archi-Epiſcopus Turonenſis, uti teſtantur Guilielmus Malmesburienſis, Symeon Dunelmenſis, Richardus Prior, Gervaſius Cantuarienſis, Rogerus Hovedenſis,
Epiſt. 55. Continuator Florentii Vigornenſis, ipſe Sanctus
65.68. Hildebertus in litteris ad Epiſcopum Claromontanum atque Honorium ſecundum Pontificem, atque hic ipſe Pontifex in Epiſtola Nannetenſis Cap.75.
Synodi confirmatrice. Innocentii item ſecundi in Romana Synodo de hac re decretum refert Gratianus. Nullibi fœdiùs, quàm apud Hiber- 8.q.1.c.7.
nos graſſatum eſt malum, uti teſtatum reliquit Cap.7.
Sanctus Bernardus in vita Sancti Malachiæ Epiſcopi Dunenſis.

Etiam apud Armenios antiquiſſima eſt iſta ſucceſſio. Etenim Sancto Gregorio, uti antiqua ipſorum hiſtoria & illius apud Laurentium Surium vita teſtatur, in Epiſcopatum ſucceſſit Aroſtanes filius, & quidem vivo Patri, quod ſcribit Symeon Metaphraſtes, ordinatus Coadjutor. Aroſtani ſucceſſit Verthanes frater germanus, cui Heſychius & Gregorius filii, atque ità ferè factum uſque ad Iſaacum ſecundum, Anaſtaſio primo Pontifici coætaneum, cui injuſtè per factionem ejecto Divinitùs revelatum eſt, nullum in ſceleris iſtius pœnam deinceps è Sancti Gregorii ſtemmate Epiſcopum fore. An Joannes Oznienſis, qui tranſmutavit illic omnem Eccleſiæ legem, reduxerit abuſum, tacet antiqua Armenia Hiſtoria. At neque conſtat priorem conſuetudinem fuiſſe abuſum: Quoniam non quævis, ſed ſola hæreditaria conſanguineorum ſucceſſio eſt abuſus. Etenim Dometio, Probi Imperatoris fratri, Epiſcopo Byzantino, ſucceſſit Probus filius, eique Metrophanes frater ger- Nicephor.
manus. Principio Sueſſionenſi Epiſcopo Lupus, l.8.c.8.
Sancto Genebaudo Landunenſi Latro, Sancto Huberto Leodienſi Sanctus Floribertus, Sancto Arnulpho Metenſi Clodulfus, Luitvvino Treverenſi ſucceſſit Milo filius: utique, quod ſemper licuit, per electionem. Et ità Aroſtanem Gregorio ſucceſſiſſe affirmat Metaphraſtes. Eodem modo factum crediderim conſanguineis Gregorii Turonenſis Epiſcopi, ac Polycratis

Ephe-

Epheſini. Præſens Canon damnat ſolam ſucceſſionem hæreditariam, de qua Joannes Chernacenſis, Ordinis Prædicatorum, in litteris ad fratres ſuos de erroribus ſuæ gentis. *Parochi & Epiſcopi ſiunt hæreditario jure per conſanguineorum violentiam.*

Adversùs eamdem ſucceſſionem declamat in
C. 15. ſecundo ſuæ conſecrationis anniverſario ſermone Sanctus Leo Magnus. *Dum Divini, quod à Patre Chriſtus Dominus accepit, Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & ſanguis creavit, eligitur; ſed ceſſante privilegio Patrum, & familiarum ordine prætermiſſo, eos rectores Eccleſia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit. Ut in populo adoptionis Dei, cujus univerſitas ſacerdotalis atque regalis eſt, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, ſed dignatio cæleſtis gratiæ gignat Antiſtitem.* Et vulgaris Apoſtolicus Canon fratri, filio, cognato Epiſcopatum donari vetat etiam Metropolitica per humanum affectum reſervatione: *Quod* vel ſpecietenùs *Epiſcopatus hæredem facere non ſit juſtum.* Et Canones Arabici, ruſticano Parocho morienti facientes poteſtatem deſignandi ſibi ſucceſſoris, addunt
C. 73. exceptionem: Dummodò non ſit *nationis ſuæ aut conſanguineus.*

Ejuſdem mali ſpeciem poſterioribus ſeculis adeò abominata eſt Romana ac omnis Latina Eccleſia, ut etiam legitimum filium patri proximè in idem beneficium legitimæ electionis via
Lit. 17. ſuccedere vetuerit Alexander tertius, uti liquet
c. 11. ex ejus apud Gregorium nonum litteris ad Archi-Epiſcopum Cantuarienſem. Archi-Epiſcopus Caſſelenſis hæſitavit, conſuluitque Clementem
C. 12. tertium, An legitimi Epiſcoporum filii poſſent vel ad ſacros Ordines promoveri. Et juramentum, quo primum Latinum captæ Conſtantinopoleos Patriarcham quidam adſtrinxerunt de nullo ad Sanctæ Sophiæ canonicatum promovendo, niſi Veneto per originem aut decem annorum habitationem, reprobavit Innocentius tertius tamquam colligationem iniquitatis, *cùm ſanctuarium Dei non ſit hæreditario jure ab aliquibus poſſidendum.* Latiùs hæc referuntur in ejus vita producta in lucem per Franciſcum Boſquettum. Ho- C. 7. 15.
die ſervanda eſt Tridentina reformatio ſeſſionis vigeſimæ quintæ.

Altera præſentis Canonis pars damnat non ſolorum Armeniorum, ſed & quarumdam aliarum Eccleſiarum abuſum, quo laici ex ambone fungebantur officio Lectoris aut Cantoris. Ità L. 2. c. 30.
illis à Niceno Canone Gelaſius Cyzicenus, quin & catechumenis ab Eccleſia Alexandrina fuiſſe permiſſum Socrates affirmat. At præſentem Ca- L. 5. c. 21.
nonem firmat & ſeptima Synodus, præſertim adversùm pueros in Eccleſia legentes, addens, obtinere etiam in monachis. Et dudum anteà C. 15.
Synodus Laodicenſis: *Non oportet ampliùs præter eos, qui regulariter Cantores exiſtunt, & qui de codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia canere.* Eumdem abuſum fuiſſe in Afri- Ep. 235.
cana Eccleſia quidam volunt ex Epiſtola Sancti Auguſtini ad Quintianum Epiſcopum, diſtinguentis laicos & Clericos Eccleſiæ Lectores, dicentiſque quadrageſimum quartum tertiæ Carthaginenſis Synodi Canonem loqui de ſolis Clericis, nequaquam de laicis, & nullum laicum unica, Apocryphæ præſertim Scripturæ, ad Eccleſiæ conventum lectione evadere Eccleſiaſticum Lectorem. Abuſum exiſtimant natum ex inducta per Donatiſtas Clericorum inopia. Quod namque olim ſoli ab Epiſcopis benedicti Lectores ſint iſtic ex ambone ſeu pulpito legere conſueti, liquere videtur ex Sancti Cypriani litteris ad ſuum populum & Clerum. Verùm in prima Ep. 24.
Epiſtola notari oportet hæc verba: *Feciſſe me* 33. 24.
ſciatis Lectorem Saturum, quem jam pridem communi conſilio Clero proximum feceramus, quando ei die Paſchæ ſemel atque iterùm lectionem dedimus, aut quando cum Presbyteris Doctoribus Lectores probaremus. Laicus in Lectorem promovendus primum per Epiſcopum & Presbyteros Doctores examinabatur, aliquoties probationis cauſa legebat in Eccleſiâ, & ità Clero proximus conſtituebatur. Ad hunc morem reſpicit Sanctus Auguſtinus.

CANON XXXIV.

PORrò autem cùm & hoc Canon ſacerdotalis apertè edicat, quod conjurationis, vel ſodalitatis crimen etiam ab externis legibus vetitum, multò autem magis hoc fieri in Eccleſia prohibere oportet: Nos quoque obſervare ſtudemus, ut ſi qui Clerici aut Monachi inventi ſint vel conjurantes, vel ſodalitates ineuntes, vel adversùs Epiſcopos vel Conclericos aliquid ſtruentes, à proprio gradu omninò excidant.

CANON XXXV.

NUlli omnium Metropolitanorum liceat, mortuo Epiſcopo, qui ejus throno ſubeſt, res ipſius, vel Eccleſiæ ejus auferre, vel ſibi vendicare: Sed ſint ſub cuſtodia Cleri Eccleſiæ, cui defunctus præfuit, uſque ad alterius Epiſcopi promotionem, præterquam ſi in eadem Eccleſia non relicti ſint Clerici. Tunc enim Metropolitanus ea non diminuta ſervabit, ordinando Epiſcopo omnia reddens.

CANON XXXVI.

REnovantes, quæ à Sanctis centum quinquaginta Patribus in hac à Deo conſervanda & regia urbe convenerunt, & ſexcentorum triginta, qui Chalcedone convenere, conſtituta ſunt; decernimus ut thronus Conſtantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Eccleſiaſticis ut ille rebus magnifiat, ut qui ſit ſecundus poſt illum. Poſt quem magnæ Alexandrinorum civitatis numeretur thronus: Deindè Antiochiæ & poſt eum Hieroſolymitanæ civitatis.

Scholion.

COnſtantinopolitanum & Chalcedonenſem de exaltanda Eccleſia Conſtantinopolitana Canonem, non tantummodò à Romana Eccleſia, ſed & à Baſiliſco Auguſto damnatum, ſuprà abundè expoſui. Porrò Zenonis Auguſti legem, caſſantem Baſiliſci Edictum, Juſtinianus & Codici ſuo inſeruit, & in Lege Novella ad Petrum Prætoriorum Præfectum confirmavit, L.131.C.2. mandans utrumque memoratum Canonem, tamquam leges obſervari, & *beatiſſimum Archi-Epiſcopum Conſtantinopoleos, novæ Romæ, ſecundum habere locum poſt ſanctam Apoſtolicam ſenioris Romæ Sedem, aliis omnibus ſedibus præpoſitum*. Et huc in Breviario reſpicit Liberatus Diaconus: C. 18. *Licet Sedes Apoſtolica nunc uſque contradicat, quod à Synodo Chalcedonenſi firmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodò*. Præſens Canon iſtud, *Quodammodò*, caſſare voluit, ideòque ſynodali auctoritate firmavit Chalcedonenſem Canonem, innovavit, auxit, tribuens ſedi Conſtantinopolitanæ *æqualia privilegia* cum Romana. At longè peſſimè. Laudata enim lex diſertè ſancit *Romæ ſenioris Papam eſſe primum omnium Sacerdotum*. Idque ſecundùm definitiones quatuor generalium Synodorum. Quod ipſum in litteris ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum advertit Pontifex Leo nonus. Nempè Græci ad Euſebianum ac Photianum ſchiſma ſemper magis & magis acceſſerunt.

CANON XXXVII.

QUoniam diverſis temporibus barbaricæ incurſiones fuere, & ex eo plurimæ civitates infidelibus ſubjugatæ fuere, ut ideò non poſſit ejus

ejus civitatis Præſul, poſtquam ordinatus fuerit, ſuum thronum apprehendere, & in eo in ſacerdotali conſtitutione collocari, & ſic pro ea, quæ invaluit, conſuetudine ordinationes & omnia, quæ ad Epiſcopum pertinent, agere & tractare; Et nos honorem ac venerationem ſacerdotio ſervantes, & gentilem injuriam nequaquam ad Eccleſiaſticorum jurium perniciem exerceri volentes, eis, qui ſic ordinati ſunt, & propter prædictam cauſam in ſuis thronis non ſunt conſtituti, ut abſque ullo ex ea re præjudicio conſervetur, decrevimus, ut & diverſorum Clericorum ordinationes Canonicè faciant, & præcedentiæ auctoritate ſecundùm proprium ſtatum utantur, & ſit firma ac legitima, quæcumque ab eis procedit, adminiſtratio. Non enim à tempore neceſſitatis exacta juris obſervatione circumſcripta diſpenſationis terminus circumſcribetur.

CANON XXXVIII.

CAnonem, qui à Patribus factus eſt, nos quoque obſervamus, qui ſic edicit: Si qua civitas ab imperiali poteſtate innovata eſt, vel rursùs innovata fuerit, civiles ac publicos typos Eccleſiaſticarum quoque rerum ordo conſequatur.

CANON XXXIX.

CUm frater & Comminiſter noſter Joannes Inſulæ Cypri Præſul unà cum ſuo populo in Helleſponticam Provinciam & propter barbaricas incurſiones, & ut à gentilium ſervitute liberarentur, & Chriſtianiſſimæ potentiæ ſceptris purè ſubjicerentur, à prædicta Inſula emigraverit, clementis Dei providentia, & pii Deique amantis Imperatoris noſtri labore, conſtituimus, ut citra ullam innovationem ſerventur, quæ à divinis Patribus, qui Epheſi primùm convenerunt, prædicti viri throno privilegia conceſſa ſunt, ut nova Juſtinianopolis Conſtantinopolis jus habeat, & qui in ea conſtituitur pius ac religioſiſſimus Epiſcopus præſit omnibus Helleſponticorum Provinciæ Epiſcopis, & à ſuis Epiſcopis eligatur ex antiqua conſuetudine. Mores enim, qui ſunt in unaquaque Eccleſia, divini etiam noſtri Patres ſervandos cenſuerunt, Cyzicenorum civitatis Epiſcopo Præſuli dictæ Juſtinianopoleos ſubjecto exiſtente, ad imitationem reliquorum omnium Epiſcoporum, qui ſubſunt prædicto Dei amantiſſimo Præſuli Joanni, à quo, cùm uſus poſtulaverit, etiam ipſius Cyzicenorum civitatis Epiſcopus ordinabitur.

SCHOLION.

AUtocephaliam à Conſtantienſi Epiſcopo, Cypriorum Metropolita, prætenſam adverſùs Patriarcham Antiochenum dedit quidem, at ſine pleno effectu, Synodus Epheſina. Hinc tandem inter utramque Eccleſiam prodiit con-
Cap. 37. cordatum illud, à Canone Arabico laudatum, ſtatuens ut æſtivo tempore vacantis ſedis Conſtantienſis Electus ad Patriarchæ manus omninò Antiochiam accedat conſecrandus; hyeme autem domi conſecretur à ſua Synodo. Attamen ad Patriarchæ litteras & præviam confirmationem. Ex quo liquet Arabicum Canonem nequaquam eſſe Nicænum, utpotè manifeſtum Ephe-
L. 3. ſini moderatorem, adeóque poſteriorem. Duravit uſque ad Zenonis Auguſti tempora, de quibus Theodorus Lector in Collectaneis. *Reliquiæ Barnabæ Apoſtoli inventæ ſunt in Cypro ſub arbore ceraſea, habentes ſub pectore Evangelium Matthæi, manu ipſius Barnabæ ſcriptum. Qua occaſione Cypry victores evaſerunt, ut Metropolis ipſorum liberum habeat Epiſcopatum, nec Antiocheni Epiſcopi juriſdictioni ſubſit.* Errat Nilus Doxopatrius fuiſſe Evangelium Sancti Marci. Addit Joelus monachus in Zenone: *Evangelium, à Zenone in templo Sancti Stephani in palatio collocatum, ſingulis annis magna feria quinta legitur.* Et Georgius Cedrenus: *Ea occaſione Cyprus Metropolis facta eſt, ut jam non ampliùs ſub Antiochia cenſeretur, ſed Conſtantinopoli ſubeſſet.* Quidam exiſtimant textum vitiatum, & pro *Conſtantinopoli* legendum *Conſtantiæ*. Nec ſine fundamento. Si enim ab Antiochena ad Conſtantinopolitanam ſedem tranſlata fuiſſet Cyprus, mutaſſet ſubjectionem, non exuiſſet, nullo modo exaltata in Metropolim autocephalam: Eſſe namque Metropolim autocephalam non eſt aliud, quàm eſſe Metropolim ab omni Patriarchali ac Primatiali poteſtate liberam atque exemptam.

Ità fuit uſque ad annum Domini ſexcenteſimum octuageſimum ſeptimum, ad quem non malè ſcribit Sigebertus Gemblacenſis. *Inter Juſtinianum* ſecundum Auguſtum *& Habdimelech Saracenorum Principem convenit, ut ſolvant Saraceni Romanis mille numiſmata, & ſervum, & equum ſingulis diebus.* Addit Marianus Scotus redditam Romanis Africam. Reddita fuit & Cyprus, Conſtanti Auguſto erepta, eamque, præſertim ejus metropolim, penitùs deſtructam reſtauravit Juſtinianus, ornatam multis privilegiis, ſuoque à nomine vocatam Juſtinianopolim ſeu Juſtinianam. Errat Nicephorus Caliſtus ità vocatam à Juſtiniano primo in Theodoræ Auguſtæ, L.16.c.37.
apud Cyprios natæ, honorem. At ecce paucis L.17.c.28.
poſt annis pacem ex cauſa levi, quod nempè vectigales Saracenorum nummi ex more Auguſti effigie non eſſent ſignati, abrupit annis ac mente juvenis Juſtinianus, dilectoſque ſuos Cyprios, à Saracenis infeſtatos, juſſit migrare in Helleſponticam Aſiaticæ Diœceſeos Provinciam, ſub ſuæ protectionis umbra quietè & glorioſè victuros. *Emigravit Joannes Epiſcopus cum ſuo populo, ut Chriſtianiſſimæ potentiæ ſceptris purè ſubjiceretur.* Populi partem naufragio periiſſe, partem maris irati metu in Cyprum rediiſſe, teſtantur Græcorum Annales. Eodem fermè modo olim Iſauriæ civitatis Epiſcopus cum ſuo Clero & Sancti Martyris Donati corpore migrarat in Inſulam Corcyram, prætenderatque Caſſiopi, in quo degebat exul, caſtrum tamquam proprius Epiſcopus ſuæ ſubjicere poteſtati, fultus ſacra juſſione circumſcripti Mauritii Auguſti. Verùm Alcyſonus dictæ Inſulæ Epiſcopus interceſſit, & Sanctus Gregorius Magnus omninò pro ipſo judicavit. Eje- L. 12. Ep.
ctis enim per barbaros Epiſcopis præſtanda eſſe 2. 3. 8.
ſola cum congruo ſedis honore alimenta, nequaquam *Eccleſiaſtici throni dignitatem dividendam* jam anteà ad Illyrici Epiſcopos reſcripſerat ex Canone Sardicenſi. Quapropter malè præſens Canon advenæ ac peregrino Cypriorum Metropolitæ hoſpitalem Provinciam ſubjecit tamquam Primati, transfuſa in ipſum poteſtate Patriarchæ Conſtantinopolitani. Hoc enim volunt verba hæc: *Ut nova Juſtinianopolis Conſtantinopolis jus habeat*, utique in Helleſpontum. Ità Patriarcha Conſtantinopolitanus Helleſpontum, principis violentia olim Primati Epheſino ereptam, eadem violentia amiſit. Errant, qui hocce privilegium putant Joanni Epiſcopo fuiſſe perſonale. Contrarium evincunt hæc verba Canonis: *Et qui in ea conſtituitur Epiſcopus.* Ea fuerunt phantaſmata juvenis Juſtiniani, poſtmodùm tamen everſa à Patriarchis Conſtantinopolitanis, non ſolam Cyprum, ſed & cunctas ipſas ſedes Patriarchales ſubdentibus ſuæ tyrannidi.

CANON XL.

QUoniam Deo hærere per ſeceſſum ex vitæ ſtrepitu ac perturbatione valdè eſt ſalutare, oportet nos non ſine examinatione eos, qui vitam monaſticam eligunt, non intempeſtivè admittere, ſed nobis à Patribus traditum terminum in eis quoque ſervare, ut vitæ ſecundùm Deum profeſſionem ut jam firmam, & à ſcientia ac judicio factam tunc

tunc admittamus, poſt rationis complementum. Qui ergò monachicum jugum eſt ſubiturus, ne ſit minor quam decem annorum natus, ejus quoque rei examinatione in Præſulis arbitrio ſita, an augeri tempus conducibilius exiſtimet ad introductionem & conſtitutionem in vita monaſtica. Etſi enim Magnus Baſilius in ſacris ſuis Canonibus eam, quæ ſe ſua ſponte Deo offert, & virginitatem complectitur, ſi ſeptimum decimum annum compleverit, in Virginum ordinem referendam eſſe ſtatuit; ſed tamen de viduis & Diaconiſſis exemplum ſecuti, in dictum tempus, analogia & proportione habita, eos, qui vitam monaſticam elegerunt, deduximus. In divino enim Apoſtolo ſcriptum eſt, Sexaginta annorum viduam in Eccleſia eligendam: Sacri autem Canones quadraginta annorum Diaconiſſam ordinandam eſſe ſtatuerunt, cùm Dei Eccleſiam Dei gratia potentiorem ac robuſtiorem evaſiſſe, & ulteriùs procedere vidiſſent, fideliumque ad Divinorum mandatorum obſervationem firmitatem ac ſtabilitatem. Quod quidem cùm nos quoque optimè intellexiſſemus, modò ſtatuimus benedictionem gratiæ ei, qui certamina ſecundùm Deum aggreſſurus eſt, veluti quoddam ſignaculum celeriterque imprimentes, hinc eum ad non diu cunctandum & tergiverſandum inducentes, vel potiùs etiam ad boni electionem & conſtitutionem incitantes.

SCHOLION.

Antiquam creandi monachi formam edicit Cap. 48. quarta Synodus Toletana. *Monachum aut paterna devotio aut propria profeſſio facit: Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proindè his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad ſæculum interdicimus regreſſus.* Confirmant Synodus ſexta, & Synodus decima, Cap. 6. Cap. 6. addens filium paterna devotione obligandum debere eſſe decennio minorem, quod decimus ætatis annus plenum rationis uſum donet, adeòque nolit quemquam ſine proprio arbitrio cogi ad tantum totius vitæ onus. Quod additamentum an jus novum ſtatuat, an antiquum dumtaxàt innovet, non facilè dixerim. Utraque tamen laudata Synodus corrigit primum Canonem ſecundæ Synodi Toletanæ, mandantis infantes Clericatui aut monaſterio à parentibus nblatos, *Ubi decimum octavum annum ætatis compleverint*, coram omni Clero & populo examinari *de expetendo conjugio, & his, quibus voluntas propria deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab Apoſtolo ſententiam non auferri.* Verùm Garzias Loyaza Canonem loqui vult de ſolis Clericatui oblatis. Quidquid ſit, eadem olim parentibus ad parvulos filios ſeu Clero ſeu Monachiſmo addicendos fuit poteſtas, uti & exemplis & Canonibus poſſit oſtendi.

Quæſtio eſt, Quis iſtorum Canonum Toletanorum ſit conformis antiquis regulis & moribus Eccleſiæ Romanæ? Ratin dubitandi deſumitur ex litteris Sancti Leonis Papæ ad Ruſticum Ar- Epiſt. 92. c. 12. chi-Epiſcopum Narbonenſem: *Propoſitum monachi propria voluntate ſuſceptum deſeri non poteſt absque peccato.* Alieno igitur arbitrio impoſitum videtur omninò deſeri potuiſſe. Et conſonat Aquiſgranenſis Abbatum Synodus habita ſub Pontificatu Paſchalis primi. Cap. 36. *Puerum pater aut mater tempore oblationis efferant altari, & petitionem pro eo coram laicis teſtibus faciant, quam tempore intelligibili puer ipſe confirmat.* Reſpondeo tamen ejuſmodi oblationem nullatenùs excuti potuiſſe. Etenim Sancto Bonifacio Francorum Apoſtolo roganti, *Quòd ſi pater vel mater filium vel filiam intra ſepta monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina, utrùm liceat eis, poſt quam pubertatis impleverint annos, egredi & matrimonio copulari*, reſpondit Gregorius ſecundus: *Hoc omninò devitamus, quia nefas eſt, ut oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur.* Quod decretum vigeſimn ſecundo ſuo Cannni inſeruit Synodus Wormatienſis celebrata ſub Pontificatu Adriani ſecundi. Epiſt. 7. Idem in Epi- Epiſt. 12. ſtola ad Lætam de Paula filiola ante partum Deo promiſſa, & in litteris ad Gaudentium de filiola Pacatula docet Sanctus Hieronymus, & de ſemetipſo per matrem etiam ante partum devoto Theodoretus in vita Macedonii Anachoretæ. Puerum Beato Gregorio in monaſterio ad clivum Scauri à parentibus oblatum, dum poſtea ad nnptias tranſit, fuiſſe ut apoſtatam Divinitùs punitum ſcribit ad Nicolanm ſecundum Pontificem Sanctus Petrus Damiani. Eumdem rigo- L. 1. Ep. 9. rem, juxta Sancti Benedicti Regulam, perduraſſe adhuc temporibus Sancti Bernardi, liquet ex prima ejus Epiſtola, tractante oblationem ac reliquam cauſam fratris Roberti.

Nec alind docuit Sanctus Leo: De ſola adulti per propriam electinnem profeſſione rogatus de eadem ſola reſpondit, ut clarè docet ejuſdem

Epi-

Epiſtolæ caput proximè ſequens. Porrò Aquenſis illa Synodus paternam oblationem majoris dumtaxàt firmitatis gratia, ad occludenda quorumdam adversùs ejuſmodi oblationis vinculum frequentia obloquia, voluit à puero ad plenum rationis uſum perducto ratificari. Notanda ſunt hæc verba: *Tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laicis teſtibus faciant*. Eſt ritus à Sancto Benedicto ad majorem ſolemnitatem ac firmitatem adjectus, cujus etiam in laudata jam Epiſtola meminit Sanctus Bernardus, & quem accuratè deſcribit chronicon monaſterii
a.q.3.c.4. Novaliacenſis. Fuiſſe oblationi ſubſtantialem adfirmare apud Gratianum videtur Nicolaus primus Pontifex in litteris ad Epiſcopos Germaniæ conſtitutos in regno Regis Ludovici. Ex adductis item teſtimoniis liquet ejuſmodi oblationem fieri potuiſſe non tantùm per patrem, ſed & per matrem.

Duravit apud nos Latinos uſque ad Celeſti-
A.1190. num tertium Pontificem, de quo antiqua incogniti Auctoris compilatio chronologica: *Hic Papa conſtituit, ut pueri, cùm venirent ad annos diſcretionis, id eſt, ad quindecim annos, ſi noluerint remanere in clauſtris, licitè poſſint ire ad ſæculum, & ad hæreditatem ſuam*. Quod decretum habuit juſtiſſimas rationes. Ex eiſdem eamdem parentum poteſtatem quoad Græcam Eccleſiam ligat & aufert præſens Canon, nullum niſi propria electione volens fieri monachum, id eſt, niſi poſt completum decimum ætatis annum. Ità tamen ut Epiſcopus ex cauſa poſſit & majorem ætatem exigere. Statuere ſe fatetur adversùs Sanctum Baſilium, in profeſſura virgine requirentem annos quindecim; verùm imitari ſe addit Synodum Chalcedonenſem, ſexaginta annos in Diaconiſſa ab Apoſtolo requiſitos contrahentem ad quadraginta: Quod humana infirmitas ad Divina mandata atque conſilia adimplenda jam per Dei gratiam evaſerit potentior. Quæ ratio an ſubſiſtat, eſt longæ indaginis. Et Baſilius offerendi filii aut filiæ poteſtatem in parentibus omninò agnovit.

Ep. 25. Rectè Canon vitam monaſticam vocat *ſeceſſum ex vitæ ſtrepitu ac perturbatione*. Ità ad Eccleſiam Vercellenſem ſcribit Sanctus Ambroſius *Clericorum officia in theatro ac ſtadio, monachorum inſtituta eſſe in ſpelunca & ſecreto*. Et Eutyches hæreſiarcha ad Epheſinum latrocinium dixit ſe *vivere in ſilentio abſque ullo negotio & perturbatione*. Et ad Sancti Flaviani Patriarchæ Conſtantinopolitani ac ejus Synodi Legatos *degere ſe in monaſterio tamquam in ſepulchro*. Et apud Sylveſtrum Sguropulum in Florentini Concilii Hiſtoria Marcus Epheſiorum Epiſcopus optaſſe ſe ſemper ait *in antris ſuis dierum tranquilla ſilentia exigere*.
Sect. 10. c. 5. Ep 92.c.1 Etiam In Epiſtola ad Ruſticum Archi-Epiſcopum Narbonenſem Sanctus Leo Epiſcopatum laborem, monachatum vocat otium atque ſilentium. Et hinc Sanctus Sophronius Hieroſolymæ Patriarcha in litteris ad Sergium Conſtantinopolitanum graviſſimè lamentatur ſe ex incurioſo ſilentio deveniſſe in fluctus ac turbas Epiſcopa-
Ep. 2. lium cauſarum. Et in litteris ad Severum Scholaſticum Conſtantinopolitanum Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus: *Beatum me exiſtimabo, quando poſitus in ſilentio monaſterii cantavero*, CUSTODIAM VIAS MEAS, UT NON DELINQUAM IN LINGUA MEA. Sancti Gregorii Magni è monacho Romani Pontificis aſſidua eſt querimonia: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*. Lamentatur ſe omni quietis ſuæ gaudio per Epiſcopatum amiſſo, rediiſſe ad clamores & tumultus vitæ ſæcularis. Etenim monaſteria eſſe portus, hortos concluſos, paradiſos, cœli ſcalas, juſtorum tabernacula, arcanam ac Divinam Philoſophiam, vitam Angelicam, diſciplinam cœlo lapſam, animarum vivaria, aſſiduè leges in Sanctis Patribus. Et hinc in Eccleſia nullum fœdius monſtrum, quam monachus inquietus.

Rectè item Canon monaſticam profeſſionem vocat *Benedictionem gratiæ*, utique adjuturæ monaſtica certamina. Dura enim ac laborioſa eſt vita monaſtica, perpetuus pugillatus, militiæ ſpecies, martyrio adfinis, ideòque in lege no- L.5.c.3.
vella ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum pulchrè Juſtinianus Auguſtus monachos vocat *monaſticæ Philoſophiæ certatores*. Et quidem Goffredus Abbas Vindocinenſis exiſtimavit, aut certè graviter dubitavit eam benedictionem eſſe conſecrationis ſpeciem, manus impoſitionem, Sacramentum ex Apoſtolica traditione celebrandum, quod poſſit à ſolo Abbate, non à ſimplici monacho imprimi, ac nullo pacto aut caſu iterari. At rectiùs ejus Epiſcopus Sanctus Ep.41.
Ivo. *Monachi benedictio aliam vim mihi habere non videtur, quam ſuper populum Sacerdotis oratio*. Eam Sancto Antonio ac aliis antiquis monachis dicit fuiſſe ignotam, multiplicatis poſtmodùm monachorum gregibus inductam ex quadam cautela, tamquam religionis vinculum humanæ infirmitati proviſum, *Ut monaſticus ordo, quantò firmiùs in conſpectu Dei & hominum, & ſolemniùs ligaretur, tantò robuſtiùs ac devotiùs à monachis ſervaretur: Et qui vellent ab hoc propoſito recedere, teſtimoniis pluribus convincerentur, & tamquam jurati in Chriſti Sacramenta tyrones ad propoſitum ſuum reverti cogerentur*. Et hinc liquet Dionyſium illum, qui nobis monachorum benedictiones producit, non eſſe Areopagitam Apoſtoli diſcipulum, ſed Sancto Antonio ac primis ejus diſcipulis poſteriorem.

Quæſtio eſt, Quomodò ea benedictio vocetur *Signaculum* monacho *imprimendum*? Ex hinc ſanè Goffredus Vindocinenſis exiſtimare potuerit eam eſſe manus impoſitionem, ſpectantem ad Eccleſiaſticæ Ordinationis Sacramentum, gratiæ impreſſivam ex opere operato. Reſpondeo in textu Græco non eſſe vocem Χειροθεσία, ſed vocem Σφραγὶς, quæ apud profanos Scriptores paſſim ſigillum, notam, characterem, aut ejus impreſſivum inſtrumentum, apud Chriſtianos autem paſſim ſignificat ſacroſanctum ſignaculum aut characterem crucis. Ità uſitatam leges à Sancto Juſtino Martyre, Cyrillo Hieroſolymitano, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nyſſeno, Epiphanio, Joanne Chryſoſtomo. Et hinc ad ſecundum Chalcedonenſem & quinquageſimum primum Sancti Baſilii Canonem Joannes Zonaras

ras & Theodorus Balſamon ajunt Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos χειροτονεῖσθαι, ordinari per manuum impoſitionem, Cantores & Lectores σφραγίζεσθαι, charactere ſignari, Œconomos, Chartularios, Paramonarios παραβάλλεσθαι, ſimpliciter promoveri. Et Joannes Citri Epiſcopus in Reſponſis ad Conſtantinum Cabaſilam, exſtantibus in quinto libro Juris Orientalis, quaſdam Eccleſiæ dignitates ait olim conferri ſolitas ſolo Epiſcopali codicillo, quaſdam etiam charactere, id eſt, impreſſo ſigno crucis. Et quidem Joannes Zonaras σφραγίδα Lectoribus & Cantoribus imprimi conſuetam rectè ait ſpectare, nempe ut cæremonialem ornatum, ad χειροτονίαν. At quomodò & ipſe & Theodorus Balſamon ajunt Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, non ſphragide, ſed ſola cheirotonia creari, cùm certum ſit etiam ipſis in ordinatione impreſſum fuiſſe ſacroſanctum crucis ſignaculum? Nempe Lectoribus & Cantoribus imprimebatur modo ſingulari, de quo Symeon Theſſalonicenſium Archi-Epiſcopus in opere de ſacris Ordinationibus, deſcribens Ordinationem Lectoris. *Poſteà ſigillatur. Tondet enim Epiſcopus capillos capitis ipſius in formam crucis, Divinum ac tremendum Trinitatis nomen ſuper eum invocans.* Quid ſimile cum debitis orationibus ac Divini nominis invocationibus ab Abbate aut monaſterii Presbytero factum fuit ſuper profitentem monachum, atque hæc eſt gratiæ benedictio, & impreſſa ſphragis, de qua noſter Canon.

CANON XLI.

EOs, qui in urbibus vel vicis in clauſuris volunt ſecedere, & ſibi ipſis ſeparatim attendere, priùs quidem in monaſterium ingredi oportet, & anachoreticam, hoc eſt, ab aliis ſeparatam ac ſemotam vivendi rationem exercere, & ſpatio triennii ei, qui manſioni præeſt, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus, ut æquum eſt, implere, & ità hujus vitæ eligendæ inſtitutum profitentes, & quod eam ex toto corde ſua ſponte amplectuntur, ab ejus loci Præſule examinari: Deindè ſic alio anno extra clauſuram fortiter ſe gerere, ut ſcopus eorum evadat manifeſtior. Tunc enim plenè ac perfectè ſignificabunt, quod non inanem gloriam captantes, ſed propter ipſum reverà pulchrum ac honeſtum hoc ſilentium perſequuntur. Poſt tanti autem temporis complementum, ſi in eodem eligendæ vitæ inſtituto permaneant, includi ipſos; & eis non amplius licere, quando voluerint, ex tali manſione egredi, præterquam ſi propter communem utilitatem, vel aliam neceſſitatem ad mortem urgentem, ad id trahantur, & ità cum benedictione ejus loci Epiſcopi. Qui autem ſine his jam dictis cauſis ex ſuis habitaculis exire aggrediüntur, primo quidem vel invitos dicta clauſurà coerceri, deindè jejuniis & aliis afflictionibus ipſos curare, ſcientes quemadmodùm ſcriptum eſt, quod nemo, qui manum aratro immiſit & retro converſus eſt, aptus eſt regno cœlorum.

SCHOLION.

ANachoretas eſſe idem, quod *Diſcedentes*, vocarique etiam *Heſychaſtas*, id eſt, quieſcentes, advertit in lege novella ad Epiphanium Patriarcham Juſtinianus Auguſtus. L. 5. c. 3. Eorum auctorem fuiſſe Sanctum Paulum Eremitam, aut etiam Sanctum Joannem Baptiſtam, illuſtratorem verò Sanctum Antonium ſcribit ad Euſtochium Sanctus Hieronymus. Epiſt. 22. Evagrius Epiphanienſis diſtinguit triplices: c. 15. 16. In cellulis recluſis, in ſpeluncis aut ſecretis terræ latibulis, L. 1. c. 21. ac ſub dio in ſylvis degentes, dictoſque græcè *Boſcos*, Latinè Pabulatores, quod ſpretis humanis alimentis, *terram*, more pecudum, *depaſcerentur*. Sanctus Petrus Damiani in libro de inſtitutis ſuæ Congregationis. Cap. 3. *Eremitarum ordo bipartitus eſt: Alii cellulas incolunt, alii paſſim per eremi deſerta gradientes certas ædes habere contemnunt.*

num. Hos Anſchoretas, iſtos dicit appellati Eremitas, quod eis *nomen commune factum ſit ſpeciale. Quamvis hujus temporis fratres ſuperbum ducant hoc ſibi arrogare vocabulum, ſed humilitatis cauſa Pœnitentes ſe potiùs gaudeant appellari*. Eorum primitias in laudatos à Hieremia Propheta filios Jonadab refundit.

C. 7. Meritò in commentariis Michææ Prophetæ Sanctus Hieronymus damnat eos, *qui odio humani generis eligunt vitam ſolitariam, qualem Timonem fuiſſe Athenis legimus: Non quod ſolitaria vita & Prophetica, quam habuerunt Elias & Joannes, condemnanda ſit, ſed quia cæteros deſpiciens ipſe ſuperbiat & habitet in ſaltu vitiorum*. Eam in
C. 3. Threnorum commentariis eligendam adſerit à ſolis *verè & non ex parte perfectis, qui & in eremo ſquallorem ſolitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate ſuſtentent*. Quæ omnia pluribus docet in litteris ad Ruſticum monachum, rogantem, *Num ſolus, an cum aliis in monaſterio deberet vivere*, Eremi grandia & multa pericula enumerat, ac reſpondet: *De ludo monaſteriorum hujuſmodi volumus egredi milites*, in vita cœnobitica perfectos, ſolos deinceps cum
L. 1. c. 13. ſolo diabolo ſine metu duellaturos. Ità apud Hermiam Zozomenum Sanctus Antonius Paulo
C. 7. ſimplici *ſeparatæ vitæ* non fecit *poteſtatem*, niſi ubi ille ampliùs *Præceptore non egeret*. Hinc ſtatuit Synodus Venetica. *Servandum de monachis, ne eis ad ſolitarias cellulas liceat à congregatione diſcedere, niſi fortè probatis poſt emeritos labores*.
C. 78. Confirmat Synodus Agathenſis, prima Aurelia-
C. 22. nenſis, Francofordienſis, ſeptima Toletana,
C. 12. & Caroli Magni Capitulare ad monachos. Legi
C. 5. oportet elegantiſſimas de hac re litteras Sancti
C. 2. L. 6. Ep. 12. Petri Damiani ad neſcio quem Abbatem, Sancti
Ep. 34. 37 Ivonis Carnotenſis Epiſcopi ad Robertum mona-
209. 192. chum Bonæ-Spei, ad Bernerium ejus Abbatem,
Ep. 176. & ad monachos Columbenſes, nec non Stephani Epiſcopi Tornacenſis ad Willelmum monachum Bierienſem. Et hæc omnia confirmat etiam præſens Canon, neminem permittens fieri Recluſum aut Anachoretam, niſi qui toto triennio fuerit inſignis Cænobita.

Porrò Anachoretis non licere reditum ad vitam cænobiticam docet etiam in litteris ad Damianum nepotem Sanctus Petrus Damiani, in
L. 6. Ep. 22. litteris item ad Blancam ex Comitiſſa Sanctimo-
L. 7. Ep. 19. Cap. 16. nialem, ac in libro de ſuæ congregationis inſtitutis addit hæc verba Sancti Romualdi: *Tale propemodùm eſt in eremo ad monaſterium reverti, quale de monaſteriali ordine ad ſæculum aſportari*. Cauſam dat in laudata novella lege Juſtinianus: Quod Anachoretæ *in contemplatione & perfectione degunt, à communione ad meliora excepti*. Poſſe tamen in Abbates eligi, atque ità ad monaſterium revocari docet Sanctus Ivo in litteris ad
Ep. 164. 208. Ganfredum Recluſum. Ità ab Angelo è ſpelunca evocatum Sanctum Pachomium teſtatur Her-
L. 3. c. 13. mias Zozomenus. Et hoc volunt hæc verba Canonis: *Propter communem utilitatem*.

Meritò item Canon novæ huic vitæ prærequirit annum novæ probationis. Reformationis exordio requiſitum fuiſſe etiam à monachis Cluniacenſibus inſinuat in litteris ad Goffredum Abbatem Vindocinenſem Sanctus Ivo, dicens ab eis in monachis è non reformatis monaſteriis ad ſe Epiſt. 41.
venientibus iterari monachalem benedictionem, quod nempè & novam probationem atque profeſſionem, cui impartiebatur iſta benedictio, ab illis exigerent.

Porrò ad primum Religionis ingreſſum probari eſt res antiquiſſima. Toto triennio, & quidem in diſtincto habitu, probari mandat Sancti Pachomii Regula, data per Angelum, & multorum Patrum encomiis laudata. Sancti tamen Antonii propago paſſim in ipſo ingreſſu & veſtiebatur monaſtico ſchemate, ac unà profitebatur. Quin & plurimi, quos inter & Sanctus Auguſtinus, unà cum Baptiſmo ſuſcipiebant profeſſum monachatum. Ità fuit uſque ad Juſtinianum Auguſtum, cujus quinta ad Epiphanium Patriarcham lex novella requirit probationis triennium in veſte & tonſura laicali, ideòque *juxta ſacras regulas*, quas neſcio alias, quàm Pachomianas. Eas ipſe extendere conatur ad omnem Eccleſiam.
Hanc legem in litteris ad Italiæ ac Illyrici Metro- L. 7. Ep. 11
politas reſpicit Gregorius Magnus. *Si qui ex militaribus numeris in monaſteriis converti feſtinant, juxta normam regularem debent in ſuo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum Deo auctore ſuſcipere*. Adversùs Mauritium Auguſtum, qui ſolos pleno ſuo tempore perfunctos, aut pro culpa expulſos milites edixerat poſſe fieri monachos, dudùm luctatus fuit ſanctiſſimus Pontifex, tandemque illum ab iniqua lege dimovit, eo tamen ſtipulato pacto, ut circa ipſos ſervaretur jam dicta Juſtiniani lex, iſtudque pactum omnibus ſui Patriarchatus Metropolitis per laudatas litteras promulgat.

Eamdem legem quoad ſervos monachari vo- L. 4. Ep. 44
lentes recepit in ſua Synodo Romana. Nequaquam quoad homines liberos. Quod enim Barbatianus, monaſterii Neapolitani Abbas, neſcio
quem Mauricium, *ſæcularem hominem, & non* L. 8. Ep. 23
antè probatum, per ea tempora tonſurarit, liquet ex laudati Pontificis Epiſtola ad Fortunatum Epiſcopum ejuſdem civitatis. Verùm Mauritius ille, *ablatis ſecum aliis monachis, fuga de eodem monaſterio diſcedens*, Barbatiani feſtinationem monſtravit fuiſſe præcipitem ac temerariam, peperitque hunc Canonem Gregorianum ad eumdem Epiſcopum: *Monaſteriis omnibus Fraternitas veſtra diſtrictiùs interdicat, ut eos, quos ad convertendum ſuſceperint, priuſquam biennium in converſatione compleant, nullo modo audeant tonſurare*. Ex quo vides Juſtiniani de rebus Eccleſiaſticis leges novellas à Romana Eccleſia non fuiſſe curatas.

CANON XLII.

Eos, qui dicuntur Eremitæ, qui quidem nigris veſtibus induti & capite comati urbes obeunt, & cum viris ſæcularibus ac mulieribus verſantur, & propriæ profeſſioni faciunt injuriam, ſtatuimus, ſi elegerint quidem tonſis comis reliquorum monachorum amictum ſuſcipere, eos in monaſterio conſtitui, & inter fratres referri. Quod ſi hoc non elegerint, ex urbibus expelli, & ſolitudines habitare, ex quibus ſibi etiam denominationes confinxere.

Scholion.

Ep. 1. Adversùm ejuſmodi Eremitas ſcribit etiam in
litteris ad Heliodorum monachum Sanctus
Hieronymus. *Interpretare vocabulum monachi,*
hoc eſt, nomen tuum: Quid facis in turba, qui ſo-
Ep. 4. *lus es?* Et in litteris ad Ruſticum monachum.
Mihi oppidum carcer eſt, & ſolitudo Paradiſus.
Quid deſideramus urbium frequentiam, qui de ſin-
L. 8. c. 9. *gularitate cenſemur?* Et de Sancto Joanne Chryſo-
ſtomo ſcribit Hermias Zozomenus. *Eos, qui in*
monaſteriis ſuis modeſtè conquieſcerent, atque ità
philoſopharentur, magnificè Joannes laudabat, at-
que ut à nemine læderentur, haberentque neceſſaria,
ſolicitè procurabat; at ſi quando foras egrederentur,
ac per urbem conſpicerentur, tum eos, quaſi Philo-
ſophiam ſuam dedecore afficerent, conviciis proſcin-
debat, & ad ſua propellebat. Hujuſmodi mona-
chorum dux Iſaacius optimum patrem, tamquam
ſævum, iracundum, arrogantem, brutalem ubi-
que traduxit, & calumnioſiſſimè in Synodo ad
Quercum accuſavit. Quare meritò Epiſcopi ab
Epheſina Synodo ad Principem Theodoſium Le-
gati in ſuis ad eamdem Synodum Relationibus
laudant Dalmatium Archimandritam, qui *per*
annos octoginta recluſus extra monaſterii ſepta num-
quam pedem extulerat. Legenda eſt elegans Epi-
ſtola Sancti Petri Damiani ad Teuzonem mona-
chum Florentinum.

Porrò nigræ veſtes ſunt antiquus omnium mo-
nachorum atque monacharum color, de quo
Sulpitius Severus in Dialogis, agens de Sancto
Martino monacho & monachorum in Galliis pri-
mo auctore: *Martinum in veſte hiſpida, nigro &*
Ep. 199. *pendulo pallio circumtectum vident.* Et in litteris ad
Ecdiciam Sanctus Auguſtinus diſertè ſcribit *ve-*
ſtes nigellas eſſe *monachæ indumentum.* Hinc de
Ep. 23. Bleſilla monaſticen adgreſſa ait Sanctus Hierony-
mus: *Pulla tunica, cùm humi jacuerit, minùs ſor-*
didatur. Et de Sancta Aſella: *Tunicam furviorem*
induta ſe repente Domino conſecravit. Et adversùs
Jovinianum monachum Apoſtatam, jam in Cle-
Ep. 25. ro luxuriantem: *Tunica pexa, & nigra ſubucula*
veſtiebaris, nunc lineis & ſericis veſtibus ornatus in-
L. 2. c. 13. *cedis.* Et ad Nepotianum Clericum Eccleſiæ
Aquilejenſis: *Veſtes pullas æquè devita ac candi-*
das. Quod nigrum pallium, uti ad Euſtochium Ep. 2.
ſcribit, eſſet ſolorum monachorum. Cauſam dat
in litteris ad Marcum Presbyterum Celedenſem:
Quod monachi veſtis ſit *tunica pœnitentis.* Etiam Ep. 22.
Sanctum Fulgentium monachum nigro uſum C. 12.
fuiſſe pallio ſcribit in ejus vita Auctor incogni-
tus, at probatiſſimus. Eodem ſemper uſa eſt,
licèt Regula permittat omnem nativum lanæ co-
lorem, ſacra propago Sancti Benedicti. Et hinc
de omnibus generaliter Franciæ monachis ſtatuit
Gualo Cardinalis, Legatus Paſchalis ſecundi
Pontificis: *Monachi cappis non nigris de cætero non*
utantur. Nempe omnibus per ſuam monarchiam
monachis Sancti Benedicti Regulam & veſtem
impoſuerat Carolus Magnus.

Ad annum tamen Domini, quo Pontifex
creatus eſt Paſchalis ſecundus, milleſimum no-
nageſimum nonum ſcribit in Mariani Scoti ap-
pendice Abbas Dodechinus. *His temporibus exor-*
ta eſt ſecta monachorum, qui non nigris, ſed gri-
ſeis induuntur veſtimentis, cujus auctor exſtitit qui-
dam Adam, ut dicunt. Succeſſerunt & alii, de
quibus in Sigeberti Gemblacenſis appendice Ro-
bertus Abbas Montenſis. *Erat circa hæc tempora,* A. 1131.
pulchra & decora facies Eccleſiæ, diverſorum Ordi-
num ac profeſſionum circumdata varietate, dum hinc
Præmonſtratenſes, hinc Ciſtercienſes, indè Clunia-
cenſes monachi, tum & diverſi habitus ac profeſſionis
Sanctimoniales. Aderant & Grandimontenſes &
Carthuſienſes, tandem acceſſerunt varii fratrum
mendicantium Ordines, atque ità inter Ciſter-
cienſes & fratres Minores quæſtio, de qua Mona-
chus Erfordienſis in additionibus ad Lambertum
Schafnaburgenſem, & Paulus Langius in chro-
nico Eccleſiæ Citizenſis. *Griſei monachi*, Ciſter- A. 1257.
tienſes videlicet, *in Concilio Ordinis generali ſta-*
tuerunt contra Minores fratres, quod nuſquam ad
hoſpitia deberent ſuſcipi vel admitti: Utique ob
parilitatem coloris in habitu. *Antiquitùs enim*
& ipſi Ciſtercienſes floccos geſſerunt griſeos, ut uſque
hodie in monialibus eorum cernitur & obſervatur,
quæ omnes cucullis utuntur griſeis. Tam rigidi ſta-
tuti cauſam proximiorem adducit chronicon Pa-
trum Prædicatorum Colmarienſium. Tandem
Ciſtercienſes adſumpta nigra cucullâ litem finie-
runt.

Adversùs vagantium Eremitarum pilos & bar-

bas ſcribit etiam in libro de monachorum opere Sanctus Auguſtinus. *Venalem circumferentes hypocriſin timent, ne vilior habeatur tonſa ſanctitas, ut videlicet qui eos videt, antiquos illos, quos legimus, cogitet Samuelem, & reliquos, qui non tondebantur*. Duras hypocrytæ illi inter novellos Africæ monachos de tonſo & adversùs Apoſtolicum Canonem comato virili capite lites excitarant. Et Sanctus Hieronymus in litteris ad Euſtochium: *Viros fuge, quibus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nudi in patientia frigoris pedes*. Cauſam horum omnium dat Theodoretus in prima oratione de providentia, quod gentiles *pallio albo, barbæ prolixitate, & capitis capillitio Philoſophiam metirentur*. Et in libro de velandis Virginibus Tertullianus: *Sæculum, æmulum Dei, virgini cæſum capillum decori mentitur, puero promiſſum*. Et hinc Maximo, è Cynica ad Chriſtianam ſeu Clericatus ſeu monachatus Philoſophiam per Petrum Patriarcham Alexandrinum traducto, ſcribit in hiſtoria Eccleſiaſtica idem Theodoretus ſtatim *pilos abraſos*. Quod ſuos Eccleſia Philoſophos vellet etiam quoad hæc exteriora à gentilibus diſſidere. Rationem edicit in libro jam laudato Tertullianus: *Vir non eſt naturaliter conſecutus ambitionem capillorum, quia radi ſive tonderi non ſit illi turpe, quia non propter illum Angeli exorbitarunt, quia gloria & imago Dei, quia caput ejus Chriſtus*. Hinc eos, qui Sanctum Paulum Eremitam ajunt fuiſſe *calcaneo tenus crinitum hominem*, ut fabulatores arguit in ejus vita Sanctus Hieronymus. Et de Sancto Martino Storaci Anachoreta ſcribit ad ſuprà memoratum Teuzonem Sanctus Petrus Damiani. *Jam per tria ferè luſtra non prodiit, ſed neque capillos totondit, neque barbam raſit. Hoc ſiquidem & ipſi crines evidenter aſſerunt, qui jam fortè prolixiores illo, talo fluunt. Quamquam nos hoc diſtrictionis genus minimè probemus*. Sanctum tamen Hilarionem, quod *capillum ſemel dumtaxàt in anno die Paſchæ tonderet*, laudat Sanctus Hieronymus. Hinc item patet ratio, cur albas veſtes in Novatianenſibus ac Macedonianis Epiſcopis & Clericis Eccleſia olim notatit: Quod nempe non tantummodò morem, ſed & gentilium Philoſophorum, ſuam ſibi juſtitiam ſtatuentium, ſuperbiam redolerent. Atque ità nota iſta à noſtris hodie quibuſdam monachis & Clericis eſt penitùs aliena. Porrò urbicos iſtos Anachoretas ad cœnobia cogens noſter Canon imitatur quintum ſeptimæ Synodi Toletanæ.

C. 31. Ep. 22. C. 12. C. 7. L. 5. c. 8. L. 6. Ep. 3.

CANON XLIII.

Licet omni Chriſtiano vitam exercitatricem eligere, & rerum ad vitam pertinentium depoſita tempeſtate, monaſterium ingredi, & habitu monachi tonderi, in quacumque prolapſione deprehenſus fuerit. Salvator enim noſter Deus inquit: Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Tanquam ergò monachali vitæ agendæ inſtituto in pœnitentia nobis vitam deſcribente, ei qui ad illud germanè ac ſincerè accedit, acquieſcimus ac favemus: Nec ulli ei mores impedimentum aſferent, quo minus proprium ſcopum adimpleat.

SCHOLION.

Canonem confirmat dictum laudatiſſimum Sancti Hieronymi: *Monachus non docentis habet officium, ſed plangentis*. Et Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus in litteris ad Severum Scholaſticum Conſtantinopolitanum. *Utinam omni vitæ hujus miſerabilis tempore orationi & jejuniis vacans plangam cum puſillis fratribus meis delicta multa & gravia, ſive quæ jam doleo commiſſa, ſive quæ adhuc cogor ex carnis fragilitate committere*. Meritò Canon Monaſticen vocat *vitam pœnitentiæ*: Nam & ob crimina dejectos Epiſcopos & Clericos, acturos dignam æterna vita pœnitentiam, omnis ſub cœlo Eccleſia conſuevit in monaſteriis claudere. Hinc igitur nemini ex criminom anteriorum cauſa ſolet occludi ingreſſus in monaſteria.

C A·

Digitized by Google

CANON XLIV.

Monachus fornicationis convictus, vel qui ad Matrimonii communionem, vitæque ſocietatem uxorem duxit, fornicatorum pœnis ſecundùm Canones ſubjicietur.

CANON XLV.

Quoniam intelleximus in nonnullis mulierum monaſteriis mulieres, quæ ſacro illo amictu ſunt induendæ, priùs ſericis & omnis generis veſtibus, prætereà autem & mundis auro & gemmis variatis ab iis, qui illas ducunt, exornari, & ſic ad altare accedentes exui tanto opum apparatu, & ſtatim in illis fieri habitus benedictionem, illaſque nigro amictu indui, ſtatuimus ne hoc deinceps fiat. Neque enim fas eſt, ut quæ jam propria voluntate omnem vitæ jucunditatem depoſuit, & eam, quæ eſt ſecundùm Deum, vitæ agendæ rationem amplexa eſt, firmiſque ac ſtabilibus rationibus eam confirmavit, & ità ad monaſterium acceſſit, per eum, qui interit ac fluit, mundum, quorum jam oblita erat, memoriam revocet, & ex eo anceps reddatur, & ejus anima perturbetur inſtar exundantium fluctuum, hucque & illuc verſantium: Ut nec nonnumquam lacrymam emittens, cordis per corpus compunctionem oſtendat; ſed etſi exigua aliquo, ut eſt conſentaneum, lacryma exilierit, non magis propter affectionem, quam habent propter exercitatorium certamen, quam prophereà quod mundum & mundana relinquant, ea à videntibus profluiſſe videtur.

CANON XLVI.

Quæ vitam exercitatoriam eligunt, et in monaſteriis ſunt conſtitutæ, ne omninò progrediantur. Si qua autem inorabilis neceſſitas ad hoc trahit, cum benedictione et permiſſione ejus, quæ præeſt, hoc agant, tuncque non ſolæ per ſe, ſed eum aliquibus vetulis, et quæ in monaſterio primæ ſint, cum mandato ejus, quæ Præfecta eſt. Eis autem omninò extra cubare non licet. Sed et viri, qui vitam monaſticam perſequuntur, urgente neceſſitate, et ipſi cum benedictione ejus, cui regimen creditum eſt, procedant. Quamobrem, qui tranſgrediuntur id, quod eſt nunc à nobis decretum, ſive ſint viri, ſive mulieres, convenientibus pœnis ſubjiciantur.

CANON XLVII.

NEque mulier in virorum monaſterio, neque vir in mulierum dormiat. Extra offendiculum enim & ſcandalum fideles eſſe oportet, & ad id, quod decorum & honeſtum, Deoque gratum, vitam ſuam componere. Si quis autem hoc fecerit, ſive ſit Clericus, ſive laicus, ſegregetur.

CANON XLVIII.

UXor ejus, qui ad Epiſcopalem dignitatem promovetur, communi ſui viri conſenſu priùs ſeparata, poſtquam in Epiſcopum ordinatus eſt ac conſecratus, monaſterium ingrediatur procul ab Epiſcopi habitatione extructum, & Epiſcopi providentia fruatur. Sin autem digna viſa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehetur.

SCHOLION.

HUnc Canonem jam pridem recepit etiam Eccleſia Romana. Etenim ad Strigonienſem & Colocenſem Epiſcopos, Hungarorum Metropolitas, ſcribit apud Gregorium nonum

L.3.tit.32. c.5.6. Alexander tertius Pontifex: *Nullus conjugatorum eſt ad ſacros Ordines promovendus, niſi ab uxore continentiam profitente fuerit abſolutus*. Et infrà. *Fraternitati veſtræ Auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne uxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare, niſi uxor priùs profeſſa continentiam ſacrum ſibi velamen imponat, & religioſam veſtem adſumat*. Epiſcopus eſt Eccleſiæ caput, norma, exemplum, ideòque ejus uxorem oportet ſingulariter honoratam, & ab omni ſiniſtræ etiam ſuſpicionis periculo exemptam. Et in hæc omnia plenè liber eſſe debet uxoris conſenſus. Laudatus Patrum Prædicatorum Conſtantinopolitanorum tractatus meritò culpat Græcos, quod viros invitos ordinarent, ac invitas uxores monaſteriis imponerent.

CANON XLIX.

HUnc ſacrum etiam Canonem renovantes decernimus, ut quæ Epiſcopali voluntate ſemel conſecrata fuerint monaſteria, ſemper monaſteria maneant, & res, quæ ad ipſa pertinent, monaſterio ſerventur, & ea non poſſint eſſe amplius ſæcularia habitacula, nec ab ullo ex omnibus ſæcularibus tradi hominibus. Sed etiamſi hoc huc uſque factum eſt, hoc nequaquam ſervandum decernimus; eos autem, qui deinceps hoc facere aggrediuntur, Canonum pœnis ſubjici.

SCHOLION.

CAnon confirmat legem ſeptimam novellam Juſtiniani Auguſti ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum. *Quia cognovimus aliquod peſſimum delictum factum & apud Alexandriam, & apud Ægyptios, jam autem & in aliis quibuſdam imperii locis quoſdam præſumere ipſa venerabilia monaſteria vendere, aut permutare, aut donare, ità ut hæc mutarentur ex ſacro & Deo amabili ſchemate ad privatam manſionem & ſtatum, hæc omnia de cætero fieri prohibemus, nulli hominum permittentes hoc delinquere, ſed etiam factum infirmum omnibus declaramus modis, & pretiorum caſum imponimus accipientibus, venditorem quoque damnificamus & rei caſu & pretii amiſſione, ſanctiſſimæ Eccleſiæ ejus loci & venerabilibus monaſteriis hoc tribuentes: Quatenùs ipſi provideant, ut quod malè alienatum eſt, rursùs ad monaſticam renovent figuram, neque hypotheca ſuper his valente, ſed etiam ipſa infirmanda, & rursùs ſacro monaſterio adſignanda.* Debuit verò eſſe monaſterium, in quo fuerat erectum altare.

CANON L.

NUllum omnium ſive Clericum, ſive laicum, ab hoc deinceps tempore alea ludere. Si quis autem hoc deinceps facere deprehenſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi laicus, ſegregetur.

SCHOLION.

Cap. 24. QUid ipſi Gentiles de alearum luſu ſenſerint, edicit Cornelius Tacitus in libello de moribus Germanorum. *Aleam, quod mirere, ſobrii inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cùm omnia defecerint, extremo ac noviſſimo jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit. Quamvis junior, quamvis robuſtior, alligari ſe ac venire patitur. Ea eſt in re prava pervicacia: Ipſi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut ſe quoque pudore victoriæ exſolvant.* Et Ammianus Marcellinus, agens de corruptis Romanorum moribus, graviter lamentatur infimam ac pauperrimam plebem *in tabernis pernoctare*
L.14 c.19. *vinariis*, atque ibi *pugnaciter aleis certare*. Addit
L.28. c.22 de nobilibus. *Quidam ex his, licet rari, Aleatorum vocabulum declinant, idèòque ſe volunt appellari Teſſerarios.* Etenim non omnes, qui alea ludunt, ſed ſoli, qui ex lucri cupiditate, ſunt damnati à Romanis Legibus Aleatores, quos meritò furibus adſociat in libro de idololatria
Cap. 5. Tertullianus. Rectè tamen addit Ammianus: *Inter quos tantùm differt, quantum inter fures & latrones.* Eum, *qui in foro* aut alio loco publico *non dubitat ludere, eſſe hominem omnium nequiſſimum*, verè in ſecunda oratione Philippica Tullius adfirmat. Pergit Marcellinus. *Hoc fatendum eſt, quod cùm omnes amicitiæ Romæ tepeſcant, aleariæ ſolæ, quaſi glorioſis quæſitæ ſudoribus, ſociales ſunt, & adfectu nimio firmitate plena connexæ. Undè quidam ex his gregibus inveniuntur, ità concordes, ut quis illos exiſtimet fratres.* Nequitiam iſtam acriter & vituperosè depingit. Et quidem apud Germanos malum iſtud adhuc repetit Beatus Joannes Capiſtranus, fratrum Minorum grande decus, de quo in chronico Citizenſi Paulus Langius: *Prædicavit ferventiſſimè per Germa-* A. 1454.
niam, & Lypſiæ prædicando aleas omnes poſt ſermonem comburi fecit. Combuſtos fuiſſe & ſcacos addit Abbas Uſpergenſis.

Egit Beatus ille Joannes ex antiquo Canone Cap. 78.
Synodi Eliberinæ: *Si quis fidelis alea, id eſt, tabula luſerit, placuit eum abſtinere: Et ſi emendatus teſſaverit, poſt annum poterit communione conciliari.* Conſonant vulgares Apoſtolici Canones. *Epi-* C. 42. 43.
ſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deſerviens aut deſinat, aut certè damnetur: Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens aut deſinat, aut communione privetur. Similiter etiam laicus. Et hoſce Canones innovat Synodus Auguſtana ſub Joanne duodecimo. Et Moguntina ſub Carolo Magno Synodus: *Nequis Clericus* Cap. 14.
aleas amare. Et Aquiſgranenſis ſub Ludovico Pio: *Alea non inſerviat.* Et Romana Eugenii L.1.c.145.
ſecundi ac Leonis quarti Pontificum, publicata per D. Lucam Holſtenium. *Sacerdos ludos aliquos* Cap. 11.
coram ſe fieri non delectetur. Tranſgreſſor inventus ammonitione Epiſcopi ulteriùs agere deſinat, ſin autem, canonicè judicetur. Et Synodus Salisburgenſis ſub Eberardo Archi-Epiſcopo: *Clerici ad aleas* Cap. 5.
& taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint, nec ludos tales in domibus ſuis exercere permittant. Et Capitula Joannis Tuſculani Epiſcopi, per Germaniam Legati Apoſtolici: *Ludos Clericis, præſertim in Prælaturis & ſacris Ordinibus conſtitutis, omninò prohibemus. Et maximè in publico aut laicis præſentibus.* Et Capitulare Odonis Pariſienſis Epiſcopi: *Ne Sacerdotes in ſuis domibus habeant ſcacos, aleas, vel decios, omninò prohibetur.* Et C. 19.
Synodus Toletana ſub Xixto quarto: *Ludum taxillorum publicè vel occultè univerſis Clericis in ſa-*

ctis

ris Ordinibus conſtitutis, ſive etiam beneficiatis, probibemus. Et in lege Codicis ad Epiphanium C. 10. Patriarcham Conſtantinopolitanum Juſtinianus Auguſtus erubeſcit, quod non tantùm Presby- L.1.tit.4. c.34. teri ac Diaconi, ſed & quidam Epiſcopi cubos & teſſeras contrectent per ſemetipſos, aut certè ab aliis tractari ſpectent cum aviditate, *Sermones audiunt blaſphemos, quos in talibus neceſſe eſt fieri*, atque ità polluant ſuas ſacratas manus, ocu- L. 123. c.10. los, aures. Et in lege novella ad Petrum Præfectum Prætoriorum. *Interdicimus ſanctiſſimis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus aut tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes aut inſpectatores fieri. Si quis hoc deliquerit, jubemus hunc tribus annis à venerabili miniſterio probiberi, & in monaſterium redigi*, ad agendam pœnitentiam. Et Synodus Baſileenſis in regulis ad ſua Suppoſita: *Nemo de Suppoſitis Concilii ludat, aut familiares ſuos ad taxillos vel alios ludos inboneſtos ludere patiatur*. Taxillos, aleas, ſcacos fuiſſe è toto Franciæ regno rigidiſ- A.1256. 1262. ſimè proſcriptos à Sancto Ludovico Rege, teſtatur in ejus vita Guilielmus Nangiacenſis,

Et apud Euſebium Cæſareenſem antiquus Eccleſiæ Scriptor Sanctus Apollonius, apud Sanctum Hieronymum in Catalogo laudatiſſimus, exclamat: *Prophetane tabulis & teſſeris ludit?* Exclamat adversùs novam, cujus peſſima virtutum & ſignorum fuco ſplendens cauda multas è cœlo detraxit ſtellas, Montani Pſeudo-Prophetiam, aſſeverans non poſſe eſſe veram, quod ejus auctores & aſſeclæ aleas tractarent. Quod ejus argumentum omninò probat Sanctus Hieronymus. Et adversùs Florentinorum Epiſcopum, ſcacis ludentem, eoſque ab aleis diſtinguere conantem, ſcribit ad Alexandrum ſecundum Pontificem L.1.Ep.12 Sanctus Petrus Damiani. *Scacos Scriptura non ponit, ſed utriuſque ludi genus aleæ nomine comprebendit. Quapropter dum alea probibetur, & nominatim de ſcaco nibil dicitur, conſtat procul dubio utrumque genus uno vocabulo comprebenſum, unius auctoritate damnatum*. Et ſcaco & aleæ in Epiſcopo aut ſacro Clerico debitam pœnam adfirmat eſſe depoſitionem; ideòque territus correctionem ſpopondit ac pœnitentiam poſtulavit Florentinus Epiſcopus, impoſuit verò laudatus Petrus, *ut ter Pſalterium meditando percurreret, ac duodecim pauperum pedes ſub totidem numiſmatum erogatione, eorumque recreatione lavaret*. Et hoc pro unico in itinere ad fallendum tempus luſu veſpertino. Ad tabulam quippè ludere *eſt inboneſtum, fædum, abſurdum in Sacerdote ludibrium*. Hinc apud Nicephorum Calixtum Syneſius ludo adſuetus meritò Epiſcopatum, quod à more ceſſare deſperaret, recuſavit. Et apud Sanctum Gregorium Turo- L.14.c.55. nenſem Epiſcopum Pictavienſes ſanctimoniales L.10.c.16. ejiciunt ſuam Abbatiſſam, quod ad tabulam cum ſæcularibus luſiſſet. Et Eccleſiæ Belluacenſis Electum, Stephanum de Guarlanda, quod aleam diligeret, eſſe indignum, ac ab Epiſcopatu penitùs rejiciendum, affirmat in litteris ad Joannem & Benedictum Cardinales Sanctus Ivo Epiſcopus Carnotenſis. Et de Wiboldo Cameracenſi Epi- Ep. 87. ſcopo in ejuſdem Eccleſiæ chronico ſcribit Baldricus Epiſcopus Noviomenſis. *Iſte Clericis aleæ* L.1.c.88. *amatoribus regularem ludum artificiosè compoſuit, quo videlicet in ſcholis ſe exercentes caritate vitia vincere adſueſcerent, ſæcularemque, & jurgioſam aleam refugerent*. Spiritualem illum, à noſtris moribus alienum, ac ideò difficilem ludum exponit in notis ad Baldricum Georgius Colvenerius: Eum Wiboldus nonniſi diſpenſatoriè permiſit. Videndæ & Eadgari, Henrici ſecondi, ac Richardi primi, Angliæ Regum, leges adversùm aleas apud Ethelredum, Alredum, Joannem Bromptonum, & Gervaſium Cantuarienſem, ſcriptores rerum Anglicarum. Porrò antiquiſſimus eſt alearum luſus, repertus à neſcio quo Rege Alea circa belli Trojani tempora, Tom. 1. uti ſcribit in chronico Freculfus Epiſcopus Le- L.1.c.17. xovienſis.

CANON LI.

OMninò prohibet hæc ſancta & univerſalis Synodus eos, qui dicuntur Mimos, & eorum ſpectacula; deindè venationum quoque ſpectationes, atque in ſcena ſaltationes fieri. Si quis autem præſentem Canonem contempſerit, & ſe alicui eorum, quæ ſunt vetita, dederit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi verò laicus, ſegregetur.

SCHOLION.

L.2.c.6 ELeganter in libris de Pœnitentia Domini vocem, *Cantavimus vobis, & non ſaltaſtis*, exponit Sanctus Ambroſius. *Cavendum, ne quis vulgati ſermonis bujus deceptus interpretatione, putet nobis ſaltationis lubricæ biſtrionicos motus, & ſcenæ deliramenta mandari; ſed ſaltationem eam decet, qua ſaltavit David ante arcam Domini. Totum enim decet, quidquid defertur religioni, ut nullum obſequium, quod proficiat ad cultum & obſer-*

van-

Digitized by Google

vantiam Chriſti, erubeſcamur. Non ergò illa deliciarum, comeſque luxuriæ prædicatur ſaltatio, ſed ſaltatio ſpiritualis, fidei ſocia, gratiæ comes. Et Canon Africanus publicas mulierum per vicos & plateas in diebus feſtis ſaltationes ait eſſe *ſceleratiſſimas, utpotè per quas matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor, devotè ad dies feſtos venientium, injuriis laſcivientium appetatur, & ipſius ſanctæ religionis fugiatur acceſſus.* Adversùm eas idem Canon ſtatuit poſtulandam legem imperialem, auxilium brachii Regalis. Eaſdem damnant hujus Synodi Canon ſexageſimus ſecundus, ſexageſimus quintus, ſeptimæ Synodi vigeſimus ſecundus. Addit Sanctus Ambroſius: *Hæc etiam in adoleſcentula ætate vitioſa ſunt.* Quocircà hodierni Latinæ linguæ Profeſſores, adoleſcentulorum ſaltus tamquam præcipuum ornamentum ſcænis ſuis intrudentes, graviter impingunt in Regulas Chriſtianas.

CANON LII.

IN omnibus ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & Sancto Annunciationis die, fiat Sacrum Præſanctificatorum miniſterium.

SCHOLION.

QUi Miſſam ſiccam cum Præſanctificatorum ſacrificio confundunt, fœdè hallucinantur. Etenim Miſſa ſicca eſt mera Miſſæ ſimulatio, utpotè in qua Sacerdos omnes ritus peragat, at nullam Dominici corporis aut ſanguinis conſecrationem aut ſumptionem, ideòque eſt veraciter ſicca, ſive jejuna. Eam aliqui exiſtimant antiquam, commendatam à tertia Synodo
Cap. 19. Carthaginenſi: *Si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniuntur.* Quin immò in opere de Miſſæ ritibus Joſe-
L. 5. c. 9. phus Vice-Comes eam laudari exiſtimat à Sancto Dionyſio Areopagita in libro de Hierarchia Eccleſiaſtica: *Oblatio ſola fiebat in mortuorum Miſſis, non item conſecratio, quemadmodùm in Belgicis pleriſque Eccleſiis etiam nunc ſervari multi tradunt.* Sicca enim Miſſa præſertim apud nos Belgas fuit uſitata. Aſt abſit, ut ille Dionyſius, Belgica hodiè Eccleſia, ac præſertim tertia, cui Sanctus Auguſtinus interfuit, Carthaginenſis Synodus probarint ejuſmodi hiſtrionatum, meritò jam pridem damnatum à Belgarum Epiſcopis, ac ab Innocentio tertio in litteris ad Rectores Romanæ
L. 3. tit. 4. c. 7. fraternitaria. Eſt temeritas novella. At verò
Cap. 49. Præſanctificatorum Miſſa apud Græcos eſt longè antiquiſſima, utpotè de qua ſtatuat Synodus Laodicena: *Non oportet in Quadrageſima panem offerri, niſi Sabbato & ſolis Dominicis.* Addit Michael Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Hoc ſacrum miniſterium unà cum prædicatione ipſa Apoſtolorum originem habuit, & unà cum quadrageſimalis jejunii inſtitutione.* Et Symeon Theſſalonicenſis in Reſponſis ad Gabrielem Metropolitam Penta-
Reſp. 56. politanum. *Præſanctificatorum Miſſa ab antiquo tempore, & ex Apoſtolorum ſucceſſoribus originem habet, ut preces ipſæ teſtantur. Traditionem ipſam verè Apoſtolicam credimus.*

Ejus cauſam adſignant in laudati Canonis Laodiceni commentario Alexius Ariſtinus, in Nomo-Canone Matthæus Blaſtares, ad Canonem præſentem Joannes Zonaras, Theodorus Balſamon, Michael Patriarcha, & jam dictus
Symeon Archi-Epiſcopus: Quod plenum ſacri- Reſp. 57. 61.
ficium ſit lætitiæ ac feſtivæ celebritatis actus, quadrageſima autem tempus luctus ac mœroris, exceptis tamen diebus Dominicis ac Sabbathis, Dominicæ Reſurrectioni ac futuræ requiei conſecratis, ideòque apud Græcos conſuetis non jejunari. Eidem fundamento hæret hic Canon
Laodicenſis: *Non oportet in Quadrageſima Marty-* Cap. 49.
rum Natales peragere, ſed Sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbathis ac Dominicis. Dies namq; feſtos eſſe publica Eccleſiæ gaudia, ideòque in hac miſerabili vita multiplicari non oportere, ſcribit etiam ex Latinæ Eccleſiæ ſenſu Sanctus
Bernardus. Hìnc item Dominicæ Adnunciatio- Ep. 174.
nis Feſtivitas, in Quadrageſima occurrens, non niſi in Dominica aut Sabbatho agebatur apud Græcos, quouſque prodiit præſens Canon, eam uti pleno ſacrificio, ità & jejunii immunitate honorans. Etiam in ſancta ſexta Feria occurrentem ità honorarunt Græci poſteriores. Nam & olim apud nos Latinos quævis majora Feſta, in quartam aut ſextam Feriam, extra Quadrageſimam tamen, incidentia gaudebant, quomodo etiam hodie Dominicæ Nativitatis Feſtum, eadem jejunii immunitate.

Occurrunt quæſtiones aliquæ. Prima eſt, An & quare Græci in ſolis Quadrageſimæ jejuniis uſi fuerint Miſſa Præſanctificatorum? Reſpondet & rationem dat in laudatis ad Gabrielem Metropolitam Reſponſis Symeon Theſſalonicenſis. *Non ſunt Præſanctificata in aliis jejuniis, quod inter alia hoc ſolum primum ſit, & eximium, & Domini jejunium.* Eamdem dat Theodorus Balſamon. Porrò Miſſa hæc fiebat hora nona ſub Veſperam. Nam & apud nos Latinos plenum ſacrificium cunctis, etiam extra Quadrageſimam, jejunii

die-

diebus ea olim hora fiebat. Leonis noni Pontificis tempore id nequaquam deſierat, at ipſum ignorans, aut ignorare ſimulans Nicetas Pectoratus, in Studii apud Conſtantinopolitanos monaſterio monachus ac Presbyter, in libello adversùm nos Latinos ſumpſit exindè occaſionem pleni noſtri in Quadrageſima ſacrificii de violato Apoſtolicæ traditionis jejunio accuſandi. Accuſavit nos, quod in Quadrageſima celebraremus manè, atque ità jejunium violaremus. Eſt etiam Armeniorum error, de quo Vincentius Epiſcopus Bellnaeenſis. *Armenii per totam Quadrageſimam non celebrant, niſi die Sabbathi vel Dominica, quia dicunt hominem jejunium frangere, quoties celebrat. Propter hanc etiam cauſam in ſextis feriis non celebrant, ne ſcilicet jejunium frangant. Diebus autem, quibus carnes comedunt, celebrant, quia tunc non jejunant.* Eſt vetuſtus etiam quorumdam Latinorum error, de quo Tertullianus
Cap. 14. in libro de oratione. *Stationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini.* Omnes enim ſtationum dies olim jejunabantur. Pergit Scriptor adversùs inconditam iſtam pietatem. *Ergò devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit? An magis Deo obligat? Nonnè ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini, & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii.* Non auſus damnare pietatem iſtam, ſuadet & fieri ſacrificium, & in ipſo accipi à populo Euchariſtiam, attamen non ſumi, ſed reſervati in horam nonam, atque ità utrumque Dei cultum ſalvari. Ab eadem pietate exiſtimo inductum, ut jejuniorum diebus ſacrificium eſſet ſemper veſpertinum. Vides namque Tertulliani tempore legem ejuſmodi non fuiſſe. Crediderim legem editam à Sancto Sylveſtro Pontifice, Chriſtianorum rituum accuratiſſimo ordinatore. Rectè tamen adversùs Nicetam Pectoratum ſcribit Cardinalis Humbertus. *O perfide Stercoraniſta, qui putas fideli participatione Corporis & Sanguinis Domini quadrageſimalia atque Eccleſiaſtica ſolvi jejunia, omninò credens cœleſtem eſcam, velut terrenam, per aqualiculi fœtidam & ſordidam egeſtionem in ſeceſſum emitti.* Reſpondere uno verbo potuerat plenam noſtram in Quadrageſima Miſſam, excepta feria quinta, celebrari hora nona ad veſperam, ideòque nullam eſſe umbram jejunii per ipſam violandi. Addo Græcis non fuiſſe ubique eumdem morem. Quædam Eccleſiæ in primæ quadrageſimalis hebdomadæ ſecunda ac tertia feria Miſſam plenam, quædam etiam in quarta & ſexta feria infra Dominicam Quinquageſimæ habuere ſola Præſanctificata.

Altera quæſtio eſt, An olim Latina Eccleſia per omnem Quadrageſimam etiam uſa fuerit Miſſa Præſanctificatorum? Pro parte adfirmativa faciunt hæc verba Michaelis Patriarchæ Conſtantinopolitani. *In multis noſtris libris traditur, legiturque Sanctum Gregorium, cui cognomentum Dialogi fuit, apud Romanos hunc ſacrificii modum ſacris & reconciliatricibus Quadrageſimæ diebus tradidiſſe. Si modò ad hæc uſque tempora in veteri Roma agitur.* Pro parte autem negativa facit Gregorius Protoſyncellus in Synodi Florentinæ Apologia adversùm calumnias Marci Epiſcopi Epheſini.
Ajunt ex Gregorii Magni inſtitutione factum, ut quadrageſimali tempore apud Romanos Miſſæ ſacrificium integrum peragatur, quod apud illos hodieque ſervatur. F. 721.
Et Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Gregorii ſecundi Pontificis. *Hic quadrageſimali tempore, ut in quinta feria jejunium atque Miſſarum celebritas fieret in Eccleſiis, quod non agebatur, inſtituit.*
De eodem ſcribit Marianus Scotus: *Gregorius Papa ſtatuit, ut in quadrageſimali tempore jejunium atque Miſſarum celebritas fieret.* A. 725.

Reſpondeo antiquum Romanæ ac omnis Latinæ Eccleſiæ morem edici ab Innocentio primo Pontifice in litteris ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, agente de feria ſexta Paraſceves ac Sabbatho Sancto: *Traditio Eccleſiæ habet iſto biduo Sacramenta Eccleſiæ penitùs non celebrari.* Confirmat ab antiquo decretorum codice relatus Canon primæ Synodi Arauſicenſis: *Divina Myſteria his duobus diebus non celebrantur.* Neque refert, quod Sabbatho Sancto adſignata Miſſa ſit longè antiquiſſima. Utrumque enim in litteris ad ſuæ Congregationis Eremitas conciliat Sanctus Petrus Damiani. *Miſſa, quæ intra ipſam Sabbathi Sancti diem prohibetur, nocte celebrari præcipitur.* Pro- L.6.Ep.35
pter baptizandos ac Baptiſmi Myſterium: *Ut nimirùm in quodam meditullio hinc mortis Chriſti, indè Reſurrectionis, generalis Baptiſmi conſtituatur ſalutare Myſterium.* Hìnc & Synodo Claromontana ſtatuit Urbanus ſecundus Pontifex: *Sabbatho Paſchæ non niſi poſt horam nonam officium celebretur.* Florentinæ adhuc Synodi tempore Miſſam iſtam fuiſſe media nocte celebratam apud nos Latinos, teſtatur in ejuſdem Synodi hiſtoria Sylveſter Sguropulus. Ipſa igitur ità neque ad Sabbathi diem, neque ad Dominicam ſpectat, ut ſimul ſpectet
ad utramque, ideòque decima ſexta Toletana Cap. 8.
Synodus ait cunctis aliis diebus, excepto unico Dominicæ Paſſionis die, Miſſam celebrari. Quidam Hiſpaniarum Epiſcopi baſilicas tunc etiam claudebant, nullum penitùs facientes officium, ne quidem populo legentes paſſionem Dominicam: Quod meritò correxit quarta Synodus Toletana. Cunctis itaque aliis Quadrageſimæ diebus Romana ac omnis Latina Eccleſia ſemper celebravit Miſſam plenam; quod adversùs Nicetam Pectoratum Cardinalis Humbertus rectè oſtendit ex antiquis Sanctorum Pontificum Sylveſtri, Gelaſii ac Gregorii Magni Miſſalibus libris, *in quibus omnis Quadrageſimæ dies habet ſpecialis Miſſæ plenarium officium.*

Adducta in oppoſitum argumenta ſolvi debent ex libro Pontificali in vita Sancti Melchiadis Papæ. *Hic conſtituit, ne ulla ratione de Dominica, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret, quia eos dies Pagani quaſi ſacrum jejunium celebrant.* Ejus decreti in Epiſtola ad Caſulanum Presbyterum meminit & Sanctus Auguſtinus: *Romæ jejunandum quinta Sabbathi non videtur.* Et apud Sanctum Ambroſium ſermo Dominicæ in Sexageſima, ſingulis quadrageſimalis jejunii diebus ſubducens *ferias quintas.* Romæ id cum ceſſante Paganiſmo pedetentim ceſſaſſe docet nos vel ſolum Sacramentale Gregorii Magni, paſſim à Græcis

appel-

appellati Dialogi, ad ſingulas Quadrageſimæ quintæ ſerias omninò habens Miſſam jejunii ac quadrageſimalem. Palàm errant hæe verba Walſridi Strabonis de Sancto Gregorio: *In diſpoſitione officiorum anni infra Quadrageſimam quintam feriam vacantem reliquit*. Errat item Marianus Scotus, decretum iſtud intalligens de omni die quadrageſimali. Eſt decretum obſcutum, ipſumque Græci conſtanter Gregorio primo, Latini autem, librum Pontificalem ſecuti, pari conſtantia adſcribunt Gregorio ſecundo. Nec inter ſeſe Græci concordant. Quidam ab ipſis introductam, quidam exiſtimant extinctam Miſſam Præſanctificatorum. Hæret mihi aqua. Meliora doceri paratus malim eſſe decretum Gregorii primi, qui quintas Quadrageſimæ ſerias, ex Melchiadis decreto adhuc prandeti conſuetas, communi jejunio adſtrinxerit, permittens tamen earum Miſſam, prioti more, contra jejunii Canonem, manè fieri. Eò reſpeciunt hæc verba libti Pontificalis: *Quod non agebatur*. Jejunii quippè diebus Miſſa ſemper veſperi fiebat circa horam diei nonam.

Verbis ſuis ſuprà laudatis rectè addit Gregorius Protoſyncellus. *Sed non propterea* nos Græci à Latinis *disjuncti ſumus, neque illius ævi homines duo Miſſarum genera dixerunt. Et neque illos ipſi umquam culpavimus, neque illi nos coegerunt ad hujuſmodi conſuetudinem, quoniam hæc veritati fidei nihil officiunt*. Poſt Photianum ſchiſma cœperunt priùs Græci morem noſtrum arguere: Schiſmatico conviciandi ſtudio, quo & Latinam Clericalis barbæ raſuram, ipſamque Latinam linguam, ut barbaricam, damnarunt. Quocircà in reſponſo adversùs Nicetam Pectoratum Cardinalis Humbertus, Græcum morem ut Divinæ inſtitutioni diſſonum notans, eumque ſecuti quidam Theologiæ Scholaſticæ Doctores, omninò excedunt. Nam & Latina Eccleſia in ſexta ſeria jam pridem utitur Miſſa Præſanctificatorum, uti liquet ex Sacramentali Gregorii Magni. Ejus tamen præciſam originem ſatenr me ignorare. Etenim in litteris ad Decentium Eugubinum Epiſcopum Innocentius primus diſertè ejus non meminit.

Noviſſima quæſtio eſt, An Græci Miſſam Præſanctificatorum celebrent ſub utroque Sacramenti elemento? Reſpondeo celebraſſe ſemper ſub ſolo elemento panis. Die Dominica præter iſtius diei ſacrificium conſecrant quinque alios panes integros, eiſque, inquit Michael Patriarcha Conſtantinopolitanus, *nulla gutta Divini Sanguinis infunditur*. Loquitur de ſola ſua Eccleſia Conſtantinopolitana. Aliæ namque Græcorum Eccleſiæ, teſte ipſorum Euchologio, ſacroſancto Domini Sanguine oblinunt *ſanctum panem ad modum crucis in parte molli, in qua eſt expreſſa crux*. Addit memoratus Michael agens de ritu Miſſæ præſentis: *Præſanctificatus panis in miſticum calicem injicitur, & ſic vinum, quod in eo eſt, in ſanctum Domini Sanguinem immutatur*. Conſonat Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis in Reſponſis ad Gabrielem Pentapolitanum: *Non invocatione Spiritus Sancti, & illius ſignaculo, quæ in calice ſunt, in Præſanctificatorum Miſſa ſanctificantur, ſed participatione & unione vivifici panis, qui verè Corpus Chriſti eſt, & jam*, juxta Theſſalonicenſis Eccleſiæ morem, *Sanguine tinctus*. Calicem igitur in hac Miſſa etiam Græci nequaquam conſecrant myſticis Jeſu Chriſti verbis, ſed immiſſo Dominico corpore volunt tranſubſtantiati. Addunt eam eſſe fidem & Romanæ Eccleſiæ, cujus olim Pontifex modicum ex conſecrato calice ſanguinis fundebat in grandem amphoram non conſecratam, atque ex illa populum communicabat. Et favet Græcorum Miſſale, in quo Præſanctificata communicaturus Sacerdos orat: *Dignos nos fac particeps fieri corporis & ſanguinis tui*. Undè & Miſſæ hæc numquam *Miſſa Præſanctificati*, ſed ſemper dicitur *Miſſa Præſanctificatorum*: Utique ob ſanctificatum in ipſa utrumque elementum.

Verùm reſpondeo hæc eſſe novella Schiſmaticorum commenta. Antiqui omnes Græci nobiſcum crediderе Eucharistica elementa ſine myſticis verbis non poſſe conſecrari. Quocircà non ab ipſis elementis hæc Miſſa vocatur Præſanctificatorum, ſed à rebus contentis, quod nempe ſub unica panis ſpecie ſit non ſolum Domini corpus, ſed & ſanguis. Atque ità adversùm Huſſitas ac Lutheranos lucet communionem ſub unica panis ſpecie ſuiſſe ſemper in uſu omnium Eccleſiarum. Porrò adductum Romanæ Eccleſiæ morem eſſe fictum oſtendit apud Gregorium nonum Epiſtola Innocentii tertii Pontificis ad Archi-Epiſcopum Lugdunenſem. *Si poſt calicis conſecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud* L.3.tit.41. c.6. *non tranſit in ſanguinem, nec ſanguini commiſcetur, ſed accidentibus prioris vini commixtum corpori, quod ſub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfuſum*.

CANON LIII.

QUoniam ſpiritalis neceſſitudo ſeu affinitas corporum conjunctione major eſt, in nonnullis autem locis cognovimus quoſdam, qui ex ſancto & ſalutari Baptiſmate infantes ſuſcipiunt, poſteà quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere: ſtatuimus ut in poſterum

ſterum nihil fiat ejuſmodi. Si qui autem poſt præſentem Canonem hoc facere deprehenſi fuerint, ii quidem primo ab hoc illicito matrimonio deſiſtant, deindè & fornicatorum pœnis ſubjiciantur.

CANON LIV.

CUm Divina Scriptura nos apertè doceat: *NON INGREDIERIS AD OMNEM CONSANGUINEAM CARNIS TUÆ AD REVELANDAM EJUS TURPITUDINEM*, Divinus Baſilius nonnullas prohibitas nuptias in ſuis Canonibus enumeravit, multis ſilentio præteritis, & his utriſque nobis utilitatem attulit. Turpium enim nominum multitudine evitata, ne verbis orationem pollueret, generalibus nominibus impuritates complexus eſt, per quas legibus vetitas nuptias nobis in ſumma oſtendit. Quoniam autem propter ejuſmodi ſilentium, & quod non diſcerni poſſet illicitarum nuptiarum prohibitio, ſeipſam natura confudit: Nobis viſum eſt ea paulò apertiùs exponere, ab hoc deinceps tempore decernentes, ut qui cum patrui ſui filia matrimonii ſocietatem coierit, ut pater & filius qui cum matre & filia, vel cum duabus puellis ſororibus pater, & filius vel cum duobus fratribus mater & filia, vel fratres duo cum duabus ſororibus, in ſeptennii Canonem incidant, iis procul dubio ſeparatis à nefario contubernio.

CANON LV.

QUoniam intelleximus in Romanorum civitatibus, in ſanctis Quadrageſimæ jejuniis, in ejus Sabbathis jejunare, præter Eccleſiaſticam traditam obſervationem: Sanctæ Synodo viſum eſt, ut in Romanorum quoque Eccleſia inconcuſsè vires habeat Canon qui dicit: *SI QUIS CLERICUS INVENTUS FUERIT IN SANCTO DIE DOMINICO VEL SABBATHO JEJUNARE, PRÆTER UNUM ET SOLUM, DEPONATUR; SIN AUTEM LAICUS, SEGREGETUR.*

SCHOLION.

APoſtolicus Canon, de cujus prævaricatione præſens noſter arguit Romanam Eccleſiam, eſt inter vulgares Apoſtolicos ſexageſimus quintus, quem eſſe veraciter Apoſtolicum quidam probare nituntur ex Epiſtola Sancti Ignatii Martyris ad Philippenſes: *Quicumque Dominicam aut Sabbathum jejunaverit, præter unum Sabbathum Paſchæ, ipſe eſt Chriſti interfector.* Quod ipſum dicunt Apoſtolicæ Conſtitutiones adſcriptæ Clementi Romano. Et Sanctus Gregorius Nyſſenus in oratione adversùm eos, qui ægrè ferunt reprehendi: *An neſcis, quod hi dies*, Dominicus & Sabbathum, *ſint fratres, & quod ſi alte-*

rum

rum probro adſeceris, alterum offendis? Et Anaſtaſius Nicænus: Collat. 21. *Sabbathum & dies Dominicus ſunt dies feſti & ſancti.* Et Joannes Caſſianus in Collationibus: *Uterque apud Orientales feſtivus eſt & ſolemnis.* Addit Socrates de ipſa Romana Eccleſia: L. 5. c. 21. *Qui ſunt Romæ, tres ſeptimanas ante Paſcha, Sabbatho & Dominico exceptis, ſimul jejunant.* Et de Africana Montaniſtarum Eccleſia agens Tertullianus in libro de jejuniis: Cap. 15. *Duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet Sabbathis & Dominicis, Deo offerimus, abſtinentes ab iis, quæ non rejicimus, ſed differimus.* Et agens tam de ſua, quàm de Catholica Latina Eccleſia. Cap. 14. *Cur ſtationibus quartam & ſextam Sabbathi dicamus, & jejuniis Paraſceven? Quamquam vos etiam Sabbathum, ſi quando continuatis, numquam niſi in Paſchate jejunandum, ſecundùm rationem alibi traditam?* Per *Paraſceven*, quidquid adversùs Jacobum Pamelium dicat doctiſſimus Aurelianenſium Antiſtes Gabriel Albaſpinæus, Tertullianus omninò intelligit Sabbathum, atque ità oſtendit vulgarem Apoſtolicum Canonem, de quo nobis lis tanta cum Græcis Schiſmaticis, fuiſſe tunc à Latina Eccleſia omninò obſervatum. Conſonat vetuſta Synodus Eliberina: Cap. 26. *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbathi die jejuniorum ſuperpoſitiones celebrentur.*

At verò his obſtat Reſcriptum Innocentii primi Pontificis ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. *Sabbatho jejunandum eſſe, ratio evidentiſſima demonſtrat. Nam ſi diem Dominicam ob venerabilem Reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti non ſolùm in Paſcha celebramus, verùm etiam per ſingulos circulos hebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus, ac ſexta feria propter Paſſionem Domini jejunamus, Sabbathum prætermittere non debemus, quod inter triſtitiam atque lætitiam temporis illius videtur incluſum. Nam utique conſtat Apoſtolos biduo illo & in mœrore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe ſe occuluiſſe.* Quomodò Domini mortem, ità hunc mœrorem ait non tantùm annuo, ſed omninò hebdomadario jejunio honorandum: Niſi velimus & Dominicæ Reſurrectionis lætitiam ad unum in anno diem contrahere.

Eo tempore exſtitit in urbe Romana neſcio quis garrulus Diſputator, affirmans Sabbathi jejunium, in eadem Eccleſia tunc conſuetum, eſſe Canonem Apoſtolicum, cunctoſque eum non ſervantes eſſe adhuc in carne, Deo placere non poſſe, eſſe ventricolas, Judæam Eccleſiæ præponentes, ancillæ filios, lege voluptuaria conſulentes ventri, diſciplinæ nolle ſuccumbere, ſapere mortem. Ejus occaſione non tantùm Decentius Eugubinus Epiſcopus Innocentium Pontificem, ſed & Caſulanus Presbyter Sanctum Auguſtinum, ac Licinius in Hiſpania Bætica fidelis laicus conſuluit Sanctum Hieronymum, Epiſt. 86. reſpondentem in hæc verba. *Ego illud breviter te admonendum puto traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ità obſervandas, ut à Majoribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem* Epiſt. 29. *aliorum more ſubverti. Atque utinam omni tempore jejunare poſſimus. Unaquæque Provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta Majorum Leges Apoſtolicas arbitretur.* Hoc ipſum Caſulano reſpondit Sanctus Auguſtinus, indigniſſimè ferens ab inſulſo illo Diſputatore urbico univerſam ferè, exceptis Romana & paucis Occidentalibus, ſub cœlo Eccleſiam peſſimis conviciis lacerari. Eo namque tempore *omnes Orientales & multi etiam Occidentales populi Sabbatho ſobriè modeſtèque prandebant.* Etiam intra ipſam Italiam Eccleſia Mediolanenſis. Et hinc laudatus Innocentius Pontifex, licet Sabbathi jejunium per omnes Eccleſias Metropoliticæ ſuæ poteſtati ſubjectas valere voluerit, omninò compeſcuit immodeſtum illum blateronem. Liquet ex Nicolai primi Pontificis querimonia de Photii Conſtantinopolitani intruſi adversùs Latinam Eccleſiam calumniis, ſcripta ad Epiſcopos Gallicanos: *De jejunio Sabbathi,* Epiſt. 70. *tempore Sancti Sylveſtri Confeſſoris Chriſti, ſatis diſcuſſum eſt & diſputatum, atque ut celebraretur per omnia definitum, nulluſque poſt hæc auſu temerario contra iſtud ſtatutum venire, aut ſaltem mutire præſumpſit.* Et Gregorius Protoſyncellus in Florentinæ Synodi Apologia adversùs Marcum Epheſinum. *Præcipiente Canone non eſſe jejunan-* F. 723. *dum Sabbatho, Socrates, qui fuit ante Synodum tertiam,* IN OCCIDUIS, *inquit,* PARTIBUS JEJUNANT DIEBUS SABBATHI: *Nec tamen qui illis fuere temporibus, crimini hoc dederunt, quod ſcirent varias jejuniorum & rituum mores non inferre differentiam fidei.* Longè minùs ſabbathina Græcorum prandia quis unquam Latinus culpavit. Nam & ille Diſputator urbicus potiſſimùm blaterat adversùm Latinas Eccleſias, reductas volens ad morem Romanæ, earum Patriarchalis. Quocircà ſtabiliendo ſuo ſchiſmati anſam iſtam primus adſumpſit Photius, ac poſtmodùm reſumpſit Nicetas Pectoratus, garriens nos eſſe Apoſtolici Canonis prævaricatores, ideòque ab Eccleſiæ corpore & Sanctorum communione penitùs alienos. Ità ſuadere tentavit nos Latinos, non ſeſe Græcos eſſe ſchiſmaticos. Pertinax odium tandem adeò excrevit, ut tractatus contra Græcos, repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores, ſcribat: *Omnis Latinus, qui in Regia urbe de fratribus Græcorum uxorem ducit, ſcripto ſpondet juramento, quod in Sabbatho non jejunabit, præter unum ſolum.*

Et hic naſcuntur quæſtiones. Prima eſt, An Sabbathi jejunium ſit reverà Canon Apoſtolicus? Partem negativam ex adductis ſuprà argumentis Græci, affirmativam ſecuti ſunt Diſputator ille urbicus, ac Joannes Caſſianus, quorum communis vox erat: *Petrus Apoſtolorum caput, conſtincto Simone, qui fuerat diaboli non niſi jejunio vincendi figura, idipſum Romanos docuit.* Addidit Diſputator hoc ipſum docuiſſe Jacobum Hieroſolymis, Epheſi Joannem, cæteroſque Apoſtolos aliis locis, ſed ab hac doctrina terras omnes deviaſſe, Romam ſolam in ipſa permanſiſſe.

Verùm ad primum reſpondet Sanctus Auguſtinus. *Eſt quidem hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant eſſe falſam plerique Romani, quod Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſam magnæ tentationis periculum, pridie cum ejuſdem urbis Eccleſia jejunaverit, & conſecuto tam proſpero glorioſoque ſucceſſu,*

eumdem morem tenuerit, cumque imitatæ ſint nonnullæ Occidentales Eccleſiæ. Reſpondet & ad ſecundum. *Interminabilis eſt iſta contentio, generans lites, non finiens quæſtiones*. Etenim ex adverſo dici poſſet *Occidentis aliqua loca, in quibus & Roma eſt, non ſervaſſe quod Apoſtoli tradiderunt; Orientis verò terras, undè cœpit Evangelium prædicari, in eo, quod ab omnibus ſimul cum ipſo Petro Apoſtolis traditum eſt, ne Sabbatho jejunetur, ſine aliqua varietate manſiſſe*. Iſtam contentionis ſerram reciprocare nolens Sanctus Hieronymus ſcribit ad Licinium: *Unaquæque Provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta Majorum Leges Apoſtolicas arbitretur*. Auguſtinus exponit & ſuam de hac quæſtione mentem. *Ego in Evangelicis & Apoſtolicis litteris video præceptum eſſe jejunium: Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non invenio definitum*.

Et hìnc liquet etiam græcum Canonem, ſabbathini jejunii prohibitivum, non eſſe Apoſtolicum. Laudatus Patrum Prædicatorum adversùs Græcos tractatus rectè dicit editum naſcente, ac præſertim proficiente Latino Sabbathi jejunio: Græcis enim placuit antiquus ſuus mos, ideòque illum Canone ſtabilierunt. Et quidem Canon iſte eſt inter triginta quinque poſteriores, quos Apoſtolicis vulgaribus primùm Juſtiniani Auguſti tempore adjecit Joannes tertius Epiſcopus Conſtantinopolitanus.

. Neque movet me adducta auctoritas Sancti Ignatii. Ejus namque ad Philippenſes Epiſtolæ neque in hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebius Cæſareenſis, neque in virorum illuſtrium catalogo Sanctus Hieronymus meminerunt, ideòque paſſim creditur adulterina, ficta, ſuppoſita. Eſt græcus quarti aut quinti ſæculi fœtus, quomodò & Apoſtolicæ Conſtitutiones. Socrates ſibi ipſi non cohæret, dicens in eodem ejuſdem libri capite: *Romæ ſingulis Sabbathis jejunant*. Forsàn velit illam ipſam ſuo tempore jejunantem Romam olim Sabbatho non jejunaſſe: Quod & veritati & illius iſtic ſcopo eſt omninò conſentaneum. Verè enim cum Synodo Eliberina aſſerit Tertullianus omnem ſuo tempore ſub cœlo Eccleſiam nullo, niſi ſolo Paſchali, Sabbatho jejunaſſe. Abſit tamen, ut aſſerat eſſe Canonem Apoſtolicum. Liquet ex libro de corona militis, Cap. 3. *Die Dominico jejunare nefas ducimus. Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus*. Enumerat iſtic varias antiquas, ab omni Eccleſia probatas conſuetudines, & de pranſalibus diebus agens omittit Sabbathum: Quod forsàn ex tunc in Africa aut Italia, quomodò poſtmodùm in Hiſpania, quidam inciperent de illo diſputare. Quidquid ſit, patet inter illius ac Dominicæ & Quinquageſimæ immunitatem fuiſſe diſtantiam.

Altera quæſtio eſt, quis in Romana Eccleſia primus inſtituerit Sabbathi jejunium? Reſpondeo Sanctum Pontificem Sylveſtrum. Ità disertè in laudata ſuperiùs ad Epiſcopos Gallicanos Epi-
Epiſt. 70. ſtola affirmat Nicolaus primus Pontifex, San-
L.6.Ep.39 ctus Petrus Damiani in litteris ad Eremitas ſuæ
Cap. 9. Congregationis, ac in vita Sancti Romualdi, nec non ſupradictus adversùm Græcos tractatus repertus apud Patres Prædicatores Conſtantinopolitanos. Quocircà in hiſce verbis libri Pontificalis de Innocentio primo Pontifice, *Conſtituit Sabbatho jejunium celebrari*, vox, *Conſtituit*, idem eſt quod, *Confirmavit*. Dudùm anteà per quoſdam Hiſpaniæ Epiſcopos tentata fuit, at per Synodum Eliberinam ſuppreſſa hæc pietas, evicta tandem per Sanctum Sylveſtrum.

Liber Pontificalis ex laudatis Innocentii ad Decentium litteris dat ejus cauſam. *Quia Sabbatho Dominus in ſepulchro poſitus eſt, & diſcipuli jejunarunt*. Eadem de cauſa Sabbathum Paſchale Græci jejunant, ac olim omnis etiam Eccleſia Latina, idque, uti in libro de jejuniis tradit Tertullianus, ex Domini ad Judæorum quæſtionem, *Quare ejus diſcipuli non jejunarent*, reſponſo: *Auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt*. Cap. 2. Hujus ergo ablationis, per ſepulturam factæ, & Apoſtolicæ triſtitiæ commemorationem non unico dumtaxàt per annum, ſed uno per omnem ſeptimanam die voluit Sylveſter celebrandam. Cauſam ulteriorem dat Innocentius in eiſdem litteris. *Quod ſi aliqui putant ſemel atque uno Sabbatho jejunandum, ergo & Dominica & ſexta feria ſemel erit in Paſcha celebranda. Si autem Dominicæ diei & ſextæ feriæ per ſingulas hebdomadas reparanda imago eſt, dementia eſt bidui agere conſuetudinem prætermiſſo Sabbatho, cùm non diſparem habeat cauſam, à ſexta videlicet feria, in qua Dominus paſſus eſt, quando & ad inferos fuit, ut tertia die reſurgens redderet lætitiam poſt biduanam triſtitiam præcedentem*. Sancti Sylveſtri decretum, in quo eadem ratio exprimitur, adducit jam dictus tractatus Conſtantinopolitanus.

Quomodò tamen Dominicam Paſchalem, & ſextam majorem feriam, ità Paſchale Sabbathum L.5.Ep.35 ſingulari ſemper reverentia obſervavit Eccleſia Romana. *Pluſquam cætera Sabbatha*, inquit Sanctus Petrus Damiani, *ſub abſtinentiæ rigore neceſſe eſt ipſum obſervari*. Agit adversùm quaſdam Eccleſias, *pro labore de longinquo ad Baptiſmi lavacra concurrentium, vel diverſorum debilitate fragilium eo die indulgentiùs viventes*; ſuadens corrigi, & donec corrigantur, à ſpiritalibus pacificè tolerari. Et hìnc eos, qui Sabbatho ſancto uſque ad noctis initium non jejunabant, à Paſchali communione ſuſpendit in ſuo Capitulari Herardus Archi-Epiſcopus Turonenſis. Cap. 33. Aliis namque jejunii diebus licebat hora nona manducare. Quod ipſum ſtatuit Urbani ſecundi Synodus Claromontana. Etiam parvulos tunc jejunare conſuetos ſcribit in libris Dialogorum Gregorius Magnus. L.3.c.39. Nequaquam Herardus mandat exſpectari ſtellam, quod ut morem Judaicum damnat Sanctus Hieronymus in libris adversùs Jovinianum. L.2.c.4. Exponit in libro de jejuniis Tertullianus, ajens de Gentilibus jejunantibus: *Fidem abſtinentiæ adſectant, & ſtellæ auctoritatem demorantis ſuſpirant*. Cap. 16. Igitur ad noctem uſque jejunare eſt omninò ſanctum; at verò inanimæ ſtellæ auctoritatem ac licentiam præſtolari eſt profanum, Judaicum, Paganum. In quibuſdam Belgii civitatibus etiamnùm viget iſta eradicanda ſuperſtitio.

An-

Antiqua Eccleſiæ diſciplina fuit longè ſanctior. Ex ea enim Sanctum Dionyſium, Alexandrinum Epiſcopum, ſuum Patriarcham, ioterrogavit olim Baſilides Ægypti Epiſcopus, *Qua hora die Paſchæ ſolvendum ſit jejunium? Ajens aliquos fratres dicere, quod oporteat hoc in galli cantu facere; alios verò, quod veſperè id faciendum ſit. Qui enim Romæ ſunt fratres, gallum exſpectant. De iis autem, qui hic ſunt, dixit quod citiùs.* Ante Dominicæ Reſurrectionis, quam omninò conſtat factam de nocte, punctum non ſolvendum iſtud jejunium, antiquis Chriſtianis erat certum & fixum; at quia punctum iſtud ſemper latuit, erat locus diverſæ conſuetudinj & quæſtioni. Reſpondit verò laudatus Dionyſius. *Eos, qui nimiùm feſtinant, & paulò ante mediam noctem jejunium frangunt, ut negligentes ac intemperantes reprehendimus; eos autem, qui differunt, & plurimum perferunt, & ad quartam uſque vigiliam fortiter abſtinent, ut generoſos ac laborum tolerantes ſuſcipimus.* Quidam cunctos, quidam quinque aut quatnor, quidam pauciores majoris hebdomadæ dies ſine omni cibo tranſigebant: Horum omnium ait non eſſe parem condicionem.

Porrò rationem, ex qua etiamnum Græci & omnes olim Latini nolint ac noluerint jejunare omne Sabbathum, edicit Sanctus Auguſtinus in litteris ad Caſulanum Preshyterum. *Ad ſignificandam requiem* ſempiternæ beatitudinis, *quæ illo die* per Domini Dei ah omni opere ſuo requiem & ceſſationem *ſignificata eſt, Chriſtiana ſobrietate & frugalitate ſervata, jejunii vinculum relaxamus.* Urerque mos eſt omninò bonus & ſanctus. Eccleſia enim diverſis ſub uno dogmate ritibus ornata eſt regina circumamicta varietatibus, ideòque meritò clamat aſſiduè pacificus Auguſtinus: *Nequaquam de Regiæ veſtis varietate litigandum, ut ipſius Reginæ, ubi unam fidem etiam de ipſa requie retinemus, interiora membra venemus.* Hoc eſt, ut manducana non manducantem non ſpernat, & non manducans manducantem non judicet, ſed inoffenſam fraternitatis ſocietatem ſervemus. Quia verò tunc *ſola cum quibuſdam paucis*, ſive illi proximis ſive longinquis, Romana Sabbatho jejunabat Eccleſia, Sancto Auguſtino magis placuit mos antiquus: *Sentio*, inquit, *ad ſignificandam requiem ſempiternam, ubi eſt verum Sabbathum, relaxationem, quam conſtrictionem jejunii aptiùs convenire.* Verùm Romana Eccleſia ſemper vincit: Eam tandem ſecuta eſt omnis Hiſpania, omniſque noſtra Eccefia Gallicana, uti patet ex Synodo Agathenſi, quarta Aurelianenſi, & Capitulari Sancti Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis, mandantibus in Quadrageſima etiam Sahbatha jejnnari, ſoliſque Dominicis diebus laxari jejunium. An omnis Gallia toto anno Sabbathi jejunium receperit, nolim adfirmare. Poſterioribus Eccleſiæ ſæculis ipſum introduxerunt Sanctus Petrus Damiani, Gregorius ſeptimus Pontifex, & Urbanus ſecundus: At potiùs in Deiparæ Virginis, quam in Dominicæ ſepulturæ ac Apoſtolicæ triſtitiæ honorem. Ex eorum præſcripro etiamnùm hodie per omne Sabbathum à carnibus ahſtinet Eccleſia Latina.

C. 12.
C. 2.
C. 17.

Tertia quæſtio eſt, An Quadrageſimæ Dominicis diebus Græci antiqui etiam carnes manducarint? Pro parte adfirmativa facit in Florentini Concilii hiſtoria Sylveſter Sguropulus, Latinis errotihus adnumerans, *quod dicamus non licere, durante Quadrageſima, bis in ſeptimana carnibus veſci.* L. 15. c. 7. Et antiquus Græcorum Canon, adductus à Tractatu Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum: *Si quis carnes & caules in die Dominico*, etiam per Quadrageſimam, *non comederit, Clericus deponatur, laicus excommunicetur.* Addit Tractatus omnia apud iſtos Sabbatha, excepto uno, eſſe celeberrima, epuliſque, halneis, & ludicris celebrari. Pro parte autem negativa facit auctoritas Theophili Patriarchæ Alexandrini, reſcribentis Dominicæ Epiphaniæ Vigiliam, in die Dominica occurrentem, non quidem jejunandam, honorandam tamen ahſtinentia carnium, & ſolis dactylis tunc victitandum. Et quod olim Armenii in Annunciationis feſto non niſi, idque ex ſpeciali Romanæ Eccleſiæ imitatione, oleum & piſces comederint, apud Clementem Galanum teſtatur in litteris ad Haytonem Regem Patriarcha Gregorius Siſenſis. Quod eadem in Quadrageſimæ Dominicis & Sabbathis F. 450. comederent, eos graviter arguit Nicephorus Calixtus. Quare meritò Patrum ille Prædicato- L. 18. c. 53. rum Tractatus adductum Græcorum Canonem ait eſſe novellum commentum ſchiſmaticorum. Eſt Nicephoro Calixto omninò poſterior.

Quarta quæſtio eſt, Ex qua cauſa & tempore fuerit tam à Latinis quàm à Græcis damnatum Dominicæ jejunium? Reſpondeo primò, damnationem illam in utraque Eccleſia fuiſſe rigidiſſimam. *Die Dominico jejunare*, inquit ad Caſulanum Sanctus Auguſtinus, *ſcandalum eſt magnum, niſi fortè aliquis idoneus ſit nulla refectione interpoſita ultra hebdomadam perpetuare jejunium, ut jejunio quadraginta dierum, quantùm potuerit, appropinquet, ſicut aliquos feciſſe cognovimus. Nam & ad ipſum quadragenarium numerum perveniſſe quemdam, à fratribus fide digniſſimis nobis adſeveratum eſt. Quemadmodùm enim veterum Patrum temporibus Moyſes & Elias nihil contra prandia Sabbathorum fecerunt, cùm diebus quadraginta jejunarunt; ità qui potuerit ſeptem dies jejunando tranſire, non ſibi ad jejunandum eligit Dominicum diem, ſed in iis eum invenit, quos jejunaturum ſe plurimos vovit.* Ejuſmodi auctoritates habemus plures & Canonum & Patrum. Nam & Euſtatium Sebaſtenum Epiſcopum, primæ Armeniæ Metropolitam, quod die Dominica, licèt non ſuperſtitionis, ſed exercitationis cauſa jejunandum doceret, damnavit Synodus Gangrenſis. Et Cap. 18. Theophilus Patriarcha Alexandrinus etiam Dominicæ Epiphaniæ Vigiliam, io Dominica die occurrentem, reſcripſit nullatenùs jejunandam. Ex eadem regula nos Latini omnem Vigiliam, aut certè ejus jejunium transferimus in Sabbathum præcedens.

Reſpoodeo ſecundò, damnationem hanc non eſſe Canonem Apoſtolicum. Etenim Apoſtolum Paulum, & plurimos cum illo fideles *in diebus Pentecoſtes, & in die Dominico jejunaſſe*, ex Actis Apoſtolicis advertit in Epiſtola ad Licinium Sanctus Hieronymus. Et exindè Priſcillianiſtas ad •18

die

die Dominico jejunandum ſolitos teſtimonium aſſumere ſcribit ad Caſulanum Sanctus Auguſtinus. Aſt illos meritò damnarunt Synodus Cæſar-Auguſtana, quarta Carthaginenſis, & Sanctus Leo Pontifex in Epiſtola ad Thuribium Epiſcopum Aſturicenſem. Cauſam dat in laudatis (Epiſt. 93.) litteris Sanctus Auguſtinus. *Non ſolenniter die Dominico jejunabant cum Apoſtolo fideles, ſed neceſſarius ſermo, qui ſtudii ferventiſſimi audiebatur ardore, reficiendi corporis cauſa interrumpendus eſſe non viſus eſt profecturo Apoſtolo, qui eos propter alios ſuos undequaque diſcurſus vel numquam vel rariſſimè viſitabat, præſertim quia tunc ex illis terris, ſicut conſequentia docent, ſic diſceſſurus erat, ut jam non eſſet eos in carne viſurus. Ac per hoc magis oſtenditur Dominicis diebus ſoluta non fuiſſe jejunia; quia ne hoc crederetur, curavit ſcriptor libri cauſam producendi ſermonis exponere, ut ſciremus, ſi aliqua neceſſitas oriatur, urgentiori actioni non eſſe prandium præferendum. Sed tunc quamvis Dominico die ſolita illis jejunia non fuiſſent, non erat tamen Eccleſiæ tam inſignis offenſio, ſi aliqua tali neceſſitate, qualem Apoſtolus Paulus habuit, die toto Dominico uſque ad medium noctis, vel etiam uſque ad diluculum reficere corpora non curarent.* Palàm dicit & tunc die Dominico fuiſſe non jejunandi morem, ſed neque Canonem jejunii prohibitivum. Legendum eſt caput decimum octavum Actuum Apoſtolicorum.

Pergit Sanctus Auguſtinus. *Nunc verò poſteaquam hæretici, maximè impiiſſimi Manichæi, jejunia diei Dominici non aliqua neceſſitate occurrente, ſed quaſi ſacra ſolennitate ſtatuta dogmatizare cœperunt, & innotuerunt populis Chriſtianis, profectò nec tali neceſſitate, qualem Apoſtolus habuit, exiſtimo faciendum eſſe quod fecit, ne majus malum incurratur in ſcandalo, quam bonum percipiatur ex verbo.* Dominicæ diei jejunium nullo penitùs caſu licere exiſtimat, niſi dum plures dies, quam ſeptem, ex Dei amore jejunantur. Ejuſdem ſententiæ in Epiſtola ad Licinium fuit Sanctus Hieronymus, dicens Apoſtolum & cum illo jejunantes die Dominico fideles non eſſe Manichææ hæreſeos accuſandos: Affirmat jejunium iſtud ex Manichæorum occaſione ab Eccleſia damnatum. Et Sanctus Ambroſius in litteris ad Æmiliæ Epiſcopos, exponentibus rationem Paſchalis celebritatis. *Dominica jejunare non poſſumus, quia Manichæos etiam ob iſtius diei jejunia jure damnamus. Hoc eſt enim in Reſurrectionem Chriſti non credere.* Et Sanctus Leo Pontifex in ſermone (Cap. 5.) quarto de Quadrageſima. *Manichæi luminaribus cœli ſtultam abſtinentiam devoventes, in honorem ſolis & lunæ die Dominica & feria ſecunda jejunant: Uno opere bis impii, bis profani, qui jejunium ſuum & ad ſiderum cultum, & ad Reſurrectionis Chriſti inſtituere contemptum.* Chriſto Domino negant veram carnem, veram è Virgine nativitatem, paſſionem, mortem, Reſurrectionem, ac in die dominico nullam eſſe aſſerunt lætitiæ cauſam. Eadem ſentiunt Priſcillianiſtæ. Hìnc omnem die Dominico jejunantem Eccleſia habuit priùs de Manichæo, poſteà de Priſcilliano ſuſpectum, & quaſi convictum. Hìnc jejunium illud eſſe magnum ſcandalum dicit Sanctus Auguſtinus.

Rectè addit: *Poſteaquam hæretici, maximè impiiſſimi Manichæi, &c.* Quoniam Manichæi nequaquam ſunt prima occaſio iſtius damnationis. Etenim in ſermone ſecundo de Pentecoſte ſcribit Sanctus Leo Magnus. (Cap. 6.) *Manichæus magiſter falſitatis diabolicæ eo tempore damnandus innotuit, quo poſt Reſurrectionem Domini ducenteſimus & ſexageſimus annus impletus eſt, Probo Imperatore, Paulinoque Conſule, cùm octava jam in Chriſtianos perſecutio ebulliret.* At verò longè ſenior Tertullianus ſcribit in libro de corona militis: *Die Dominico jejunium nefas ducimus.* Eſſe dicit vetuſtiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem, haud dubiè ob Dominicæ Reſurrectionis honorem inductam à proximis Apoſtolorum ſucceſſoribus, variiſque poſtmodùm Canonibus confirmatam, dum duplicis Divinitatis varii fabulones eamdem Reſurrectionem cœperunt errore vario, ac blaſphemo præſertim jejunio inhonorare.

CANON LVI.

Similiter accepimus & in Armeniorum regione & in aliis locis, in Sabbathis & Dominicis ſanctæ Quadrageſimæ quoſdam ova & caſeum comedere. Viſum eſt ergò & hoc, ut omnis Dei Eccleſia, quæ eſt in univerſo terrarum orbe, unum ordinem ſequens, jejunium perficiat, & abſtineat ſicut ab omni mactabili, ſic ab ovis & caſeo, quæ quidem ſunt fructus & fætus eorum à quibus abſtinemus. Si autem hoc non ſervaverint, ſi ſint quidem Clerici, deponantur; ſin autem laici ſegregentur.

SCHO,

Digitized by Google

Scholion.

L.18.c.51. EUmdem uſum in Armeniis damnat Nicephorus Calixtus. Ejus cauſam apud Clementem Galanum in litteris ad Haytonem Regem edieit Patriarcha Gregorius Sitienſis. *Nos à ſancta Romana Eccleſia ritus varios acceptos habemus, tametſi non item piſces & oleum in Quadrageſima comedimus, excepto Annunciationis feſto.* A Romana Eccleſia acceperunt & Sabbathi jejunium, ſervaruntque uſque ad Joannem Oznienſem, peſſimum Patriarcham, de quo antiqua eorum hiſtoria: *Patriarcha iſte decrevit in Quadrageſimæ Sabbathis jejunium eſſe frangendum, quemadmodùm in Dominicis.* Et infrà. *Præterea ſtatuit piſces, oleum, & vinum eſſe in eodem ordine computanda tempore jejunii cum lacte, caſeo, & ovis.* Et Sanctus monachus Nicon io opuſculo de peſſimorum Armeniorum peſſima religione. *Comedant & in Sabbathis & in Dominicis ſanctæ Quadrageſimæ ova, caſeum, & butyrum: Et in primis eorum univerſalis Epiſcopus. Et eſt apud eos Canon, qui dicit:* SI QUIS BUTYRUM, CASEUM, ET OVUM VINO ET OLEO NON ÆQUIVALERE EXISTIMET, ANATHEMA SIT. Variarum Eccleſiarum varia olim per Quadrageſimam fuit abſtinentia. Oleo & piſcibus uſa ſemper eſt Romana Eccleſia, eamque indulgentiam à Sancto Gregorio Magno Pontifice quoad Dominicas & Annunciatioois feſtum mutuata eſt, reliquis diebus Xerophaga, Eccleſia Armeniorum, tandemque jam dictus Joannes Patriarcha addidit etiam vinum, lacticinia, & ova. Eiſdem, neſcio quo auctore, aut qua occaſione, uti poſtmodùm cœperunt etiam quædam Eccleſiæ Latinæ, atque ità ex hocce Canone improperavit oobis Photius ſchiſmatis auctor: *Quod ſeptem ante Paſcha hebdomadibus à caſei & ovorum eſu, more ſuo, non ceſſemus.* Reſpondit verò Pontifex Nicolaus primus. *Calumnia eſt: Cùm in Italia numquam in uſu fuerit. Trans montes tamen id ex magna cauſa alicubi apparet eſſe conceſſam.* Eam varietatem ad ſolas Reginæ veſtes ſpectare, & fidei unitati nihil officere, jam pridem reſponderunt Socrates, & in Floreotini Cooeilii Apologia Gregorius Protoſyncellus. L.5. c.21. Hie ioterim Canon docet antiquos Græcos in Quadrageſimæ Dominicis & Sabbathis, licèt non jejunarent, omoiod à caroibus abſtinuiſſe.

CANON LVII.

QUod ad altare mel & lac offerre non oportet.

Scholion.

EJuſmodi decretum ſub Julii primi Pontificis oomine adducit etiam Gratianus: *Audimus quoſdam ſchiſmatica ambitione detentos, contra Divinos Canones & Apoſtolicas conſtitutiones, lac pro vino in Divinis ſacrificiis dedicare.* Rigidiſſimè abuſum iſtum exſtirpat. Eſt Canon primus tertiæ Synodi Braccarenſis: An etiam ſit Julii Pontificis, non poſſim adfirmare. Conſooat vulgaris Canon Apoſtolicus. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia, aut legumina, contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Suprà à primæ Synodi Conſtantinopolitanæ Canone ſeptimo audivimus Galatiam tunc abundaſſe Erronum monſtris: Eorum unum erant Artotyritæ, de quibus in Hæreticorum catalogo Sanctus Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis: *Panem & caſeum offerunt, non illud, quod Eccleſia Catholica celebrat offerendo.* Adversùm illos emaoaſſe credo vulgarem noſtrum Canonem Apoſtolicum.

Abuſus à præſenti Canone damnati radicem aperit antiquus Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ. Cap. 37. *Ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ verò, ſeu lac & mel, quod uno die ſolenniſſimo in infantium myſterio ſolet offerri, quamvis in altari offerantur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici corporis & ſanguinis diſtinguantur. Nec ampliùs de primitiis offeratur, quam de uvis & frumentis.* Utique ſuper altare, juxta vulgarem Canonem Apoſtolicum. Cap. 34. *Offerre non liceat aliquid ad altare præter novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt, incenſum tempore, quo ſancta celebratur oblatio.* Novas ſpicas, uvas, oleum, ac thymiama in ipſo altari offerri permittit, adeòque & benedici, quod nempe ex ſpicis & uvis fiant panis ac vinum, proprium noſtri ſacrificii elementum, oleum autem & thymiama ſint propria ſacrificii atque altaris ornamenta.

Canoo Carthaginenſis id permittit ſoli lacti & melli, in uno ſolenniſſimo Paſchalis feſtivitatis die dari conſueto Neophytis de ſancto Chriſtianitatis fonte io Suſceptorum ſuorum manus egredieotibus, quos per omnem laudati feſti

octa-

octavam antiquitas vocavit infantes. De illis
etiamnum cantamus in die octava: *Quaſi modò*
geniti infantes. Eſt ritus longè antiquiſſimus,
Cap. 3. de quo Tertullianus in libro de corona militis:
Indè, ex ſacro fonte, ſuſcepti, lactis & mellis
concordiam deguſtamus. Ejuſdem ritus, tamquam
antiquiſſimi, meminit in libris contra Marcio-
L. 1. c. 14. nem, dicens quod illo *Chriſtus ſuos infantet*. Et
Cap. 4. Sanctus Hieronymus in libro contra Luciferia-
nos: *Multa, quæ per traditionem obſervantur in*
Eccleſiis, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpave-
runt, velut de ſancto fonte egreſſos lactis & mellis
prægustare concordiam, ad infantiæ ſignificationem.
Cap. 55. Et in commentariis Eſajæ Prophetæ: *Mos in Oc-*
cidentis Eccleſiis hodie uſque ſervatur, ut renatis in
Chriſto vinum lacque tribuatur. De hoc lacte ſcri-
bi ait à Sancto Paulo Apoſtolo: *Lac vobis potum*
dedi. Et à Sancto Petro Apoſtolo: *Quaſi modo*
geniti infantes lac concupiſcite. Eumdem ritum
laudant Origenes, Clemens Alexandrinus,
Acta Sanctæ Suſannæ Virginis & Martyris apud
Laurentium Surium, vita Sancti Pachomii Ab-
batis apud Joannem Bolandum, Rituale Eccle-
ſiæ Æthiopicæ, Ordo Romanus, ac in paſſione
ſua ad tyrannum de ſuo ſponſo Jeſu Chriſto lo-
quens Sancta Agnes. *Lac & mel ex ejus ore ſu-*
ſcepi. Habuit ritus duas rationes. Prima fuit ad
infantiæ, qua ſuos Chriſtus infantat, ſignifica-
tionem, id eſt, ad ſignificandum nos ex invete-
ratis dierum malorum peccatoribus per ſacroſan-
ctum Jeſu Chriſti Baptiſma ac perceptam iſtic ple-
niſſimam omnium peccatorum remiſſionem, eſſe
tranſmutatos in Infantes innocentiſſimos unius
diei. Altera per Clementem Alexandrinum &
Ordinem Romanum laudata ſignificatio oſtendit
nos eodem Baptiſmate perveniſſe in terram fluen-
tem lac & mel: In ſanctam, catholicam, &
Apoſtolicam Jeſu Chriſti Eccleſiam, veram ter-
ram promiſſionis. Nec ſine cauſa Tertullianus
ac Sanctus Hieronymus ajunt fuiſſe lactis ac mel-
lis concordiam ſeu ſocietatem. Exponit in pri-
Cap. 6. mo libro Pædagogi Clemens Alexandrinus: *Lac*
melle miſcetur. Ea conjungi conſueta palàm dicit
Ordo Romanus. Habet & hunc titulum: *Bene-*
dictio lactis & mellis. Et varias preces, quibus
conjunctim benedicebantur. Addit laudatus Cle-
mens: *Miſcetur quoque lac vino dulci*. Quem mo-
rem viguiſſe in omnibus Occidentalibus Eccleſiis
jam ſtatim audivimus à Sancto Hieronymo. Por-
rò Ægyptiaca Eccleſia, utpotè docta à Sancto
Marco Petri Apoſtoli diſcipulo, plurimos ha-
buit ritus Romanos. Eumque morem apud nos
Belgas in Eccleſia Dordracenſi uſque ad Calvini-
ſtarum graſſationem viguiſſe teſtatur civis Dor-
dracenſis admodùm illuſtris, in quarto libro Pa-
npliæ Evangelicæ Guilielmus Lindanus, Epi-
ſcopus Ruremundenſis. An aliæ etiam Græco-
rum Eccleſiæ ſint uſæ mixtura dulcis vini, non
poſſim adfirmare.

Hoc itaque mel & lac in die Paſchali conſue-
vit ad ipſum altare intra ſacrificium cum pane &
vino offerri, in ipſo altari benedici, atque hinc
imperiti quidam Epiſcopi ac Presbyteri cœperunt
ipſam Euchariſticam conſecrationem illis impar-
tiri. Et hunc errorem peſſimum proſcribit Ca-
non Carthaginenſis. Eodem jure præſentis Sy-
nodi Canon vigeſimus octavus damnat eos, qui
& vinum & uvam eadem benedictione ſanctifica-
bant, & populo tamquam duplicem ſacrati cali-
cis ſpeciem impartiebant, mandans ſeorſim be-
nedici, tamquam primitias, non tamquam Eu-
chariſtiam. Et rectè. Habet enim tertiæ Bracca-
renſis Synodi Canon primus, à Gratiano ſupple-
tus, & Julio Pontifici adſcriptus. *Quod de ex-*
preſſo botro, id eſt, uvarum granis populus commu-
nicatur, valdè eſt omninò confuſum. Sed ſi neceſſe
ſit, botrus in calice comprimatur, & aqua miſcea-
tur. Botro igitur recentèr expreſſum muſtum
conſecrari poteſt validè, & ob ſolam vini ino-
piam licitè; botrus autem integer eſt conſecra-
tionis omninò incapax, quod necdum ſit vi-
num, & illi aqua non poſſit admiſceri. Attamen
vigeſimus ille octavus Canon permittit eum be-
nedici in ipſo altari.

De elementis in ipſo altari ſanctificandis me-
minit etiam Sanctus Cyprianus in Epiſtola ad Epiſt. 70.
Januarium Numidiæ Primatem & ejus Collegas
provinciales: *Euchariſtia, & undè baptizati un-*
guntur, oleum in altari ſanctificatur. At verò de
Sancto Marcello, Apameenſi in ſecunda Syria L. 5. c. 21.
Epiſcopo Metropolitano, ſcribit in hiſtoria Ec-
cleſiaſtica Theodoretus, quod aquam adversùs
dæmonum maleficia benedicendam, non in,
ſed ſub, ſeu juxta ſacroſanctum altare in vaſe
collocaret. Et vulgaris Canon Apoſtolicus mel,
lac, animalia, legumina ad altare offerri ve-
tans, vetat eorum non tantùm Euchariſticam
conſecrationem, ſed & ſolam ſimplicem bene-
dictionem. Nullus ſanè, exceptis Galatiæ mon-
ſtris, Erro legitur ejuſmodi elementorum Eu-
chariſticam conſecrationem deliraſſe. Et iſtud
de lacte & melle confirmat præſens Canon, Car-
thaginenſem, ab omni Latina Eccleſia rece-
ptum, volens, quaſi ab Apoſtolico devium,
correctum.

C A.

CANON LVIII.

NEmo eorum, qui ſunt in ordine laicorum, divina ſibi myſteria impertiat præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono. Qui autem tale quid auſus fuerit, ut præterea quæ ſunt conſtituta faciens, una ſeptimana ſegregetur, & ex eo doceatur non amplius ſapere, quam ſapere oportet.

Scholion.

CAnon agit de publica Euchariſtiæ intra Eccleſiam adminiſtratione, majoremque de L. 2. c. 45. ipſa abuſum refert ſexta ſynodus Pariſienſis. *In quibuſdam provinciis contra legem Divinam, canonicamque inſtitutionem fœminæ ſanctis Altaribus ultrò ſe ingerunt, ſacrata vaſa impudenter contingunt, & quod his majus, indecentius, ineptiuſque eſt, corpus & ſanguinem Domini populis porrigunt, & alia quæque, quæ ipſo dictu ſunt turpia, exercent*. Relictus fuit abuſus ex communione domeſtica, in qua quiſque laicus, etiam fœmina, ſibi ipſi Euchariſtiam dabat. Hinc quidam idem ipſum in Eccleſia præſumpſerunt. Contra legem Divinam, & perpetuam omnium ſub cœlo Eccleſiarum praxim, de qua Tertullianus in libro Cap. 3. de corona militis: *Euchariſtiæ Sacramentum non de aliorum manu, quam Præſidentium*, qui ſunt ſoli Epiſcopi, Presbyteri, ac Diaconi, in publico Eccleſiæ conventu *ſumimus*. Aliter nonnihil Juſtinus Martyr in ſecunda pro Chriſtianis Apologia. *Poſteaquam & is, qui præeſt, gratias egit, & populus omnis benedixit, ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adſunt, percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, & ad eos, qui abſunt, perferunt*. Apud Romanam & alias quaſdam Eccleſias portari ad abſentes conſueviſſe etiam per Acolythos, liquet ex paſſione Sancti Tharſitii, Romani Acolythi, de quo Romanum Martyrologium. *Quem Pagani cùm* Aug. 15. *invenissent corporis Chriſti Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere quid gereret: At ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tam diu ab illis mactatus eſt fuſtibus & lapidibus, donec exhalaret ſpiritum. Et revoluto ejus corpore ſacrilegi diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti in manibus aut veſtibus invenerunt*. Quod neſcio quis Presbyter Alexandrinus *exiguam quamdam Euchariſtiæ partem* laico puero dederit deportandam ad infirmum Serapionem, apud Euſebium Cæſareenſem teſta- L. 6. c. 36. tur in litteris ad Fabium Antiochenum Sanctus Dionyſius Patriarcha Alexandrinus. Quocircà conficiendæ ſolus Sacerdos, id eſt, Epiſcopus & Presbyter, publicè adminiſtrandæ Euchariſtiæ miniſter eſt etiam Diaconus. Et quidem in Juſtini Martyris Eccleſia, uti Calicem, ità & ſanctum Panem Diaconus ſolenniter miniſtrabat. Aliter Synodus Laodicenſis: *Non oportet Miniſtros* C. 25. *Panem dare, vel Calicem benedicere*. Et ſecunda C. 15. Arelatenſis: *Diaconus corpus Chriſti, præſente Presbytero, tradere non præſumat*. Et quarta Carthaginenſis: *Diaconus, præſente Presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas* Cap. 38. *cogat, juſſus eroget*. Et in Decretalibus ad Lucaniæ Epiſcopos litteris Sanctus Pontifex Gela- Epiſt. 9. ſius: *Sacri corporis prærogationem ſub conſpectu Pontificis ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus, Diaconi jus non habeant exercendi*. Et apud Sanctum Ambroſium in officiorum libris Sanctus Laurentius Romanæ Eccleſiæ Archi-Diaconus ad Ponti- L. 1. c. 41. ficem Xixtum ſecundum: *Experire, utrùm miniſtrum idoneum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem*. Et Sanctus Leo Magnus in ſermone de Sancto Vincentio, Archi-Diacono Cap. 2. Eccleſiæ Cæſar-Auguſtanæ: *Chriſti Calicem credentibus miniſtrabat in ſalutem*. Et in ſermone de lapſis Sanctus Cyprianus: *Calicem Diaconus præſentibus offerre cœpit*. Diaconus itaque Calicem etiam Epiſcopo aut Presbytero præſente, Panem non niſi illis abſentibus, aut ſanè ab illis præſentibus juſſus, publicè miniſtrabat. Quare rectè apud Rogerum Hovedenſem ſtatuit in Synodo Eboracenſi Richardus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, ut non niſi ſumma & gravi urgente neceſſitate, *Diaconus corpus Chriſti umquam eroget: Quoniam illud ſoli ſacerdotali Ordini convenire de-* F. 455. *crevit antiquitas*. Addit de ſolenni Euchariſtiæ delatione: *Sacerdos in propria perſona Hoſtiam infirmis deferat*. Et Capitulare Odonis Epiſcopi Pariſienſis: *Non permittant Presbyteri Diaconos (communicatur Epiſcopus eis, qui hoc non ſervant) deferre infirmis ſacroſanctum corpus Domini, niſi in neceſſitate, cùm Sacerdos abſens fuerit, ſed ſemper Sacerdos deferat*. Et Leonis quarti Pontificis Homilia ad Presbyteros Curatos: *Infirmos propria manu communicate, & nullus præſumat communionem laico vel fœminæ tradere ad deferendum infirmis*. Jam pridem enim publicam delationem eſſe publicam adminiſtrationem Eccleſia judicavit.

CANON LIX.

IN Æde oratoria, quæ eſt intra domum, Baptiſmus nequaquam peragatur, ſed qui illuminatione ab omnibus ſordibus aliena digni habendi ſunt, ad Catholicas Eccleſias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Si quis autem, quæ à nobis conſtituta ſunt, non ſervare convictus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi autem laicus, ſegregetur.

CANON LX.

CUm clamet Apoſtolus, quod qui domino adhæret, unus eſt ſpiritus, clarum eſt quod qui etiam cum contrario init familiaritatem ac conſuetudinem, cum illo conjunctione unum fit. Eos ergo, qui ſe à dæmone correptos eſſe ſimulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum ſimulatè præ ſe ferunt, viſum eſt omni modo puniri, & ejuſmodi afflictionibus, laboribuſque eos ſubjici oportere, quibus iis, qui verè à dæmone correpti ſunt, ut à dæmonis operatione liberentur, jure ſubjiciuntur.

Scholion.

EPiſcopatum, Presbyteratum, ac Diaconatum, tamquam onus Angelicis humeris importabile, olim fideles per artes varias fugiebant, etiam per propriorum membrorum truncationem, & falſam ſui ipſius accuſationem atque confeſſionem eorum criminum, de quibus ad Timotheum ſcripſit Apoſtolus: *Oportet Epiſcopum, Presbyterum, ac Diaconum ſine crimine eſſe*. Res indigna, & crimen verum. Etenim Divina Lex, *Non dices falſum teſtimonium*, ligat quidem in proximum, ſed longè ſtrictiùs in ſemetipſum, quoniam proximi diligendi modum in ſemetipſo unuſquiſque accepit. Videnda elegans Sancti Hieronymi Epiſtola de muliere ſepties icta. Adversùs iſtam deteſtabilem humilitatem rectè ſtatuit prima Synodus Valentina Galliæ. *Quicumque ſe ſub ordinatione vel Diaçonatus, vel Presbyteratus, vel Epiſcopatus, mortali crimine dixerint eſſe pollutos, à ſupradictis Ordinationibus cenſuimus ſubmovendos, reos ſcilicet vel veri confeſſione, vel mendacio falſitatis. Neque enim abſolvi in his poteſt, quod dictum in alios puniretur, cùm omnis, qui fuerit ſibi mortis cauſa, major homicida ſit*. Hunc Canonem ad eos, qui ſeſe energumenos mentiuntur, noſter præſens extendit.

CANON

CANON LXI.

Qui vatibus ſeipſos tradiderunt, vel iis, qui hecatontarchæ ſeu centuriones dicuntur, vel aliis ejuſmodi, ut ab illis diſcant, ſi quid ſibi revelari velint, convenienter iis, quæ de ipſis à Patribus conſtituta ſunt, ſexennii Canoni ſubjiciuntur. Et ipſi autem eos quoque ſubjici oportet, qui urſas, vel ejuſmodi animalia ad ludum & ſimpliciorum noxam circumferunt, & fortunam ac fatum, & genealogiam, & quorumdam ejuſmodi verborum multitudinem, ex fallaciæ impoſturæque nugis proferunt: Eoſque, qui nubium perſecutores & incantatores, & amuletorum præbitores, & vates appellantur. Eos autem, qui in iis perſiſtunt, et non ab ejuſmodi perniciosis gentilibuſque ſtudiis avertuntur et aufugiunt, Eccleſia omninò exturbandos decernimus, ſicut et ſacri Canones dicunt. Quæ enim eſt luci cum tenebris communicatio? Ut ait Apoſtolus: Vel quæ fidei cum infideli pars eſt? Quæ autem Chriſto eſt cum Belial concordia ac conventio?

CANON LXII.

Kalendas quæ dicuntur, et vota, et Brumalia, quæ vocantur, et qui in primo Martii menſis die fit, conventum ex fidelium univerſitate omninò tolli volumus: Sed et publicas mulierum ſaltationes, multam noxam exitiumque afferentes. Quin etiam eas, quæ nomine eorum, qui falsò apud gentiles dii nominati ſunt, vel nomine virorum, ac mulierum fiunt, ſaltationes ac myſteria more antiquo et à vita Chriſtianorum alieno, amandamus, et expellimus, ſtatuentes ut nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, vel mulier veſte viro conveniente. Sed neque comicas, vel ſatyras, vel tragicas perſonas induat; neque execrandi Bacchi nomen, uvam in torcularibus exprimentes, invocent; neque vinum in doliis effundentes riſum moveant, ignorantia vel vanitate ea, quæ ab inſaniæ impoſtura procedunt, exercentes. Eos ergo, qui deinceps aliquid eorum, quæ ſcripta ſunt, aggrediuntur, ubi ad horum cognitionem pervenerint, ſi ſint quidem Clerici, deponi jubemus; ſi verò laici, ſegregari.

Scholion.

Cap. 18. C. 115. Proprius, inquit in libro de Idololatria Tertullianus, *habitus uniuſcujuſque eſt tam ad uſum, quam ad honorem & dignitatem*. Cauſam dat prima Synodus Aquiſgranenſis. *Habitus Chriſt. Lupi Oper. Tom. III. ſingulorum ordinum idcircò in Eccleſia ab invicem diſcreti ſunt, ut his viſis, cujus propoſiti ſit geſtans, liquidò cognoſcatur*. Omnem à geſtantis profeſſione & ſtatu diſſonum habitum, larvas præſertim, perſonas, ac alienum ſexum, etiam in ſcena, mentitas veſtes Eccleſia ſemper eſt abominata. Etenim ad Euchratium Epiſcopum ſcribit Sanctus

Epiſt. 61. ctus Cyprianus. *Cùm in lege prohibeantur viri in-*
duere muliebrem veſtem, & maledicti ejuſmodi judi-
centur, quantò majoris eſt criminis, non tantùm
muliebria veſtimenta accipere, ſed & geſtus quoque
turpes, & molles, & muliebres magiſterio impudi-
cæ artis exprimere? Eſſe dicit contra Dei inſtitu-
tionem, *ut maſculus frangatur in fœminam, &*
diabolo Divinum plaſma maculanti per corrupti at-
que enervati corporis delicta placeatur. Damnat
non horum ſolummodò actores, ſed & docen-
tes ac erudientes, *qui pro ſe uno ſolo plures ſucce-*
daneos ſuggerunt. Scio Sanctum Epiſcopum lo-
qui de nefandis Paganæ ſcenæ flagitiis: Attamen
pro noſtris motibus notari poſſit ab hodiernis hu-
maniorum litterarum profeſſoribus, à quibus fi-
delis adoleſcentia non hiſtrionicas ſeu levitates
ſeu ſcurrilitates, ſed virilem pronuntiandi &
corporis gerendi fiduciam debeat edoceri. Scenas
noſtras oportet eſſe graves, honeſtas, eruditas,
germanè Chriſtianas. Laudata verò à Sancto
Cap. 22. Cypriano Divina lex eſt in Deuteronomio. *Non*
induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fæ-
minea: Abominabilis enim apud Deum eſt, qui hoc
facit. Conſonat Synodus Gangrenſis. *Si qua*
Cap. 13. *mulier propter eam, quæ exiſtimatur, pietatis exer-*
citationem veſtem mutet, & pro ſolita veſte muliebri
virilem ſumat, anathema ſit. Statuit adversùs
Euſtatium Sebaſtenum Epiſcopum, primæ Ar-
meniæ Metropolitam, ad cujus peſſimam prædi-
cationem *varias mulieres, præter conſuetudinem*
& ſui ſexus ornatum, hinc ſe juſtificari credentes,
virilem habitum ſuſcepiſſe queritur Epiſtola ſyno-
L. 2. c. 16. dalis. Et Sanctus Auguſtinus in libris ſolilo-
quiorum. *Credo jure infames, deteſtabileſque ha-*
beri, qui muliebri habitu ſe oſtentant, quos neſcio
utrùm falſas mulieres, an falſos viros meliùs vo-
cem. Veros tamen hiſtriones, veroſque infames ſine
dubitatione poſſumus vocare; aut ſi latent, nec in-
fames quidquam niſi à turpi fama nominatur, ve-
ros nequam non ſine veritate dicimus. Et Canon an-
tiquus ſecundo Braccarenſi Concilio adſcriptus.
Si quis balationes ante Eccleſias Sanctorum fecerit,
ſeu qui faciem ſuam transformaverit in habitu mu-
liebri, & mulier in habitu viri, emendatione polli-
cita, tres annos pœniteat. Ejuſmodi balandi &
transformandi morem etiam apud nos Belgas in
oppido Huenſi fuiſſe graſſatum ſcribit magnum
Belgii chronicon. Et fœminas ad ſacrum bellum
in virili veſte comitatas, tamquam multorum
flagitiorum, & Divinæ ſuper omnem exercitum
indignationis auctrices, graviter damnant Dode-
chinus Abbas, & Bertholdus Presbyter Conſtan-
tienſis. Eamdem temeritatem in Leodii à Prin-
cipe noſtro Carolo Burgundo obſeſſi mulieribus
A. 5096. meritò notat laudatum Belgii Chronicon. Eſt
enim Pagana Roſſarum, Germanarum, Lon-
gobardarum, Gallarum, & Gotharum mulierum
protervia, damnata etiam à gentilibus Romanis.
L. 2. c. 3. Horum æmulus Julianus Auguſtus imbelles mili-
L. 4. c. 4. tes, morte dignos, produci & vendi juſſit in
habitu muliebri, uti ſcribit Zozymus ejus Enco-
miaſtes. Infamiam iſtam judicavit morti æqui-
valere.

Certis tamen caſibus licet ejuſmodi transfor-
matio. Etenim adoleſcentem Antiochenum,
Pagani Sacerdotis filium, à Sancto Meletio Pa-
triarcha converſum ad Chriſtum, quod patris ra-
biem in fœminea veſte fugiens deluſerit, laudat
in Eccleſiaſtica hiſtoria Theodoretus. Et Ana- L. 3. c. 33.
tolium Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyterum, qui
obſeſſæ urbis viros plurimos in ſimili veſte clan-
culum noctu abire ſuaſit, commendat Euſebius L. 7. c. 26.
Epiſcopus Cæſareenſis. Et Sabinam, mulierem Homil. 5.
gentilem, quæ maritum captivum in viri habitu
ſecuta eſt per annos multos, Sanctus Aſterius
Epiſcopus Amaſenus, Heleponti Metropolita.
Henrico quarto, Imperatori peſſimo, uxoris pu-
dicitiæ in veſtibus alienis inſidianti, illa quaſi
alieno ſtatuit flagitii diem, at venientem per mi-
lites puellarum ſuarum veſtibus tectos cædi inſi-
gniter juſſit, tamquam Auguſti thori adulterum.
Factum probant antiqui ſcriptores. Etiam Hun-
gariæ Reginam, viduam gravidam, quæ ſibi ac A. 1235.
fœtui ſuo à privigno timens fugit in veſte virili,
laudat monachus Paduanus. Quis neſciat arma
& veſtes militares Joannæ Dargiæ, quæ Carolum
ſeptimum Francorum Regem, & omne regnum
à Francorum violentiis liberavit? Etiam noſtro
tempore duas agri Inſulenſis virgines ruſticas,
quæ Domino noſtro Regi Catholico in nupero
bello tamquam viri militare, quam à Francorum
ſalacitate ſuam pudicitiam periclitari maluerunt,
laudat omne Belgium, & alteram bello ſuper-
ſtitem, quæ tribunatum ſtrenuè geſſerat, lauda-
tus Dominus Rex Ciſtertienſis propè Inſulas Ab-
batiæ perpetuo pane honoravit. Et quaſdam vir-
gines tamquam viros ſanctiſſimè militaſſe in mo-
naſteriis, earum Acta authentica teſtantur.

Etiam Bacchum, alioſque gentilium falſos
Deos, licèt per jocum aut pravam conſuetudi-
nem, ac indè natam inadvertentiam invocare
aut nominare, eſt omninò grande peccatum.
Cùm converſatio Divinæ diſciplinæ, inquit in libro
de idololatria Tertullianus, *non factis tantùm*, Cap. 20.
verùm etiam verbis periclitetur, meminiſſe debemus
eſſe in verbis quoque idololatriæ incurſum præcaven-
dum. Etiam de conſuetudinis vitio Deos nationum
nominari lex prohibet: Non utique ne nomina eorum
pronunciemus, ſed ne Deos vocemus illos. Quod ſi
Deos dicendum erit, adjiciendum eſt aliquid, quo
appareat, quia non ego illos Deos dico. Adjicien-
dam jubet vocem, *Suos*, aut vocem, *Nationum*,
exemplo Regii Prophetæ, dicentis: *Omnes Dii*
gentium dæmonia. Ex eodem principio vult
Chriſtianos non eſſe Ludimagiſtros, aut littera- Cap. 10.
rum profeſſores, quod hi *affines ſint multimodæ*
idololatriæ, utpotè quibus neceſſe ſit Deos nationum
prædicare, crimina, genealogias, fabulas, orna-
menta honorifica quæque eorum enunciare. Hac ſa-
nè de cauſa, dum Julianus Auguſtus à litterarum
ſcholis nos proſcripſit, Apollinarius Laodicenſis
Epiſcopus ſacra ex utroque teſtamento metra
compoſuit, quæ poſſent Chriſtiani Chriſtianos
docere. Quare hodiernis litterarum Profeſſori-
bus ſerio ſuademus, ut fabuloſa gentilium Deo-
rum deliramenta noſtris adoleſcentibus nunquam
ſine antidoto edicant. Ex hoc fundamento anti-
qui Eccleſiæ Patres etiam hæc, *Minerval, Satur-*
nalia, Bacchanalia, Dies Solis aut Lunæ, & re-
liqua iſtiuſmodi vocabula, tamquam idololatri-

ea,

Digitized by Google

ca, ab omni ore Chriſtiano longiſſimè exulare juſſerunt. Paganorum Deorum nomina invocare rigidiſſimè vetat quarta Synodus Aurelianen- Cap. 16. ſis. Et Joannem duodecimum Pontificem intruſum extruſit per Ottonem primum Imperatorem Romana Synodus, relata à Luitprando Diacono Ticinenſi, quod *in aleæ ludo Jovis, Veneris, cæterorumque dæmoniorum auxilium popoſciſſet*. Utique ex prava conſuetudine.

Porrò Kalendæ, vota, Brumalia ſunt feſta Paganorum. Kalendarum meminit Tertullianus L. 2. c. 6. Cap. 14. in libris ad uxorem, dicens Gentiles *incipiente anno, incipiente menſe, nidore thuris agitari*: Et in libro de Idololatria ait ab illis *Saturnalia & Kalendas Januarias celebrari*. Omnes Kalendas habuere in pretio, at præſertim Januarias. Cauſam dat Sanctus Joannes Chryſoſtomus in Homilia de Noviluniis: *Putabant, ſi novilunium menſis hujus cum voluptate tranſigant, reliquum annum ſe ità tranſacturos*. Etiam Martiæ Kalendæ abundabant gaudiis, utpotè dicatæ feſtis Matronalium, & Saliorum, impudiciſſimè ſaltantium. Cap. 10. Brumalium meminit Tertullianus etiam in laudato libro de Idololatria. Erant duplicia: Alia in Novembri, Baccho, qui & Brumius ſeu Bromius, ſacra; alia in Decembri ad Solſtitium Hibernum, Soli, quaſi Deo, ad nos redeunti per convivia, ſaltus, & alias impudicas lætitias ſtulta Gentilitas gratulabatur. Eis erant vicina Saturnalia, in quibus viri in fœminas, ſervi in Dominos, ac vice verſa larvabantur. Hujus omnis incontinentiæ ac intemperantiæ fœdas reliquias præſens Canon exſtirpat. Eaſdem in Januariis Kalendis etiam Romæ ſuperfuiſſe, ac indè in Franciam ſerpſiſſe queritur in litteris ad Zachariam Pontificem Sanctus Bonifacius Apoſtolus Francorum: Quod nempe Gregorii ſecundi rigidis in illa decretis ſtulta Romanæ plebis fæx necdum plenè obediret. Et apud Sanctum Auguſtinum ſermo de tempore. *Iſti infelices & miſeri homines, qui balationes & ſaltationes ante ipſas baſilicas Sanctorum exercere non metuunt nec erubeſcunt, Chriſtiani ad Eccleſiam veniunt, Pagani de Eccleſia revertuntur. Quia iſta balandi conſuetudo de Paganorum obſervatione remanſit*. Ejuſmodi balantibus ante Eccleſiam, ut toto anno balarent, imprecatus eſt Sacerdos iratus: Et anno toto balaſſe, & tunc miſerè obiiſſe ſcribunt Sigebertus Gemblacenſis, magnum Belgii Chronicon, & Radulſus de Diceto.

Ser. 215.

A. 1013.

CANON LXIII.

QUæ à veritatis hoſtibus falsò confictæ ſunt Martyrum hiſtoriæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri eſſent, ad infidelitatem deducerent, in Eccleſia non publicari jubemus, ſed eas igni tradi. Qui eas autem admittunt, vel tamquam veris iis mentem adhibent, anathematizamus.

SCHOLION.

ETiam Sanctus Gelaſius primus Pontifex ſtatuit in prima Romana Synodo, *Romana Eccleſia ſuſcipit geſta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant. Quis ità eſſe Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus ſuis perpeſſos, nec ſuis viribus, ſed gratia Dei & adjutorio univerſa toleraſſe? Sed ideò ſecundùm antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in ſancta Romana Eccleſia non leguntur, quia & eorum, qui conſcripſere, nomina penitùs ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis ſuperflua, aut minùs apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur: Sicut cujuſdam Quirici & Julitæ, ſicut Georgii, aliorumque hujuſmodi paſſiones, quæ ab hæreticis perhibentur compoſitæ. Propter quod, ne vel levis ſubſannandi oriretur occaſio, in ſancta Romana Eccleſia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Eccleſia omnes Martyres, & eorum glorioſos agones, qui Deo magis, quam hominibus noti ſunt, omni devotione veneramur*. Deus in Sanctis ſuis non eget mendacio noſtro. Inter omnia mendacia illud, quo Deo aut Sanctis ejus affinguntur falſæ virtutes aut miracula, eſſe omninò pernicioſiſſimum, & ſacrilegio plenum, meritò docet in libro contra mendacium Sanctus Auguſtinus. Hinc illum Presbyterum, qui Sancti Pauli Apoſtoli periodos finxit, fuiſſe à Sancto Joanne Apoſtolo degradatum ſcribunt in virorum illuſtrium catalogo Sanctus Hieronymus, & in libro de Baptiſmo Tertullianus. Cap. 17.

CANON LXIV.

QUod non oportet laicum publicè diſputare, vel docere; docendi authoritatem ex eo ſibi vendicantem, ſed ordini à Domino tradito cedere; & aurem iis, qui docendi gratiam acceperunt, aperire, & Divina ab eis doceri. In una enim Eccleſia diverſa membra fecit Deus, ut eſt vox Apoſtoli. Quam apertè interpretans Gregorius Theologus eum, qui in iis eſt, ordinem commendat, dicens: *Hunc ordinem revereamur, fratres, hunc ſervemus. Hic quidem ſit auris, Ille verò lingua; hic autem manus, hic verò aliquid aliud: Hic quidem doceat, ille verò diſcat:* Et paulò poſt: *Et diſcens in docilitate, & ſuppeditans in hilaritate, & miniſtrans in alacritate. Ne ſimus omnes lingua, quod eſt promptius; ne omnes Apoſtoli, ne omnes Prophetæ, ne omnes interpretemur.* Et poſt quædam: *Cur te paſtorem facis, cùm ſis ovis? Cur caput efficeris, cùm ſis pes? Cur Imperator eſſe conaris, cùm relatus ſis in numerum militum?* Et alibi: *Jubet ſapientia, ne ſis velox in ſermonibus, ne cùm ſis pauper, unà cum divite extendaris; ne quæras ſapientibus eſſe ſapientior.* Si quis autem præſentem Canonem labeſactans deprehenſus fuerit, quadraginta diebus ſegregetur.

Scholion.

CAnonis cauſam adducit Conſtantinus Pogonatus Auguſtus in ſacra Divali, quà à Domno Pontifice ſupplicavit ſextam Synodum. *Dum voluiſſent multoties quidam motionem facere de verbis, de quibus eſt contentio pro dogmate pietatis inter partes tam ſanctæ veſtræ Eccleſiæ, quam hujus ſanctæ magnæ Dei Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ut ambigerent, & hoc prohibuimus fieri, tempore non admittente, cognoſcentes quod ex particulari contentione non ſolùm unitas fieri non poſſet, ſed magis malum accreſceret.* De Monothelitarum, ac omnium generaliter Eutychianorum ad diſputandum pruritu ſcribit in libro de Dominica Incarnatione Theodorus Presbyter monaſterii Rhaitenſis. *Ità fortiter & vigilanter Eccleſiam Dei Catholicam & Apoſtolicam oppugnant, ut pueros ſuos, cùm nondum expeditam habeant linguam, antequam eant ad magiſtros, & prima elementa didicerunt, enacuere & inſtruere curent, ut dicere & audire poſſint pro defenſione ſui dogmatis, quod ipſi profitentur; nos verò ità deſides ſumus & languentes, ut nec hoc ipſum ſtudeamus ſcire, quæ iſtorum contra Eccleſiam ſit controverſia, & ex quibus initiis ipſorum adverſùm nos exſtitit bellum, & qui ſint eorum duces, à quibus cognominantur.* Eamdem in Manichæis, Arianis, Origeniſtis, Pelagianis, Neſtorianis procaciam paſſim notant Eccleſiæ Patres, & de omnibus generaliter hæreticis ſcripſit ad Timotheum Apoſtolus: *Semper quærentes, & ad veritatis agnitionem numquam pervenientes.* Nonnè etiam hodie Lutherani & Calviniſtæ aſſiduò diſputandi in noſtram ſimplicem plebem inſultu ſunt muſcis & crabronibus improbriores? *Scripturas,* inquit in libro Præſcriptionum Tertullianus, *ob-* C.15.16.17. *tendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam movent: In ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.* Non cum eis diſputandum, ſed bis corripiendos, & tunc vitandos ut deſperatos mandat idem Apoſtolus: *Quoniam nihil proficiat congreſſio Scripturarum, niſi planè ad ſtomachi everſionem aut cerebri. Perdes vocem in contentione, conſequeris bilem de blaſphematione.* Ex communi hæreticæ proterviæ ſpiritu locutus eſt apud Sanctum Pacianum Barchinonenſem Epiſcopum Sympronianus, homo Novatianenſis: *Per orbem totum nullus intus eſt,* Epiſt. 1. *qui me revincat, aut perſuadere poſſit contra quam credam.* Nempe omnes hæretici cum impio Ætio, puri puti Arianiſmi reſuſcitatore, delirant aut ſibi aut certè ſuo duci Deum *ea revelaſſe, quæ uſ-* Theodore. *que ab Apoſtolorum temporibus hactenùs occultaverit.* l.2. c.28. Hinc cum Hermogene *loquacitatem exiſtimant fa-* Tertull. *cundiam, impudentiam deputant conſtantiam, ma-* c. 1. *ledicere ſingulis judicant officium bonæ conſcientiæ.* Ejuſmodi facundiam meritò Sanctus Hieronymus appellat caninam. Eam, utpotè quæ fidem noſtram injuria affectam Judæis & Gentilibus Cap.3.4. prodat, omnibus fidelibus, laicis præſertim, iterata pœnali conſtitutione, poſt Synodum Chalcedonenſem exſtante, interdixit Marcianus Auguſtus. Adversùm Eutychianos, Mono-

theli-

L. 2. c. 2. ahelitarum Patres, poſtmodùm innovavit Juſtinianus, laudatus à Facundo Hermianenſi Epiſcopo, plurimùm querente à trium Capitulorum adverſariis non cuſtodiri. Hanc igitur hæreticam petulantiam, ac omnis fidelis laici cum illis temeritatem præſens etiam Canon compeſcit.

CANON LXV.

QUi in noviluniis à quibuſdam ante ſuas officinas & domos accenduntur, rogos, ſupra quos etiam antiqua quadam conſuetudine ſalire ineptè ac deſilire ſolent, jubemus deinceps ceſſare. Quiſquis ergo tale quid fecerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſin autem laicus, ſegregetur. In quarto enim libro Regum ſcriptum eſt: *Et ædificavit Manaſſes altare univerſæ militiæ cæli in duobus atriis domus Dei, & filios ſuos traduxit per ignem, ſortibuſque & auguriis, auſpiciiſque uſus eſt, & fecit ventriloquos ſeu pythones, & divinatores multiplicavit, & ambulavit in eo ut faceret malum coram Domino, ut eum ad iram provocaret.*

SCHOLION.

QUid ſimile in Synodo Liptinenſi, ſub Pippino Rege, ſtatuit Sanctus Bonifacius, Francorum Apoſtolus. *Populus Dei Paganias non faciat, ſed omnes ſpurcitias gentilitatis abjiciat & reſpuat*: Etiam *illos ſacrilegos ignes, quos Ned fratres vocant*. Leptina erat villa Regia ac Palatium in agro Cameracenſi. Deo laus, omnes Paganiſmi reliquiæ jam pridem apud nos ſunt ſepultæ; reſtant tamen in quibuſdam Sanctorum feſtis publici ignes, ſaltus, potationes, adoleſcentum pugnæ, per Epiſcopos omninò eliminanda.

CANON LXVI.

A Sancta Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis die uſque ad novam diem Dominicam tota ſeptimana vacare fideles jugiter oportet Pſalmis & Hymnis, & ſpiritalibus canticis in Chriſto gaudentes, feſtumque celebrantes, & Divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis myſteriis jucundè & lautè fruentes. Sic enim cum Chriſto exaltabimur, & unà reſurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum curſus vel aliquod publicum fiat ſpectaculum.

SCHOLION.

PAſchale Feſtum per octo continuos dies celebrare eſt antiqua pietas Eccleſiæ & Orientalis & Occidentalis. Etenim ſub Codicis Theodoſiani titulo de feriis ad Albinum Prætorio Præfectum ſcripta Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii lex inter juris dicundi ferias ſtatuit etiam *Sanctos Paſchæ dies, qui ſeptem vel præcedunt numero, vel ſequuntur*. Leg. 2. Et ſecunda Synodus Matiſconenſis. Cap. 2. *Paſcha noſtrum debemus omnes feſtiſſimè colere,*

colere, & ſedulæ obſervationis ſynceritate in omnibus venerari, ut illis ſex ſanctiſſimis diebus nullus ſervile opus audeat facere, ſed omnes ſimul coadunati, Hymnis Paſchalibus indulgentes, perſeverationis noſtræ præſentiam quotidianis ſacrificiis oſtendamus, laudantes Creatorem & Regeneratorem noſtrum veſperè, manè, & meridiè. Et Sancti Theodulfi Aurelianenſis Epiſcopi Capitulare: Cap. 41. *Dies* Cap. 36. *Paſchalis hebdomadæ omnes æquali veneratione colendi ſunt.* Et Synodus Moguntina ſub Carolo Magno: *Diem Dominicam Paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari, ſimili modo totam hebdomadam obſervari decrevimus. Item Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha.* Idem ſtatuunt Synodus Meldenſis, Engelheimenſis, & Capitulare Herardi Archi-Epiſcopi Turonenſis.

Ità fuit per omnem ferè Galliam ac Germaniam uſque ad Synodum Conſtantienſem Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi, de qua Bertholdus A. 1094 ejuſdem Eccleſiæ Presbyter. *Geberardus ſtatuit, ut tam in hebdomada Pentecoſtes, quàm in hebdomada Paſchali tres tantùm dies feſtivi celebrarentur. Nam uſque ad illud tempus Conſtantienſis Epiſcopatus morem Comprovincialium non eſt ſecutus, videlicet integram ſeptimanam in Paſcha, & unam tantùm diem in Pentecoſte obſervando, quamvis utræque ſeptimanæ ejuſdem obſervationis eſſe debuerint, & quamvis alii Epiſcopatus penè omnes prædictam conſtitutionem jam ab antiquo tenuerint. Hæc, inquam, ipſe in proprio Epiſcopatu & ex Epiſcopali auctoritate, & ex Apoſtolica legatione potuit inſtituere: Nam Legatus fuit Sedis Apoſtolicæ per totam Theutonicam terram undequaque.* Ei tamen, A. 1094. tamquam antiqui Canonis & moris everſori, graviter quoſdam obmurmuraſſe ſcribit Chronicon Eccleſiæ Auguſtanæ. Stephani Cantuarienſis Archi-Epiſcopi Synodus Oxonienſis utrique feſto adſcribit quatuor feſtivos dies. Etiamnum hodie omnes per Europam, immò & Belgium noſtrum, Eccleſiæ non concordant. Ab hiſce feſtis equorum curſus & reliqua ſpectacula Canon præſens meritò proſcribit. Etenim etiam de Chriſtianis verum eſt, quod de Judæis in tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium ait Sanctus Auguſtinus: *Quantò meliùs fœminæ* Tract. 3. *eorum lanam facerent, quam ſabbatho in neomeniis ſaltarent.*

CANON LXVII.

Divina nobis Scriptura mandavit à ſanguine & ſuffocato, & fornicatione abſtinere. Eos ergo, qui propter lautum & delicatum ventrem cujuſcumque animalis ſanguinem arte aliqua eſculentum condiunt ac inſtruunt, atque ità illo veſcuntur, convenienter punimus. Si quis ergo deinceps animalis ſanguinem quovis modo comedere aggrediatur, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſin autem laicus, ſegregetur.

SCHOLION.

De lege Apoſtolica, mandante fideles gentes à ſimulacrorum immolatis, ſanguine, ſuffocato, & fornicatione abſtinere, ſcribit in li- L. 32. c. 13. bris contra Fauſtum Manichæum Sanctus Auguſtinus. *In Actibus Apoſtolorum lege præceptum eſt ab Apoſtolis, ut abſtinerent gentes tantùm à fornicatione, & ab immolatis, & à ſanguine: Id eſt, ne quid edant carnis, cujus ſanguis non eſſet effuſus. Quod alii non ſic intelligant, ſed à ſanguine præceptum eſſe abſtinendum, ne quis homicidio ſe contaminet. Hoc nunc diſcutere longum eſt, & non neceſſarium.* Per *ſanguinem* homicidium intellexit in Parænesi ad pœnitentiam Sanctus Pacianus Epiſcopus Barchinonenſis. Etiam lapſus ad Montaniſtas Tertullianus, volens ab Apoſtolis tria iſtic graviſſima delicta, idololatriam, homicidium, & mœchiam, non tantùm prohiberi, ſed & Divino futuri ſæculi judicio reſervari. Tribus iſtis delictis Sacramentalis Reconciliationis pacem & gratiam dudùm etiam in articulo mortis negavit Eccleſia: Rigorem iſtum vult ille eſſe Divinum inſtitutum, confirmari iſtic ab Apoſtolis, ideòque Zephyrinum Romanæ Eccleſiæ Pontificem, qui mœchos pœnitentiæ actione perfunctos cœpit clementior per ſacramentalem abſolutionem reſtituere in Eccleſiam, dicit eſſe Apoſtolicæ legis prævaricatorem. At certum eſt per *Sanguinem* intelligi animalium ſanguinem, ejuſque eſum aut potum vetari. Eleganter ipſe adhuc orthodoxus id oſtendit in libro Apologetico, refutans Paganam calumniam de noſtris Thyeſteis epulis. Cap. 9. *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſci-*

licet

Digitized by Google

licet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Quomodò thurificationem, aut ejus libellum, ità & ſanguis eſum, tamquam parem & ſolemnem legis noſtræ prævaricationem, à Chriſtianis per tormenta extorquere nitebantur tyranni gentiles, eoſque in medio tormentorum æſtu per oſtenſos ſanguineos botulos deridebant. Omnis fidelis eos, licèt tormentis adactus, edens erat lapſus, ac reus quaſi idololatricæ tranſgreſſionis. Tantus erat rigor Apoſtolicæ legis. Quin immò Montaniſta Tertullianus ſibi ipſi non cohæret. Etenim in libro de monogamia affirmat à Chriſto Domino & ejus lege Evangelica revocari omnia ad legis naturalis exordium, ideòque excuſſa circumciſione carnis integritatem, & purgata variorum immunditia *reddi nobis ciborum libertatem, & ſanguinis ſolius abſtinentiam, ſicut fuit ab initio*. Dominus enim Deus, dum Noe carnes edere indulſit, excepit ſanguinem.

Cap. 5.

Apoſtolicam legem eodem modo exponit Minutius Felix: *Ab humano ſanguine cavemus, ut nec pecorum ſanguinem noverimus*. Cauſa ſanguinis prohibetur & morticinium ac ſuffocatum, quod tam de avibus, quam pecoribus intelligi affirmat in Ezechielis Prophetæ commentariis Sanctus Hieronymus. Et Synodus Gangrenſis, adversùm Euſtatii Epiſcopi Sebaſteni nugas, edi à fidelibus permittit carnes, exceptis tamen ſanguine & ſuffocato. Et Canon vulgaris Apoſtolicus Clericum aut laicum, qui carnes in ſanguine animæ ipſorum, a feris captum, aut morticinum comederit, deponi mandat aut anathematizari. Ejus cauſam in laudato adversùs Fauſtum loco edicit Sanctus Auguſtinus. *Si hoc tunc Apoſtoli præceperunt*, præceperunt autem omninò, *ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne præfocatis carnibus veſcerentur, elegiſſe mihi videntur pro tempore rem facilem, & obſervantibus nequaquam oneroſam, in qua cum Iſraelitis etiam gentes propter angularem illum lapidem, duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſervarent. Simul & admoneretur in ipſa arca Noe, quando Deus hoc juſſit, Eccleſiam omnium gentium fuiſſe præfiguratam, cujus facti prophetia, jam gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri*. Quam rationem in reſponſo adversùm Michaelis Patriarchæ Conſtantinopolitani calumnias laudat ac illuſtrat Cardinalis Humbertus.

Cap. 44. Cap. 2. Cap. 62.

Pergit Sanctus Auguſtinus: *Tranſacto verò illo tempore, quo illi duo parietes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen ſuis quibuſdam proprietatibus diſtinctius eminebant, ac ubi Eccleſia gentium talis effecta eſt, ut in ea nullus Iſraelita carnalis appareat, quis hoc jam Chriſtianus obſervat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt, aut leporem non edat, ſi manu à cervice percuſſus, nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant, à cæteris irridentur. Ità omnium animos in hac re tenuit illa ſententia veritatis*. NON QUOD INTRAT IN OS VESTRUM VOS COINQUINAT, SED QUOD EXIT: *Nullam cibi naturam, quàm ſocietas admittit humana, ſed quæ iniquitas committit, peccata condemnans*.

Hæc verba, *Qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant, à cæteris irridentur*, intelligi debent de ſolis aviculis ac minutis animalibus, & de ſola Eccleſia Africana. Græci enim etiam dudùm poſteà in obſervantia iſtius Apoſtolicæ legis manſerunt conſtantes. Eamdem Sanctus Hieronymus in laudatis Ezechielis Prophetæ commentariis affirmat ſuo adhuc tempore obtinuiſſe in Latina etiam Eccleſia, reprehenditque quoſdam Epiſcopos, *qui in turdis, ficedulis, gliribus, & cæteris hujuſmodi eam aviditate gulæ non cuſtodiebant*. Iſtud ipſum in ſermone de Machabæis affirmat Sanctus Gaudentius, proximus poſt Sanctum Philaſtrium Epiſcopus Brixienſis. Immolatorum comeſtores damnat item ſecunda Synodus Aurelianenſis: *Similiter & hos, qui beſtiarum morſibus extincta, vel quolibet morbo aut caſu ſuffocata veſcuntur*. Et liber Pœnitentialis Gregorii tertii Pontificis. *Suffocatum dicimus, quod ſine ſanguinis effuſione perimitur, vel quod in laqueo necatur. Si quis à lupo, vel à cane, aut in laqueo ſuffocatum invenerit, nullatenùs manducetur. Nec ſanguinem alicujus beſtiæ quis manducare aut bibere præſumat. Quod ſi quis fecerit quadraginta dies pœniteat*. Hiſpani, cum Sancto Auguſtino & Eccleſia Africana ſentientes, ſanguinis & omnis ſuffocati abſtemios, tamquam legis Chriſtianæ ignaros aut ſuperſtitioſos deridebant: At eos in litteris apud Franciſcum du Cheſne exſtantibus graviſſimè increpat Pontifex Adrianus primus. Aliter Nicolaus primus in reſponſo ad hanc quæſtionem Bulgarorum: *Animalia, ſive volatilia, ſi ſine ferro mactentur, & ſolo ictu hominis percuſſa moriantur, ſi liceat comedi?* Reſpondet per verba jam adducta Sancti Auguſtini. Et reſponſo aut per ipſum Pontificem aut per quem poſteà alium adjecta eſt Epigraphe: *De ſuperſtitionibus*. Poſſit tamen etiam intelligi de ſolis minutis animalibus: Nam cervum à lupo laceratum nec in extrema famis neceſſitate poſſe ob Apoſtolicæ legis reverentiam edi volunt Annales Francorum Fuldenſes ad Domini annum octingenteſimum quinquageſimum, quæ ſunt tempora laudati Pontificis Nicolai.

Cap. 44. Cap. 10. Cap. 19. Epiſt. 96. 67. Q. 90.

Uti igitur legales ritus apud fideles Judæos, ità hæc Apoſtolica lex, utpotè iſtorum cum honore ſepeliendorum quædam reliquiæ, apud nos fideles gentes pedetentim ceſſare cœpit, eſtque apud omnem Latinam Eccleſiam jam pridem penitùs extincta. Et hinc Michael Cerularius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Photiani ſchiſmatis reſuſcitator longè peſſimus, nos Latinos ut ſemigentiles calumniatus eſt, quod ſuffocata, in quibus eſt ſanguis, ederemus. *An neſcitis*, inquit, *quod omnis animalis ſanguis anima ipſius ſit, & qui comederit ſanguinem, animam comedit*. Charteſianorum phantaſmatum ſectatores, ut brutorum inviſibiles animas, & omnem generaliter ſubſtantialem formam exſufflent, nugantur iſtud ipſum, ideòque hunc Michaelem adnumerare poſſint ſuis Patriarchis. Eamdem calumniam refert Patrum Prædicatorum adver-

ſùm Græcos tractatus Conſtantinopolitanus: *Latini comedunt ſuffocata, capta à beſtiis, morticina, ſanguinem, urſos, fibros, caſtores, erinacios, quæque his ſpurciora, contra Apoſtolicum decretum.* Et infrà: *Pinguedine porcina veſcuntur.* Reſpondet verò Cardinalis Humbertus. *Antiquam conſuetudinem ſeu traditionem Majorum noſtrorum diligenter retinentes, nos quoque ſuffocatum & ſanguinem abominamur, adeò ut ſanguine vel quocumque morticino, aut aquis vel quavis negligentia humana ſuffocato apud nos aliquando veſcentibus, abſque extremo periculo vitæ hujus, pœnitentia gravis imponatur. De cæteris, quæ aucupio, aut canibus, ſeu laqueo venantium moriuntur, Apoſtoli præceptum ſequimur:* OMNE, QUOD IN MACELLUM VENIT, MANDUCATE. Et laudatus tractatus Patrum Prædicatorum. *Græci ſuffocatorum ſanguine non abſtinent. Nam turdos comedunt laqueis ſtrangulatos, & alias aves, & inteſtina ſanguine porcino implentes pro deliciis veſcuntur, contra Apoſtolorum decreta:* At jam pridem obſoleta. Ex quo vides inter Latinos & Græcos nullum hac in parte fuiſſe diſcrimen. Nempè Michael Patriarcha calumnias & mendacia undecumque venabatur. Et hiſce litibus malè feriatis præſens Canon dedit magnum fundamentum.

A morticinis, aqua aut humana negligentia ſuffocatis animalibus etiamnum hodie abſtinemus. Rectè dicit Cardinalis Humbertus id fieri ex uſu & traditione Majorum. Loquitur ex Sancto Auguſtino in libris adversùs Fauſtum: *Morticinum puto quod ad eſcam uſus hominum non admiſit, eo quod non occiſorum, ſed mortuorum animalium morbida caro eſt, nec apta ad ſalutem corporis, cujus cauſa ſumimus alimentum.* (L. 32. Cap. 13.) Et ex Sancto Hieronymo in libris adversùs Jovinianum, (L. 2. c. 6.) largè ac eleganter demonſtrante eamdem ejuſdem animalis carnem uni genti eſſe delicias, alteri horrorem & abominationem. Hine de Iſmaelitis, quod facti Chriſtiani *paternis moribus valedicerent, aſinorumque agreſtium & camelorum eſum reſpuerent,* ſcribit in monaſtica hiſtoria Theodoretus. (Cap. 26.)

Hinc item ad Sanctum Bonifacium Francorum Apoſtolum ſcribit Pontifex Gregorius tercius. *Agreſtem caballum aliquantos comedere adjunxiſti, pleroſque & domeſticum. Hoc nequaquam fieri deinceps ſinas, ſed quibus potueris, Chriſto juvante, modis per omnia compeſce, & dignam eis impone pœnitentiam. Immundum eſt enim atque execrabile.* (Epiſt. 2.) Et Zacharias Pontifex. *De volatilibus, id eſt, graculis, & corviculis, & ciconiis, quæ omninò cavendæ ſunt ab eſu Chriſtianorum: Etiam & fibri atque lepores, & equi ſylvatici multò ampliùs evitandi.* (Epiſt. 13.) Et infrà. *Et hoc inquiſiſti, poſt quantum temporis decet lardum comedi. Nobis à Patribus pro hoc conſtitutum non eſt. Tibi autem petenti conſilium præbemus, quod non oporteat illud mandi, priuſquam fumo ſiccetur, aut igne coquatur. Si verò libet ut incoctum manducetur, poſt Paſchalem feſtivitatem erit manducandum.* Ejuſmodi namque cibi ſapiunt barbariem Paganam. Leporem tamen jam pridem comedimus, & Sancti Auguſtini tempore comedit liberrimè quaſi delicias omnis Chriſtianitas Africana. Ità Romani priùs ſub Aureliano Auguſto cœperunt porcum edere, quem Deus Hebræis interdixit, *quod illo ſolo Ægyptii veſcerentur, cæteris animalibus tamquam Diis abſtinentes.* Videndus Theodoretus in ſermone de ſacrificiis.

CANON LXVIII.

NUlli ex omnibus licere veteris & novi Teſtamenti librum, nec Sanctorum noſtrorum præconum ac Doctorum corrumpere vel conſcindere, vel librorum cauponatoribus, vel iis, qui dicuntur unguentarii, vel alicui alii ex omnibus ad eum delendum tradere: Niſi utique vel à tineis vel ab aqua vel ab aliquo alio modo redditus fuerit inutilis. Qui autem tale quid facere deinceps deprehenſus fuerit, anno uno ſegregetur: Similiter & qui libros emit, ſi eos quidem ipſe non ad ſuam utilitatem retineat, nec alteri ad ejus beneficium & ut ii permaneant tradit, ſed eos corrumpere aggreſſus fuerit; ſegregetur.

SCHO.

SCHOLION.

DE ſacræ Scripturæ codicibus in quinta pro Chriſtianis adverſùm Jodæos Apologia ſcribit Leontius Neapolitanus in Cypro Epiſcopus, laudatus ac relatus à quarta Actione ſeptimæ Synodi. *Sicut tu adorans librum legis, non naturam pellium vel atramenti, quæ in ipſo eſt, adoras, ſed verba Dei, quæ rejacent in eo; ità & ego imaginem Chriſti adorans non naturam lignorum & colorum adoro, abſit, ſed animatum Chriſti characterem tenens per eum Chriſtum tenere ſpero & adorare.* Et Pſeudo-Synodi Iconoclaſticæ refutatio lecta & probata per eamdem Synodum ſeptimam. *Nos, qui Deo ſoli ſervitutem noſtram in ſpiritu & veritate offerimus, omnia, quæ oblata & dedicata ſunt, ſive Divinus typus pretioſæ Crucis, ſive Evangelium, ſive venerandæ imagines, ſive vaſa ſacra ſint, & ſalutamus, & amplectimur, tamquam ſpem habentes ſanctificationem ab eis percipere, & adorationem honoratoriam illis impendimus.* Quod ipſum in ſua fidei definitione laodata Synodus confirmat. Et in ejus ad Joannem octavum Pontificem præfatione, adverſùm quoſdam Francorum Epiſcopos ejuſdem ac ſacrarum imaginum adverſarios, Anaſtaſius Cardinalis Bibliothecarius. *Ajunt quod non ſit quodlibet opus manuum hominum adorandum, quaſi non ſit codex Evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie oſculantes adorant.* Et iſtorum adverſariorum unus Jonas Aurelianenſis Epiſcopus in præfatione ſecundi libri adverſùs Claudium Taurinenſem Epiſcopum, plenum Iconoclaſtam. *Sacræ religionis uſus in Sancta Eccleſia adhuc ſervatur, ut perlecta Sancti Evangelii lectione, ab Epiſcopo vel Presbyteris, cæteriſque ſacri Ordinis religioſis; Codex, in quo Evangelii lectio recitata eſt, multiplicibus oſculis veneretur. Sed hoc cujus cauſa, niſi illius, cujus eſſe verba creduntur, agimus?* Et Canon tertius Synodi octavæ. *Sacram imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti æquo honore cum libro Sanctorum Evangeliorum adorari decernimus.* Sacra Scriptura doctorum, ſacræ imagioes ſunt indoctorum liber, ideòque ſemper cenſuit Eccleſia illam præ his venerandam. Etenim in generalibus Synodis oon imago, ſed Evangeliorum codex, tamquam Domini noſtri Jeſu Chriſti Vicarius Præſes ioter luminaria & Principum Apoſtolorum ſtatuas in altari & throno ponebatur. Græcorum Epiſcopi gerunt laneum, variis crucibus iosignitum, ſuperhumerale. Ità oſtenduntur illius, qui ovem errantem ac perditam ad ſtabula reportavit in humeris, boni Paſtoris eſſe Vicarii, miniſtri, ac legati. Aſt verò ad importatum à Diacono ſacrum Evangelii codicem, ac ſi ipſe Jeſus Chriſtus intraret, illud depoouot, quoniam præſente Principe nulla eſt neceſſitas aut poteſtas Vicarii aut Legati. Nulli ſacræ Domini imagini deſerunt tantum honoris. *Per Evangelium*, inquit Nicolaus Cabaſilas, *Chriſtus ſignificatur*, & ejus Codex eſt quaſi ipſe Chriſtus, *quemadmodùm & prophetici libri dicuntur Prophetæ, quemadmodùm diviti ab Abraham dictum eſt*, HABENT MOYSEN ET PROPHETAS: *Dicebat autem libros.* Hinc item, teſte libro Pontificali, ſtatuit Pontifex Anaſtaſius primus, *ut quotieſcumque Sancta Evangelia recitarentur, Sacerdotes non ſederent, ſed curvi ſtarent:* Quaſi coram ipſo Jeſu Chriſto. Et ſacrarum imaginum oſores Gallicani Epiſcopi in ſeptima Synodo improbarunt etiam hunc articulum: *Sicut Divinæ Scripturæ libros, ità imagines veneramur.* Sacræ namque Scripturæ, Evangelii præſertim, codices honoraria adoratione colendos ac ſalutandos nec ipſe Leo Iſaurus fuit auſus inficiari. Et qui Diocletiano Auguſto eoſdem Codices tradiderunt per tormenta compulſi Epiſcopi aut Clerici, tamquam peſſimi prævaricatores fuerunt ab Eccleſia tractati: Crimen iſtud Cæciliano Carthaginenſi Archi-Epiſcopo, aut ejus certè Ordinatoribus affinxit Donatiſtarum factio, atque ità ſuum ſchiſma apud plebem rerum ignaram validiſſimè firmavit. Quapropter meritò præſens Canon eoſdem Codices vetat ſcindi, corrumpi, unguentariis aut aliis cauponibus vendi. Meritò eis adjungit Codices Sanctorum Patrum. Cap. 20.

CANON LXIX.

NUlli omnium liceat, qui quidem ſit in laicorum numero, intra ſepta ſacri altaris ingredi, nequaquam tamen ab eo prohibita Poteſtate & Auctoritate Imperiali, quando quidem voluerit Creatori dona offerre, ex antiquiſſima traditione.

SCHOLION.

ECcleſia ſeu Baſilica, inquit in libro de Ec-
cleſiaſtica myſtagogia Sanctus Abbas &
Martyr Maximus, eſt domns una, at in duas
partes diviſa: In ſacrari um, ſolis Sacerdotibus
& Clericis attributum, & in ναὸν, ſeu tem-
plum, totius fidelis populi locum. Sacrarium
vocabatur etiam Chorus, Presbyrerinm, ſan-
cta ſanctorum, fuiſſe æneis columellis & gra-
dibus à templo diſtinctum affirmat in libro Ri-
tuum Eccleſiaſticorum contemplatorio Sanctus
Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus.
Intra ipſum erat & Ciborium, Rnmani & La-
tini omnes paſſim Confeſſionem vocant, locus
totins Baſilicæ ſanctiſſimus, de quo laudatus
Patriarcha. *Sancti Patres magnificum & præ-
clarum Divini opificii modum imitati ſunt; at cœ-
lum, quod ſupra ſacram menſam eminet, laquea-
rium conficiunt; ut totam terram præfiniant, quod
à quatuor columnis ejus, quod Ciborium appellatur,
concluſum & circumſcriptum ſacrum ſolium, in quo
completur & Propheticus ſermo,* DEUS OPE-
RATUS EST SALUTEM IN MEDIO
TERRÆ. Eſt altare cœlo tectum, & quatuor
columnarum cœlum iſtud ſuſtentantium ambitu
circumſeptum, qualia adhuc exſtant varia in an-
tiquis Baſilicis Romsnis. De eodem in libris
adverſùs Epiſtolam Parmeniani ſcribit Sanctus
L. 2. c. 7. Auguſtinus: *Cùm Epiſcopus ſolus intùs eſt, po-
pulus & orat cum illo, & quaſi ſubſcribens ad ejus
verba reſpondet, Amen.* Et Sanctus Pontifex
Julius primns in litteris ad Factionis Euſebia-
næ Synodum Antiochenam: *Nc Presbyteris qui-
dem adeſſe permittitur in myſteriis conficiendis,
cùm tamen ipſi quoque ſacrorum adminiſtri ſint.*
Myſteriorum enim conſecrationem & principa-
les orationes ſolus intra Ciborium Sacerdos pe-
ragebat, repræſentans Jeſnm Chriſtum, verum
ac ſupremum noſtrum Sacerdotem, qui per Re-
ſurrectionem ſnam intravit ſolus in ſecreta cœ-
lorum & paternam dexteram, ut iſtic pro nobis
interpellet. Latiùs hæc exponit Sanctus Germa-
nus.

De Sacrario ſtatnit ſecunda Synodus Matiſco-
Cap. 4. nenſis. *Laici ſecùs altare, in quo ſancta myſteria*
Cap. 4. *celebrantur, inter Clericos, tam ad Vigilias, quam
ad Miſſas ſtare penitùs non præſumant, ſed pars il-
la, quæ à cancellis versùs altare dividitur, choris
tantùm pſallentium pateat Clericorum.* Et Capitu-
Cap. 6. lare Sancti Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis fæ-
minis etiam oblationis faciendæ cauſa iſtum ve-
tat ingreſſum. Quod ipſum ad viros extendit
Capitulare Heratdi Archi-Epiſcopi Turonenſis.
Cap. 81. Eugenii ſecundi ac Leonis quarti Pontificum ſi-
milem Canonem laudant Sigebertus Gemblacen-
A. 847. ſis, ac in libro Pontificali Anaſtaſius Bibliothe-
carius; nuper autem publici juris fecit D. Fran-
ciſcus Cardinalis Barberinus, diſciplinæ ac eru-
ditionis Eccleſiaſticæ fautor ac reſtaurator zelo-
Cap. 33. ſiſſimus. *Sacerdotum aliorumque Clericorum Eccle-
ſiis ſervientium honores à laicorum diſcretè apparere
convenit. Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco,
ubi Sacerdotes, reliquive Clerici conſiſtunt, quod
Presbyterium nuncupatur, quando Miſſa celebratur,
conſiſtere: Ut liberè ac honorificè poſſint ſacra officia
exercere.* Hic eſt Canon Eugenianus. Addidit
laudatus Leo: *Nec inter ſacros cancellos Ordinibus
debitos, niſi permittente Epiſcopo, preſumant acce-
dere.* Et Romana Synodns Joannis duodecimi:
*In circuitu altaris, aut in Presbyterio nullus laico-
rum ſtare præſumat, quoties Miſſarum ſolennia cele-
brantur; quod ſi fecerit quis, communione privatus
maneat uſque ad emendationem.* Hæc ſanctiſſima
& perneceſſaria diſciplina jam pridem apud nos
periit aut dormit, ideòque non ſine fundamento
Græci ſchiſmatici adversùm nos Latinos in ca-
lumniarum ſuarum indiculo, reperto Conſtan-
tinopoli apud Patres Prædicatores, poſuerunt
hunc articulum. *Secus altare Eccleſiarum quilibet
accedit, cujuſcumque ſit ſexus, ætatis, vel ordinis.
Et in ſolennitate Miſſarum mulieres ſedere poſſunt,
ſi velint, in ſede Sacerdotum. Sic ſciunt diſtinguere
inter ſacra & profana.* Impingi à nobis ajunt in
Canonem Laodicennm: *Non oportet mulieres ad* Cap. 49.
altare ingredi.

De templo ſeu populi atrio ſcribit in libris de L. 2. c. 28.
civitate Dei Sanctus Auguſtinus: *Populi confluunt* L. 22. c. 8.
*ad Eccleſias caſta celebritate, honeſta utriuſque ſe-
xus diſcretione.* Et infrà in eodem opere laudat
partem fæminarum. Et in Catecheſeon ſuarum
præfatione Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epi-
ſcopus. *Si concluſa eſt Eccleſia, & vos omnes in-
tùs, ſeparentur viri, & ſint cum viris, & mulie-
res cum mulieribus, ne ſtadium ſalutis ſit perditionis
occaſio.* Et Amalarius Fortunatus Epiſcopus Tre-
verenſis: *Separantur viri & fæminæ in Eccleſia,
non tantùm oſculo carnali, ſed & ſitu locali.* In li- Cap. 6.
bro ad virginem lapſam Sanctus Ambroſius addit
pro ſacris Virginibus fuiſſe locnm ſeparatum ta-
bulis, habentibus inſcriptionem, *Diviſa eſt mu-
lier, &c.* & quem nobiles matronæ ambirent ho-
notaturæ accedere. Eamdem ſeparationem lau-
dant Conſtitutiones Apoſtolicæ, Philo Judæus
in libro de vita ſupplicum, ac Euſebii Cæſareen-
ſis Epiſcopi Panegyris habita in dedicatione ba-
ſilicæ Tyriæ, exſtructæ à Paulino Metropolita.
Et in libris de vita Conſtantini Magni meritò ri-
det Licinium Auguſtum, occultum & doloſum
vitæ Chriſtianæ hoſtem, quod legem tulerit ju-
bentem, ne viri ſimul cum mulieribus in Eccle- L. 1. c. 46.
ſia eſſent, *neve Epiſcopi mulieribus ſacræ Dei elo-
quia explicarent, ſed fæminæ fæminas alias, à
quibus erudirentur, ſibi deligerent.* Licinius nam-
que, Lutherani atque Calviniſtici dogmatis præ- Cap. 45.
curſor, *eximiam caſtimoniæ virtutem negavit in
hominibus eſſe poſſe, aliorumque naturam ex ſua vi-
tioſa mente ſpectavit.* Dunelmi tamen ac Lindiſ-
farnæ fuiſſe pro viris aliam, aliam pro fæminis
Eccleſiam ſcribit Symeon monachus Dunelmen-
ſis. Nempe Sancti Cuthberti Eccleſia nullam, L. 2. c. 7. & 9.
niſi aſyli cauſa, admittebat fæminam: Aliter
intrare præſumens ad primum limen ſubita morte
exſtinguebatur, uti experta eſt & Juditha, Bal-
duini Comitis Flandrenſis filia, per pediſſequam
auſa hanc Sancti Epiſcopi virtutem explorare.
Eamdem virtutem fuiſſe in Sancti Symeonis ſty-
litæ baſilica teſtatur Evagrius Epiphanienſis. L. 1. c. 14.

Lapſam

Lapſam iſtam diſciplinam reſtituit etiam Leo quartus Pontifex: *Virorum pars & mulierum ſuis* Cap. 33. *partibus contenta ſit*. Sanctus Carolus Borromæus etiam ſeparatrices tabulas repoſuit in Eccleſia Mediolanenſi: Reliqua Italia per ſolum ferè quadrageſimalium concionum tempus. Apud nos nihil ſupereſt, niſi in Eccleſiis ruſticorum.

Porrò de Domino Imperatore ſcribit in hiſto- L. 5. c. 17. ria Eccleſiaſtica Theodoretus. *Cùm Theodoſius Imperator dona attuliſſet, intùs propè cancellos manſit: At magnus ille Ambroſius non conticuit, ſed laicorum differentiam eum docuit. Ac primùm ſciſcitatur, Ecquare egeret. Et cùm reſpondiſſet Imperator ſe exſpectare Divinorum myſteriorum perceptionem, ſignificavit illi per primarium Diaconum, qui ei miniſtrabat, ad loca interiora ſolis Sacerdotibus aditum patere, eademque aliis omnibus inacceſſa eſſe, nec debere tangi. Jubet igitur ut exeat, & cum reliquis laicis conſiſtat. Nam purpura, inquit, Imperatores, non Sacerdotes efficit. Quam admonitionem lubens excepit Imperator fideliſſimus, reſponditque ſe non animi confidentia inductum manſiſſe intra cancellos, ſed hanc conſuetudinem Conſtantinopoli didiciſſe. Quare habeo, inquit, pro hac medicina gratiam. Et pietatis præcepta, quæ ab illo Epiſcopo didicerat, etiam cùm revertiſſet Conſtantinopolim, obſervavit. Nam cum Divino quodam Feſto ad templum denuò veniret, ſtatim ut dona ſacræ menſæ obtulerat, exivit. Atque cùm Nectarius, qui id temporis fuit Antiſtes illius Eccleſiæ, rogaret, cur non maneret intùs, gemens inquit. Ægrè tandem didici, quid inter Imperatorem interſit ac Epiſcopum, ægrè tandem reperi veritatis magiſtrum. Nam ſolum Ambroſium novi Epiſcopum, dignum eo nomine.* Addit Hermias Zozomenus. *Moris* L. 7. c. 24. *erat, ut Imperatores, dùm ſacris intereſſent, in Sacrario ſederent, majeſtatis ergò à populi conſortio ſeparati. Ambroſius autem conſiderans eam conſuetudinem vel ex aſſentatione vel ex Ordinis laſcitia eſſe natam, Imperatori in Eccleſia locum aſſignavit ante Sacrarii cancellos, ità ut populum Imperator, Imperatorem Sacerdotes ordine ſedis antecederent. Hanc autem optimam conſtitutionem Theodoſius Imperator approbavit, & ſucceſſores ejus corroboraverunt, ac nos eam ex eo uſque tempore conſervatam cernimus.*

Rectè dicit conſuetudinem natam ex Epiſcoporum aſſentatione. Etenim Conſtantinum magnum, quod Epiſcopalem ſermonem ſtans in Eccleſia inter populum audierit, poſitumque iſtic ab Epiſcopis regale ſolium nec bis rogatus ſedere voluerit, laudat Euſebius Cæſareenſis. L. 4. c. 33. Erat verò ſolium iſtud non in ſacrario, ſed in atrio populi: Eamque Principi reverentiam voluit Ambroſius in omni ſemper & ubique Eccleſia exhiberi. De Sancto Baſilio Magno & Va- L. 4. c. 17. lente Auguſto ſcribit idem Theodoretus. *Valens rectà ad templum ſanctum ſe confert, & conſueta dona altari offert; Baſilius autem eum intra ſacra Aulæa, ubi ipſe ſedere, venire jubet*, ac permanere juxta morem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Abſit, ut tantum ego Epiſcopum, qui iſtiuſmodi diſpoſitione Principem ab Arianis circumſcriptum tentavit ad matrem Eccleſiam reducere, accuſem aſſentationis. Poſſit tamen abuſui fomenta præbuiſſe. Rectè item Zozomenus affirmat Sancti Ambroſii conſtitutionem obtinuiſſe uſque ad ſua tempora. Etenim illi coætaneus Theodoſius Auguſtus junior ſcribit in lege de Eccleſiaſtico aſylo, exſtante poſt Synodum Epheſinam. *Ad ſacra Altaria, munerum tantummodò offerendorum cauſa, accedimus, & cùm circumſeptum ſacrorum adytum ingreſſi ſumus, ſtatim egredimur, nec quidquam ex propinqua Divinitate nobis arrogamus.*

Panem & vinum à Sacerdote ſacrificandum, & à ſe in ſacrificii fine ſumendum, quiſque olim fidelis offerebat, ac de aliena oblatione ſumere erat aut injuria, aut certè infamia. Hinc in ſermone de eleemoſyna declamat ad ſuum populum Sanctus Cyprianus. *Locuples et & dives, qui in Dominicum*, id eſt, Eccleſiam, *ſine ſacrificio venis, qui partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis*. Et apud Sanctum Auguſtinum ſermo de tempore. *Oblationes, quæ in altari conſecrantur,* Ser. 215. *offerte: Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione manducaverit*. Et in Epiſtola ad Heliodorum monachum Sanctus Hieronymus: *Clerici* Epiſt. 1. *de Altario vivunt, mihi* monacho, *quaſi infructuoſæ arbori, ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero. Nec poſſim obtendere paupertatem, cùm in Evangelio anum viduam, duo, quæ ſola ſibi ſupererant, æra mittentem in gazophylacium, laudaverit Dominus*. Hinc omni ſabbatho ad Nitriæ monachos deportatum fuiſſe ſuum in ſacrificio offerendum panem ſcribit in Lauſiaca hiſtoria Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Hinc item apud Joannem Romanæ Eccleſię Diaconum Cap. 18. Romana illa mulier panem à Sancto Gregorio conſecratum noluit Domini corpus credere, quod L. 2. c. 41. ipſa illum, uti obtulerat, ità & pinſiſſet. Quiſque enim communicabat panem à ſe oblatum, & offerebat à ſe piſtum & formatum. Hinc in ſuo Capitulari mandat Sanctus Theodulfus Epiſcopus Aurelianenſis. *Panes, quos Deo in ſacrificium of-* Cap. 5. *fertis, aut à vobis ipſis, aut à veſtris pueris coram vobis nitidè & ſtudioſè fiant*. Offerendum panem, vinum, & aquam mandat tractari mundiſſimè, & nihil in ipſis eſſe vile aut non pretioſum. Nam & ſuprà audivimus de vili vino in ſacrificium adſumpto fuiſſe in Synodo Berytenſi graviter accuſatum Ibam Archi-Epiſcopum Edeſſenum. Et Sanctum Wenceslaum Bohemiæ Ducem, quod propria manu ſpicas in agro velleret, excuteret, ac indè ſacrandas oblationes formaret, laudat magnum Belgii Chronicon. Ad- F. 78. dit Walafridus Strabo ſolos communicaturos Cap. 27. potuiſſe offerre, graviterque eos arguit, qui offerrent, & ante communionem Eccleſia exirent. Hinc apud antiquos Canones ab oblatione ſuſpendi erat grandis pœna: Erat enim ſuſpendi ab ipſa Euchariſtia.

Iſte Romanæ mulieris error eſt una cauſarum, ob quas inductus fuit ritus alius, de quo in Reſponſis adversùm Michaelis Patriarchæ Conſtantinopolitani calumnias Cardinalis Humbertus: *Romana & Occidentalis Eccleſia à Miniſtris ſacri Altaris in ſecretario confectum offert azymum*. Arguit Græcos de oblato pane à publicis piſtoribus empto: Quod nempe adhuc panem à populo

oblatum

oblatum conſecrarent. Iſtud apud nos circa tempus iſtud deſiiſſe docet quinta Romana Synodus Gregorii ſeptimi Pontificis: *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolennia aliquid Deo offerre.* Non panem, ſed quid ejus vicarium. Omnis mutationis ſeriem edicit liber antiquus, dictus L. 1. c. 66. Gemma animæ. *Fertur, quod olim Sacerdotes de ſingulis domibus vel familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci ſervant, & indè Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc conſecratum eis diſtribuebant. Nam ſinguli farinam offerentium Miſſæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur.* ET OMNIUM CIRCUMSTANTIUM, QUI TIBI HOC SACRIFICIUM LAUDIS OFFERUNT. *Poſtquam autem Eccleſia numero quidem augebatur, ſed ſanctitate minuebatur propter carnales, ſtatutum eſt, ut qui poſſent, ſingulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel ſummis feſtivitatibus, vel ter in anno communicarent. Et quia populo non communicante, non erat neceſſe panem tam magnum fieri, ſtatutum eſt eum in modum denarii formari, & ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognoſcerent, qui tamen denarii in uſum pauperum cederent, vel in aliquid quod ad ſacrificium pertinet.*

Et ità omninò fiebat tempore Alexandri tertii Pontificis. Etenim Richardum primum Angliæ Regem in ſuæ coronationis die fuiſſe à duobus Epiſcopis ductum ad offerendum, & ab ipſo non panem aut vinum, ſed ex Regio more auri mar- P. 657. cam fuiſſe oblatam ſcribit Rogerus Hovedenſis. Et in Synodo Eboracenſi ſtatuit Richardus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus, proximus Sancti Thomæ Martyris ſucceſſor, ne Sacerdos *pro Miſſæ celebratione pretii pactum ineat, ſed hoc dumtaxat, quod in Miſſa offeretur, recipiat.* Quin immò quod Petri Damiani tempore, adeòque & Cardinalis Humberti, ità fieret, liquere videtur L. 5. Epiſt. 15. ex iſtius Epiſtola ad Capellanos Godofredi Ducis Lotharingiæ. Et hinc iſtud aliquid, à Gregorio ſeptimo offerri juſſum, fuit aliquid denariorum. Attamen non tantùm Theodulfi Aurelianenſis, aut Hincmari Remenſis, ſed & Herardi Turonenſis Epiſcopi diebus panis & vini oblatio, ſaltem apud Gallicanam Eccleſiam, erat in Epiſt. 53. pleno adhuc vigore. Exiſtimem defeciſſe calamitoſis temporibus ſecutis Pontificatum Formoſi. Sancti Fulberti Carnotenſis Epiſcopi ævo aut plenè aut ex magna parte ceſſarat.

Ritus antiqui meminit etiam Tertullianus in libro ad caſtitatem exhortatorio diſſuadens ſecundas nuptias, eò quod ſuperſtes maritus odiſſe non Cap. 11. poſſit defunctam uxorem, *pro cujus ſpiritu poſtulat, pro qua reddit annuas oblationes.* Et in libro de Cap. 10. monogamia: *Pro anima ejus orat, & offert annuis* Cap. 3. *diebus dormitionis ejus.* Et in libro de corona militis: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Eſſe dicit vetuſtiſſimum Eccle- Hom. 15. ſiæ morem. Sanctus Eligius Noviomenſis Epiſcopus disertè affirmat eſſet Apoſtolicum inſtitu- Epiſt 66. tum. Ipſum in Epiſtola ad Eccleſiam Furnenſem laudat etiam Sanctus Cyprianus. Et apud Sanctum Auguſtinum in libris confeſſionum pia mater Monica in extremis dicens ad filios: *Poni-* L. 9. c. 11. *te hoc corpus ubicumque, nihil vos ejus cura conturbet, tantùm illud vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei, ubi fueritis*, utique panem & vinum pro anima mea ad ſacrificium offerendo. Ex quibus teſtimoniis adversùm Lutheranos & Calviniſtas lucent ſuffragia defunctorum.

Etiam vivus pro vivo offerre ſemper potuit. Liquet ex antiqua Miſſa Sancto Jacobo Apoſtolo adſcripta. *Præterea meminiſſe digneris Domine eorum, qui has oblationes obtulerunt hodierna die ad ſanctum altare tuum, & pro quibus unuſquiſque obtulit, aut in mente habet.* Et ex liturgia Sancto Marco Evangeliſtæ adſcripta: *Suſcipe Deus munera eorum, qui offerre volunt, & non habent.* Quales precationes etiam habent Sanctorum Baſilii & Joannis Chryſoſtomi liturgiæ. Et hinc intellige locum difficilem Sancti Optati Milevitani Epiſcopi de ſuperbia Donati Principis Donatiſtarum. *De* populi ſui *oblationibus numquam eſt dignatus* L. 3. *accipere, quibus in ipſa ſocietate hanc faciebat injuriam, ut ſolus ſecretò neſcio quid ageret, & poſteà cæteris perfunctoriè miſceretur.* Qui altari ſervit, de altari vivit, adeò ut Conſtantinus Auguſtus omnes facultatibus ad Reipublicæ miniſteria idoneos à Cleri catalogo prohibuerit, ſoloſque pauperes illi voluerit inſcribi de populi eleemoſyna victuros. Hinc populus & pro ſe & pro ſuo Epiſcopo & Clero etiam in Miſſa offerebat, ideòque illum ut ſacrificii auctorem Epiſcopus ſingulariter Domino commendabat. Etiamnum hodie oramus in Romano Miſſali *Pro his, qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis.* Erat olim res honorifica & glorioſa: Eorum enim nomina fuiſſe palàm recitata teſtatur aliquoties Sanctus Cyprianus. At verò ſuperbiſſimus ille Donatus *in ore populi rarò eſt appellatus Epiſcopus, ſed Donatus Carthaginis dicebatur.* Utique Carthaginis Princeps. Nolebat ut Chriſti pauper vel in hoc ſanctiſſimo myſterio dependens à populo videri.

Oblatio hæc erat proxima ad ſacrificium cooperatio, non glorioſa tantùm, ſed & admodùm meritoria. Hinc fecere Romani Principes, quod in libellis Sancto Leoni Pontifici & Synodo Chalcedonenſi adversùs Dioſcorum Patriarcham & Epiſcopum ſuum exhibitis dicit Iſchyrion Diaconus Eccleſiæ Alexandrinæ: *Frumen-* Act. 3. *tum à piiſſimis noſtris Imperatoribus Eccleſiæ Lybiæ propter ariditatem illius provinciæ, & quia ibi omninò triticum non naſcitur, præſtatur, ut incruenta ex ipſo hoſtia offeratur.* Accuſat Dioſcorum, quod frumentum illud ſibi appropriarit, & carò vendiderit tempore famis. Eumdem in finem dona Eccleſiis Africanis miſit Conſtans Auguſtus, meritoque jam dictum Donatum, quod illa ex jam memorata ſuperbia refutarit, graviſſimè culpat laudatus Epiſcopus Milevitanus. Et ad Agricolam Presbyterum, nepotem ſuum, in teſtamento ſuo, per Flodoardum adducto in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis, dicit Sanctus Remigius Remenſium Archi-Epiſcopus: *Vineam Be-* L. 1. c. 18. *brimodi tibi eatenùs derelinquo, ut diebus feſtis, & omnibus diebus Dominicis, mea indè ſacris Altaribus offeratur oblatio.* Adeò antiquum eſt pro anima ſua Miſſas fundare. Hinc item ad Theodoſium Auguſtum, qui pro accepta Divinitùs in

Eugenium

Eugenium Tyrannum victoria Miſſas gratiarum actrices fieri poſtularat, reſcribit Sanctus Ambro- Epiſt. 58. ſius. *Epiſtolam Pietatis tuæ mecum ad Altare detuli, ipſam Altari impoſui, ipſam geſtavi manu cum offerrem ſacrificium, ut fides tua in mea voce loqueretur, & apices Auguſti Sacerdotalis oblationis munere fungerentur*. Et ad Proconſularis in Africa Provinciæ Epiſcopos ſcribit Sanctus Pontifex Epiſt. 4. Martinus primus: *Per ſpiritalem in Altari interceſſionem Deo tamquam dona offerentes, ea, quæ à vobis* adverſùm Monothelitas *ſynodaliter geſta ſunt, obtulimus*. Abſentium in offerendo vices Epiſtolæ explebant.

Quæſtio eſt, An populus oblaturus ſancta ſanctorum intraret, & panem ſuum ac vinum imponeret altari, aut Sacerdotis manibus ad altare? Pro parte adfirmativa facit quarta Synodus Cap. 93. Carthaginenſis: *Oblationes diſſidentium fratrum neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur*. Et ſecunda Synodus Matiſconenſis cum dura increpatione mandat, ut ſinguli fideles, etiam fœminæ, per ſingulas Dominicas *ſacris altaribus admoveant hoſtias*: Panis & vini. Et Capitulare Cap. 6. Sancti Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi: *Feminæ, Sacerdote Miſſam celebrante, nequaquam ad altare accedant, ſed ſuis locis ſtent, & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat*. Quocircà viri in Eccleſia Aurelianenſi omninò ad Altare accedebant. Et quod etiam ſub Innocentio tertio Pontifice Bremenſis populus oblationem ſuam ipſi Altari imponeret, liquet ex Ar- L. 8. c. 12. noldo Abbate Lubecenſi in Chronico Sclavorum. Partem verò negativam ſuadet Synodus Cap. 6. Aquiſgranenſis ſub Ludovico pio Auguſto, dicens de Subdiaconis: *Iſti oblationes in templo ſu-* Cap. 7. *ſcipiunt à populis*. Et infrà de Diaconis: *Inferunt oblationes in Altaria*. Et Herardi Turonenſis Archi-Epiſcopi Capitulare diſertè jubet, *ut populus extra cancellos ſtet, ejuſque oblatio extra cancellos recipiatur*. Quod ipſum fieri conſuetum in Romana Eccleſia, liquet ex vetuſtis rituum Latinorum deſcriptoribus.

Reſpondeo variarum Eccleſiarum varium fuiſſe morem. Et quidem apud omnes Græcos populus nequaquam intrabat Sacrarium: Intrare erat privilegium ſolius Principis, reverà vetuſtiſſimum, & à Sancto Ambroſio, qui illum facta oblatione intra cancellos perſiſtere dumtaxàt vetuit, nullatenùs correctum: Et hanc antiquiſſimam conſuetudinem præſens Canon confirmat. Quidam ab illo etiam perſiſtentiam permitti exiſtimant: At verba id non ſonant. Quidquid ſit, Græci Imperatores locum iſtum, etiam thronum ipſo Patriarchali ſublimiorem, tandem omninò invaſerunt. Etiam Imperatores, Reges, ac Principes Latini. Ab afflicta Romana Eccleſia impetrarunt haberi in certis Eccleſiis Canonici, geſtare ornatum Clericalem, ſic in choro ſtare & pſallere cum Clericis. Ità de Hugone Capeto, Florentio Craſſo Hollandiæ Comite, Fulcone bono Comite Andegavenſi, & Henrico quarto Imperatore teſtantur magnum Belgii Chronicon, Radulfus de Diceto, & Hemboldus in Chronico F. 93. 133. Sclavorum. Et Alexander ſecundus Pontifex A. 960. Wratislao Bohemiæ Duci Epiſcopalis mitræ, L. 1. c. 33. *quæ laicæ perſonæ tribui* non conſuevit, uſum diſpenſatoriè indulſit, & Gregorius ſeptimus confirmavit. Pedetentim indulta eſt pleriſque Regibus: Hinc enim Innocentii tertii Pontificis L. 1. Epiſt. 38. vita, publicata per Franciſcum Boſquettum Montis Peſſuli Epiſcopum, inter Regia ornamenta numerat *Coronam & Mitram*. Eadem via F. 134. Germanorum Auguſti Diaconalem Dalmaticam & Evangelii ſolenniter ad primam in Dominicæ Nativitatis nocte Miſſam cantandi licentiam impetrarunt. At ejuſmodi Canonicum ſeu Clericum paulatim poſteà excuſſerunt, cœperuntque intra chorum manere ut laici: Eos primùm ſecuta eſt nobilitas, tandemque, Epiſcopis dormitantibus, populus univerſus. Et hinc ſub Innocentio tertio Bremenſis populus oblationem ſuam ipſi Altari imponebat.

Dubitationem movent adducta Romani Miſſalis verba: *Qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis*. Quod enim hodie populus non offerat, videntur continere mendacium, ideòque eſſe radenda. Reſpondet in opuſculo de *Dominus vobiſcum* Sanctus Petrus Damiani. *In illis verbis patenter oſten-* Cap. 8. *ditur, quod à cunctis fidelibus ſacrificium illud laudis offertur, licèt ab uno ſpecialiter offerri Sacerdote videatur: Quia quod ille offerendo manibus tractat, hoc multitudo fidelium intenta mentium devotione commendat*. Et in Epiſtola ad neſcio quem amicum Sanctus Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis: Epiſt. 53. *Scrupulus ille de offerentibus ità ſolvi poſſit, quod dum ſacrificamus, illi, pro quibus agitur, per manus noſtras offerunt Deo ſacrificium laudis*. Itaque voces illæ nullo pacto ſunt radendæ.

CANON LXX.

NE liceat mulieribus in Divini ſacrificii tempore loqui, ſed ut vox eſt Apoſtoli Pauli, ſileant: Non enim eis loqui permiſſum eſt, ſed ſubjici, ſicut dicit lex. *Si quid autem volunt diſcere, domi proprios maritos interrogent*.

SCHOLION.

EXiſtimem ſtatui adversùm mulieres Monothelitas. Etenim de quibuſvis hæreticorum fœminis rectè Tertullianus in libro Præſcriptio-
Cap. 41. num. *Ipſæ mulieres hæreticæ quam procaces! Quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, forſitan & tingere.* Et in libro de Baptiſmo adverſùm fœminas Montaniſtas. *Petulantia mulierum,*
Cap. 17. *quæ uſurpavit docere, utique non etiam tingendi jus ſibi pariet.* Eos, qui ex fictitiis Apoſtoli Pauli & Theclæ periodis docendi ac tingendi licentiam fœminis defendebant, graviter culpat, additque. *Quam enim fidei proximum videatur, ut is docendi & tingendi daret fœminæ poteſtatem, qui ne diſcere quidem conſtanter mulieri permiſit? Taceant, inquit, & domi maritos ſuos conſulant.* Quam le-
Cap. 9. gem obtinere etiam in ſacris Virginibus oſtendit in libro de ipſis velandis. Hæreticam ac impudicam fœminam, quæ doceret, baptizaret, Eucbariſtiam conſecrare attentaret, ſigna promitteret aut faceret, ſuo etiam tempore apud Cappadoces apparuiſſe refert ac damnat in litteris ad Sanctum Cyprianum Sanctus Firmilianus Archi-Epiſcopus Cæſareenſis. Et Sanctus Hieronymus notat Pelagianos, quod Amazonum
L.1. c.9. ſuarum gratiam captantes aſſererent *ſcientiam legis etiam fœminas habere debere*: Contra jam dictum Apoſtoli mandatum. Eadem procacia poſſedit fœminas Priſcillianiſtas, ac in illas ſtatuit
Cap. 5. prima Synodus Cæſar-Auguſtana: *Ad mulieres legentes aliæ ſtudio vel diſcendi vel docendi non conveniant.* Et quarta Carthaginenſis: *Mulier,* Cap. 99.
quamvis docta & ſancta, viros in conventu docere non præſumat. Ejuſmodi Doctricem flagris compeſci juſſerunt Francorum Epiſcopi, uti ſcri- A. 847.
bunt eorumdem Annales Fuldenſes. Et Begginas, de rebus Divinis diſputare ac prædicare auſas, ſuiſſe quaſi in mentis inſaniam perductas adfirmant Clemens quintus Pontifex ac Synodus L.3.tit.11. c. 1.
Viennenſis. Eamdem audaciam in quibuſdam Hiſpaniæ Abbatiſſis damnat Innocentius tertius in litteris ad Epiſcopos Palentinum ac Burgenſem, & apud Gregorium nonum ſcribit fœmi- L.1. Epiſt. 187.
nam eſſe adeò incapacem poteſtatis Eccleſiaſticæ, ut eam Dominus nec matri ſuæ Virgini L.5.tit.38. c.10.
Mariæ delegarit. Et hinc patet ineptia ſuprà ex Euſebio Cæſareenſi Epiſcopo memoratæ legis Licinianæ. Quin immò Pippino Francorum Regi, roganti num Sanctimoniales poſſent ad Miſſarum ſolennia aut ſabbatho ſancto publicè lectiones, Alleluia, aut reſponſoria legere vel cantare, Zacharias Pontifex reſpondit negativè ex decreto Gelaſii primi, omne penitùs virile in Eccleſia officium fœminis rigidiſſimè vetantis. Et hinc poſtmodùm ſub Carolo Magno eorumdem Francorum Epiſcopi ſeptimæ Synodo generali improperarunt: *Mulier in Synodo docere non debet, ſicut Irene* Auguſta *in* iſta *Synodo feciſſe legitur.* At ſine fundamento. Irene quippè nequaquam in Synodo docuit, ſed cum filio Conſtantino dumtaxat interfuit, quomodò in Chalcedonenſi cum marito Martiano Pulcheria Auguſta.

CANON LXXI.

EOs, qui docentur leges civiles, gentilium moribus uti non oportere, & neque in theatrum induci, neque eas quæ dicuntur cyliſtras peragere, vel præter uſum communem ſibi veſtes induere, nec quo tempore diſciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus perveniunt, vel (ut in ſumma dicam) in ejus doctrinæ dimidio. Si quis autem deinceps hoc facere auſus fuerit, ſegregetur.

CANON LXXII.

NOn licere virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque verò orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed & ſi quid ejuſmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias

exiſtimare, & nefarium conjugium diſſolvi. Neque enim ea quæ non ſunt miſcenda miſceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum ſortem cum Chriſti parte conjungi oportet. Si quis autem ea, quæ à nobis decreta ſunt, tranſgreſſus fuerit, ſegregetur. Sin autem aliqui, qui adhuc ſunt infideles, & in orthodoxorum gregem nondùm relati ſunt, ſint inter ſe legitimo matrimonio conjuncti, deinde hic quidem eo quod eſt honeſtum electo ad lucem veritatis accurrerit, ille verò erroris vinculo detentus fuerit, nolens Divinos radios fixis oculis intueri, fideli verò placeat cum infideli cohabitare, ne à ſe invicem ſeparentur. Ex Divini enim Pauli ſententia, ſanctificatus eſt vir infidelis in muliere, & ſanctificata eſt mulier infidelis in viro.

Scholion.

L. 1. c. 5. Apoſtoli legem eodem modo exponit in libris contra Jovinianum Sanctus Hieronymus. *His, quos in matrimonio deprebendiſſet fides, hoc eſt, ſi unus credidiſſet è duobus; præcipit Apoſtolus, ne credens repudiet non credentem: Quod candidatus fidei ſit infidelis, ſi nolit à credente diſcedere. E contrariò jubet, ſi infidelis repudiet fidelem propter fidem Chriſti, diſcedere debere credentem, ne conjugem præferat Chriſto.* At longè aliter quarta Synodus Toletana. Cap. 63. *Judæi, qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Epiſcopo civitatis, ut ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur; quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur: Quia non poteſt infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Chriſtianam tranſlata eſt fidem.* Et hunc Canonem jam pridem recepit omnis Latina Eccleſia, ſciens aliter agendum ſub Chriſtianis Principibus, aliter ſub Paganis, à quibus juſtiſſima per fideles conjuges facta repudia fuiſſe publicis totius Religionis perſecutionibus quandoque vindicata teſtatur in prima Apologia Sanctus Martyr Juſtinus. Hinc infidelem ſine Creatoris injuria cohabitantem abjici à fideli Apoſtolus non permiſit. Porrò Tertullianus fidelem ab infideli abjectum aſſeverans quidem liberum, at à novis nuptiis proſcribens in libro ad caſtitatem exhortatorio, dogmatizat ut Montaniſta.

CANON LXXIII.

Cum Crux nobis vivifica ſalutare oſtenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapſu ſalvati ſumus, eum quem par eſt honorem habeamus. Quamobrem & mente & ſermone & ſenſu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ à nonnullis in ſolo ac pavimento fiunt, omninò deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps Crucis ſignum in ſolo conſtruunt, ſegregari decernimus.

Scholion.

Canon confirmat Theodoſii & Valentiniani tertii Auguſtorum legem ad Eudoxium L. 1. tit. 8. C. 1. Prætorii Præfectum, quàm Codici ſuo inſeruit etiam Juſtinianus. *Cùm ſit nobis cura diligens per omnia ſuperni Numinis religionem tueri, ſignum Salvatoris Chriſti nemini licere vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere, ſed quodcumque reperitur tolli, graviſſima pœna mulctando eo, qui contrarium ſtatutis noſtris tentaverit, ſpecialiter imperamus.* Deſumpta eſt lex ex pietate Helenæ Auguſtæ, Dominicam crucem à gentibus defoſſam quærentis, de qua poſt repertum ejus titulum ſcribit in Theodoſii Auguſti funebri encomio Sanctus Ambroſius: *Metuebat calcare Sacramentum ſalutis*, id eſt, ter-

ram, in qua jam conſtabat latere iſtud Sacramentum. Et de Tyberio Auguſto ſcribit Sanctus
L. 5. c. 19. Gregorins Epiſcopus Turonenſis. *Deambulans per palatium vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua Crux Dominica erat ſculpta, & ait:* CRUCE TUA DOMINE FRONTEM NOSTRAM MUNIMUS ET PECTORA, ET ECCE EAM SUB PEDIBUS CONCULCAMUS. *Et dicto citiùs juſſit eam auferri.* Nec pietas fuit ſine mercede; Grandem theſaurum ſub marmore invenit. Similem Convalli Scotorum Regis legem adducit & laudat in eo-
L. 9. c. 30. rumdem hiſtoria Hector Boctius. Verè tamen ad dictam Theodoſii legem ex Relatore legum in Gallia abrogatarum ait Dionyſius Gothofredus: *Hic titulus non obſervatur in Gallia.* Etenim ſepulchrales lapides ſacroſancta Cruce paſſim ſignamus. Quod lege juſſum fuiſſe etiam à Ketel-
L. 10. c. 36 lo Scotorum Rege laudatus Boetius affirmat.

Rectè ex Sancto Aſterio Amaſeno Epiſcopo ait Iconoclaſtici Conciliabuli refutatio, proba-
Act. 6. F. 624. ta per ſeptimam Synodum: *Lex eſt Chriſtianis ſigni iſtius adorandi & ſuperſcribendi.* Hinc enim Crucem eſſe Deum noſtrum, & nos eſſe crucicolas, Crucis religioſos, & Crucis Antiſtites exiſtimarunt antiqui gentiles, uti teſtantur Minutius Felix, & in libro Apologetico Tertullia-
Cap. 16. nus. Et Conſtantinum Magnum, quod Romano labaro, militum armis, ſuis ſtatuis, nummis, publicis ædificiis idem ſignum adponi, adpingi, aut adſculpi fecerit, laudant Euſebius Cæſa-
L. 4. c. 21. L. 1. c. 3. 4. 8. reenſis ac Hermias Zozomenus. Et huc in Epiſtola ad Lætam reſpicit Sanctus Hieronymus.
Epiſt. 7. *Solitudinem patitur & in urbe Gentilitas: Vexilla militum, Crucis inſignia ſunt, Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli ſalutaris pictura condecorat.* Et in laudato funebri Encomio Sanctus Ambroſius, agens de Dominicis clavis unà cum Crucis ſigno ab Helena matre impoſitis diademati & equeſtri fræno Conſtantini Auguſti: *Sapiens Helena Ceucem in capite Regum levavit, ut Crux Chriſti in Regibus adoretur.* Et ad Bulgarorum, *qui hactenùs in ſigno militari caudam equi portarant*, conſulta reſpondens Nicolaus primus Pontifex: *Quid aliud deinceps portetis, niſi ſignum ſanctæ Crucis?* Exemplo Conſtantini Auguſti. *Hoc eſt enim ſignum fidei, & ingens hor-*
A. 1273. *ror diaboli, quo Chriſtiani Principes in ſuis neceſſitatibus ſemper utuntur.* Ipſo etiam pro ſceptro, uti refert Henricus Stero, uſus eſt Rudolſus primus Imperator, ac omnibus civitatibus & caſtris cum hoc elogio, *Gloria Chriſtianorum*, appingi fecit laudatus Rex Convallus. In Valeria Pannonum Provincia per piſtores imprimi ſolebat cunctis panibus, moremque inſigni miraculo fuiſſe Divinitùs confirmatum narrat in Dialogorum libris Sanctus Gregorius Magnus.

Ejus adorandi legem primi in Eccleſia ſpernere cœperunt fœdiſſimi Bogomili, fœdiſſimorum Meſſalianorum fœdiſſima portio, de quibus in
Cap. 19. libro de ſectis Conſtantinus Harmenopulus: *Ignominia Crucem Dominicam afficiunt, veluti quæ Dominum necaverit.* Ex his natos exiſtimem Paulicianos, Manichæi ſurculum, apud Georgium
F. 358. Cedrenum blaterantes Crucem eſſe lignum execrationibus obnoxium, ideóque nullatenùs adorandum: Adorandum Evangelii librum, in quo veraciter ſint verba Chriſti. Ægri ſibi Crucem apponebant, ſanati frangebant, conculcabant, exurebant. Primi, qui ejus cultum cœperunt de idolatria accuſare, fuere impii Saraceni, ex cauſis ſuo loco exponendis. Eorum tamen ſacrilega conſilia ſeductus Imperator Leo Iſaurus ac ejus Iconoclaſtica factio hac in parte non receperunt. Etenim adversùm illos à ſanctæ Crucis ad imaginum cultum aſſiduè argumentantur ſeptima & octava Synodus, & à nullo Iconoclaſtarum ad Eccleſiam redeuntium iſtius colendæ profeſſionem exegerunt, quod nempe ipſi eò uſque nunquam deliraſſent. Quin immò Conſtantinus Copronymus Imperator Conſtantinum Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſacrarum imaginum cultum palàm in Eccleſia ex ambone ejuraturum, prodire juſſit cum benedictæ Crucis ligno in manibus, utpotè etiam apud ipſos ſacroſancto, coram quo pejerare erat prævaricatio Chriſtianitatis. Et Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus libellum nobis reliquit hoc titulo: *De differentia imaginis Chriſti & Crucis decem ſyllogiſticæ demonſtrationes.* Oſtendit imagines præ Cruce habere majorem cum Prototypo connexionem, ideòque eſſe magis venerabiles ac venerandas. Confirmat in ſeptimæ Synodi ad Joannem octavum Pontificem præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius. *Venerabilior eſt, qui ſalutem noſtram operatus eſt, quam ea materia ligni, in qua idem ſalutem operatus eſt: Ac per hoc magis eſt adoratione digna imago Chriſti ſalutem operantis, quam imago Crucis ſalutem tantummodò bajulantis.* Hinc inferunt Iconoclaſtas, qui Cruces colant, & imagines reſpuant, fœdè hallucinari.

Iſtam itaque Saracenam calumniam Eccleſiæ orthodoxæ primus ex hæreticis adfinxit Claudius Taurinenſis Epiſcopus, Felicis Urgelitani Epiſcopi in Pyrenæis, à quo hæreſis Feliciana, damnata per Synodum Francofordienſem, infelix diſcipulus, de quo in libris de imaginum cultu Jonas Epiſcopus Aurelianenſis. *Immodera-* L. 1.
to & indiſcreto zelo ſuccenſus non ſolùm picturas ſanctarum rerum geſtarum, verùm etiam Cruces materiales, quibus ob honorem & recordationem redemptionis ſuæ ſancta conſuevit uti Eccleſia, cunctis parochiæ ſuæ Baſilicis dicitur deleviſſe, everiiſſe, penitùs abdicaſſe. Eas, uti in Reſponſorum libro ad Ludovicum Pium Auguſtum & Lotharium Cæſarem affirmat Dungalus, eſſe dixit Dominicæ paſſionis opprobrium ac irriſionem, atque ità omnem turbavit Franciam ac Longobardiam, & in partes diſtraxit: Crucem, in qua Dominus pependit, non plus quam aſinum, in quo ſedit, adorandum dixit, aliaſque id genus nefandas blaſphemias, quibus linguam, calamum, chartam nolim maculare. Calviniſtis ejus diſcipulis iſta relinquo. Eo tempore per Flandriam noſtram contigerunt orthodoxorum à Claudianiſtis martyria, laudata per Jacobum Mejerum.

Memoratus Jonas rectè pergit in præfatione ſecundi libri. *Neque enim noſtro tempore cœpit uſus, figuram Crucis in Baſilicis Sanctorum ſtatui, ſed mos antiquæ obſervationis legitimus id inſtituit,*

ut cun-

*ut cunctis ſapientibus & ruſticis non ſolùm memoria
deformet ſpiritalem quamdam imaginis Crucis figu-
ram, ſed etiam corporalis ipſius intuitus crebram
menti præfigat Dominicæ paſſionis victoriam. Si
enim quantitas tanta venerabilis ligni, in quo Do-
minus & Salvator pependit, foret ut ex eo minua-
tim diviſo cuncta Deo dicata templa poſſent imaginem
Crucis habere, nullatenùs ex aliis lignis ejuſdem
formam in Baſilicis locaremus. Sed nec ideò Crucem
ut Dominum adoramus, ſed magis eum, qui per
Crucem mortis deſtruxit imperium. Porrò etſi oſcula
infigimus, non utique cauſa ligni, ſed potiùs amore
illius, qui in ea veteris ligni damna reparavit.*
Eam in quavis Baſilica, tamquam in navi arbo-
rem, figi ſcribit Sanctus Maximus, Claudii Præ-
Epiſt. 17. deceſſor in Eccleſia Taurinenſi. Oſculandi,
Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam,
amplexandi morem laudat in hiſtoria Eccleſiaſti-
L. 4. c. 25. ca Evagrius Epiphanienſis. Et Bulgaris quæren-
tibus, *Si liceat Crucem Domini cum reliquiis mundo
ſeu immundo banc habenti oſculari vel portare*, reſ-
Cap. 7. pondit Pontifex Nicolaus primus. *Oſculari eam
immundo non licet. Quoniam eo ipſo, quod immun-
dus eſt, ipſe ſibi teſtis eſt, quod mortificationem car-
nis non diligit. Ergò quam non amat, non oſculetur,
ne fortè de eo dicatur*: POPULUS HIC LABIIS
ME HONORAT, COR AUTEM EO-
RUM LONGE EST A' ME. Rectè enim
Sanctus Baſilius in oratione de quadraginta Mar-
tyribus, laudata per ſeptimam Synodum: *Mul-
Act. 6. tas Cruces exarare in una domuncula, & contemne-
re mandata Chriſti & imitationem paſſionum ejus,
inſipientiſſimum eſt.* Et Sanctus Aſterius Epiſco-
pus Amaſenus: *Noli Chriſtum pingere in veſtimen-
tis, ſed potiùs eorum ſumptus pauperibus eroga.*
Et hoc ſenſu in Sancti Matthæi Evangeliſtæ com-
mentariis arguens Phariſæos, membranæ inſcri-
ptum Decalogum portantes in fronte, addit
Sanctus Hieronymus: *Hoc apud nos ſuperſtitioſæ
mulierculæ in parvulis Evangeliis, & in Crucis li-
gno, & iſtiuſmodi rebus, quæ habent quidem zelum
Dei, ſed non juxta ſcientiam, uſque hodie facti-
tant, culicem liquantes, & camelum glutientes.*
Abſit, ut damnet avitam pietatem.

Jonas Aurelianenſis fuit unus ex illis Franco-
rum Epiſcopis, de quibus in ſeptimæ Synodi
laudata præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius:
Eis ſacrarum imaginum *utilitas* & legitima ado-
ratio *nondum eſt revelata*. De Crucis tamen ado-
ratione addit illos recta ſenſiſſe. Etenim Jonas
loqui videtur ex Sancto Ambroſio in funebri en-
comio Theodoſii Auguſti. *Helena invenit* Domi-
nicæ Crucis *titulum*. *Regem adoravit, non lignum
utique, quia hoc gentilis eſt error, ſed adoravit il-
lum, qui pependit in ligno ſcriptus in titulo.* Per-
git Jonas exponens ſanctæ ſextæ feriæ ritum,
quo omnis ſub cœlo Eccleſia Crucem veneratur,
L. 2. cantans: *Ecce lignum Crucis, in quo ſalus mundi
pependit, venite adoremus.* Eſſe affirmat vetuſtiſ-
ſimam traditionem, & addit. *Eccleſia Crucem
veneratur, adorat, colit, non cultu & adoratio-
ne, quæ ſolius Divinitatis eſt, ſed eo potiùs undè
ſatis ſuprà dictum eſt.* Et infrà. *Crucem Chriſti
adorat, id eſt, ſupplicando ſalutat.* Supplicat
Crucifixo, Crucem ſalutat. Hoc ipſum docet
ſeptima Synodus in reſutatione Pſeudo-Synodi
Iconoclaſticæ. *Nos, qui Deo ſoli ſervitutem no-* Act. 6.
ſtram in ſpiritu & veritate offerimus, Divinum ty- F. 615.
*pum pretioſæ Crucis ſalutamus, & amplectimur,
velut ſpem habentes ſanctificationem ab ea percipe-
re, & adorationem ſalutatoriam illi impendimus*,
ADORATE ENIM, *inquit*, SCABELLUM
PEDUM EJUS, QUONIAM SANCTUM
EST. *Propter quod & Gregorius Theologus in ſer-
mone de Nativitate Chriſti ait*: BETHLEEM
HONORA, PRÆSEPE ADORA. Et in
definitione fidei. *Definimus figuræ pretioſæ ac vi-
viſicæ Crucis oſculum & honorariam adorationem
tribuendam, non tamen veram latriam, quæ ſe-
cundùm fidem eſt, quæque ſolam Divinam naturam
decet.* Eam eſſe perpetuam Romanæ ac omnis
ſub cœlo Eccleſiæ fidem affirmat in adducta præ-
fationa laudatus Bibliothecarius.

Aliud eſt ſignum, aliud ſignificatum; uti
eſſentiæ, ità & honoris grande diſcrimen ha-
bent. Quiſquis aliud exiſtimat, errat toto cœlo.
Proindè Crucifixo Domino vera latria, reliquis
Sanctis dulia, eorum imaginibus ſola honora-
ria debetur ſalutatio ſeu adoratio ſalutatoria.
Jam audivimus Domini imagines eſſe ejus Cruce
venerabiliores, ideòque ſi huic poſſit, longè
magis iſtis poterit impendi latria, quod nemo
huc uſque in Eccleſia vel cogitavit. Et ipſi, in
quo Dominus pependit, ligno latriam denegat
Sanctus Ambroſius. Lignum quippè eſt, non
Deus. Et hinc Chazanzariorum, ſeu Staurola-
trarum, id eſt, Crucem latricè colentium, apud
Armenios, ſectam meritò ut impiam damnat L. 18. c. 54.
Nicephorus Caliſtus. Et gentiles iſtos, qui nos
Crucicolas, ſeu Crucis latricè religioſos exiſti-
mabant, ut dogmatis Chriſtiani plenè imperitos
ſpernit Tertullianus: Oſtendit ab illis, non à
nobis latricè adorari ligna cruciata. Eleganter
Stephanus quartus Pontifex in Synodo Romana,
publicata per D. Lucam Holſtenium: *Crucem pro* F. 262.
Crucifixo in ea adoramus & amplectimur fideliter.
In ipſa ut in honorabili ſigno adoramus Crucifi-
xum. Addit ex Sancto Athanaſio. *Non ſicut
Deos imagines adoramus nos fideles, abſit, ut Pa-
gani; ſed tantummodò affectum & charitatem ani-
mæ noſtræ ad vultum faciei imaginis aptamus. Undè
& multoties vultu deleto, ſicut lignum purum &
commune jam, quod dudùm fuerat imago, comburi-
mus.* Eadem eſt ratio ſigni Crucis. Ipſa enim
Dominica Crux ſemper ſancta manet ac ſacro-
ſancta.

CANON LXXIV.

QUod non oportet in Dominicis locis vel Eccleſiis eas , quæ dicuntur agapas , id eſt , charitates facere , & intùs in æde comedere , & accubitus ſternere . Qui autem hoc auſi fuerint , vel ceſſent , vel ſegregentur .

Scholion.

AGapas iſtas omninò Apoſtoli ordinarunt. Eas in Corinthiis non damnat Apoſtolus Paulus , ſed purgari ſolummodò & corrigi mandat , de quo in ſermone de Dominica cœna Ser. 15. Sanctus Eligius Epiſcopus Noviomenſis . *Corinthii , qui per Pauli Apoſtoli prædicationem ad fidem venerant , ſolebant in hac die ad Eccleſiam deferre panem & vinum , & dabant Sacerdoti ad conſecrandum , expletiſque myſteriis unuſquiſque , quod dederat , recipiebat . Sed & quidam illorum in foribus templi præparabant ſibi convivia in conſpectu pauperum , nihilque horum eis exſpectantibus erogabant . Undè notat eos dicens ,* QUOD ALIUS ESURIT, ALIUS EBRIUS EST. *Et idcircò ſubjungit :* NUNQUID DOMOS NON HABETIS AD MANDUCANDUM ET BIBENDUM, AUT ECCLESIAM DEI CONTEMNITIS, ET CONFUNDITIS EOS, QUI NON HABENT ? Et in Apoſtolicæ Epiſtolæ commentariis Theodoretus . *Dominicam cœnam Apoſtolus vocat Sacramentum Dominicum . Illius enim omnes ſunt æquè participes : Et qui in paupertate degunt , & quibus divitiæ abundant , & domini & ſervi , & Principes , & qui eorum parent imperio . Oportebat ergò & communes menſas eſſe communes , & imitari Dominicam .* Accuſari dicit ab Apoſtolo Corinthios , quod quiſque ſolus in Eccleſia ſuos ſibi cibos manducaret . Aliter Primaſius Epiſcopus Uticenſis . *Apud Corinthios quondam , ſicut aliqui aſſerunt , prava invaluerat conſuetudo , Eccleſias paſſim dehoneſtare conviviis , in quibus veſcebantur ante Dominicam oblationem , quam poſt cœnam noctibus offerebant . Cumque divites ebrii ad Euchariſtiam venirent , vexabantur inopes fame . Mos verò iſte , ut referunt , de gentili adhuc ſuperſtitione veniebat . Undè etiam quibuſdam locis per loca Ægypti vel Syriæ die ſabbathi nocte poſt cœnam dicitur ad Eccleſiam conveniri .* Quæ verba ſuis etiam commentariis inſeruit Sedulius Hibernienſis . Quis ergò fuerit præcisè Corinthiorum abuſus , eſt incertum . Et hinc in Epiſtola ad Januarium dicit generatim ac prudenter Sanctus Epiſt. 118. c. 4. Auguſtinus : *Menſis ſuis* communibus Divina Sacramenta *miſcebant* . Eumdem abuſum , graſſatum haud dubiè & in aliis Eccleſiis , notat Sanctus Judas Apoſtolus : *Hi ſunt in epulis* ſeu Agapis *ſuis maculæ , convivantes ſine timore , ſemetipſos paſcentes .*

Increpationi ſuæ addidit Paulus Apoſtolus : *Cætera , cum venero , diſponam .* Et omninò diſpoſuit : Attamen convivia iſta non abſtulit , ſed correxit . Et hinc in præfatione ad ſecundum librum commentariorum Epiſtolæ ad Galatas ſcribit Sanctus Hieronymus : *Corinthios Apoſtolus notat , quod indifferenter veſcantur in templis ; hoc ex parte uſque hodie permanere non poteſt dubitare , qui Achajam viderit .* Correctionis modum ediſſerit in libro Apologetico Tertullianus . *Cæna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit : Vocatur* Cap. 39. *enim Agape , quod dilectio penes Græcos .* Ejus ordinem , modeſtiam , innocentiam , ſanctitatem apologeticè deſcribit , utique adversùm Gentiles eam de prodigalitate , factione , flagitioſis tenebris , ac epulis Thyeſteis accuſantes , ac ejus cauſa Chriſtianos ut publicam generis humani peſtem deteſtantes . Eamdem in libris ad uxo- L. 2. c. 8. rem vocat *Dei convivium* , ac illi poſt ſuam mortem diſſuadet gentile conjugium , quod gentilis Cap. 4. maritus fidelem uxorem *ad convivium iſtud Dominicum , quod infamant , ſine ſuſpicione non dimittet .*

Ipſum etiam laudat Minutius Felix : *Convivia non tantùm pudica colimus , ſed & ſobria , nec enim indulgemus epulis , aut convivium mero ducimus , ſed gravitate hilaritatem temperamus .* Et in litteris ad Trajanum Auguſtum Plinius ſecundus , Bythiniæ Rector , agens de antelucanis Chriſtianorum ſacrificiis : *Diſcedunt* peracto conventu , *rursùſque coeunt ad capiendum cibum , promiſcuum tamen & innoxium .* Id eſt , non Thyeſtæas , de quibus patiuntur publicam calumniam , epulas . Et in Epiſtolæ Apoſtolicæ commentariis Sanctus Joannes Chryſoſtomus . *Fideles omnes in conventibus ſuis , poſtquam audiſſent doctrinas , poſt preces , poſt myſteriorum communionem , ſolutà concione non mox domum conſcendebant , ſed divites alimenta & edulia domibus ſuis afferentes , pauperes vocabant , communeſque faciebant menſas , communia prandia , communia convivia in ipſa Eccleſia : Atque ità à communione menſæ & pietate loci undequaque ad pietatem accendebantur .* Et adversùm Euſtatii Sebaſtenſis Archi-Epiſcopi nugas Cap. 11. ſtatuens Synodus Gangrenſis : *Si quis deſpicit eos , qui fideliter Agapas , id eſt , convivia pauperibus exhibent , & propter honorem Dei convocant fratres , & noluerit communicare hujuſmodi vocationibus , parvipendens quod geritur , anathema ſit .* Et infrà . *Bona opera , quæ ſupra vires in fratres pauperes exercentur , ſecundùm Eccleſiaſticas traditiones beatifica-*

Digitized by Google

tiſcamus. Et adverſùs Fauſtum Manicheum, nos de Paganorum ſacrificiis in Agapas demutatis
L.20.c.20. accuſantem Sanctus Auguſtinus. *Sacrificia Paganorum non vertimus in Agapas, ſed ſacrificium illud intelleximus:* MISERICORDIAM VOLO, QUAM SACRIFICIUM. *Agapes enim noſtræ pauperes paſcunt, ſive frugibus, ſive carnibus:* Quas vos Manichei ut tenebrarum principis opus damnatis. Et infrà. *Quoniam plerumque in Agapis etiam carnes pauperibus erogantur, miſericordiam Chriſtianorum ſimilem dicitis ſacrificiis Paganorum.* Et Sanctæ Euſemiæ Martyris in Baſilica Chalcedo-
L. 2. c. 3. nenſi miracula laudans Evagrius Epiphanienſis: *Sæpenumerò Epiſcopis ſecundùm quietem ipſa Martyr apparens jubet, ut in ipſo templo feſtum deliciis, & opiparis epulis celebrent.*

Verùm magnus ille Tertullianus ad Montanum delapſus loqui cœpit longè aliter. In libro
Cap. 13. de jejuniis tractans Pſalmi verſum, *Quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*, invehitur in Eccleſiam: *Hoc tu pſallere non facilè noſti, niſi quo tempore cum compluribus cœnas.* Et
Cap. 17. infrà in eodem libro. *Apud te Agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet. Sed major his eſt Agape, quia per hanc adoleſcentes tui cum ſororibus dormiunt. Appendices ſcilicet gulæ laſcivia atque luxuria eſt. Quis ſanctior inter vos, niſi convivandi*, id eſt, publici convivii donandi, *frequentior, niſi obſonandi pollucibilior, niſi calicibus inſtructior? Meritò homines ſolius animæ & carnis ſpiritualia* Montani dogmata *recuſatis. Cur ergò non conſtanter prædicatis:* MANDUCEMUS ET BIBAMUS, CRAS ENIM MORIEMUR. Et in libro de pudicitia calices noſtros, ac illis inſculptum in boni Paſtoris for-
Cap. 10. ma Jeſum Chriſtum, dicit eſſe *ebrietatis idolum, & mœchiæ aſylum, poſt calicem ſubſecuturæ*. Ex quo lucet Agapas iſtas à Montaniſtis fuiſſe damnatas & abrogatas. Nempe ſuperbus & contumax hæreticorum ſpiritus ſemper accuſat Eccleſiam, ac ſuæ reformationis fuco ritus ejus & mores demutat. Afros novimus ſemper fuiſſe ſalaciſſimos: Scribit namque Sanctus Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus eſſe tam impoſſibile Afrum eſſe caſtum, quam Afrum non eſſe Afrum. Et hinc facilè credo Agapas iſtas adoleſcentium aut juvenum fornicationibus quandoque fuiſſe ſordidatas. Earumdem cauſa nocturnas Eccleſiæ vigilias infamavit ac damnavit Vigilantius. Quocircà adverſùs Tertullianum dico, quod adverſùs iſtum ſcripſit Sanctus Hieronymus: Adventitium abuſum, quomodò & Apoſtolum jam audivimus feciſſe, non bonum & ſanctum ritum fuiſſe eliminandum. Erat corrigendus.

Ritus omninò manſit in orthodoxa Africa, uti liquet ex laudato ſuperiùs teſtimonio Sancti Auguſtini in libris adverſùs Fauſtum. Manſit item abuſus, quin & inſigniter crevit. Etenim ad Aurelium Carthaginenſem Archi-Epiſcopum de reformandis Eccleſiæ Africanæ abuſibus ſcri-
Epiſt. 64. bit idem Auguſtinus adhuc Presbyter. *Comeſſationes & ebrietates ità conceſſæ & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum martyrum non ſolùm per dies ſolennes, quod ipſum quis non lugendum videat, ſed etiam quotidie celebrentur.* Eandem miſeriam ac iniquitatem deplorat in tracta-
tibus ſuper Evangelium ac ſuper Epiſtolam Sancti Joannis Apoſtoli, ac in Homilia populari, Tract. 10. Tract. 4.
& in Confeſſionum libris ſcribit de Monica matre ſua advecta in Italiam. *Cùm ad memorias Sanctorum, ſicut in Africa ſolebat, pultes, & panem, & merum attuliſſet, atque ab Oſtiario prohiberetur, ubi hoc Epiſcopum vetuiſſe cognovit, tam piè utque obedienter amplexa eſt, ut ipſe* Epiſcopus Ambroſius *miraretur, quod tam facilè potiùs accuſatrix conſuetudinis ſuæ, quam diſceptatrix illius prohibitionis effecta ſit.* Cum pleno talium rerum caniſtro ſingulas Sanctorum memorias, Baſilicas, altaria accedebant piæ matronæ, ad ſingulas aliquid guſtabant, & cunctis præſentibus guſtandum porrigebant. Ex quo vides primævam Agapen in varias poſtmodùm declinaſſe ſpecies, eunctaſque in Eccleſia Mediolanenſi à Sancto Ambroſio fuiſſe proſcriptas. Hom. 50. c. 4. L. 6. c. 2.

Rectè Primaſius Uticenſis Epiſcopus affirmat morem illum de gentili adhuc ſuperſtitione venire: Quod ipſum in Confeſſionum libris affirmat Sanctus Auguſtinus, dicens etiam ſobriè fieri prohibitum à Sancto Ambroſio ob duas cauſas:
Primò, *ne ulla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis*; ſecundò, *quia illa quaſi Parentalia ſuperſtitioni gentilium eſſent ſimillima*. Videntur ſimiliora fuiſſe ſacro Romanorum convivio, dicto *Chariſtia*, de quo Ovidius in ſecundo libro Faſtorum: L. 6. c. 2. L. 2. c. 17.
Proxima cognati dixere Chariſtia chari. Et Valerius Maximus. *Convivium ſolenne Majores inſtituerunt, idque* CHARISTIA *appellarunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur. Ut ſi qua inter neceſſarias perſonas querela eſſet orta, apud Sacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, favoribus concordiæ adhibitis tolleretur.* Ejuſmodi convivia ſingulariter viguerunt apud Belgas, ab omni idololatrica ſcabie per ſanctos noſtræ fidei Patres expurgata, atque ità dudùm diſpenſatoriè indulta.

Diſpenſationis rationem edicit Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, ſcribens de Sancto Gregorio Thaumaturgo, iſtas ſuo neophyto populo Neo-Cæſareenſi Agapas in Martyrum feſtivitatibus permittente. *Cùm animadvertiſſet, quod* Orat. de S. Greg.
propter corporis voluptates ſimplex ac imperitum vulgus in errore ſimulacrorum cultus permaneret, quò maximè id, quod præcipuum eſt, interim in iis aſſequeretur, nempe ut vanis ſuperſtitionibus relictis ad Deum converterentur, permiſit eis, ut in memoriam ſanctorum Martyrum ſeſe exhilararent, & oblectarent, atque in Lætitiam effunderentur, quod ſucceſſu temporis aliquando futurum eſſet, ut ſua ſponte homines ad honeſtiorem & exactiorem vitæ rationem tranſirent, præſertim cùm etiam fides viam ad illam rem præmonſtraret. Quæ res nimirùm etiam jam in pleriſque ſucceſſit, atque confecta eſt, omni voluptate à corporis oblectamentis ad ſpiritualem lætitiæ formam traducta. Eamdem cum ſua ratione diſpenſationem laudat plurimùm Sanctus Baſilius Magnus. Et in Epiſtola ad Mellitum Abbatem ſcribit Sanctus Gregorius Magnus de Anglis L. 9. Epiſt.
neophytis. *Quia boves ſolent in ſacrificio dæmonum* 71.
multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua ſolennitas immutari, ut die dedicationis vel natalitio

littio

litio ſanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuatur, tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſiat, quæ ex ſanis commutatæ ſunt, de ramis arboram faciant, & religioſis convivils ſolennitatem celebreat. Nec diabolo jam animalia immoleat, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & Donatori omnium de ſatietate gratiat referant, ut dùm eis aliqua exteriùs gaudia reſervantar, ad interiora gaudia conſentire faciliùs valeant. Nam duris mentibas ſimul omnia abſcindere, impoſſibile eſſe non dubium eſt: Quia is, qui locum ſummum adſcendere nititur, neceſſe eſt ut gradibus vel paſſibus, non autem ſaltibus elevetur. Sic Iſraelitico populo in Ægypto Dominus ſe quidem innotuit, ſed tamen eis ſacrificiorum uſus, quos diabolo ſolebant exhibere, in cultu proprio reſervavit, ut eis in ſacrificio ſuo animalia immolare præciperet, quatenùs cor mutantes aliud de ſacrificio amitterent, aliud retinerent, ut etſi ipſa eſſent animalia, quæ offerre conſueveraat, verùmtamen Deo hæc, & non idolis immolantes, jam ſacrificia ipſa non eſſeat. Quomodò Deus ſacrilegia iſta tranſtulit in vera ſacrificia, ità varios gentilium mores ſancti Eccleſiæ Patres expurgarunt ab omni idololatria & varia ſpurcitia, atque ſic fecerunt Chriſtianos. Et hæc eſt vera origo noſtrorum Belgicorum in civitatum aut pagorum dedicationibus ac ſanctorum Patronorum feſtivitatibus conviviorum. Eam non intelligens Fauſtus Manicheus blateravit Paganorum ſacrificia à nobis in Agapas demutata.

Et apud Afros calumnia non caruit omni penitùs fundamento. Hinc enim Synodi Laodicenſis, multorum per Ponticam Diœceſim ac omnem Orientem Epiſcoporum à Gregorio Nyſſeno laudatorum, ac Sancti præſertim Ambroſii, patris & magiſtri ſui, ſpiritu plenus Sanctus Augu-
Cap. 30. ſtinus à tertia Carthaginenſi Synodo impetravit hunc Canonem. *Nulli Epiſcopi vel Clerici in Eccleſia conviventur, niſi fortè hoſpitiorum neceſſitate tranſeuntes illic reficiantur. Populi etiam ab ejuſmodi convivils, quantùm fieri poteſt, prohibeantur.* Et ab alia neſcio qua Synodo congeſta in faſcem malè ligatum ſub titulo Concilii Africani. *Petendum* à Dominis Imperatoribus, *ut quæ contra* Cap. 27.
præcepta Divina multis in locis convivia exercentur, quæ ab errore gentili attracta ſunt, ità ut nunc à Paganis Chriſtiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Chriſtianorum Imperatorum perſecutio altera fieri occultè videatur, vetari talia jubeant, & de civitatibus & de poſſeſſionibus, impoſita pœna, prohiberi: Maximè cùm etiam in natalibus beatiſſimorum Martyrum per nonnullas civitates, & in ipſis locis ſacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos atque plateas exercent, ut matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor, devotè venientium ad ſacratiſſimum diem, injuriis laſcivientibus appetatur, ut etiam ipſius ſanctæ religionis penè fugiatur acceſſus. Ex Belgio noſtro & reliqua Gallicana Eccleſia proſcripſit Cap. 11.
ſecunda Synodus Aurelianenſis: *Ne quis in Eccleſia votum ſuum cantando, bibendo, vel laſciviendo diſſolvat, quia Deus talibus votis irritatur potiùs, quam placetur.* Iteravit ac innovavit Synodus Cabilonenſis. Exindè noſtra plebs cœpit in cœ- Cap. 19.
meteriis ante Eccleſiarum januas convivari, cantare, ſaltare: A vigilantibus Epiſcopis ad proprias ædes aut publicas popinas compulſi ſunt, à quibus utinam & hodiernæ comeſſationes eliminentur. Plenum vetus malum, uti à variis ſuprà Patribus audivimus, dudùm remanſit in quibuſdam Græcorum Eccleſiis, ipſumque præſens Canon nititur eradicare. Non plenè eradicavit. Etenim in Reſponſis ad Michaelis Patriarchæ Conſtantinopolitani calumnias Cardinalis Humbertus Græcos arguit, *quod ab ipſa ſanctæ communione ſtatim ad communes cibos tranſireat, & aliqui etiam ad Eccleſiam legumina & alia obſonia deferentes inibi comederent.* Eos id in feſto Paſchali facere conſuetos teſtatur in liturgicis eruditus Caſſander. Etiam de nobis Latinis queritur Sy- Seſſ. 21.
nodus Baſileenſis: *Quidam in certis anni celebritatibus comeſſationes & convivia in Eccleſiis præparant.* Et quidem cum cantu, choreis, larvis: Vocabant feſta fatuorum ſeu puerorum.

CANON LXXV.

EOs, qui in Eccleſiis ad pſallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum, quæ Eccleſiæ non conveniunt & apta non ſunt, adſciſcere, ſed cum magna attentione, & compunctione pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpector, offerre. Pios enim & ſanctos fore filios Iſrael, ſacrum docuit oraculum.

SCHO-

SCHOLION.

ECcleſiæ cantus eſt longè antiquiſſimus. Eteoim illum & David Propheta Rex ornavit, & populus cantans ex Ægypto liberatus abjit, & in ipſo cœlo Sancti Angeli à primo ſuæ ereationis exordio Divioas laudes caotaverunt. De ejus in Eccleſiis origine ſcribit in litteris ad
Epiſt. 119. c. 18. Januarium Sanctus Anguſtinus: *De hymnis & pſalmis canendi & ipſius Domini, & Apoſtolorum habemus documenta, & exempla, & præcepta.* Largè ipſum oſtendit qnarta Synodus Toletana.
Cap. 13. Nempe poſt ſacroſanctam cœnam Domious hymnum dixit, & Domino in cordibus noſtris cantare Apoſtolus in variis locis præcepit. Eum pri-
L. 6. c. 8. mus ordinare cœpir glorioſus Martyr Igoatius, de quo Socrates. *Ignatius Antiochiæ in Syria tertius à Petro Apoſtolo Epiſcopus viſionem vidit Angelorum ſanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantantis collaudantium, & formam canendi in ea viſione expreſſam Eccleſiæ Antiochenæ tradidit. Undè illa traditio in omnibus Eccleſiis recepta eſt.* Ignatius ità cantari tradidit ſolos hymnos. Pſalmos adjunxeruot poſtmodùm Flaviaous & Diodorus Preſbyteri ejuſdem Eccleſiæ, de quibus in Eccleſia-
L. 2. c. 24. ſtica hiſtoria Theodoretns. *Hi primi, pſallentium choro in duas partes diviſo, hymnos Davidicos alternis canendos tradiderunt. Quæ res primùm Antiochiæ cœpta ubique pervaſit, & ad ultimas orbis terræ oras pervagata eſt.* Alii malnnt ab Ignatio etiam pſalmos alternatim cantari juſſos, ejuſqne inſtituti lapſum à Flaviano & Diodoro dumtaxàt correctum. Davidicos enim pſalmos ſemper Eccleſia cantavit.

Quidquid ſit, vetuſtum aliarum Eccleſiarum
L. 2. c. 16. morem refert ex Philone Judæo Euſebius Cæſareenſis in Eccleſiaſtica hiſtoria. *Cùm unus ſuavi quodam concentu pſallere decenter & modeſtè acceperit, reliqui placidè & quietè auſcultantes poſteriores hymnorum partes ad extremum unà decantant.* Et in libro Apologetieo Tertulliaoos: *Ut quiſque de*
Cap. 39. *Scripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.* Et in præſatiooe ſecnndi libri commentariorum Epiſtolæ Apoſtolicæ ad Galatas Sanctus Hieronymns. *Romanæ plebis ab Apoſtolo laudatur fides. Ubi alibi ſic ad cœleſtis tonitrui ſimilitudinem*, AMEN, *reboat?* Nempe etiam tooe adhnc Romæ ſolus Lector præcinebat, & ad extremnm pſalmi ſeu hymni verſum populus, *Amen*, reſpondebat. Eſt forma laudata ab Apoſtolo in prima Epiſtola ad Corinthios, quam etiam Alexandriæ ſub Sancto adhuc Athanaſio viguiſſe ſcribit in Confeſſionum
L. 10. c. 33. libris Sanctus Auguſtinus.

Rectè Socrates & Theodoretus affirmant formam Antiochenam tandem invaluiſſe apud omnes Eecleſias. Etenim de Romana Eccleſia ſcribit ad Saoctum Hieronymum Saoctus Damaſus Pontifex io litteris publicatis per Martium
Epiſt. 7. Mileſium. *Peto tuam Charitatem, ut Græcorum Pſallentiam ad nos dirigere delectetur, quia tantæ apud nos ſimplicitatis indago eſt, ut tantùm in die Dominica Apoſtoli Epiſtola una recitetur, & Evangelii unum capitulum dicatur: Et nec pſallendi mos tenetur, nec hymni decus in ore cognoſcitur.* Et de Eccleſia Mediolanenſi, à Valentiniano ſecundo Auguſto, per matrem Juſtinam Arianam circumſcripto, in Epiſcopo ſuo Ambroſio perſecutionem paſſa, ſcribit Sanctus Auguſtinus in L. 9. c. 3.
libris Confeſſiooum. *Tunc hymni & Pſalmi ut canerentur ſecundùm morem Orientalium partium, inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac penè omnibus* Eccleſiis *per cætera orbis imitantibus.* Et in Sancti Ambroſii vita Presbyter Paulious. *Hoc in tempore primùm Antiphonæ, hymni, ac Vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperant: Cujus celebritatis devotio uſque in hodiernum diem non ſolùm in eadem Eccleſia, verùm etiam per omnes penè Occidentis provincias manet.* Quibus ex verbis quidam exiſtimant morem Mediolano Romam qnoque migraſſe. Eſt admodùm veroſimile. Fictitia eſt jam adducta Damaſi Epiſtola, & laudata Sancti Hierooymi in Epiſtolam ad Galatas præfatio, aſſerens tone veterem adhue eanendi modum Romæ viguiſſe, omninò poſt Damaſi mortem eſt conſcripta.

Sanctiſſimum inſtitutum ioſigniter perfecerunt ac propagarunt varii Romani Pootifices, præſertim Sanctus Gregorius Magnus, de quo in ejus vita Joannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus.
Propter muſicæ compunctionem dulcedinis antiphonarium centonem cantorum ſtudioſiſſimus nimis utiliter L. 2. c. 6.
compoſuit. Addir ejus flagellum, qno docens minabatur pueris, cnm debita veneratione ſervari io Eccleſia Lateranenſi. Ad ejus tempora varius ae diſſonus per varias gentes fuit cantus,
variuſque etiam intra unam teſte Sancto Auguſtino, Africam *conſuetudo:* In nnitatem Grego- Epiſt. 119. c. 18.
rius redegit, ac pleriſque per Occidentem Eccleſiis impoſuir, qui poſtmodùm à Theodoro Cantuarienſi Epiſcopo io Anglia, à Pippino & Carnlo Magno Regibos in Francia, à Ludovico Pio in Aquitania, in aliis locis per alios fuit aut receptus aut reſtauratus. Meritò culpantur Hiberni, quod uſque ad Sancti Malachiæ Dunenſis Epiſcopi aut Henrici ſecuodi Anglorum Regis tempora cantum Eccleſiaſticum ignorarint. Et quomodò Turſtinus Glaſtonienſis io Anglia Abbas, Gregorianum ejiciens, ac neſcio cujus Guilielmi Fiſcanenſis eantum intrudens, turbarit F. 459.
omne ſuum monaſterium, refert Rogerus Hovedenſis.

Cantos ooſtri otilitatem exponit in Confeſſionum libris Sanctus Angnſtinus. *Quantùm flevi,* L. 9. c. 6.
Domine in hymnis & canticis tuis, conſonantis Eccleſiæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & mihi benè erat cum illis. Et
in alio libro. *Cùm reminiſcor lachrymas meas,* L. 10. c. 33.
quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſo commoveor, non cantu, ſed rebus, quæ cantantur, cum liquida voce & convenientiſſima modulatione cantantur, magnam inſtituti hujus utilitatem agnoſco. Ità fluctuo inter periculum voluptatis & experimentum ſalubritatis, magiſque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſuetudinem

appro-

approbare in Eccleſia, ut per oblectamenta aurium infirmus animus in affectum pietatis adſurgat. Et Epiſt. 119. c. 18. in Epiſtola ad Januarium dicit eſſe rem utiliſſimam *ad movendum piè animum, & accendendum Divinæ dilectionis affectum*. Ità tandem poſt dubitationis ſuæ, infra ediſſerendæ, benè expenſas rationes judicavit Auguſtinus. L. 5. A. 1389. Perperam igitur cantum, ut Deo non gratum, proſcribi à Divinis officiis volunt apud Henricum Cnychtonum Wicleffiſtæ. Placere ſibi oſtendit Deus in Eadredo apud Anglos cantore peritiſſimo, per ſex ante mortem ſuam annos muto extra ſolam Eccleſiam: Piam artem ità fuiſſe à linguæ vitiis L. 3. c. 1. ſervatam affirmat Symeon Dunelmenſis.

Præſens Canon de cantu ſtatuit tria. Primò, mandat eſſe alienum ab inordinatis vociferationibus. Hinc enim & Sanctus Cyprianus ſcribit in ſermone de oratione Dominica. *Quando in unum cum fratribus convenimus, & ſacrificia Divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus. Non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem modeſtè commendandam Deo tumultuoſa loquacitate jactare: Quia Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt. Nec admonendus eſt clamoribus, ſed cogitationes hominum videt*. Demonſtrat id variis è Divina Scriptura teſtimoniis & exemplis. Et adverſùm Donatiſtas ſcribit Sanctus Auguſtinus. Epiſt. 119. c. 18. *Donatiſtæ nos reprehendunt, quod ſobriè pſallimus in Eccleſia Divina cantica Prophetarum, cùm ipſi ebrietates ſuas ad canticum pſalmorum humano ingenio compoſitorum quaſi tubas exhortationis inflamment*. Et Sanctus Fulgentius laudatur docuiſſe ſuos Clericos *pſallendi ſuaviter curam maximam gerere*. Et Cap. 29. in Synodo Cloveshoenſi, per Guilielmum Malmesberienſem adducta, F. 197. ſtatuit Sanctus Cuthbertus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus: *Ut modeſta voce ſacra in Eccleſiis canant*. Et in ſecunda ſua Synodo Joannes Archi-Epiſcopus Treverenſis. *Laudes Divinæ reverenter & alacriter perſolvantur, nequaquam ſublato in altum clamore, ne vel inſanire, vel animi laſcivia geſtire videantur potiùs, quam fervore ſpiritus exultare, ſemper verſiculum decantatiſſimum animo volventes*: NON CLAMANS, SED AMANS CANTAT IN AURE DEI.

Addit Sanctus Auguſtinus quaſdam Africanas Eccleſias fuiſſe omninò in cantu pigriores, ideòque Donatiſtarum calumniæ fuiſſe aliquid fundamenti. Et Sanctus Fulgentius Clericis ſuis etiam plenè *pronunciandi curam* commendavit. Rectè enim Herardi Turonenſis Archi-Epiſcopi Cap. 16. Capitulare & Aquiſgranenſis ſub Ludovico Pio Synodus cantum noſtrum ità volunt eſſe modeſtum & diſciplinatum, ut tamen diſtinctus ſit atque ſonorus. Et in Synodo ſua Londinenſi, adducta per Rogerum Hovedenſem, ſtatuit Hubertus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis. *Omnes horæ & omnia officia apertè & diſtinctè dicantur, ità quod ex feſtinatione nimia non præcidantur vel ſyncopentur. Quod ſi obſervatum non fuerit, poſt ternam admonitionem uſque ad condignam ſatisfactionem ſuſpendantur*. Seſſ. 21. Et Synodus Baſileenſis admonet cunctos Clericos, *ut ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, non in gutture vel inter dentes, ſeu deglutiendo & ſyncopando, ſed reverenter verbis diſtinctis peragant*: Etiam extra chorum. Et Synodus Senonenſis ſub Antonio à Prato Archi Epiſcopo. *Laudes Divinæ per ſingulas horas* L. 2. c. 18. *non curſim ac feſtinanter, ſed tractim cum pauſa decenti, præſertim in medio cujuslibet verſiculi pſalmorum*, debitam faciendo inter ſolenne & feriale officium *differentiam, reverenter ab omnibus perſolvantur*. Et Synodus Colonienſis ſub Hermanno Archi-Epiſcopo. *Laudes Divinæ non curſim ac feſtinanter, ſed tractim; non truncatè, ſed in-* Part. 3. c. 5. *tegrè, diſtinctè, devotè, reverenter decantentur*.

Omittere nolim Chriſtianiſſimam legem Juſtiniani Auguſti ad Atarbium Prætorio Præfectum. *Sancimus, ut omnes Clerici, per ſingulas Eccleſias* L. 1. Cod. tit. 3. c. 41. *conſtituti, per ſeipſos pſallant nocturna, & matutina, & veſpertina, nec ex ſola Eccleſiaſticarum rerum conſumptione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei*. Neque enim pii fideles bona ſua tranſcripſerunt Eccleſiis, ut vani indè, quod Juſtinianus eleganter proſequitur, homines etiam inter ipſas Divinas laudes otiarentur. Confirmat laudata Colonienſis Synodus. *Muta aut clauſa labia nemo teneat, ſed pariter ſenes cum junioribus laudent nomen Domini*. Addit penitùs *aberrare, qui ſeſe non alicujus officii in Eccleſia exercendi, ſed quietis & inertiæ tantùm cauſa canonicatum exiſtimant adeptos, perindè atque ſatis ſit, paucis quibuſdam Clericis admodùm ignaris, tenui pretio conductis, curam Divini officii committi, quod deindè ejuſmodi mercenarii ſyncopando tranſcurrunt, interim Canonicis tota vita torpentibus*. Adjungit Synodus Senonenſis: *Omnes, præſertim qui majore funguntur honore, in pſalmis, hymnis, & canticis, Deo alacriter modulentur*. Et Moguntina ſub Sebaſtiano Archi-Epiſcopo: *Nemo in choro, aliis pſallen-* Cap. 53. *tibus, ſeorſim legere aliquid, aut ſuas horas canonicas orare præſumat*.

Secundò ſtatuit præſens Canon, *Ut cum magna attentione & cumpunctione pſalmodias Deo offeramus*, quod ille ſit *occultorum inſpector*. Eſt enim Apoſtolicum ad Epheſios mandatum: *Cantantes in cordibus veſtris Domino*. Ad quæ verba Theodoretus: *Corde canit, qui non ſolùm linguam movet, ſed etiam mentem excitat ad eorum, quæ dicuntur, intelligentiam*. Et Sanctus Primaſius: *Non ore tantùm verba cantemus*. Cantus noſter eſt communis & publica totius Eccleſiæ oratio, de qua in tertio ſermone de jejunio Septembris Sanctus C. 2. 3. 4. Leo Magnus. *Habet ſemper privilegium ſuum, ut ſacratius ſit, quod publica lege celebratur, quam quod privata inſtitutione dependitur*. Eam eſſe dicit *potentiam invictæ pietatis*. Potentiam iſtam ac privilegium laudat item in libro Apologetico Tertullianus. *Coimus in cœtum & congregationem, ut* Cap. 39. *ad Deum, quaſi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt*. Eſt enim ab ipſo Domino commendata nocturni pulſatoris Cap. 40. importunitas, & violentia, *qua invidia cœlum tundimus, Deum tangimus, & miſericordiam extorquemus*. Eorum radicem aperit Sacerdos, ante ſacrificii noſtri conſecrationem, orationem omnium violentiſſimam, hortans, *Surſum corda*,

da,

da, & populus reſpondens, *Habemus ad Dominum*. Exponit in ſermone de oratione Dominica Sanctus Cyprianus. *Admonemur*, & ſpondemus *nihil aliud, quam Dominum cogitare. Claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione ſyncera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare. Quæ autem ſegnitia eſt alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud, quod debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodò te audiri à Deo poſtulas, cùm te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui cùm rogas, quando tu ipſe tui memor non ſis? Hoc eſt ab hoſte in totum non cavere, hoc eſt, quando oras, Majeſtatem Dei negligentia orationis offendere, hoc eſt vigilare oculis & corde dormire.*

Nec putemus eas mentis evagationes eſſe penitùs ſine noſtro voluntario vitio & culpa. Rectè enim in Palladii Helenopolitani Epiſcopi lauſia- Cap. 43. ca hiſtoria dixit Joannes Anachoreta. *Res efficitur vanitas, quando quis Dominum alloquens deorſùm impellitur ab iis, quæ ex adverſo trahunt, cogitationibus. Hæc autem mentis prolapſio unicuique accidit, qui hunc mundum non omninò abnegavit, ſed venatur ut ei placeat. Ob multa enim, quæ aggreditur, ejus mentem dividunt curæ corporeæ & terreſtres.* Hic Joannes eſt ille magnus novi teſtamenti Propheta, quem ut patrem coluit Theodoſius Imperator ſenior, & aliquoties laudat Sanctus Auguſtinus. Dictæ, inquam, prolapſiones ſunt frequenter omninò involuntariæ, attamen natæ ex voluntario mundi amore, qui licèt cor noſtrum ab illo ſummo & vero, de quo ad Martham circa plurima ſatagentem dictum eſt, *Unum eſt neceſſarium*, non ſeparet, tamen in fallacem mundi multitudinem dividit, adjungitque nos illis hæſitantibus, de quibus Sanctus Jacobus Apoſtolus. *Qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris,* Cap. 1. *qui à vento movetur & circumfertur: Non ergò æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Meritò Coloſſenſes monet Apoſtolus, ut inſtent orationi vigilantes in ea. *Quod nempe*, inquit laudatus Cyprianus, *ſoli iſtic vigilantes poſſint à Deo impetrare*. Pulchrè in libro adversùm Lucie- Cap. 6. ferianos Sanctus Hieronymus: *Creberrimè in oratione mea aut porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero*. Fatetur eſſe prolapſiones, at ex jam dicto ſpontaneo fonte ſcaturientes, ideóque cauſas juſtiſſimas, cur à Domino nihil impetremus. Et in ſecunda concione ſuper pſalmum trigeſimum quartum Sanctus Auguſtinus. *Quando cantas hymnum, laudas Deum. Lingua tua quid agit, niſi laudet conſcientia:* Soli Deo per plenum, prout vitæ præſentis miſeria ſinit, amorem, qui omnes iſtas prolapſiones ſiſtat, adfixa? Hunc amorem omnis fidelis firmo conatu inſequi, omnis Sacerdos, cujus eſt publicas Eccleſiæ preces quotidie offerre Deo, jam habere debet, utpotè profeſſus ſtatum perfectionis. Alioquin eſt ex illis, de quibus in Epiſtola ad quatuor Græcorum Patriarchas Sanctus Gregorius Magnus. *Qua fiducia pro peccatis alienis ad* L. 1. Epiſt. 24. *Deum interceſſor venio, apud quem de propriis ſecurus non ſum?* Interceſſor ei, apud quem intercedit, eſſe debet gratus, amicus, familiaris: *Quantæ igitur hoc audaciæ eſt, quod apud Deum pro populo locum interceſſoris obtineo, cui me familiarem eſſe per vitæ meritum non agnoſco?* Ex quo lucet eos, qui ſola vocali lectione ſeu cantu putant adimpleri orationem vocalem ac legem Eccleſiaſticam, longiſſimè vagari à lege Chriſtiana. Remitto eos ad ſecundam Synodum Joannis Archi-Epiſcopi Treverenſis. *Omnes, qui horis canonicis perſolvendis deputati ſunt, dent operam, ut collectis animis, quoad fieri poteſt, debitum penſum abſolvant: Nec ità ſe habeant, ut dum voce pſallunt, quidvis potiùs quam Deum in animo cogitare videantur, ſemper caventes, ne Propheticum illud audiant*: LABIIS QUIDEM ME HONORANT, COR AUTEM EORUM LONGE EST A ME. *Quid autem eſt voce quidem pſallere, mente autem domum aut forum circumire, niſi homines fallere & Deum irridere?* Ejuſmodi cantus neque *Dei venerationem*, neque *hominis petitionem* continet, quæ eſſe *propria orationis officia* ſcribit Cap. 1. in libro de oratione Tertullianus.

Tertiò denique præſens Canon ſacro noſtro cantui miſceri vetat ea, *quæ Eccleſiæ non conveniunt, & apta non ſunt*. Olim quiſque Epiſcopus pſalmos componebat & hymnos, & adjungebat officio Eccleſiaſtico. Ex hoc opere Nepos Ægypti Epiſcopus, Sanctus Hilarius Pictavienſis, Sanctus Ambroſius, Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Sanctus Efreem Eccleſiæ Edeſſenæ Diaconus, aliique plures etiamnùm hodie laudantur per omnem Eccleſiam, & de ſeipſo ſcribit in Retractationum libris Sanctus Auguſtinus. *Volens* L. 2. c. 8. *cauſam Donatiſtarum ad ipſius humillimi vulgi & omninò imperitorum atque idiotarum notitiam pervenire, & eorum, quantùm fieri poſſet, per nos inhærere memoriæ, pſalmum, qui eis cantaretur, feci*. Verùm licentia in abuſum profecit. Etenim ad Sanctum Dionyſium Pontificem adversùs Paulum Samoſatenſem Antiochiæ Patriarcham hæreticum ſcribit apud Euſebium Cæſareenſem Synodus Antiochena. *Pſalmos & can-* L. 7. c. 14. *tus, qui ad Domini noſtri Jeſu Chriſti honorem decantari ſolent, tamquam recentiores, & à viris recentioris memoriæ editos, exploſit, & in media Eccleſia, ſolenni Paſchatis die, mulieres, quæ inanes cantilenas, quas ſi quiſpiam audiret, planè exhorreſceret, in ipſius laudem funderent, paravit.* Etiam Theophylactum Patriarcham Conſtanti- F. 526. nopolitanum, quod ſæcularia cantica in Eccle- Cap. 9. ſiam introduxerit, graviter culpat Georgius Cedrenus. Et apud nos Latinos ſtatuit Synodus Antiſiodorenſis: *Non licet in Eccleſia puellarum cantica exercere*. Et Baſileenſis: *Abuſum, quo in Eccleſiis cantilenæ ſæculares admiſcentur, abolemus.* Etiam à Valentino, Donatiſtis, Ario, Arianis variis, ac Apollinario Laodicenſi compoſitos hymnos peſtiferos, plurimoſque è ſimplici plebe ſeductos teſtantur Tertullianus, Sanctus Auguſtinus, Socrates, Zozomenus, Theodoretus. Etiam per Epiſcoporum componentium imperi-

tiam prodiiſſe hymnos ac alias preces hæreticas Cap. 12. queritur Milevitana Synodus, ideòque nullas, niſi à prudentioribus tractatas, & à Synodo comprobatas permittit deinceps in Eccleſia legi aut cantari. Quin immò quidam Hiſpaniarum Epiſcopi projecerunt etiam Sancti Hilarii ac Sancti Ambroſii hymnos, *pro eo, quod de Scripturis ſanctorum Canonum vel Apoſtolica traditione non exiſterent:* Erat Pauli Samoſateni audacia, ideòque illos meritò compeſcuit quarta Synodus Toletana. Hymnos iſtos, ut ſpiritu Dei conditos, ſemper Eccleſia eſt venerata. Rectè verò Clemens octavus Pontifex etiam novas litanias à quocumque compoſitas vetuit in Eccleſia recitari: Const. 122 Jam pridem enim omnium omninò publicarum precum examen & approbationem ſibi Romana Eccleſia reſervavit.

Nec tantùm diſſonam ab Eccleſiaſtica fide aut moribus materiam vetat præſens Canon, ſed & incongruam cantandi formam, de qua Apoſtolicæ ad Epheſios Epiſtolæ verſum, Cap. 5. *Cantantes in cordibus veſtris Domino*, exponens Sanctus Hieronymus, adductus etiam & laudatus à Synodo Senonenſi. *Audiant hæc adoleſcentuli: Audiant hi, quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo non voce, ſed corde eſſe cantandum, nec in tragædorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Eccleſia theatrales moduli audiantur & cantica; ſed in timore, in opere, in ſcientia Scripturarum. Quamvis ſit aliquis, uti illi ſolent appellare, cacotonos, ſi bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor eſt.* Longè minùs evitandi ſunt pueri, ut mimicè in Eccleſia cantent, & extra illam flagitioſiſſimè vivant. Evirationis facinus ut verum homicidium damnant Romanæ leges, adeòque talis in Eccleſia cantus quid aliud eſt, niſi barbaro quorumdam gentilium more proprios Deo filios immolare? Meritò in Capitulorum brevi quoſdam Epiſcopos & Abbates reprehendit Carolus Magnus, *Quod plus ſtuderent, ut ſuus cle-* Cap. 112 *ricus vel monachus benè cantaret & legeret, quàm juſtè & beatè viveret. Quamvis non ſolùm minimè contemnenda ſit in Eccleſia cantandi vel legendi diſciplina, ſed etiam omnimodis exercenda. Si utrumque accedere non poteſt, ferenda tolerabilitùs videtur imperfectio cantandi, quam vivendi.* Meritò item Thomam Eboracenſem Archi-Epiſcopum laudat F. 293. Guilielmus Malmesberienſis, quod maſculam in Eccleſia muſicam induxerit, immunem ab omni effæminatione, de qua gentilis Poeta Perſius: *Nec quidquam tenero ſupplantens verba palato.* Iſti ſanè cantus ſaltum provocant, non planctum peccatorum. Plurima illum proſcribunt ac damnant decreta Eccleſiaſtica, ac noviſſimè etiam Seſſ. 22. ſacroſancta Synodus Tridentina.

Reſtat quæſtio, An Wicleffiſtas Eccleſiaſtici cantus damnatores rectè olim Eccleſia damnarit? Ratio dubitandi eſt, quia aliud feciſſe non videntur, quam quod fecit Sanctus Athanaſius, de quo in Confeſſionum libris Sanctus Auguſtinus. *Athanaſius tam modico flexu vocis faciebat ſo-* L. 10. c. 33. *nare Lectorem pſalmi, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti.* Quomodò etiamnùm hodie pſallunt fratres Capuccini. Deindè omnis cantus habet neſcio quam lenocinandi virtutem, de qua ibidem Auguſtinus. *Delectatio carnis meæ, cui mentem enervandam non oportet dari, ſæpè me fallit, dum rationem ſemper non ità comitatur, ut patienter ſit poſterior, ſed tantùm quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur, ità in his pecco non ſentiens, ſed poſteà ſentio.* Ob hæc pericula cantum Sanctus Athanaſius proſcripſit, ac de ipſo imitando hæſitavit Sanctus Auguſtinus.

Reſpondeo tamen Wicleffiſtas fuiſſe juſtiſſimè damnatos. Adducta enim lenocinandi vis nequaquam in ipſis ſonis aut aliis rebus ſenſui noſtro objectis eſt, ſed in nobis peccato originali corruptis: Eſt ipſa carnalis ac rebellis libido. Ejus cauſa quaſdam Dei creaturas poſſumus fugere ac à nobis ſeparare, nullam damnare. Porrò cantum omnis jam pridem ſub cœlo probavit Eccleſia, ejuſque judicium pleniſſimè ſecutus eſt etiam Sanctus Auguſtinus. Fateor nos in pio quoque cantu quandoque labi in voluptates aurium, at ecce remedium ejuſdem Auguſtini. *Cùm mihi accidit, ut me ampliùs cantus, quam res, quæ cantatur, movet, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Leviora noſtræ fragilitatis peccata ſunt iſta; tamen omninò peccata.

CANON LXXVI.

Quod non oportet intra ſanctos ambitus cauponariam officinam vel ciborum ſpecies proponere, vel alias venditiones facere, ſuam venerationem Eccleſiis ſervantes. Salvator enim noſter & Deus, per ſuam in carne vivendi rationem nos inſtituens, non facere domum Patris ſui domum negationis juſſit, qui etiam nummulariorum menſas effudit, & eos qui ſacrum commune faciunt, ejecit. Si quis ergò in prædicto delicto deprehenſus fuerit, ſegregetur.

SCHO-

Scholion.

Cap. 12. EUmdem in modum ſtatuit ſecunda Synodus Ravennas ſub Pontificatu Clementis quinti: *Arctiùs prohibemus, ne in Eccleſiis fiant mercata*
Seſſ. 21. *vel mercimonia laicorum*. Et Synodus Baſileenſis: *Eccleſiarum Rectores mercantias ſeu negotiationes nundinarum in Eccleſia aut etiam cœmeterio exerceri ampliùs non permittant*. Et Gregorii decimi Pontificis Synodus Lugdunenſis, à Bonifacio octavo inſerta in librum ſextum: *Ceſſent in Eccleſiis, earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum ac fori cujuſcumque tumultus*. Eſt peccatum L. 3. tit. 23. c. 2.
judaicum, flagellis à Domino caſtigatum. Etiam quaſvis ciborum ſpecies vendi vetat præſens Canon: Ad Agaparum reliquias plenè eliminandas.

CANON LXXVII.

QUod non oportet ſacris initiatos, vel Clericos vel Aſcetas, id eſt, Exercitatores ſeu monachos lavari cum mulieribus; nec omnem Chriſtianum, aut laicum. Hæc eſt enim prima condemnatio apud gentes. Si quis autem in hoc deprehenſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſin autem laicus, ſegregetur.

Scholion.

L. 3. TAnta fermè olim lavandi, quanta edendi aut bibendi eſt exiſtimata neceſſitas. Lavit, teſte apud Sanctum Irenæum & Euſebium
L. 3. c. 22. Cæſareenſem Sancto Polycarpo, etiam Sanctus Joannes Apoſtolus, & inter duriores antiquæ pœnitentiæ moleſtias fuit illotum in ſacco & cinere volutari. Etiam monachis balnea permiſerunt ſancti Patres: Et quodvis olim monaſterium, quomodò culinam, ità & balneum habuit. Gallia, Belgica præſertim, æſtu non laborat, & tamen de Godeſchalco, monacho miſerabili, quem ut contumacem hæreticum per annos pluſquam viginti carceratum Euchariſtiæ etiam Sacramento privavit, ſcribit ad Egilonem
Epiſt. 14. Senonenſem Archi-Epiſcopum Hincmarus Remenſis: *In manſione, qua degit, caminatum habet, & neceſſarium; lavacra illi non denegantur*. Et apud Sanctum Gregorium Turonenſem ſancti-
L. 10. c. 16. moniales Pictavienſes Radegundim Abbatiſſam ſuam graviter accuſant: *Quod in balneo lavarentur incongruè*. Erat inſulſa querimonia. Etenim de Ægypti & Syriæ Monialibus ſcribit ad Sabi-
Epiſt. 48. c. 3. nianum Diaconum Sanctus Hieronymus: *Lavacrum non adeunt*. Et ipſe illud nulli unquam ſacræ Virgini permiſit. Etiam plures monachi religioſiſſimè abſtinuerunt: Et in Chalcedonenſis
Act. 10. Synodi Actis, quod per quinquaginta à ſua converſione annos nunquam laviſſet, prædicatur quidam Presbyter Eccleſiæ Edeſſenæ. Imitati fuerunt Sanctum Jacobum Apoſtolum, quem nunquam corpore lotum laudant Egeſippus, Euſebius Cæſareenſis, & in catalogo virorum illuſtrium Sanctus Hieronymus. Et de antiqua Cap. 3.
Eccleſiæ in neophytos diſciplina ſcribit in libro de corona militis Tertullianus: *Lavacro quotidiano*, utpotè re voluptuaria, *per totam* Paſchatis *hebdomadam abſtinemus*. Et hinc eamdem abſti- Cap. 1.
nentiam ſingulis præcepti jejunii diebus, teſte eodem Tertulliano in libro de jejuniis, adnectere cœperunt Montaniſtæ, tandemque quoad quadrageſimam probavit etiam Catholica Eccleſia. Græci poſteriores extenderunt ad quartas item & ſextas, jejunari ſolitas, ferias, uti liquet ex Reſponſis Nicolai primi Pontificis, id Cap. 6.
nulla ratione probantis, ad Conſulta Bulgarorum. Eos, qui diebus Dominicis vetabant bal- L. 11. Ep. 3.
nea, improbavit Sanctus Gregorius Magnus.

Verùm mixta diverſi, ſacri præſertim, ſexus balnea omnis ſemper ſub cœlo Eccleſia eſt abominata. Hinc enim in ſermone de habitu Virginum exclamat Sanctus Cyprianus: *Quid quæ ſacræ Virgines promiſcuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curioſis pudori ac pudicitiæ dicata corpora proſtituunt, quæ cùm viros atque à viris nudæ vident ac videntur, nonne ipſæ illecebram vitiis præſtant? Nonne ad corruptelam & injuriam ſuam deſideria præſentium ſollicitant atque invitant?* Graviſſimè invehitur in audaciam nuditatis. Certè Sanctus Ammon monachus etiam ſolus coram ſeipſo nudari erubuit. Hinc ultra Lycum flumen translatus fuit ab Angelo, uti ex Sancto Athanaſio teſtatur in hiſtoria Lauſiaca Palladius Epiſco-

pus Helenopolitanus. Et ad Lætam matronam [Epiſt. 7.] ſcribit Sanctus Hieronymus. *Scio præcepiſſe quoſdam, ne Virgo Chriſti cum eunuchis lavet, nec cum maritatis fæminis, quia alii non deponant animum virorum, aliæ tumentibus uteris præferant fœditatem: Mihi omninò in adulta virgine lavacra diſplicent, quæ ſeipſam debet erubeſcere, & nudam videre non poſſe*. Rem formidabilem, Carthagine [L. 3. c. 6.] factam, refert apud Sanctum Proſperum Auctor librorum de Divinis promiſſionibus. *Quædam juvencula, Arabs natione, Ancillæ Dei habitum geſtans, cùm in balneo lavans ſimulacrum quoddam Veneris impudicè reſpiceret & ſeipſam, eique ſe conſimilans, domicilium ſe diabolo præbuit*: Ab ipſo apprehenſa fuit & poſſeſſa. Et Juſtinianus Au- [L. 22. c. 16.] guſtus in duabus legibus novellis uxorem, quæ [L. 118. c. 8.] voluptatis cauſâ lavare audeat cum viris alienis, ſtatuit omninò poſſe dimitti.

Et jure merito: Quoniam promiſcua balnea ipſi etiam gentiles damnarunt. Etenim de Trajano Auguſto encomiaſticè ſcribit Ælius Spartianus: *Balnea pro ſexibus ſeparavit*. [Cap. 18.] Et de Alexandro Auguſto Lampridius. *Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit: Quod quidem jam anteà prohibitum Heliogabalus*, fœdiſſimus Priapus, *fieri* [Cap. 24.] *permiſerat*. Et infrà. *Cùm milites lavacris mulie-* [Cap. 53.] *bribus vacarent, omnes comprehendi juſſit, & in vincula conjici*. Viris, licet ſolis, mulierum balnea ne quidem patere voluit. Aliam gentilium Romanorum caſtiſſimam conſuetudinem laudat in libris Officiorum Sanctus Ambroſius. *Mos ve-* [L. 1. c. 18.] *tus in urbe Roma & pleriſque civitatibus fuit, ut filii puberes cum parentibus, vel generi cum ſoceris non lavarent, ne paternæ reverentiæ auctoritas minueretur: Licèt plerique ſe & in lavacro, quantùm poſſunt, tegant, ne vel illic, ubi nudum totum eſt corpus, tecta non ſit portio* genitalis. Ex hac conſuetudine Gordianus Impeeator, apud Julium [Cap. 6.] Capitolinum. *Socero ſuo Annio Severo tantùm detulit, ut nunquam cum eo laverit*.

CANON LXXVIII.

QUod oportet eos, qui illuminantur, fidem diſcere, & quinta ſeptimanæ feria Epiſcopo ſeu Presbyteris renunciare.

SCHOLION.

[L. 1. c. 6.] UTcumque verum dicit ſexta Synodus Pariſienſis. *In primordio ſanctæ Dei Eccleſiæ nemo ad perceptionem ſacroſancti Baptiſmatis admittebatur, niſi priùs & fidei & Baptiſmatis Sacramento fuiſſet inſtructus. Verùm quoniam fides Chriſti ubique pollet, & parvuli de Chriſtianis parentibus nati, antequam ad intelligibilem ætatem veniant, Baptiſmatis Sacramenta percipiunt, neceſſe eſt ut quod imbecillis ætas nequivit, intelligibilis diſcere ſatagat*. Dixi, *utcumque verum*. Licèt enim, uti non dubito, rectum ſentiat, palàm tamen malè loquitur in infantili ætate neminem fuiſſe à primitiva Eccleſia baptizatum. Baptiſma infantium eſt non ſolummodò Apoſtolicum, ſed & Dominicum inſtitutum. Interim ex quo plenè extinctus fuit Paganiſmus, & Baptiſmus in adultam uſque ætatem à nemine dilatus, primæva tradendi & reddendi Symboli forma & tempora in omnimodam ubique diſſuetudinem abierunt.

Meritò item Campaniæ, Samnii, ac Piceni Epiſcopos arguit Sanctus Leo Magnus, quod ſi- [Epiſt. 80.] ne ullis *ſpiritualium eruditionibus præparationum celebrarent regenerationis myſteria, rudibuſque ac Eccleſiaſticæ doctrinæ imperitis traderent Sacramentum*. Eſt quippe patenter adverſum Divino mandato: *Docete gentes*, deindè *baptizate*. Etiam in extremo mortis articulo eſt ordo ille rigidiſſimè ſervandus. Etenim *Sancto Petro*, uti in prato [Cap. 98.] ſpirituali ex Sancto Athanaſio refert Sanctus Sophronius, *Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopo & Martyri, cùm facta eſſet mortalitas, & plerique necdum* catechizati *ad Baptiſma mortis timore confugerent, apparuit Angelus humana ſpecie dicens: Quamdiu huc mittitis marſupia iſta ſignata quidem, inania autem prorsùs & vacua, & intùs nihil habentia?* Vaſis ſignati & vacui fit etiam mentio in Dialogis Sancti Gregorii; Eſt homo judæus, qui à dæmone territus ſeipſum ſacroſancta Cruce ſignarat. Edixit itaque Angelus ejuſmodi baptizatos habere quidem validum Sacramentum, & ejus characterem, at ſine omni fructu juſtificationis. Conſonat Gregorius ſecundus Pontifex [Epiſt. 9. c. 8.] in litteris ad Sanctum Bonifacium Apoſtolum Francorum: Ait Ipſos non rebaptizandos, ſed ſpirituali doctrina, ut Sacramentum reviviſcat, ſtudioſiùs impartiendos. Quocircà Epiſcopis ac Presbyteris rigidum ndſiduè catechizandi onus incumbit. Hinc omnis olim Eccleſia habuit ſpecialem Catecbiſtam, quem in Epiſtola ad [Epiſt. 24.] Clerum ſuum Sanctus Cyprianus *Audientium*, in [L. 1. c. 2.] libris adversùs Sanctum Hieronymum Ruffinus vocat *Symboli Patrem & Doctorem*. Apud Orientis Eccleſias fuit non modica dignitas.

Por-

Porrò de Symboli tradendi tempore ſcribit ad ſororem ſuam Marcellinam, agens de perſecutione ſibi per Valentiniani ſecundi Imperatoris matrem Arianam Juſtinam mota, Sanctus Ambroſius. *Sequenti die, erat autem Dominica, poſt lectiones atque tractatum, dimiſſis catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in Baptiſterii tradebam Baſilica.* Infrà palam dicit fuiſſe Dominicam Palmarum. Et apud Sanctum Auguſtinum Serm. de temp. 115. ſermo in eadem Dominica: *Symbolum vobis tradituri ſumus, fratres chariſſimi.* Et de Epiſcopo, qui Burgundiones perduxit ad fidem ſcribit Socrates L. 7. c. 30. Cap. 23. : *Cùm eos in fide erudiviſſet, octavo die, qui fuit Paſcha, lavacro Baptiſmatis tinxit.* Et Synodus Agathenſis: *Symbolum placuit omnibus Eccleſiis una die, id eſt, ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis, publicè in Eccleſia Competentibus prædicari.* L. 2. c. 35. L. 2. c. 17. Quod ipſum tradunt in opere de inſtitutione Clericorum Rhabanus Maurus, Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in libris de Eccleſiaſticis officiis, & in ſimili opere Alcuinus Flaccus, agens de laudata Dominica: *Paſcha petitum ſeu Competentium dicitur, quia hodie Symbolum Competentibus tradebatur.* Symbolum olim nequaquam omnibus catechumenis, ſed ſoli ſupremæ Competentium claſſi credebatur: Ubicumque apud antiquos Eccleſiæ Scriptores quid legeris de traditione Symboli, Competentium memoriam paſſim additam videbis. At verò catechumeni in Competentium claſſem adſcendebant in Dominica Palmarum, exindè dicta *Paſcha Competentium.*

Aliud tamen docere videtur Sanctus Hieronymus in litteris ad Pammachium, adversùm errores Joannis Epiſcopi Hieroſolymitani. Epiſt. 16. c. 4. *Conſuetudo apud nos ejuſmodi eſt, ut iis, qui baptizandi ſunt, per quadraginta dies publicè tradamus ſanctam & adorandam Trinitatem.* Et ſecunda Synodus Bracarenſis C. 1. : *Præcipimus, ut, ſicut antiqui Canones jubent, ante viginti dies Baptiſmi ad purgationem exorciſmi catechumeni currant, in quibus viginti diebus omnes catechumeni Symbolum, quod eſt,* CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, *ſpecialiter doceantur.* Propter haſce Patrum & Canonum diſſonantiam quidam exiſtimant variarum Eccleſiarum varium fuiſſe morem. Nam intra ipſam Galliam fuiſſe mores varios palàm oſtendit adductus Canon Agathenſis. Et ex iſto Bracarenſi Canone vides Hiſpanas Eccleſias etiamnùm tunc Competentibus tradidiſſe Symbolum Apoſtolicum, nequaquam Nicænum aut Conſtantinopolitanum: Hocce enim incipit; *Credo in unum Deum*, non, *Credo in Deum.*

Reſpondeo adducta Alcuini verba, *Competentibus tradebatur*, benè notanda. Edicunt ejus tempore factum fuiſſe aliter. Etenim Ordo Romanus, quem aliqui Sancti Gregorii opus exiſtimant, Symbolum & orationem Dominicam tradi mandat feria ſecunda poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam. At verò Amalarius Fortunatus, ſub Ludovico Pio Imperatore Treverenſium Archi-Epiſcopus ſcribit de quarta feria ſeptimanæ quartæ: L. 1. c. 8. *Eadem die catechumeni percipiunt orationem Dominicam & Symbolum ad reddendum in ſabbatho ſancto Paſchæ.* Prima itaque mutatio exiſtimatur facta à Sancto Gregorio, quod variis Eccleſiæ tunc, uti liquet ex Agathenſi & Bracarenſi Synodis vatiare cœpiſſent.

Alia eſt ratio Sancti Hieronymi. Neque enim ille de Symboli traditione, ſed de fidei loquitur expoſitione ſeu catechiſmo, de quo & ſeptimus Canon Conſtantinopolitanus: *Catechumenos diu in Eccleſia verſari, & Scripturas audire facimus. Frequentibus prædicationibus* imbuendos ſcribit ad Siciliæ Epiſcopos Sanctus Leo Magnus. Epiſt. 4. c. 6. L. 144. Varia in variis ſæculis ac regionibus catechiſmus ille habuit tempora; Nam & de Samaritis mediorum ſæculorum Pagania novella Juſtiniani lex habet: *Catechizentur biennio.* Et quadraginta apud Palæſtinos dierum meminit etiam in prima catecheſi Sanctus Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus. Eiſdem mediis ſæculis Romana Eccleſia contraxit ad tempus quarta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam feria & feſto Paſchali intercluſum: Eumque ſuo tempore fuiſſe illius antiquum morem L. 4. c. 18. adfirmant Rupertus Abbas Tuitienſis in opere de Eccleſiaſticis officiis, & in ſpeculo de Eccleſiæ myſteriis Hugo de Sancto Victore. L. 1. c. 17. Porrò catechiſmi & traditionis Symboli differentiam exponit in libris Retractationum Sanctus Auguſtinus. *De fide & Symbolo diſputavi, quam diſputationem in librum contuli, in quo de rebus ipſis ità diſſeritur, ut tamen non fiat verborum illa contentio, quæ tenenda memoriter Competentibus traditur.* Eodem modo diſtinguit in libris Confeſſionum. L. 8. c. 3. Hæc verba, *Tenenda memoriter*, elucidat Ordo Romanus. F. 42. *Intentis animis Symbolum diſcite, & quod vobis, ſicut accepimus, tradimus, non alicui materiæ, quæ corrumpi poſſit, ſed paginis veſtri cordis adſcribite.* Et ipſe Auguſtinus in libris de Symbolo. L. 5. c. 1. *Accipite filii regulam fidei, quod Symbolum dicitur. Et cùm acceperitis, in corde ſcribite, & quotidie dicite apud vos: Antequam dormiatis, antequam procedatis, Symbolo vos munite. Symbolum nemo ſcribit, ſed ad recenſendum, ne fortè deleat oblivio, quod tradidit diligentia, ſit vobis codex veſtra memoria.* Symbolum erat ſecreta Chriſtianæ uſque ad hoſpitalitatem communionis teſſera, Judæis aut Gentilibus nullatenùs prodenda, ideòque neque chartæ, neque cuivis catechumeno, ſed ſolis Competentibus, jam per ſeptem tigoroſa ſcrutinia diſcuſſis ac probatis, ac propediem baptizandis, poterat credi. Ità fuit quouſque Symbolum apud gentiles, ſactis noſtris hoſtiliter inſidiantes, periclitatum fuit de proditione: Extincto cum illis omni hoc periculo, ſtatim in ipſo catechumenatus exordio tradi iſtud voluit Sanctus Gregorius Magnus, atque etiam in ſcriptum redigi permiſit.

De ejus per Competentes redditione habet Canon Laodicenſis: Cap. 46. *Oportet eos, qui baptizandi ſunt, fidem ediſcere, & quinta feria ſeptimanæ majoris Epiſcopo aut Presbyteris renunciare.* Et hunc Canonem præſens noſter innovat & confirmat. Quocircà perpetuus videtur hic fuiſſe mos Eccleſiæ Orientalis. At verò de Eccleſia Latina ſcribit in libro de ſpectaculis Tertullianus: Cap. 4. *Aquam ingreſſi Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profitemur.* Ex quo videtur Symboli redditio facta fuiſ-

ſe in ipſo ſacroſancto fonte proximè ante Baptiſma. Aliter loquitur Sancti Auguſtini Homilia Homil. 42 c. 11 habita ad populum in Dominica Palmarum. *Quicumque veſtrum non benè Symbolum reddiderunt, habent ſpatium, teneant: Quia die ſabbathi audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri eſtis: Die ſabbathi noviſſimo, quo die baptizandi eſtis. Ad octo autem dies ab hodierno die reddituri eſtis orationem* Dominicam, *quam hodie accepiſtis*. Et infrà. *Die ſabbathi, quando vigilaturi ſumus in Dei miſericordia, reddituri eſtis, non orationem, ſed Symbolum*, Quod ipſum dicunt Amalarius Fortunatus, & Ordo Romanus. Addit Alcuinus Flaccus ad titulum de ſabbatho ſancto: *Hic* baptizandi *juxta Sanctum Gregorium reddunt Symbolum & orationem Dominicam*. Ex quibus verbis quidam volunt quid hac in re à Sancto Gregorio fuiſſe L. 3. c. 14. mutatum. Et quidem Joſephus Vice-Comes in opere de Baptiſmi ritibus exiſtimat Symbolum olim in Latina Eccleſia fuiſſe redditum feria ſecunda majori: Eò quod iſto die declamata fuerit jam dicta Homilia Sancti Auguſtini. Verùm divinat. Eſt enim dicta in ipſa Dominica Palmarum. Dico itaque Symbolum in Latina Eccleſia fuiſſe ſemper à Competentibus redditum ſabbatho ſancto. At obeſſe inquies jam adducta Auguſtini verba: *Quicumque veſtrum non benè Symbolum reddiderunt, &c.* Videntur aſſerere ipſum bis fuiſſe redditum. Reſpondeo ea exponi ab ipſo Auguſtino in eadem Homilia. *Modò niſi teneatis Symbolum in Eccleſia, in populo Symbolum quotidie non auditis. Cùm autem tenueritis, ut non obliviſcamini, quotidie dicite, quando ſurgitis, quando vos collocatis ad ſomnum, reddite Symbolum veſtrum reddite Domino, commemorate vos, vos ipſos non pigeat repetere. Bona eſt repetitio, ne ſubrepet oblivio. Ne dicatis, Dixi heri, dixi hodie, quotidie illud dico, teneo benè: Sint quotidiana iſta quaſi indumenta mentis tuæ*. Quæ eadem ferè verba ſuprà audivimus ex primo libro de Symbolo ad cate- Cap. 1. chumenos. In Palmarum Dominica Epiſcopus aut Presbyter agebat piam matrem, Symbolum parvulis ſuis filiis inculcantem, totieſque repetentem, & ab illis repeti facientem, donec firmè in memoria hæreat. Et ità fieri erat penitùs neceſſe, quod *Symbolum quotidie in populo*, id eſt, in concione ad populum, *non audiretur*. Concioni namque illi aderant etiam Pagani & Judæi; at verò Symbolum erat unum è ſecretis illis, de quibus paſſim tunc dicebatur: *Norunt fideles*. Hinc ergò dicit Auguſtinus: *Qui non benè reddiderunt, habent ſpatium* quotidiana repetitione firmiſſimè addiſcendi.

Quorum omnium rationem aperit idem Auguſtinus in libris Confeſſionum, dicens de Victorino clariſſimo apud Romanos Rhetore ad fidem L. 8. c. 3. converſo. *Ut ventum eſt ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis, retentiſque memoriter de loco eminentiori in conſpectu populi fidelis Romæ reddi ſolet ab eis, qui acceſſuri ſunt ad Baptiſmi gratiam, oblatum* Simplicianus *dicebat Victorino à Presbyteris, ut ſecretiùs redderet, ſicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat*. Non ex charta, ſed ex memoria reddebatur: Hinc firmiſſimè teneri oportuit, ideòque cum trepidaturis diſpenſabatur. Erat Canon Apoſtolicus, à Sancto Paulo Apoſtolo laudatus Cap. 6. in prima ad Timotheum Epiſtola: *Confeſſus es bonam confeſſionem coram multis teſtibus*. Sanctus enim Primaſius Uticenſis Epiſcopus commentarii loco addit: *In Baptiſmo*. Ea igitur confeſſio omninò fuit Symbolum Apoſtolicum, de quo Ordo Romanus. *Evangelici Symboli Sacramentum*, F. 42. *à Domino inſpiratum, ab Apoſtolis inſtitutum, cujus pauca quidem verba ſunt, ſed magna myſteria. Sanctus enim Spiritus, qui magiſtris Eccleſiæ iſta dictavit, tali eloquio talique brevitate ſaluriferam condidit fidem, ut quod credendum eſt, ſemperque profitendum, nec intelligentiam poſſit latere, nec memoriam fatigare*. Utique ne frequenti diſpenſatione fnret opus.

Ejus ſolenniter olim in ſabbatho ſancto reddendi horam edicit idem Ordo Romanus ſub titulo de eodem ſabbatho. *Poſt tertiam horam ſabbathi procedunt ad Eccleſiam, qui baptizandi ſunt, & tunc reddunt orationem Dominicam & Symbolum*. Ante Cerei & fontis benedictionem. Atque adeò laudata à Tertulliano, & ab ingreſſis in ſanctum fontem facta fidei profeſſio nequaquam fuit redditio Symboli. Fuit ea profeſſio, de qua in opere de Sacramentis Sanctus Ambroſius. *In-* L. 2. c. 7. *terrogatus es*, CREDIS IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM? *Dixiſti*, CREDO, *& merſiſti, hoc eſt, ſepultus es. Iterùm interrogatus*, CREDIS IN DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM? *Dixiſti*, CREDO, *& merſiſti, ideò & Chriſto es conſepultus. Iterùm interrogatus es*, CREDIS IN SPIRITUM SANCTUM? *Dixiſti*, CREDO, *tertiò merſiſti, ut multiplicem lapſum ſuperioris ætatis abſolveret trina confeſſio*. Et Sanctus Hieronymus in libro contra Luciferianos. *Solenne eſt in lavacro poſt Trinitatis confeſſionem interro-* Cap. 6. *gare*, CREDIS IN SANCTAM ECCLESIAM, CREDIS IN REMISSIONEM PECCATORUM? Ità aquas ingreſſi interrogabantur, ac profitebantur ſingulos duodecim Symboli articulos: Verſi ad Orientem, oculos & manus erecti in cœlum, ac veſtiti ritibus variis, ſuo loco enucleandis, quorum Sanctus Cyprianus, Sanctus Auguſtinus, ac alii vetuſti Eccleſiæ Patres lucidè meminerunt.

Dominica Oratio, licèt cum Symbolo in Dominica Palmarum traderetur, non tamen apud nos Latinos olim cum eo in ſabbatho ſancto, ſed in ipſa Paſchali feſtivitate, uti in laudata ſuperiùs Homilia lucidè dicit Sanctus Auguſtinus, reddebatur. Confirmat & rationem adſignat in libro de Baptiſmo Tertullianus. *Benedi-* Cap. 18. *cti, quos gratia Dei exſpectat, cùm de ſanctiſſimo lavacro novi natalis adſcenditis, & primas* ad primam Euchariſtiam *manus apud matrem cum fratribus aperitis, petite de Patre, petite de Domino peculia, gratias, diſtributiones chariſmatum, ſubjiciente*, PETITE, ET ACCIPIETIS. Percepta igitur prima Euchariſtia, ſecuri de impetrando neophyti orationem Dominicam ſolenniter reddebant. Et hæc eſt mutatio, quam à Sancto Gregorio Magno factam adſcrit Alcuinus Flaccus. Au etiam quid circa Symboli redditionem

nem mutarit, eſt res longæ indagationis, & modicæ utilitatis.

Omittere tamen nolim Sancti Optati Epiſcopi Milevitani verba de Symboli redditione, aut jam lsudata fidei in ipſis aquis profeſſione: *Apud* L. 2. *Acta conficitur Angelorum.* Eſt phraſis efficaciſſima, à Romana Republica mutuò accepta, eleganter in opere de Domus Auguſtæ officiis explanata à L.1.c.24. Jacobo Gutherio. *Acta propriè in Conſiſtorio Principis intimo ſunt, atque hac ratione Acta Proconſulum dicta ſunt, quæ intra cancellos, obducto velo, coram judicibus, cùm de reo interrogabatur, dicerent: Quæ Exceptorum litteris mandabantur, ut illuſtris Cardinalis Baronius obſervavit. Acta ergò ſunt hypomnemata ſeu rerum geſtarum commentaria,* in ipſo Principis conſiſtorio, aut id genus alio ſecretiſſimo & ſupremo tribunali confecta, habentia fidem irrefragabilem, ac perpetuam firmitatem. Utraque jam dicta baptizandi profeſſio confirmabatur corporali ejus juramento, ſcriptura, & annulo ſigillari, redigebatur in publicas tabulas, non tantùm militantis, ſed & triumphantis Eccleſiæ, quam oculis & manibus profitens actionis ſuæ teſtem & confirmatricem advocabat. Quare meritò fieri dicitur apud Acta Angelorum. . Ibidem adnotatur omnis noſtra iſtius profeſſionis prævaricatio, in noviſſimo die ad noſtram ſempiternam confuſionem producenda. Eadem phraſi utuntur Sanctus Auguſtinus, ac alii Eccleſiæ Patres.

CANON LXXIX.

ABſque ullis ſecundinis ex Virgine partum eſſe confitentes, ut qui ſine ſemine conſtitutus ſit, idque toti gregi annuntiantes, eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni ſubjicimus. Quare quoniam aliqui poſt ſanctæ Chriſti Dei noſtri nativitatis diem ſimilam coquere oſtenduntur, & eam ſibi invicem impertiri, honoris ſcilicet prætextu ſecundinarum impollutæ Virginis Matris, ſtatuimus, ut deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Neque enim hoc honor eſt virginis, quæ ſupra mentem & ſermonem quod comprehendi non poteſt Verbum peperit carne, ex communibus, & iis quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum definire, metiri, ac deſcribere. Si quis ergò deinceps hoc facere aggreſſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi verò laicus, ſegregetur.

SCHOLION.

SEcundinas, aliaque id genus Domini noſtri Jeſu Chriſti naturalia ſecreta malim ego ſilentio honorare. Video tamen eadem à Marcione, ac reliquis duplicis Divinitatis fabulonibus impugnata, eorumque, ut ſordium Deo Verbo indignarum, cauſa negatam illi carnis ac omnis humanæ naturæ veritatem, & introductum phan-
Cap. 4. taſmatis mendacium. *Horres*, inquit ad ſceleratiſſimum blateronem in libro de carne Chriſti Tertullianus, *& infantem cum ſuis impedimentis profuſum & oblitum* Et infrà. *Sed videris, ſi tibi diſplices, aut ſi aliter natus es. Certè Chriſtus dilexit hominem illum in immunditiis, in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum.* Proindè & ipſe Dominus *per eas naturæ contumelias volutatus eſt*; & more noſtro in mundum prodiit, verùm ex Virgine. Habuit atque tranſivit cuncta naturæ noſtræ ſolennia, utpotè Dei optimi maximi inſtituta & opera, dempta ſola carnali concupiſcentia, quæ per diabolum eſt generi noſtro inflicta.

Idem in libro contra Helvidium docet Sanctus Hieronymus, profitens Dominum ex Virgine, attamen noſtro ſolenni more proceſſiſſe. *Jungo*, Cap. 9.
inquit, *ſi libet, & alias naturæ contumelias, novem menſibus uterum inſoleſcentem, faſtidia partus, ſanguinem, pannos. Ipſe tibi deſcribatur infans tegmine membranarum ſolito involutus. Non erubeſcimus, non ſilemus. Quantò ſunt humiliora, quæ pro me paſſus eſt, tantò illi plus debeo. Et cùm omnia replicaveris, cruce nihil contumelioſius proferes, quam profitemur.* Et in Epiſtola ad Euſto- Epiſt.22. c.17.
chium. *Dei filius pro noſtra ſalute hominis factus eſt*

eſt filius : Novem menſibus in utero ut naſcatur exſpectat , faſtidia ſuſtinet , cruentus egreditur . Eum fuiſſe more noſtro in utero , at virginali , cooceptum , formatum , nutritum , ac exindè proceſſiſſe docet etiam in libro octuaginta trium Quæſt.56 quæſtionum Sanctus Auguſtinus . Adversùm Maniehæos , oaturam Divinam ab iſtis oaturæ noſtræ ſolenoibus maculandam blaterantes , aſſiduè inculcat illam ſoli eſſe ſimilem , qui fætidiſſimas etiam cloacas illuminat , & oon fædatur . Abſit tamen , ut humaoum , iſtum præſertim virgioalem , uterum cum fædo Marcione dicam eſſe cloacam . Rectè adversùs illum ait Tertullianus . L.3. c.11. *Age jam , perora tu illa ſanctiſſima & reverenda naturæ opera , carnis & animæ originem deſtrue , cloacam voca uterum , tanti animalis , id eſt , hominis producendi officinam* . Proiodè præſens Canon ſecundinarum feſtivitatem , ac ougas in ipſa fieri conſuetas rectiſſimè proſcribit , at illas Domino denegaos ab antiquo Eccleſiæ dogmate recedit . Errat virginalem partum communibus naturæ regulis non fuiſſe directum .

CANON LXXX.

SI quis Epiſcopus vel Presbyter , vel eorum , qui in Clero enumerantur , vel laicus nullam graviorem habet neceſſitatem , vel negotium difficile ut à ſua Eccleſia abſit diutiſſimè , ſed in civitate agens tribus diebus Dominicis in tribus ſeptimanis unà non conveniat, ſi ſit quidem Clericus , deponatur ; ſin verò laicus , ſegregetur .

SCHOLION.

L.6. c.2 L.123. c.9. CAnon corrigit leges novellas Juſtiniani Auguſti ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & ad Petrum officiorum magiſtrum: *Ut nemo Deo amabilium Epiſcoporum foris à ſua Eccleſia pluriſquam per totum annum deeſſe audeat , niſi hoc per imperialem fiat juſſionem*. Licentia iſta peperit graviſſimos abuſus & damna Eccleſiarum. Canon videtur deſumptus ex undecimo Sardiceoſi , qui Hoſii Cordubeoſis Epiſcopi ſuaſu iono- Cap. 11. vavit & ad omnem Eccleſiam extendit hunc Eliberioum : *Si quis in civitate poſitus per tres Dominicas Eccleſiam non acceſſerit , parvo tempore abſtineat , ut correptus eſſe videatur* . Etenim non ità pridem Joannes tertius Eccleſiæ Conſtantioopolitanæ Epiſcopus novo ſuo Codici inſeruerat Caoones Sardicenſes . Hæc verba , *Aliquo tempore abſtineat* , exponit laudatus Canoo Sardicenſis: *Communione moveatur* . Et uti ille , ità & hic noſter pœnam iſtam largiter adauget . Dictas Juſtiniani leges etiam ſprevit Saoctus Gregorius Magnus , de quo Joannes Diaconus : L.3. c.36. *Neminem Pontificum à parochia ſua ſaltem parumper abſque inevitabili prorſus neceſſitate diſcedere permittebat , quos nimirùm in cauſis mundalibus occupari vehementiſſimè prohibebat* . Hoc eſt , nec ad juſſionem Imperialem .

CANON LXXXI.

QUoniam in nonnullis locis didicimus in hymno , quo ter ſanctus canitur , additamenti loco dici poſt illud : *SANCTUS IMMORTALIS* , hoc , *QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS MISERERE NOSTRI* : Id autem ab antiquis ſanctis Patribus , ut à pietate alienum, ex hoc hymno ejectum eſt cum ſcelerato hæretico,

hæretico, qui hanc vocem innovavit. Nos quoque confirmantes ea, quæ à ſanctis noſtris Patribus priùs piè conſtituta ſunt, anathematizamus eos, qui poſt præſens decretum ejuſmodi vocem admittunt in Eccleſiis, vel aliquo alio modo, ſanctiſſimo hymno adjungunt. Et ſi eſt quidem Sacerdotalis ordinis, qui tranſgreſſus eſt, eum ſacerdotali dignitate privari jubemus; ſin autem laicus vel monachus, ſegregari.

SCHOLION.

SAcrum Triſagium, ſeu hymnus, in quo *Ter ſanctus* canitur, eſt hic: *Sanctus Deus, ſanctus Fortis, ſanctus Immortalis miſerere nobis.* Ejus originem edicit Felix tertius Pontifex in lit-
Epiſt. 3. teris ad Petrum Cnapheum ſeu Fullonem, Patriarcham Antiochenum, nequiſſimum Eutychianiſtam. *Cum terræ motu Conſtantinopolis quateretur, populuſque in campo oraret, infantulus, toto populo ſpectante cum Proclo civitatis Epiſcopo, in cœlum per unam horam raptus eſt, ibique hujuſmodi didicit hymnum, rursùmque deſcendens nuntiavit quæ in æthere audierat, dicens de cœlo quaſi de pſallentium multitudine hujuſmodi laudes inſonuiſſe auribus ſuis, dictumque ſibi ut eam laudationem populo indicaret, quam ubi populi incœperunt, civitatem receperunt, Deoque per hujuſmodi laudem propitio facto, ab imminenti ira liberati ſunt.* Et Sanctus Quintianns Aſculanus in Apulia Epiſcopus in litteris ad eumdem Petrum. *Oportet ſequi revelationem ſanctiſſimi Procli Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopi, quando in campum cum toto populo cucurrit, fluctuante ipſa civitate ſub terræ motu, & omnibus fletum emittentibus, repentè puer in aera levari à quadam virtute, & huic imponi Triſagium Litaniæ, & dicere*, SANCTUS DEUS, SANCTUS FORTIS, SANCTUS IMMORTALIS MISERERE NOBIS, *& hæc annunciare populo juſſus eſt, ſicque per tres horas in tribunali ſtans ſecùm pedes ipſius Epiſcopi hæc narravit. Et ſic poſtquam Litanias fecerunt, ſtetit terræ motus.* Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus adfirmat puerum, ad inſtar Pauli Apoſtoli, raptum fuiſſe in tertium cœlum, atque illic audiviſſe arcanam pſalmodism ſanctorum Angelorum. Addit Aſclepas Epiſcopus Trallenſis. *Cùm graves terræ motus civitatem Conſtantinopolitanam occupaſſent, magnus & parvus, dives & pauper, ſervus & liber, extra civitatem in campo ſecedentes ſimul concurrerunt, frigoribus & hyeme ibi diu perdi malentes, quam civitati ipſi conjungi.* Eis aderant etiam Theodoſius Auguſtus & Sanctus Proclus Patriarcha. *Quibus ubi Deus parcere clementer dignatus eſt, revelavit beato Proclo Triſagium acclamare, cùm ipſi ad propulſandam iram Litanias facerent. Et hoc non uni vel duobus notum fuit, ſed toti mundo.* Similem eidem civitati non ità pridem anteà immiſſum Divinitùs terrorem, ob Arcadii Auguſti & Synodi ad Quercum barbaſiem in Sanctum Joannem Chryſoſtomum, refert in tractatu de urbis excidio Sanctus Auguſti-
Cap. 6. nus. Porrò hymnum iſtum longè ſanctiſſimum recepit etiam Romana ac omnis Latina Eccleſia, ac etiamnum hodie in ſancta Paraſceve græcè ac latinè ſolenniter cantamus.

Rectè dicit præſens Canon ſacroſancto hymno fuiſſe à ſcelerato hæretico adjectas voces, *Qui crucifixus es pro nobis miſerere noſtri*, iſtudque additamentum, ut à pietate alienum, eſſe cum ſuo auctore à ſanctis Patribus ejectum. Auctor ille fuit jam dictus Petrus Fullo, ad quem ſcribit Epiſt. 3. laudatus Pontifex Felix tertius. *Quemadmodùm qui piſcationem ſectantur, hamum eſca contegunt, & ex improviſo capiunt piſces; ſic & tu Angelicæ laudationi additionem induxiſti, & Triſagiæ deprecationi, quaſi pietatis obtentu, diram impietatem excogitaſti. Ex pluribus enim Oelentalibus provinciis litteras ſuſcepimus, ſignificantes nobis, quomodò Veneratio Tua dudùm ſepultum Valentini dogma reſumpſit:* Dogma Arii, Apollinarii, Eutychetis, garrientium Dominum Jeſum Chriſtum carere humana anima, eſſe ex ſola carne & Divinitate compoſitum, ideòque unicam naturam incarnatam. Et infrà. *Tu in Eccleſia auſus es di-* Epiſt. 4. *cere, quod* UNUS INCREATÆ ATQUE INDIVIDUÆ TRINITATIS PASSIONEM SUBIIT. Et in alia Epiſtola. *Quandoque dicis Trinitatem propter nos crucifixam, non Chriſtum; quandoque autem immortalem Spiritum, Manichæizans; quandoque ab iſtis diffugiens, meis argumentis reprehenſus & ſermonibus, dixiſti Chriſtum poſt immortalem Spiritum paſſionem ſuſtinuiſſe, ſicut Samoſatenus & Neſtorius, unum filium dividentes in dualitatem filiorum. Quandoque autem & his teſtiſti, non detrectando: & veniſti ad pejus* (eſt locus plenè mendoſus, forsàn hoc modo reſtituendus & corrigendus) *per Cherubicum hymnum non glorificando ſimiliter Teinitatem, ſed totum hymnum ad filium referendo, volens firmare morbum cancri rodentis, quem innocentibus intuliſti: Non prædicas Chriſtum pro nobis crucifixum, ſed unigenitum filium Dei, qui in medio Patris & Spiritus eſt, glorificas.* Et Sanctus Quintianus Aſculanus Epiſcopus in litteris ad eumdem Petrum. *Quis adhuc ſuſtinebit te pervertentem Evangelium, non prædicando unum filium in duabus naturis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum, ſed Deum, fortem, immortalem, videlicèt unam Trinitatis ſubſtantiam, dicens crucifixam? Et non ſolùm, ſed & unam naturam Dei Verbi & carnis dicis.* Et in Anathematiſmis. *Si quis nomen Triſagion, hoc eſt, ter ſanctum, dicit propter nos crucifixum, & non Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, damnetur. Si quis poſt vocem ter ſanctam Deum dicit crucifixum propter nos, & non potiùs unum filium, cui in medio ter ſanctæ vocis hymnus dicitur, damnetur.*

tur. Et Juſtinus in Sicilia neſcio cujus civitatis Epiſcopus. *Non juvavit te dicere*, EGO UTILITER HOC APPOSUI CRUCIFIXUM IN TRISAGIO CONFITERI: *Tolle iniquitatem de univerſo, nè hoc citò multiplicetur, quoniam impium facilè ſuſcepetibile eſt*. Et Aſclepas Epiſcopus Tralleuſis. *Sed dicis, Ego propter Neſtorium addidi Triſagio crucem, ex eo quod repellebatur ab eo Deitas, dum ipſum crucifixum dicebat. Et quid? Non eſt intellectus iſte junior Neſtorio, ſuſcepit enim hoc à Photino variæ ſententiæ, quem Patres quidem, qui in Nicæa convenerunt, in vita non invenerunt, dogma autem ipſius condemnaverunt. Non tamen proptereà deprehendunt ipſi Triſagion crucifixum* Legendum exiſtimo: *Non tamen deprehenduntur ipſi addidiſſe Triſagio crucifixum*. Et infrà in anathematiſmis. *Si quis apponit in Triſagio crucem præter filium Dei, anathema ſit. Si quis quaternitatem introducit, in Triſagio apponens poſt Trinitatem Chriſtum crucifixum, anathema ſit.*

Rei totius ſeriem edicit in primo Collectaneorum libro Theodorus Lector. *Petrus cognomento Cnapheus, templi Sanctæ Baſſæ Martyris quod Chalcedone eſt, Presbyter captus amore ſedis* Epiſcopalis Antiochenæ, Zenoni *Auguſto perſuaſit, ut ſe juvaret. Quibuſdam igitur ex eis, qui Apollinarii* atque Eutychetis *peſte infecti erant, mercede conductis, innumeras turbas contra fidem & Martyrium* Antiochenum *Epiſcopum excitavit, eoſque anathemati ſubjecit, qui non dicebant* DEUM ESSE CRUCIFIXUM, *ità ut populum in hoc diſſidium induxerit*. Excitavit tantas turbas, ut pertæſus Martyrius Epiſcopatum depoſuerit, dicens palàm in Eccleſia: *Clero immorigero, & populo rebelli, & Eccleſiæ contaminatæ renuncio, ſervata mihi interim Sacerdotii dignitate*. Homo vaferrimus bellum ac zelum finxit adversùm Neſtorianos validè tum adhuc graſſantes: Reverà autem geſſit adversùs Synodum Chalcedonenſem, ac ei adhærentem orthodoxam Eccleſiam, quam nequiſſimi Eutychianiſtæ de Neſtorianiſmo ſemper accuſarunt. Porrò Neſtoriani faſſi ſunt *Chriſtum de Virgine natum, paſſum, crucifixum, mortuum*; at Deo adſerere iſthæc idiomata negarunt pertinaciſſimè, quod nempe Dei Verbi & adſumpti hominis perſonas dividerent, in duos reipſa Chriſtos, junctos ſola nominis & dignitatis communione. Et ipſorum molliores, qui hypoſtaticam unionem aut admitterent, aut admittere fingerent, de Domino crucifixo dixere: *Deus receſſit ab illa*, ideòque hanc propoſitionem, *Deus eſt crucifixus aut mortuus*, fuere ſemper abominati: Hanc igitur ipſam, ut Apoſtolicam ac Evangelicam, qualis in legitimo ſenſu veraciter eſt, prædicavit Fullo, ac populo Antiocheno perſuaſit. Aſt doloſo & hæretico animo, uti ſuprà eſt abundè ſuo loco explanatum.

Addit ad ſextum decimum Zenonis Auguſti annum Georgius Cedrenus. *Zeno à tyrannis otium adeptus, Antiochena Eccleſia exturbat Calendionem, ac in Oaſin relegat, Epiſcopatum Petro Cnapheo reddit. Is Antiochiam reverſus multa mala facinora fecit*. Longiſſimum ſit eorum exordia & ſucceſſus enarrare. *Jam antè adjecerat ſanctiſſimo hymno*, CHRISTE REX CRUCIFIXE PRO NOBIS, *poſt reditum autem abſtulit hæc verba*, CHRISTE REX. Hanc propoſitionem, *Deus eſt crucifixus*, jam dixi orthodoxam, Apollinario tamen ac Eutychete graſſantibus, quod ſub ejus, licèt veriſſimis, æquivocis tamen, Syllabis ſuum illi peſtilentiſſimum virus, quaſi ſub ovinis lanis peſſimum lupum occultarent, circumſcripſit ac relegavit Eccleſia, dici mandans, *Chriſtus eſt crucifixus*. Eam legem primitùs quaſi prævaricati Cnapheus noluit, at poſtmodùm per ſeductum Principem in Epiſcopatu firmatus contumaciſſimè ſprevit. Prædicare cœpit & hanc propoſitionem, *Unus è Sancta Trinitate eſt crucifixus*, atque ità ſe non prævaricari, ſed fidei ac Eccleſiæ rem utilem agere blateravit, utpotè qui additamentum iſtud non in totam ſacroſanctam Trinitatem referret, ſed in ſolum Deum Verbum, ſimul cum adſumpto & crucifixo homine, uti Sanctus Cyrillus ac Epheſina Synodus dixerant, factum unam hypoſtaſin ac unam naturam incarnatam, atque ità reverà crucifixum.

Et huc omninò reſpicit Felix tertius, Petrum arguens, quod priùs poſt immortalem Spiritum, id eſt, poſt voces, *Sanctus immortalis*, Spiritus Sancti iſtic ſignificativas, Chriſtum crucifixum glorificaret, poſtmodùm verò in pejora lapſus cœperit ſoli Deo filio adpropriare omnem hymnum, atque ità ejus Divinitati adcantare crucem & paſſionem. Et primum ejus cantandi modum rectè arguit Neſtorianiſmi. Etenim Chriſtum hominem non vocibus, *Sanctus fortis*, Dei Verbi ſignificativis adjungere, ſed vocibus, *Sanctus immortalis*, Spiritum Sanctum ſignificantibus poſtponere quid fuit aliud, quam adſumptum hominem ab adſumente Verbo ſeparare? Huc item reſpicit Sanctus Quintianus anathematizans eos, qui ipſum ter ſanctum nomen, ſeu ipſum Deum Verbum, & non potiùs Jeſum Chriſtum cantaverint crucifixum. Item Juſtinus Epiſcopus dicens anathema illis, qui hymno, utique poſt voces, *Sanctus immortalis*, adponunt Chriſtum crucifixum, atque ità inducunt diviſionem & quaternitatem.

Diſcutienda hìc eſt antiqua quæſtio, An additamentum veraciter poſſit dirigi in ſolum Deum Verbum, pro nobis incarnatum ac in carne crucifixum, atque ità eſſe immune ab omni errore & impietate? Reſpondet ex Sancto Efremio Patriarcha Antiocheno Photius Conſtantinopolitanus in Bibliotheca. *Zenobius quidam Scholaſticus Emeſenus, Acephalorum labe infectus, à communi ſegregatus Eccleſia, colorem hunc quæſivit, quod recens diviſa eſſet ter ſancti hymni ſententia. Aſſerit contra Efremius eundem hymnum Orientales Chriſto Jeſu attribuere, & proptereà nihil peccare, tametſi adjiciant*, CRUCIFIXUS PRO NOBIS. *Conſtantinopolitanos verò atque Occidentales in ſupremum ſanctiſſimumque bonorum omnium fontem, conſubſtantialem Trinitatem, ſententiam referre, idcircò non ſuſtinere illud addi*, CRUCIFIXUS PRO NOBIS, *ne qua paſſio Trinitati attribuatur. In multis enim Europæ ditionibus pro illo*, QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, *hoc reponunt*, SANCTA TRINITAS MISERERE NOBIS. *Unde piorum ſententia magis eluceſcit, ut in ſanctam Trini-* L. 228.

tatem

tatem hic, SANCTUS DEUS, SANCTUS FORTIS, SANCTUS IMMORTALIS, *accommodent; accurata & conſequenti oratione illud*, QUI PASSUS EST PRO NOBIS, *adſcribunt. Sic igitur alteram utramque partem de his ſentire atque aſſerere, quando in cæteris piis dogmatibus nihil depravare comperiuntur. Rectè verò facere utroſque hic adfirmat, neque ullam reperire rationem, cur alterutra reprehendatur, vel in diſquiſitionem revocetur*. Quod ipſum in litteris ad Armenio- L. 8. Ep. 1. rum Archi-Epiſcopum fatetur Pontifex Gregorius ſeptimus, eos ſeriò hortans ad deponendum additamentum, attamen non quia, dum ſoli filio adſcribitur, falſum, ſed quia ſcandaloſum. Licet enim tertiùm repetita vox, *Sanctus*, poſſit in tres Divinas perſonas diſtribui, poteſt tamen etiam ſoli filio adſcribi, quem omnis Scriptura prædicat Deum, Fortem, Immortalem, unàque pro nobis mortuum & crucifixum.

Nihilominùs de Sancti Efreemii ſententia rectè adjungit Photius. *Hic quidem ità ſenſit, quod ab Acephalis hæreticis, malè hanc ſententiam accipientibus, magnus fiat in pios incurſus. Meritò cæteri Patres noſtri illud decreverunt, non oportere illud addere in ſacro hymno*, QUI PASSUS EST PRO NOBIS, *& convenientem eſſe hymnum, qui de Trinitate diſputat, quando Cherubina cantio in triplici ſono ſanctitati accedens ab initio ſuper omnem ſanctitatem & bonitatem Trinitatis cantus eſſe cognoſcitur*.

Eamdem rationem adversùs Petri Cnaphei audaciam adduxere Felix tertius, Romana ejus Synodus, Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Sanctus Quintianus Aſculenſis, Juſtinus Siciliæ Epiſcopus, Aſclepas Trallenſis, Fauſtus Apolloniadis, Pamphylus Abydenus & Sanctus Joannes Damaſcenus. Hymnum ſoli Divinæ Trinitati à ſanctis ſemper Angelis adcantatum, Eccleſiæ ab ipſo Deo ac eiſdem ſanctis Angelis in puero ſuperiùs laudato traditum, malorum Regiæ orbi impendentium depulſione confirmatum, ac in eodem ſenſu & relatione comprobatum à plena Synodo Chalcedonenſi, conſtanter adſeverant humana præſumptione non potuiſſe ad ſolum Chriſtum Dominum detorqueri. Petrus namque Cnapheus nequaquam ut Chriſtum Dominum orthodoxè honoraret, ſed ut hæreticè blaſphemaret, ejuſque Divinitati crucem & paſſionem impiè ac ſtultè adſcriberet, fecit additamentum. Hinc illum etiam de exſufflata ſanctiſſimæ Trinitatis conſubſtantialitate, de duobus diverſis Diis adſertis, ac de everſa Nicæna & omnium quatuor generalium Synodorum fide meritiſſimè arguunt. Inducere enim ille attentavit Deum natura impaſſibilem, ac Deum natura paſſibilem, quos manifeſtum eſt non poſſe eſſe natura unum, & conſubſtantiales. Eum arguunt & de ſpretis Eccleſiæ Patribus, & de dato gentilibus ſcandalo, ac pravi intellectus ſuſpicione: Quod nempe nullus huc uſque Patrum præſumpſiſſet iſtud additamentum, & quod hanc propoſitionem, *Deus* ſeu *unus è ſancta Trinitate eſt crucifixus*, ut ſcandaloſam, de Apollinario ac Eutychete ſuſpectam, piarumque aurium offenſivam jam pridem omnis Eccleſia à fidelis populi ſermone proſcripſiſſet.

Chriſt. Lupi Oper. Tom. III.

A Juſtino Siciliæ Epiſcopo audiamus Petri evaſionem. *Didiciſti ab Eſaja dicere*, SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, *non* CRUCIFIXUM DICERE. *Sed dicis: Tunc filius non erat Crucifixus, & propter hoc non addidis tunc*, CRUCIFIXUS. Reſpondet verò idem Epiſcopus. *Qui ergo nunc Seraphim in Triſagio addiderunt* CRUCIFIXUM, *quod tu dicis? Et ſi dicis, non puto. Et ſi neſcis, quomodò non es impius? Etenim & tunc inquit Propheta paſſiones carnis Verbi, & apertè confitetur Triſagium*. Hoc eſt, & ſancti Angeli & Eſajas Propheta futuras Dei Verbi in adſumenda carne paſſione omninò ſciverunt, & tamen non illi ſoli, ſed toti ſacroſanctæ Trinitati Triſagium conſtantiſſimè accinuerunt. Verùm quod adversùm Neſtorianos bellum fingeret, prævaluit Petri iniquitas, & dolo iſto, quaſi hami eſca piſcem, captivavit populum Antiochenum. Primum additamentum factum fuit conſulatu Probini ſeu Probiani, & quarto Leonis Auguſti, quem Victor Tonnonenſis Epiſcopus ſextum ponit, anno Domini quadringenteſimo ſeptuageſimo primo; ejus autem per abjecta verba, *Chriſte Rex*, pejoratio contigit poſt Amati, ſeu Armati conſulatum, anno Domini quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

Omnis Orientalis Eccleſia abundavit tunc peſſimis ſcandalis, de quibus ad Gennadium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, teſte Theodoro Lectore in Collectaneis, de nocte diabolus clamarat in Eccleſia: *Te vivente quieſcam, tandem* L. 1. *verò poſt mortem tuam Eccleſiam vaſtabo*. Etenim proximus ſucceſſor illius Acacius, vir multis pro fide orthodoxa pugnis & victoriis glorioſiſſimus, tandem Petro Mogo Eccleſiæ Alexandrinæ intruſo, & Petro noſtro Cnapheo conſenſit ad proſcribendam ſanctam Synodum Chalcedonenſem, ac de ſuo nomine condidit ſchiſma Acacianum. Nihilominùs additamentum iſtud nunquam recepit. Recipere noluerunt ejus item ſucceſſores Euſemius ac Macedonius, dura idcircò paſſus ab Anaſtaſio Auguſto, de quibus idem Theodorus L. 2. Lectur. *Multos Imperator modos necendi Macedonio excogitavit. Diviſi vero ab Eccleſia, turba quadam mercenaria collecta, templum Archangeli, quod in palatio eſt, die Dominica ingreſſi ſunt, & cùm Pſaltes Triſagion diceret, illi cum additione*, QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, *reſpondentes pſallunt. Sequenti die Dominica idem in magnam Eccleſiam ingreſſi tum ſpadonibus fecerunt. Populus verò zelo raptus primùm vocibus reclamat, & vociferantibus & comminantibus conviciando reſpondet. Tandem verò Imperator cum multis manifeſtè Macedonio reſiſtens, jam monachos excommunicatos, jam ipſos Primores ſubornat, ut nefandis conviciis & vociferationibus Epiſcopum impetant, tum quibus erat etiam Julianus Epiſcopus Halicarnaſſi Cariæ, & Severus monachus*, poſtmodùm Patriarcha Antiochenus, *qui & fidei & ſui ipſorum facti fuerant inimici. Populus cum mulieribus & parvulis, infinita multitudine cum Præſidibus monachorum congregata, per civitatem clamabat*: TEMPUS MARTYRII EST, ò CHRISTIANI, PATREM, Epiſcopum NEMO DESERAT. Prævaluit ta-

men impii Principis violentia, extruſit Macedonium, Timotheumque, peſſimum Eutychianiſtam, & ità profanum additamentum intruſit.

Victor Epiſcopus Tonnonenſis facta hæc dicit Probo Conſule, anno Domini quingenteſimo ſecundo, & addit. *Anaſtaſii Imperatoris præcepto Plato civitatis Præfectus, & Maximus pulpitum Eccleſiæ Sancti Theodori adſcendentes, & in hymno, quem Græci Triſagion dicunt,* τὸ σταυρωθεὶς δι᾽ ὑμᾶς *noviter apponentes, dum per forum Conſtantini id pſallentes ad majorem Eccleſiam pergunt, nubes ex improviſo cinerem ſuper eos pro pluvia emiſerunt, totamque civitatem atque provinciam contexerunt: Pro qua novitate Conſtantinopolitanæ civitati multa mala evenerunt, multique malè interempti ſunt.* Civitas grande incendium, Princeps à Praſinis & Venetis apertam ſeditionem fuit paſſus, uti latiùs in chronico refert Comes Marcellinus. Petrum Cnapheum idem Princeps plenè imitatus non ità pridem à Flaviano Antiocheno Patriarcha, & Philoxeno ſeu Xenaja Hierapolitano ad Eufraten Archi-Epiſcopo Sanctum Leonem Pontificem, ejus tomum, Synodum Chalcedonenſem, & *unum è ſancta Trinitate crucifixum* confiteri nolentes fecerat ſynodaliter anathematizari.

Schiſma Acacianum poſteà compoſuerunt Hormiſda Pontifex & Juſtinus Auguſtus, & poſt longas Schytarum monachorum turbas Joannes ſecundus Pontifex ad preces Juſtiniani Auguſti hanc propoſitionem, *Deus ſeu unus è ſancta Trinitate eſt crucifixus*, à priori circumſcriptionis vinculo abſolvit, declaravitque orthodoxam, atque ità tunc factum exiſtimo, quod ſuprà ex Photii Bibliotheca audivimus à Sancto Efreemio Patriarcha Antiocheno. Quædam Græcorum Eccleſiæ depoſuerunt, quædam retinuerunt additamentum, at ſoli Chriſto Domino deinceps cum toto hymno accinendum, forſitan ex regula ad Januarium ſcripta à Sancto Auguſtino: *Mu-* Epiſt. 118. c. 5.
tatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Prioris conſuetudinis ablatione noluerunt ſuos denuò populos turbari, eorumque diſpenſatoriam providentiam probarunt multi grandes Epiſcopi, quos inter fuit laudatus Patriarcha Antiochenus.

Hunc præſertim, utpotè authenticum ſuæ gentis Patrem disertè inter alios profeſſus, reſpexit Nierſes Armeniorum Patriarcha in diſputatione facta cum Theoriano, Manuelis Comneni Imperatoris Conſtantinopolitani Legato. *Magnorum Eccleſiæ Rectorum auctoritates inveniuntur, quæ ſoli filio hymnum illum Triſagii attribuere videntur, ac ſæpè illas equidem mecum conſiderans admodùm anxius hæſi, adeòque arbitror ejus appendicis auctores illis permotos auctoritatibus eam feciſſe, noſque docuiſſe, quoties de ſancta Trinitate Divinum illum hymnum canimus, nullam faciendam appendicem; at quoties illum de filio duntaxàt pronunciamus, interdùm quidem addendum,* QUI CRUCIFIXUS ES PROPTER NOS, *interdùm verò*, QUI RESUSCITATUS ES, *vel illud*, QUI ASSUMPTUS ES SURSUM, *nimirùm pro tempore myſterii apta ſubjiciatur appendix, & illam vocem*, DEUS, *& alteram*, FORTIS, *& tertiam*, IMMORTALIS, *de ſolo propter nos crucifixo, deque mortuis ſuſcitato, & ſursùm adſumpto Chriſto Deo noſtro intelligamus.* Oſtendere conatur etiam à Sanctis Athanaſio, Epiphanio, ac Joanne Chryſoſtomo hymnum iſtum ſoli Deo Filio fuiſſe attributum.

Et hæc ſunt omninò catholica & orthodoxa. Errat tamen Nierſes additamentum eo ſenſu fuiſſe à ſuis Majoribus introductum. Introductum fuit à peſſimo Patriarcha, omnis iſtic Chriſtianitatis perverſore, Nierſe Pacrievantano, de quo & ejus Synodo nequiſſima Thevinenſi, facta ad juſſum Regis Perſarum, ſcribit antiqua Armeniorum hiſtoria: *Præthereà ſuperaddidit Triſagio verba illa*, QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS. Adjungit de ejus poſt Joannem Capieghinum ſucceſſore Moyſe Aracatuodano: *Referunt nonnulli illum in urbe Thevin poſt Nierſen alterum celebraſſe concilium, ejuſque auctoritate confirmaſſe in Triſagio additionem illam*, QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS. Exponit Patriarcha Gregorius Siſenſis in litteris ad Haytonem ex Rege Cænobitam, exſtantibus ad Clementem Galanum. *Interroga Cænobitas iſtos, quid narret Albanenſis Hiſtoricus. Id planè, quod univerſo notum eſt Orienti, decem nimirùm Epiſcopos in Thevinenſi Concilio permutaſſe totam penè legem, quæ à divo uſque Gregorio*, Patriarcha noſtro, *in nobis inviolata perſtiterat: Triſagium illud*, SANCTUS DEUS, *quod ſacrum Concilium* Chalcedonenſe *erga ſanctiſſimam Trinitatem decantandum decreverat, ſuperaddentes*, QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, *in filium direxerunt*. Et Sanctus Nicon monachus in opuſculo de peſſimorum Armeniorum peſſima religione. *Armenii adjiciunt ſanctiſſimo hymno illud*, QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, *Petri Fullonis rabiem ſequentes. Et nobis quidem aſſerant ſe de filio hoc adjicere, ipſi autem Deum eſſe patibilem apertè ſentiunt.* Thevinenſe namque conciliabulum abjecit Synodum Chalcedonenſem, Jacobi Syri errores recepit, atque ità additamentum quidem direxit in ſolum filium, attamen non in adſumptum hominem, ſed in ipſam Dei Verbi Divinitatem. Errore correcto, poſteriores ac meliores Patriarchæ in adſumptum hominem dirigere cœperunt. Porrò Triſagium fuiſſe toti ſacroſanctæ Trinitati à Synodo Chalcedonenſi decantatum teſtatur etiam in litteris ad Petrum Cnapheum Juſtinus Siciliæ Epiſcopus ſuprà laudatus. Exponit in libris de fide Sanctus Joannes Damaſcenus. *In ſancto &* L. 3. c. 10.
magno, ac univerſali quarto Concilio, quod Chalcedone coactum eſt, ità cantatus fuiſſe hic hymnus traditur: Sic enim inter hujuſce ſancti Concilii Acta refertur. At illa Actorum pars intercidit.

Armenii fecerunt & aliud additamentum, cantantes, non *Sanctus Deus, ſanctus Fortis, ſanctus Immortalis*, ſed *Sanctus Deus, ſanctus & fortis, ſanctus & immortalis*. Hinc ad Domini annum milleſimum centeſimum ſeptuageſimum ſeptimum Græci, Eccleſiarum unionem facturi, in Synodo Tharſenſi ab illis petiere: *Quærimus, ut ſacrum Triſagium ſine additione illa*, QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, *& abſque particula illa* ET *concinatis*. At verò reſponderunt. *Vix ullius momenti, & minor quidem, quam*

ut per-

Digitized by Google

ut perfectiſſimæ veſtræ ſapentiæ ſcandalum parere poſſit, ſuſpicio iſta eſt. Quæſumus, ne in hoc offendamini. Nam crucem adjeciſſe ſufficit ad illius humanitatem, quam mente concipimus, explicandam, atque ad ſervandum nos ab omni paſſionis Divinitatis opinione remotos. Tùm particulam ET *ſuperaddimus ad compoſitionem orationis perficiendam. Etenim dictio illa,* SANCTUS, *in noſtro idiomate breviſſima eſt & monoſyllaba, nec proindè cum alia dictione poteſt ſe ſola adverti, quemadmodùm veſtrum* AGIOS. *Cæterum quod ergà Chriſtum ſit à nobis Triſagion decantandum, teſtes vos ipſos adducimus. Exſtant enim in urbibus Damaſcena & Maveſluena libri quidam, veſtris litteris exarati, in quibus ter ſanctus hic hymnus ità ſcriptus reperitur:* SANCTUS DEUS, SANCTUS FORTIS, SANCTUS IMMORTALIS QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, MISERERE NOSTRI. *Quare hoc pacto eum cantandum haud ipſimet excogitavimus, ſed à vobis nos ità didiciſſe comperimus. Quam autem ob cauſam deindè hanc Patrum traditionem in minimis poſueritis, ignoramus.* Errant graviſſimè Petri Cnaphei audaciam appellando Patrum traditinnem. Quinimmò & pueri Conſtantinopolitani hiſtoriam, tot authenticis teſtimoniis roboratam, audent fabulis adnumerare. Et concludunt. *Quia optamus Dilectionem veſtram conciliare, proceſſimus, & juſto ſanè modo, ad medendum in hac parte iſti fratrum ſuſpicioni, ità in poſterum erga Chriſtum canentes Triſagium:* SANCTUS DEUS, SANCTUS ET FORTIS, SANCTUS ET IMMORTALIS, QUI INCARNATUS ET CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, MISERERE NOSTRI. *Sic veſtræ Charitatis opinio dirigi poterit, ut additio illa,* QUI CRUCIFIXUS ES, *in ipſam videatur Trinitatem, aut in Chriſtum ſecundùm Divinitatem acceptum à nobis referri.* Græci itaqne additamentum, tamquam ſcandaloſum, de Eutychianiſmo ſuſpectum, piarumque aurium offenſivum, auferri voluerunt, & hymnum non in ſolum Chriſtum Dominum dirigi, ſed in omnem ſacroſanctam Trinitatem.

Idem eitea eadem tempora ab eorum Archiepiſcopo ſeu Patriarcha petiit Pontifex Gregorius ſeptimus. *Prudentiam tuam charitatis affectu commonendam cenſuimus, ut clauſulam, quam illi laudi ſubjungitis,* SANCTUS DEUS, SANCTUS FORTIS, SANCTUS IMMORTALIS, *iſtam videlicet,* QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, *quoniam nulla Orientalium præter veſtram, ſed nec noſtra Romana habet Eccleſia, vos totius ſcandali occaſionem, pravique intellectus ſuſpicionem vitantes, ſuperaddere de cætero omittatis. Si enim vas electionis beatiſſimus Paulus de ſumendis cibis meliùs ſibi eſſe non manducare neque bibere, quam ut frater ſcandalizetur, aſſeruit, conſiderare debetis, quam grave & periculoſum ſit, ubi ſaniori intellectu vitari poteſt, fratribus de fide ſcandalum generare.* Ex quo liquet, quod omnes Græcorum Eccleſiæ, quæ, ut à Sancto Efreemio audivimus, adjectum pravo ſenſu additamentum recto intellectu retinebant, præſenti Canoni obtemperantes ipſum abjecerint, cœpecintque hymnum ex originali ſenſu in omnem ſacroſanctam Trinitatem decivare. At verò Armenii nunquam huc potuerunt inflecti. Nam dudùm poſt Gregorii ſeptimi tempora Gregorius Siſenſis ipſorum Patriarcha, Haytonem ex Rege ſanctiſſimum monachum ad uninnem cum univerſali Eccleſia faciendam tandem aliquando cohortans, ſuadet ſacrum Triſaginm ant ſine appendice dirigendum in ſacroſanctam Trinitatem, aut cum illa in Chriſtum Dominum ſecundùm humanitatem acceptum. Unio ad Domini annum milleſimum trecenteſimum ſeptimum tandem facta eſt per Synodum Siſenſem, atque ſtatutum, ut Triſagium, SANCTUS DEUS, SANCTUS FORTIS, SANCTUS ET IMMORTALIS, *cui additum hoc loco fuerat,* QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, MISERERE NOSTRI, *directum in filium ſic deinceps cantaretur:* SANCTUS DEUS, SANCTUS FORTIS, SANCTUS ET IMMORTALIS, CHRISTE QUI CRUCIFIXUS ES PRO NOBIS, MISERERE NOSTRI. Iſtud ipſum fuit primum Petri Cnaphei additamentum.

L. 8. Epi.

CANON LXXXII.

IN nonnullis venerabilium Imaginum picturis, Agnus, qui digito Præcurſoris demonſtratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram aſſumptus eſt, verum nobis Agnum per legem Chriſtum Deum noſtrum præmonſtrans. Antiquas ergò figuras & umbras, ut veritatis ſigna & characteres Eccleſiæ traditos, amplectentes, gratiam & veritatem præponimus, eam ut legis implementum ſuſcipientes: Ut ergò quod perfectum eſt vel colorum expreſſionibus omnium oculis ſubjicia-

tur,

tur, ejus qui tollit peccata mundi, Chriſti Dei noſtri humana forma characterem etiam in Imaginibus deinceps pro veteri Agno erigi ac depingi jubemus; ut per ipſum Dei Verbi humiliationis celſitudinem mente comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne converſationis, ejuſque paſſionis, & ſalutaris mortis deducantur, ejuſque quæ ex eo facta eſt mundo redemptionis.

Scholion.

De Simonis Magi, ac Helenæ, ſcorti ejus, fœdis ſectatoribus ſcribit in primo hæreticarum fabularum libro Theodoretus: *Simonis in* Cap. 2. *Jovis figuram, Helenæ ſtatuam in Minervæ ſpeciem efformant, his thura adolent & libant, & tam-* L. 1. *quam Deos adorant*. Et Theodorus Lector in Collectaneis: *Sub Gennadio* Patriarcha Conſtantinopolitano *pictoris cujuſdam manus exaruit, qui loco* ſeu forma *Jovis Servatorem pingere præſumpſerat, quem Gennadius precibus ſuis curavit*. Etenim ut Sanctorum, Chriſti præſertim Domini noſtri, imagines eſſent congruæ & decoræ, vigilantiſſimè ſemper proſpexit Eccleſia. Et hinc præſens Canon omnia antiqui teſtamenti Sacramenta, utpotè Chriſti Domini promiſſivas ac prænuncias figuras, recipere ſe ac venerari profitetur, nominatim agnum Paſchalem, quem reſpiciens Sanctus Joannes Baptiſta dixit de eo- A. 6. dem Domino: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata* F. 577. *mundi*. Eumdem Canonem laudat ſeptima Synodus, & ait: *Videmus cuncti & intelligimus, quod & ante ſanctas Synodos, & poſt ſanctas Synodos imaginum deſcriptiones in Eccleſia traditæ fuerunt.* Videmus Chriſtum Dominum noſtrum non dumtaxat in adſumpti hominis, ſed & in legalis Agni forma fuiſſe paſſim etiam in Græcorum Eccleſiis effigiatum. Et hunc morem, ut pravum damnare non auſus, ut imperfectum præſens Canon abolet ac proſcribit. Longè pejus poſtmodùm Claudius Taurinenſis Epiſcopus blateravit adversùs omnem Latinam Eccleſiam: *Iſti perverſorum dogmatum auctores agnos vivos volunt vorare, & in pariete pictos adorare*.

Romana namque Eccleſia legalem Agnum ſemper non ſolummodò in pariete pinxit, ſed & in Sabbatho ſancto fecit, quod ad titulum de Sabbatho ſancto ſcribit Alcuinus Flaccus. *In Romana Eccleſia infra urbem manè venit Archi-Diaconus in Eccleſiam, & fundit ceram in vaſe mundo, & miſcitat in ea oleum, indè benedicit ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem Agnorum, & ſervat eos in loco mundo. In octavis verò Paſchæ dantur ipſi Agni ab Archi-Diacono poſt Miſſas in Eccleſia & communionem populo, & ex eis in domibus ſuis faciunt accendi incenſum ad fumigandum pro quacumque neceſſitate: Agni, quos Romani faciunt, Agnum pro nobis factum immaculatum deſignant*. Ritus originem videtur Sancto Gregorio Magno adſcribere. L. 2. c. 17. L. 6. Quæ omnia ex ipſo repetit Amalarius Fortunatus. Ritum latiùs deſcribit in Rationali Divinorum officiorum Guilielmus Durantus, & addit. *Hi Agni à fulgure & tempeſtate fideles & credentes defendunt propter virtutem conſecrationis & benedictionis*. Et hunc ritum præſens Canon impugnat: Auſu namque nimis temerario præſumpſit hæc Synodus corrigere Eccleſiam Romanam. Et hinc ejus refutator conſtantiſſimus, Sergius primus Pontifex fecit, quod in ejus vita laudat Anaſtaſius Bibliothecarius: *Hic ſtatuit, ut tempore confractionis Dominici corporis*, AGNUS DEI, QUI TOLLIS PECCATA MUNDI, MISERERE NOBIS, *à Clero & populo decantaretur*. Romanarum imaginum legitimitatem ſolenni iſto per omnem ſuum Patriarchatum cantu ſtatuit perpetuò confirmandam.

Confirmavit poſtmodum & Deipara Virgo Maria, de qua in Sigeberti Gemblacenſis ſupplemento ſcribit Robertus Abbas Montenſis. *Anno* A. 1183. *ſuperiori apparuit Domina noſtra, Mater miſericordiæ, ſancta Maria cuidam fabro lignario, opus facienti in quadam ſylva, & obtulit ei ſigillum iconiæ ſuæ, & filii ſui, Salvatoris noſtri, cujus ſic conſcriptio erat*: AGNUS DEI, QUI TOLLIS PECCATA MUNDI, DONA NOBIS PACEM. *Et dixit ei, ut ferret illud ſigillum ad Epiſcopum Podienſem, ut prædicaret in Provincia ſua, & aliis circumquaque, ut omnes, qui vellent pacem tenere ſanctæ Eccleſiæ & filiis ſuis, facerent hujuſmodi ſigilla, & portarent in ſignum pacis. Quod &* A. 1183. *factum eſt*. Rigordus in vita Philippi Auguſti Francorum Regis ait fabrum illum fuiſſe civem Anicienſem, nomine Durandum. Ita piiſſima Virgo Mater bella privata, omnem tunc Euro- L. 5. pam miſerrimè dilacerantia, cœpit exſtinguere. Et hinc labitur Famianus Strada primam piorum ejuſmodi numiſmatum geſtationem apud nos Belgas apparuiſſe adversùs impiam graſſationem Deo ac Regi rebellium Calviniſtarum. Nam & Xixtus quintus Pontifex in Eccleſiæ nuper Lateranenſis, quam reſtaurabat, fundamentis antiquiſſima, ſanctæ Crucis ex una, ex altera facie effigiem regnantis Auguſti habentia, numiſmata reperit, & variis Indulgentiis ornata orthodoxis Principibus geſtanda tranſmiſit, quod utique judicaret etiam olim à fidelibus fuiſſe geſtata.

CANON LXXXIII.

NEmo mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet. Scriptum eſt enim, *Accipite & comedite*. Mortuorum autem corpora non poſſunt accipere nec comedere.

SCHOLION.

SImilem Canonem habemus à quarta Synodo Carthaginenſi, inſertum codici Eccleſiæ Africanæ. *Placuit, ut corporibus defunctorum non detur Euchariſtia. Scriptum eſt enim,* ACCIPITE ET EDITE, *cadavera autem nec accipere poſſunt, nec edere*. Et à Synodo Antiſiodorenſi. *Non licet mortuis Euchariſtiam tradi*. Data illis quandoque fuit ex cauſis variis. Primam adducit Sanctus Gregorius Magnus in libris Dialogorum, agens de quodam monacho extra paternam Sancti Benedicti gratiam defuncto, ideòque tertiùm extra ſepulchrum & terram ejecto. *Parentes concitè ad Benedicti Patris veſtigia currentes cum fletu petierunt, ut defuncto ſuam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu ſua protinùs communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum corpus ſuper pectus ejus cum magna reverentia ponite, & ſic ſepulturæ eum tradite. Quod cùm factum fuiſſet, ſuſceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit*. (L. 2. c. 14.) Apud Anglos olim defunctorum corpora ſepulchris, malo ſpiritu portante, exire, totas noctes vagari, & feras in vivos exercere inſolentias conſueviſſe oſtendit exemplis variis ſcriptor graviſſimus, Guilielmus Neubrigenſis, (L. 7. c. 22. 23.) addens de eorum uno. *Lincolnienſis Epiſcopus abſolutionis chartulam manu ſua conſcripſit, qua pectori defuncti appoſita, & clauſo rurſùm ſepulchro, nec oberrare deinceps viſus eſt, nec alicui moleſtiam ulteriorem inferre permiſſus*. Ejuſmodi diabolicas in cadavera graſſationes antiqui Patres Euchariſtia compeſcebant. Eamdem adversùs familiare olim effoſſionis crimen fuiſſe cadaveribus appoſitam teſtantur auctores graves, verùm recentiores.

Tertiam cauſam adducit laudatus Canon Carthaginenſis: *Et ne jam mortuos homines baptizari faciat Presbyterorum ignavia*. Alia editio ſic legit: *Cavendum eſt etiam, ne mortuos baptizari poſſe fratrum infirmitas credat, cùm Euchariſtiam mortuis dari animadverterit*. Etenim de Montaniſtis ſcribit Sanctus Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus: *Hi mortuos baptizant*. Et in hæreticarum fabularum libris Theodoretus de Archonticis: (L. 1. c. 11.) *Oleum & aquam mortuorum capitibus injiciunt, ſic fore dicentes, ut inviſibiles ſint, ſuperioreſque evadant interjectis Dominationibus ac Poteſtatibus*. Et in libro de ſectis Conſtantinus Harmenopulus de Marcionitis ac Manichæis. (Cap. 11.) *Quoties apud ipſos non baptizatus aliquis moritur, ſub lectulo defuncti vivo quodam occultato, lectulum adeunt, ac mortuum interrogant, an baptizari velit. Reſpondet occultatus ab imo velle, atque ità loco defuncti eum baptizant. Cauſam rogati dicunt hoc Apoſtolum docuiſſe, cùm ait:* SI PRORSUS MORTUI NON RESUSCITANTUR, CUR ETIAM BAPTIZANTUR PRO MORTUIS? *Sed ignorant id hoc modo prolatum, propterea quod quicumque baptizantur, in confeſſione reſurrectionis mortuorum & ejus ſpe baptizantur*. Hoc ipſum de Marcioniticis latiùs teſtatur Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Quocircà ſolis illis mortuis, qui in extremo adhuc vivi non perceperant, Euchariſtiam quidam imperiti Afrorum Epiſcopi ac Presbyteri dabant, atque ità ſtultis jam memoratis erroribus præbebant fomenta.

CANON LXXXIV.

CAnonicos Patrum ritus ſequentes de infantibus quoque decernimus, quoties non inveniuntur firmi teſtes, qui eos abſque ulla dubitatione baptizatos eſſe dicant, nec ipſi propter ætatem de

ſibi

ſibi tradito myſterio aptè reſpondere poſſint, debere abſque ulla offenſione baptizari: Ne fortè ejuſmodi dubitatio eos ejuſmodi purificationis ſanctificatione privet.

SCHOLION.

Cap. 73. EJuſdem formæ Canonem habemus in codice Africano. *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem de traditis ſibi Sacramentis idonei reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim Legati Maurorum, fratres noſtri, conſuluerunt, quia multos tales à barbaris redimunt.*
Epiſt. 92. Confirmat Sanctus Leo Magnus in litteris ad Ruſticum Archi-Epiſcopum Narbonenſem. *Si nulla exſtent indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter Clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati eſſe doceantur, agendum eſt ut renaſcantur: Ne manifeſtè pereant, in quibus, quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum. Qui autem poſſunt meminiſſe, quod ad Eccleſiam veniebant cum parentibus ſuis, poſſunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur, acceperunt. Sed ſi hoc etiam ab eorum memoria alienum eſt, conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur: Quia non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Et Eumerio Nannetenſi Epiſcopo, roganti *de quodam puero, qui neſcire ſe dixit ſi fuerit baptizatus, niſi hoc tantùm recoluit, quod de linteo caput habuit obvolutum, quod frequenter infirmantibus poſt dolorem fieri ſolet, ne caput algeat, & recidivam incurrat,* reſpondet in litteris, apud Jacobum Sirmondum poſt tertiam Synodum Aurelianenſem exſtantibus, Trojanus Epiſcopus Santonenſis. *Statutum noveris, ut quicumque ſe baptizatum fuiſſe non recolit, nec ab alia perſona id factum fuiſſe probatur, Baptiſmum abſque ulla dilatione percipiat, ne à nobis anima illius, ſi à baptizatis ſeparata fuerit, requiratur.* Et Pontifex Gregorius ſecundus in litteris ad Sanctum Bonifacium Francorum Apoſto-
Epiſt. 9. c. 9. lum. *De parvulis, qui à parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizatis ſint, an non, ignorant, quia interrogaſti, eos ut baptizare debeas ſecundùm Patrum traditionem, ratio poſcit.* Et Gregorius tertius.
Epiſt. 1. c. 4. *Eos, qui ſe dubitant fuiſſe baptizatos, vel qui à Presbytero Jovi mactante, & carnes immolatitias veſcente baptizati ſunt, ut rebaptizentur præcipimus.* Eo namque tempore ſacrilegis Sacerdotibus abundabat omnis Francia Paganorum Diis falſis tauros & hircos immolantes, de quibus meritò dubitabatur, an baptizantes ſacroſanctam Trinitatem invocaſſent. Latiùs hæc refert in litteris ad eundem Bonifacium Zacharias Pontifex, utriuſque laudati Gregorii reſponſa confirmans. Et in Synodo Eboracenſi, adducta per Rogerum Hovedenſem, ſtatuit Hubertus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis: *Ubi puer, cujus baptiſma* F. 755. 806.
ignoratur, reperitur expoſitus, ſive cum ſale, qui baptizatis ſolebat ab exponentibus adponi, *ſive ſine ſale reperiatur, baptizetur, cùm non intelligatur iteratum, quod neſcitur fuiſſe collatum.* Et Synodica Lucæ Patriarchæ Conſtantinopolitani.
Cùm infantes ex Chriſtianorum regione à Schytis & Agarenis capti eſſent, & empti à Romanis, dubitatum eſt, an oporteat venundatos rebaptizari. Dicebant enim nonnulli, quoniam ex Chriſtiana regione capti ſunt, præſumptio eſt eos fuiſſe baptizatos in patria, ætate infantili, nec denuò eſſe baptizandos. Magis tamen placuit eos debere baptizari, quod neſciant an in infantia fuerint baptizati, nec ulli inveniantur, qui Baptiſmum affirment. Eos autem, qui ex infidelium regione capiuntur, indiſtinctè baptizandos ſtatutum eſt, niſi teſtes profiteantur eos poſt captivitatem fuiſſe baptizatos. Cap. 12.

Primo Lucæ reſponſo adverſari videtur Reſcriptum Innocentii tertii Pontificis ad Epiſcopum Ferrarienſem, exſtans apud Gregorium nonum. *Certè de illo, qui natus de Chriſtianis parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forsàn argumentis contrarium probaretur.* Dico, *videtur adverſari.* Lucas enim de infantibus, Innocentius de adultis piè ſemper converſatis loquitur. Dum ejuſmodi caſus occurrerit, ſuppliciter invocandus erit Spiritus diſcretionis.

Cunctis hiſce decretis addidit apud eumdem Gregorium nonum Alexander tertius Pontifex. L. 3. tit. 42. c. 2.
De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis: SI BAPTIZATUS ES, NON TE BAPTIZO; SED SI NONDUM BAPTIZATUS ES, EGO TE BAPTIZO, ETC. Quod ipſum ſuis Capitularibus inſeruerunt Odo Pariſienſis, & Iſaac Epiſcopus Lingonenſis: Atque ità errant, qui laudatum L. 11. c. 17.
Alexandrum exiſtimant primum iſtius cautelæ auctorem.

CANON

CANON LXXXV.

IN duobus vel tribus teſtibus confirmari omne verbum ex Scriptura accepimus. Servos ergò, qui à ſuis Dominis manumittuntur ſub tribus teſtibus, eo frui honore decernimus, qui præſentes libertati vires & firmitatem adferent, & ut iis, quæ ipſis teſtibus facta ſunt, fides habeatur, efficient.

CANON LXXXVI.

EOs, qui ad animarum lapſus meretrices cogunt & alunt, ſi ſint quidem Clerici, ſegregari ac deponi; ſi verò laici, ſegregari.

CANON LXXXVII.

QUæ maritum reliquit, eſt adultera, ſi venerit ad alium, ut vult Sacer, & divinus Baſilius, qui ex Hieremia Propheta hoc optimè colligit: *Quod ſi alii uxor fueris, ad maritum ſuum non convertetur, ſed polluta polluetur*. Et rursùs: *Qui autem detinet adulteram, eſt inſipiens & impius*. Si ergò præter rationem à marito receſſiſſe viſa ſit, illi quidem venia dabitur, ut Eccleſiæ communicet. Sed ei, qui legitimè ſibi datam uxorem relinquit, & aliam ducit, è Domini ſententia eſt adulterii judicio obnoxius. A Patribus enim noſtris ſtatutum eſt, ut qui ſunt ejuſmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio ſubſternantur, & ſeptimo cum fidelibus conſiſtant, & ſic oblatione digni habeantur.

SCHOLION.

DIvortiorum, repudiorum, novorumque conjugiorum apud gentiles Romanos fuit ſumma ac fœda libertas. Frænare cœpit Conſtantinus Magnus in lege ad Ablavium, exſtante in Codice Theodoſiano, non niſi ob unum è tribus iſtic memoratis criminibus permittens repudium, fœminamque aliter repudiantem dote privans ac mandans deportari, virum autem etiam graviter puniri. Honorius, Theodoſius, & Conſtantius Auguſti fœminam legitimè, etiam ob publicum viri crimen, repudiantem à novis nuptiis ad quinquennium, repudiantem verò ob ſolas morum culpas ſuſpendunt perpetuò: Quo repudiis

L.3.tit.16. c. 1. — Cap. 2.

novi potiùs appetitione, quam prioris viri execratione fieri conſuetis omnem auferrent anſam. Maritum ob ſexus prærogativam mitiùs tractarunt: *Ex publico crimine, ſtatim, ex ſolo morum vitio repudiantem poſt biennium ad novas nuptias admiſerunt, ſolum ſine cauſa repudiantem damnantes ad perpetuum cælibatum.*

L. 22. c. 117. Verùm Juſtinianus Auguſtus, Anaſtaſium imitatus, in legibus novellis ad Joannem ac Theodotum Prætorio Præfectos laxavit mali habenas, repudiorum cauſas amplians, & de irrationabili repudio puniens ſolam mulierem quinquennali abſtinentia à novis nuptiis. Et haſce leges novellas, legis nomine penitùs indignas, præſens Canon partim abjicit, partim confirmat. Et virum namque & mulierem, irrationabile repudium attentantem, damnat de adulterio, arcetque perpetuò à novis nuptiis, quas tamen viro iniquè dimiſſo, de muliere eamdem injuriam paſſa tacens, permittit. Licentiam auxerunt Leo ſapiens ac Nicephorus Botoniates, Auguſti Græcorum, atque ità eos meritò arguit tractatus repertus Conſtantinopoli apud Patres Dominicanos, *quod viri & mulieris Sacramentum conjugii pro nihilo reputent: Nam quoties alter diſplicet, vel alteri, coram Prætore Urbano voluntatibus eorum expoſitis, inſtrumentis & ſingulis præciſis, ſine contradictione viri uxores, & mulieres viros pro libitu accipiunt, contra mandatum quod dicit*, QUOD DEUS CONJUNXIT, HOMO NON SEPARET. Etiam in Florentina Synodo de eodem abuſu queſtus eſt Eugenius quartus Pontifex, neque potuerunt Græci dare rationes.

Memoratam Juſtiniani legem ad Joannem Prætorio Præfectum reſpicit etiam Sanctus Gregorius Magnus in Epiſtola ad Theotiſtam Patriciam. *Si ſunt, qui certiſſimè talia ſentiunt, vel tenent, quia Chriſtiani non ſunt dubium non eſt, eoſque & ego, & omnes catholici Epiſcopi, atque univerſa Eccleſia anathematizamus: Quia veritati contraria ſentiunt, contraria loquuntur. Si enim dicunt religionis cauſa conjugia debere diſſolvi, ſciendum eſt, quia etſi id lex humana conceſſit, lex Divina prohibuit. Per ſe enim veritas dicit*: QUOD DEUS CONJUNXIT, HOMO NON SEPARET. *Quæ etiam ait*: NON LICET DIMITTERE UXOREM, EXCEPTA CAUSA FORNICATIONIS. *Quis ergo huic cœleſti legiſlatori contradicat?* Adducta enim lex diſertè ſtatuit, uti naturali, ità civili per monaſticam profeſſionem morte conjugium diſſolvi. Et ejus auctoritatem malè ſecutus Sanctus Fulbertus Carnotenſis de neſcio quo ſuo cive ſcribit ad Archi-Epiſcopum Rothomagenſem. *Satis ſuperque fatigavit me de novis connubiis expetendis: Ego verò interdico ei licentiam iſtam, donec uxor ejus aut monacha facta ſit, aut defuncta. Capitula Canonum ad hanc cauſam pertinentia nobis ſubſcribere non vacavit ad tempus, hoſtium perſecutione turbatis.* Certè nulla ſunt talia Canonum Capitula: Damnatas à Romana Eccleſia leges malè Fulbertus uti Canones honoravit. Longa eſt hæc divortiorum ac repudiorum materia, ſuo tempore & loco enucleanda.

L. 4. Epiſt. 39.

Epiſt. 52.

CANON LXXXVIII.

NEmo intra ædem ſacram quodvis jumentum introducat, niſi fortè viator quiſpiam, maxima urgente neceſſitate, domunculæ vel diverſorii indigens in id templum diverterit. Niſi enim jumentum introductum fuerit, ipſum quidem nonnumquam peribit, hic verò propter jumenti amiſſionem, & facultatis ad iter peragendum ex eo perſectam inopiam, mortis periculo tradetur. Sabbathum enim propter hominem factum eſſe docemur: Quamobrem & per omnia præferendam eſſe exiſtimare hominis ſalutem & incolumitatem. Quocirca ſi quis deprehenſus fuerit ſine neceſſitate jumentum in templum introducens, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi verò laicus, ſegregetur.

SCHO-

SCHOLION.

LApſam apud nos Chriſtianitatem reſtaurans Carolus Magnus in Capitulari Aquiſgra-
Cap. 71. nenſi ſcribit ad Epiſcopos & Presbyteros. *Placuit nobis admonere Reverentiam veſtram, ut unusquisque veſtrum videat per ſuam Parochiam, ut Eccleſia Dei ſuum habeat honorem, ſimul & altaria ſecundùm ſuam dignitatem venerentur, & non ſit domus Dei & altaria pervia canibus*. Longè minùs jumentis. Hoc quippè olet Maxentium Auguſtum, qui Sanctum Marcellum Pontificem perſequens catabulum poſuit in Eccleſia. Et in Capitulari ſuo ſcribit Sanctus Theodulfus Aure-
Cap. 8. lianenſis Epiſcopus. *Videmus crebrò in Eccleſiis meſſes & fœnum congeri: Undè volumus & hoc penitùs obſervetur, ut nihil in Eccleſia, præter veſtimenta Eccleſiaſtica, & vaſa ſacrata, & libros, recondatur. Ne fortè ſi alia, quam oportet, ibi negocia exerceantur, à Domino audiamus*, DOMUS MEA, DOMUS ORATIONIS VOCABITUR, VOS AUTEM FECISTIS ILLAM SPELUNCAM LATRONUM. Et Innocen-
Cap. 18. tii Synodus Lateranenſis. *Relinqui nolumus incorrectum, quod quidam Clerici ſic exponunt Eccleſias ſupellectilibus propriis aut alienis, ut potiùs domus laicæ, quam Dei Baſilicæ videantur, non conſiderantes, quod Dominus non ſinebat, ut vas transferretur per templum. Quia verò zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne hujuſmodi ſupellectilia in Eccleſiis admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, aut alias neceſſitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium. Sic tamen ut neceſſitate ceſſante res in priſtina loca reportentur*. Ejuſmodi Canones habemus longè plurimos. Eorum cauſam edicit in lege Eccleſiaſtici aſyli confirmatoria, exſtante poſt Synodum Ephesinam, Theodoſius Auguſtus. *Dei templum humana, naturalique neceſſitate fœdari, & ſacroſancta myſteria infami infirmitate miſceri, ac Divina à profanis contaminari, ſacra denique à profanis inquinari non patimur*.

Quævis conſecrata Eccleſia, immò quodvis ejus conſecratum altare habet adſiſtentem Angelum, omnis noſtræ ibidem actionis teſtem, ac
Cap. 4. 10. irreverentiæ vindicem, uti ſcribunt in prato ſpi-
Cap. 24. rituali Sanctus Sophronius Hieroſolymæ Patriarcha, & Sanctus Abbas & Martyr Maximus in Eccleſiaſtica myſtagogia. Hinc in laudata lege pergit Theodoſius Auguſtus. *Nos qui jure ſemper armis circumdamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non convenit, Dei Eccleſiam ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema deponimus, & quo ſubmiſſioris imperii ſpeciem præferimus, eò magis imperii majeſtas nobis promittitur*. Quomodò Julianus, Orientis Prætorio Præfectus, Juliani Auguſti Apoſtatæ cognatus & miniſter, Antiochiæ ad Eccleſiæ altaria mingere auſus fue-
L. 3. c. 11. ſit mox à Deo in eiſdem membris punitus, excrementa iſta deinceps non per vias ordinarias, ſed per ipſum os egerere coactus, fœdiſſimèque exſtinctus, refert in hiſtoria Eccleſiaſtica Theodoretus. Et de Eccleſia Remenſi, ejuſque per Ebbonem Archi-Epiſcopum exſtructa crypta
ſcribit Flodoardus. *Vidi Gundracri ſervum, dùm* L. 2. c. 19. *temerè propè feneſtram cryptæ acceſſiſſet mingere, terribili quadam quaſi armati cujuſdam viri viſione ità deterritum, ut putaretur amittere ſenſum. Sed & Rohingum quemdam, hujus loci Diaconum, à ſimili præſumptione ferunt pari viſione cohibitum. Undè cautum deinceps ac prohibitum, ne quis talem præſumere geſtiret abuſum*. In Eccleſiæ pavimen-
tum nec ſpui poſſe, ſed vaſa iſtas orantium ne- L. 5. c. 1.
ceſſitates exceptura ordinari in baſilicis vult Glaber Rudolfus, morem hunc vigere adſeverans in Eccleſiis Græcorum. Certè Sanctam Nonnam, matrem ſuam, in funebri Patris ſui Gregorii encomio laudat Sanctus Gregorius Nazianzenus, *quod Divinum ſolum conſputando numquam inquinaverit*. Fulco bonus, Andegavenſium Comes, Eccleſiam tranſiens, ſemper deſcendebat equo
ex reverentia, uti ſcribit Radulfus de Diceto. A. 960.
Quod fermè ipſum de Uladislao Poloniæ Rege Cap. 19.
aſſerit Æneas Sylvius in libro de Europæ ſtatu ſub Frederico tertio Auguſto. Et Connanus Scotiæ Rex, teſte Hectore Boetio, nunquam caput texit in Eccleſia. Et Joſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Ferrariæ cum omni Græca nobilitate noſtras ingreſſus Eccleſias, cunctis *juſſit pileos capitibus auferre*, extollit in
Florentini Concilii hiſtoria Sylveſter Sguropulus. L. 4. c. 18.
Cuidam Biſ-Conſuli regerēti *Latinos ejuſmodi conſuetudinem non agnoſcere*, repoſuit idem Joſephus. *Quidni? vos meis monitis obtemperate, aut ego vos forſan veſtris faſtigiis deturbari, & ex albo herum expungi curabo. Etenim ſciatis velim, non alio vos ſine civilibus magiſtratibus donari, quam ut his erga Deum cæremoniis perfungamini*. Et certè Biſ-Conſulis exceptio habuit aliquid fundamenti. Antiqua enim Græcorum de nobis Latinis querimonia eſt relata in tractatu reperto Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores. *Clerici eorum & laici non ſunt diſtincti: Ad altare velato capite accedunt: Sanctis & terribilibus locis nullam aut modicam exhibent reverentiam*.

Et parùm ſuprà. *Cùm Miſſæ celebrantur, & myſteria conficiuntur, plerique adſiſtentium laicorum, ſi placet eis, loquuntur*. Verùm omninò agunt contra legem noſtram. Etenim Fredericum primum Auguſtum, quod in Eccleſia nec umquam locutus ſit, nec ſibi quem loqui permiſerit, ex lege iſta laudat Radevicus Presbyter Friſingenſis.
Omninò probamus Sanctum Gregorium Nazian- L. 2. c. 76.
zenum, glorioſè ſcribentem de matre ſua, *quod in conventibus, locisque ſacris numquam illius vox audita ſit; neceſſarias tantùm illas & myſticas*, quibus populus Sacerdoti ſolenniter oranti reſpondere ſolebat, *excipio*. Addit, *quod venerandæ menſæ numquam terga verterit*. Et Sanctus
Auguſtinus concionatur in ſermone de tempore. Ser. 2.
In Eccleſia ſtantes aut orate, aut pſallite, verba otioſa aut ſæcularia nec ibi proferte, & eos, qui
proferre voluerint, caſtigate. Et in ſermone de di- Ser. 10. c. 3.
verſis, *eos, qui intra Eccleſiæ parietes domus ſuæ curam gerunt, domeſticis fabulis delectantur, & ideò conveniunt, ut inveniant cum quibus loquantur nugatoria, non cum quibus audiant utilia*, affirmat deſperatis, qui magiſtrum docentem in

ſchola attendere contumaciter nolunt, pueris adſimi!andos. Plures manſnetiſſimus Epiſcnpus habet ejuſmodi duras invectivas. Et in Capitulari Aquiſgranenſi ſcribit Carolus Magnus. *Vaniloquia in Eccleſiis non aguntur, quia domus Dei, domus orationis debet eſſe, non ſpeluncæ latronum. Et intentos habent animos, quando veniunt ad Miſſarum ſolennia.* Et Sancti Theodulfi Capitulare.
Cap. 10. *Non debetis ad Eccleſiam ob aliam cauſam convenire, niſi ad laudem Domini, & ejus ſervitium faciendum. Diſceptationes verò, & tumultus, & vaniloquia, & cæteræ actiones ab eodem ſancto loco penitùs prohibendæ ſunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, Deo ſacrificium offertur, Angelorum frequentia ineſſe non dubitatur, periculoſum eſt tale aliquid dicere vel agere, quod loco non convenit. Si enim Dominus illos de templo ejecit, qui victimas, qui ſibi offerrentur, emebant vel vendebant, quantò magis illos iratus indè abjiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, riſibus, & hujuſmodi nugis locum Divino cultui dedicatum fædant?* Et tertia Synodus Turonenſis non ſolùm iſtic ab otioſis verbis, ſed & à pravis cogitationibus mandat abſtinendum. Rigidas in hanc rem Origenis, Sancti Auguſtini, & venerabilis Bedæ declamatinnes adducit ſexta Synodus Pariſienſis. (L.2. c.11. 12. L.3. Epiſt. 8.) Videnda item ſunt Capitulare Herardi Turonenſis Epiſcopi, Sancti Petri Damiani litteræ ad Hugonem Epiſcnpum Biſontinum, (Epiſt. 2. c. 8.) ac præſertim doctiſſima Epiſtola Hincmari Remenſium Archi-Epiſcopi ad Carolum Calvum Francorum Regem. Durè videbis iſtas fabulas damnari.

CANON LXXXIX.

Dies ſalutiferæ paſſionis in jejunio & oratione, & cordis compunctione peragentes fideles uſque ad mediam magni Sabbathi noctem jejunare oportet; cùm divini Evangeliſtæ Matthæus & Lucas, ille quidem per *veſpere Sabbathi*, hic verò per id, *valdè diluculo*, noctis nobis tarditatem deſcribant.

SCHOLION.

Canon innovat & confirmat ſupra laudatum Sancti Dinnyſii Patriarchæ Alexandrini de ſpeciali Paſchalis Sabbathi jejunio & reverentia decretum, cujus etiam meminit in Sancti Matthæi Evangeliſtæ commentariis Sanctus Hieronymus.
Cap. 25. *Traditio Judæorum eſt Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Ægypti temporis, quando Paſcha celebratum eſt, & exterminator venit, & Dominus ſuper tabernacula tranſiit, & ſanguine agni poſtes noſtrarum frontium conſecrati ſunt. Undè reor & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, ut in die Vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Chriſti. Et poſtquam illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumpta, feſtum cunctos agere diem*, adeòque & tunc priùs jejunium laxare.

CANON XC.

Dominicis genu non flectere à divinis noſtris Patribus, Chriſti reſurrectionem honorantibus, Canonicè accepimus. Ne ergò hujus obſervationis evidentiam ignoremus, fidelibus manifeſtum facimus, quod poſt veſpertinum Sacerdotum ad altare Sabbathi ingreſſum,

Digitized by Google

ſum, ex conſuetudine, qua ſervatur, nemo genu flectat uſque ad ſequentem veſperam in die Dominico, in qua poſt ingreſſum in completorio genua rursùs flectentes Domino preces ſic offerimus. Salvatoris enim noſtri reſurrectionis præcurſorem noctem, quæ fuit poſt Sabbathum, accipientes hymnos ab ea ſpiritaliter incipimus, feſtum ex tenebris in lucem finientes, ut in perfecto & integro die ac nocte nos reſurrectionem celebremus.

Scholion.

Feſtos, & cunctos generaliter dies à veſpera in veſperam computare eſt Apoſtolica, ab Hebræis mutuò accepta, & ab Eccleſiæ Patribus frequenter laudata traditio. Etenim mundus incœpit à veſpera, habens tenebras ſupra faciem abyſſi, atque ità *ex veſpera & manè*, id eſt, luce factus eſt dies primus, ac aſſidua deinceps ſucceſſio dierum. Quapropter antiquos gentiles Gallos, ità etiam computantes, perperàm in libris de bello Gallico notat Julius Cæſar. Longè pejùs ipſi computationis cauſam in ſui ex Dite tenebrarum Deo originem referebant. Romanos ſempre à media nocte in mediam noctem computaſſe teſtatur apud Gregorium nonum Innocentius tertius Pontifex in litteris ad Atchi-Epiſcopum Toletanum. Et ità quidem quoad res civiles computamus Ultramontani omnes, at verò cum omni Italia Romani vetuſtum Eccleſiæ & Galliæ morem ſequuntur. Dico, *Quoad res civiles*: Eccleſiaſtica enim officia etiamnùm fiunt à veſpera in veſperam, ſaltem nomine tenùs. Veſpertinum quippè officium, lucernarium olim dictum, inchoari non oporteret, niſi poſt accenſas noctis lucernas, quomodò etiamnùm fit in Eccleſia Mediolanenſi.

L.5.tit.29. c.14.

CANON XCI.

Eas, quæ dant abortionem cientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis ſubjicimus.

CANON XCII.

Eos, qui nomine matrimonii mulieres rapiunt, quique opera, opeque ſua raptores adjuvant, ſtatuit ſancta Synodus, ſi ſint quidem Clerici, proprio gradu excidere; ſi verò laici, anathema- te percuti.

CANON

Digitized by Google

CANON XCIII.

UXor viri, quæ ſeceſſit, & non apparet, antequam de ejus morte certior facta ſit, alteri cohabitans adulteratur. Similiter & militum uxores, quæ non apparentibus maritis, nupſerunt, in eandem rationem incidunt; quemadmodùm & quæ propter mariti peregrinationem reditum non exſpectant. Sed res hic quidem aliquam veniam habet, quod ſit major ejus mortis ſuſpicio. Ea autem, quæ illi, qui ad tempus erat ab uxore relictus, nupſit per ignorantiam, deindè dimiſſa eſt, quod prior ad ipſum redierit, eſt quidem fornicata, ſed per ignorantiam. A matrimonio ergò non arcebitur: rectiùs autem ſi ſic manſerit. Sin autem miles aliquanto poſt tempore redierit, cujus uxor propter longam ipſius abſentiam alteri viro conjuncta eſt, is ſi velit, propriam uxorem recipiat, ipſi venia propter ignorantiam data, eique qui illam in ſecundis nuptiis domum duxit.

Scholion.

EAdem omnia largè docet Sanctus Pontifex Leo Magnus in litteris ad Nicetam Archi-
L. 22. Epiſcopum Aquilejenſem. Porrò in lege novella ad Joannem Prætorio Præfectum ſtatuit Juſtinianus Auguſtus alterius conjugis captivitate, & ad barbaros extra Romaniam deportatione non ſolvi deinceps, quoad de illius vita conſtiterit, conjugium, & adjungit. *Si incertum ſit, utrùm ſupereſt, an non, quæ ad hoſtes perſona devenit, tunc quinquennium expectandum eſt, ſive à viro, ſive à muliere, poſt quod ſive manifeſtam de morte fiat, ſive incertum maneat, nubere licebit ſine periculo.* Tunc enim ipſe tamquam novus novi teſtamenti legiſlator, ſeu potiùs prævaricator dat licentiam bonæ gratiæ, ſeu repudii ac divortii, etiam quoad conjugale vinculum, faciendi. Et hìnc in novella ad Theodotum Prætorio Præfe- L. 117.
ctum lege militibus dudùm in expeditione manentibus, ac nunquam interim ad familiam ſcribentibus, dat pro grandi privilegio, quod eorum uxores nequeant nova inire conjugia, niſi authenticis teſtimoniis certificatæ de ipſorum deceſſu. Meritò poſtmodùm Leo ſapiens Auguſtus priorem legem, ut naturæ adverſam proſcripſit, captivos donans jam dicto militum privilegio, L. 33.
utique juxta præſentis Canonis decretum. Ob ejuſmodi legum inſolentias omnem de matrimonio ſtatuendi auctoritatem jam pridem ſibi meritò Eccleſia reſervavit.

CANON XCIV.

EOs, qui Gentilium Sacramenta jurant, Canon pœnis ſubjicit: & nos iis quoque ſegregationem decernimus.

SCHO-

Scholion.

Cap. 20. ELeganter Tertullianus in libro de idololatria. *Conſuetudinis vitium eſt*, ME HERCLE DICERE, ME DIUS FIDIUS, *accedente ignorantia quorumdam, qui ignorant juramentum eſſe per Herculem*. Etiam ex prava conſuetudine aut ignorantia jurare per Deos gentium eſt omninò idololatria. *Quid enim erit dejeratio per eos, quos* in Baptiſmo *ejeraſti, quàm prævaricatio fidei cum idololatria? Quis per quos dejerat, non honorat?* Quidam olim facta per falſos gentium Deos juramenta, quoniam, juxta Apoſtolum, idolum nihil eſt, exiſtimarunt nullius eſſe virtutis & obligationis: Eos in ſermone de verbis Apoſtoli, & in Epiſtola ad Publicolam graviſſimè arguit Sanctus Auguſtinus. Ser. 28. c. 12. Epiſt. 154. *Non enim, quando juras, tibi aut lapidi juras, ſed proximo ante lapidem: Sed nunquid ante Deum?* Ne quidem hic eſt locus mentali reſtrictioni, utpotè gentili Platonis dogmati, per Origenem cœpto trudi in Eccleſiam, cujus cauſa rectè dicit Sanctus Hieronymus Origeniſtas inter ſe colligari *orgiis mendaciorum*. Quocircà per falſos Deos perjurium eſt omninò duplex peccatum. Addit Sanctus Auguſtinus. *Sine ulla dubitatione minùs malum eſt per falſum Deum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. Quantò enim per quod juratur eſt magis ſanctum, tantò magis eſt pœnale perjurium.*

CANON XCV.

EOs qui ex hæreticis ad rectam fidem accedunt, & parti eorum, qui ſalvantur, ſubjecta conſequentia & conſuetudine recipientes, Arianos quidem & Macedonianos, & Novatianos, qui ſe puros appellant, & Ariſteros, & Teſſares decatitas ſeu Tetraditas; & Apollinariſtas recipimus dantes libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit, ut ſentit ſancta Dei univerſalis & Apoſtolica Eccleſia, ſancto primùm chriſmate inungentes & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, conſignantes autem dicimus: *Signaculum doni Spiritus Sancti*. De Paulianis item à Catholica Eccleſia ſtatutum eſt, ut ii omninò rebaptizentur. Eunomianos quoque, qui in unam demerſionem baptizant, & Montaniſtas, qui hic dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui Filium eumdem eſſe cum Patre exiſtimant, & alia quædam gravia faciunt, & omnes alias hæreſes, quoniam multi hic ſunt, & maximè qui ex Galatarum regione profecti ſunt, omnes ex iis, qui ad rectam de fide ſententiam volunt accedere, ut Gentiles recipimus. Et primo quidem die eos Chriſtianos facimus, ſecundò autem catechumenos: Deindè tertiò adjuramus, ſimul etiam ter in faciem & aures inſpirantes, & ſic initiamus, & diu in Eccleſia verſari & Scripturas audire facimus, tunc ipſos baptizamus. Quin etiam Manichæos, & Valentinianos, & Marcioniſtas, & ſimiles hæreticos oportet libellos facere, & hæreſim ſuam anathematizare, & Neſtorium, & Eutychen, & Dioſcorum, & Severum, & reliquos talium hæreſeon principes, & qui eadem, quæ illi ſentiunt, & omnes prædictas hæreſes: Et ſic fieri ſanctæ communionis participes.

SCHO-

SCHOLION.

EST Canon ſeptimus primæ Synodi Conſtantinopolitanæ, ſuprà abundè expoſitus. Adductas in illo Galatiæ peſtes, earumque ſingulatim errores ediſſerit Sanctus Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis. Addit præſens Synodus etiam Manichæos, Valentinianos, & Marcionitas, quos ſemper Eccleſia denuò baptizavit, ſine novo Baptiſmo recipiendos ad ſolum pœnitentiæ ac profeſſionis libellum, Neſtorii, Eutychetis, Dioſcori, Severi, aliorumque id genus Erronum ejuratorium. Verùm quid Marcionitis, Valentinianis, & Manichæis cum Neſtorio aut Eutychete? Exponit in lege, poſt Synodum Epheſinam exſtante, Theodoſius Auguſtus. *Hac lege ſancimus, quotquot ubicumque execrandæ opinionis Neſtorii ſequaces exſtiterint, eos Simonianorum nomine appellandos eſſe. Æquum eſt enim ut qui averſi à Deo impietatem Simonis* Magi *æmulantur, eamdem cum ipſo appellationem ſortiantur. Quod etiam modo Ariani ſanctione beatæ memoriæ Conſtantini vocati ſunt Porphyriani, quod eamdem cum Porphyrio impietatem imbibiſſent.* Eadem ratione Eutychianiſtas, eorumque reliquias, Monothelitas, præſens Canon à dogmate, quod ſectabantur, vocat Manichæos, Valentinianos, Marcionitas. Porrò Eutychianiſtas non tantùm ſine Baptiſmo, ſed & ſine Unctione ad ſolum profeſſionis libellum omnis ſemper Eccleſia in communionis gratiam recepit. Abjurari ab illis fecit etiam Neſtorium, quò viderent & illum & dogma ejus à nobis, uti calumnioſè blaterabant, nullo modo probari.

Quæſtio eſt, An hæc verba, *Signaculum doni Spiritus Sancti*, ſint aut fuerint apud Græcos ſubſtantialis forma Sacramenti Confirmationis? Adfirmare videtur Beſſarion Archi-Epiſcopus Nicænus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, In opere de myſticis verbis ſacroſanctam Euchariſtiam conficientibus. *Noſtri multa, quæ primùm apud noſtros ortum habuerunt, propter calamitates temporum perdidere. Quod manifeſtum fiet, ſi quis ad chriſmatis Sacramentum mentem converterit. Etenim ſecunda œcumenica Synodus verba, quæ ſacrum chriſma perficiunt, tradens in ſeptimo Canone ità inquit:* SIGNUM DONI SPIRITUS SANCTI. *Et hæc verba ſecundùm eos chriſmatis Sacramentum perficiunt.*

Reſpondeo tamen nec eſſe formam, nec unquam fuiſſe. Etenim Severus Patriarcha Alexandrinus, in opere ad perpetuam antiquorum Chriſtianorum rituum adversùs graſſari tunc incipientes Saracenos memoriam compoſito, hanc adſignat formam, *Chriſmate ſancto, ſuavitate odoris Chriſti Dei, ſigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus Sancti, obſignatur talis N. in nomine Patris, Amen, in nomine Filii, Amen, & Spiritus Sancti, ad vitam ſæculi ſæculorum, Amen.* Non dicit, *Obſignetur*, ſed *Obſignatur*: Nam quod etiam in Baptiſmo nequaquam, *Baptizetur*, ſed *Baptizatur* ſemper dixerint Græci, liquet ex Sancti Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani prato ſpirituali. Liquet item ad ſingularum Divinarum perſonarum invocationem etiam in Baptiſmo fuiſſe à populo reſponſum, *Amen*. Addit Severus: *Et* Sacerdos *ungit omnia* baptizati, nudi è ſancto fonte egreſſi *membra, & manus, & pedes, & nares*. Perpetuus fuit ille mos omnium Græcorum. Æthiopes, ad Alexandrinum Patriarchatum à Sancti Athanaſii tempore pertinentes, aliam habent formam in Unctione, aliam in manuum impoſitione, & utraque apud illos videtur eſſe ſubſtantialis. Singulis item ſingulorum membrorum unctionibus adhibent formam propriam, earumque nulla concipitur in verba, de quibus hìc quærimus. Unica duntaxàt nonnihil accedit, ad nares & labia: *Pignus regni cælorum, Amen*.

Cap. 176.

Concilii primi Conſtantinopolitani tempore adhuc ſtrictiſſimè urgebat Canon de occultandis Sacramentorum noſtrorum myſteriis, eorumque præſertim formis. Nam dudum poſt ipſum Pontifex Innocentius primus à Decentio Eugubino Epiſcopo rogatus Chriſtianæ confirmationis formam chartæ credere non præſumpſit, ſpondens præſenti à præſente, data occaſione, dicendam. Quocircà nec chartæ illam credidit Synodus Conſtantinopolitana. Et eam non agere de confirmationis Sacramento eſt ſuprà oſtenſum. Hæc ejus verba, *Obſignantes dicimus*, SIGNACULUM DONI SPIRITUS SANCTI, faciunt hunc ſenſum: Dicimus verba myſtica, hìc non exprimenda, ſignificantia ac imprimentia ſignaculum iſtud & donum. Et hìnc Cardinalis Beſſarion, exiſtimans à Synodo agi de ipſo Sacramento, palàm lapſus eſt ut homo.

CANON XCVI.

QUi Chriſtum per Baptiſmum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari profeſſi ſunt. Eos ergò, qui capillos ad

Digitized by Google

ad videntium detrimentum, ſcite excogitatis nexibus, adornant & componunt, & infirmis animis eſcam ea ratione objiciunt, convenienti ſupplicio paternè curamus; ipſos inſtituentes & temperanter vivere docentes, ut relicta fraude & vanitate, quæ ex materia oritur, ad exitio carentem beatamque vitam, mentem aſſiduè traducant, & in timore puram & ſanctam converſationem habeant; & Deo, quoad ejus fieri poteſt, appropinquent per vitæ puritatem; & internum magis quam externum hominem virtutibus & bonis inculpatiſque moribus exornent; ut nullas in ſe ferant reliquias diabolicæ perverſitatis. Si quis autem præter hunc Canonem verſatus fuerit, excommunicetur.

Scholion.

Mortuorum capillis ſeſe ornare eſt antiquus Græcarum mulierum faſtus ac abuſus, adversùs quem ſcribit tractatus Patrum Prædicatorum Conſtantinopolitanus. *Mulieres, deſerto naturali cultu capillorum, comis mortuorum denſiſſimis ſubornantur, contra monitionem beati Petri Apoſtoli, dicentis:* MULIERIBUS NON SIT EXTRINSECUS CAPILLATURA. Eumdem apud Latinas mulieres exceſſum culpat in
Cap. 5. libro de fœminarum cultu Tertullianus. *Quid tanta ordinandi crinis operoſitas ad ſalutem subminiſtrat? Quod crinibus veſtris quieſcere non licet, modò ſubſtrictis, modò relaxatis, modò ſuſcitatis, modò eliſis. Aliæ geſtiunt in cincinnos coercere, aliæ ut vagi & volucres elabantur non bona ſimplicitate. Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retrò ſuggeſtum. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti: Ne exuvias alieni capitis, forsàn immundi, forsàn nocentis & gehennæ deſtinati, ſancto & Chriſtiano capiti ſupparetis. Immò omnem hanc ornatus ſervitutem à libero capite depellite. Fruſtrà laboratis ornatæ videri, fruſtrà peritiſſimos quoſque ſtructores capillaturæ adhibetis: Deus vos velari jubet.* Et quibuſdam nobilibus ac opulentis mulieribus, nuper ad fidem ex gentili-
Cap. 53. tate converſis, ideòque excipientibus, *Ne blaſphemetur nomen* Chriſti *in nobis, ſi quid de priſtino habitu & cultu detrahamus*, reſpondet. *Non auferamus ergò vitia priſtina, ſimus & moribus eiſdem, ſi & ſuperficie eadem. Et tunc verè non blaſphemabunt nationes. Grandis blaſphemia eſt, ſi qua dicatur, ex quo facta eſt Chriſtiana, pauperiùs incedit.* Peritiſſimos illos capillaturæ ſtructores in libris ad uxorem vocat *Germanicos Bajulos*, & *pe- L.1. c.4.
regrinæ proceritatis cinerarios*, utpotè non ſolùm crinibus alienis additis ac intertextis, ſed & aureis ac rutilis cineribus capillaturam ornare doctos, ſtatuitque adversùm illos Synodus Eliberi- Cap. 67.
na: *Ne qua fidelis aut catechumena aut comatos aut viros cinerarios habeat.* Eam capillorum irrufationem Sanctus Hieronymus vocat ignis infernalis exordium, rigideque interdicit Demetriadi virgini, *ne alienis capillis, turritum verticem ſtruat.* Epiſt. 8.
Eamdem vanitatem damnat in litteris ad Marcellam. Et longè rigidiſſimè Eberardi Salisburgen- Epiſt. 23.
ſis Archi-Epiſcopi Synodus habita ſub Pontificatu Martini quinti.

Rectè addit noſter Canon iſtas mulierum vanitates eſſe videntium detrimentum, & infirmis animis eſcam. Exponit in ſermone de habitu Virginum Sanctus Cyprianus. *Si tu te ſumptuoſiùs comas, & per publicum notabilior incedas, oculos in te juventutis illicias, ſuſpiria adoleſcentium poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſuſpirandi fomenta ſuccendas, ut etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis & pudica.*

Eamdem in viris, ac in ipſo Othone Auguſto vanitatem damnat homo gentilis, Svetonius Tranquillus. *Munditiarum erat penè muliebrium*, L.8. c.12.
vulſo corpore, galericulo capiti, propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret. Galericulos iſtos Juvenalis vocat galeros. *Sed nigrum flavo caput abſcondente galero.* Et iterùm. *Nam de dejecto nitidis frons nuda galero, diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.* Eaſdem vanitates hodie in fidelibus noſtris dolemus.

CANON XCVII.

Eos, qui vel cum uxore cohabitant, vel alioqui indiſcriminatim ſacra loca communia faciunt, & contemptim in ea afficiuntur, & ſic in eis permanent, etiam ex iis, quæ ſunt in venerabilibus templis, catechumenorum manſionibus extrudi jubemus. Si quis autem hæc non ſervaverit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi verò laicus, ſegregetur.

Scholion.

Conjugale commercium, legitimo modo ac fine peractum, eſt non ſolummodò licitum, ſed & ſanctum. Attamen ab adnexa & concomitante concupiſcentia quid inquinationis habet, de qua in litteris ad Pammachium Sanctus Hieronymus. (Epiſt. 50. c. 6.) *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprebendo, nec probo: Unaſquiſque enim in ſuo ſenſu abundet. Sed ipſorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant, & juxta Perſium, noctem flumine purgant. Quare ad Martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Eccleſias? An alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clauſum eſt.* Reprehendit eos, qui inter privatam domi, & publicam in Eccleſia Euchariſtiam diſcernentes, ab hac, non ab illa poſt conjugale commercium abſtinebant: Immò abſtinebant etiam à ſimplici Eccleſiarum ac Oratoriorum ingreſſu. Hæc namque poſt quemvis naturæ fluxum abſtinentia erat olim pietas apud omnes ſub cœlo fideles generalis. Hinc ſcribit idem Doctor in libro adversùs Vigilantium. (Cap. 4.) *Quando aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, Baſilicas Martyrum intrare non audeo: Ità totus corpore & animo pertimeſco.* Adeò non ſine cauſa Clericos, ad quotidianum Baſilicarum & ingreſſum & miniſterium adſtrictos, quotidie ante ſomnum cantare juſſit olim, & etiamnum hodie jubet Eccleſia: *Procul recedant ſomnia, & noctium phantaſmata, hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora.* Etenim de fœmina quadam, poſt nocturnum cum viro congreſſum auſa Sancti Sebaſtiani Oratorium feſtivè dedicandum intrare, ſcribit in dialogorum libris Sanctus Gregorius Magnus: (L. 1. c. 10) *Mox ut reliquiæ beati Sebaſtiani Martyris Oratorium ingreſſæ ſunt, eam malignus ſpiritus arripuit, & coram omni populo vexare cœpit.* Et ad Sancti Auguſtini Anglorum Apoſtoli quæſtionem, *An vir ſuæ conjugi permixtus, antequam lavetur aqua, Eccleſiam intrare poſſit*, reſpondet idem Pontifex. (Q. 10.) *Vir cum propria conjuge dormiens, niſi lotus aqua Eccleſiam intrare non debet, ſed neque lotus ſtatim intrare debet. Lex autem veteri populo præcepit, ut mixtus vir mulieri & lavari aqua debeat, & ante ſolis occaſum Eccleſiam non intrare: Quod ſpiritaliter intelligi poteſt*, & ſpiritali animo ſervari à Chriſtianis. *Quamvis enim de hac re diverſæ hominum nationes diverſa ſentiant, atque alii alia cuſtodire videantur, Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit poſt admixtionem propriæ conjugis & lavacrum purificationis quærere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululùm abſtinere.* Quem morem ſuo adhuc tempore viguiſſe in Italia teſtatur in litteris ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem Sanctus Petrus Damiani. (L. 2. Epiſt. 17.) Viguiſſe dudùm & in Belgio noſtro oſtendit in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria Flodoardus. Etenim ſervus quidam Sanctæ Helenæ reliquias levare non potuit, (L. 2. c. 8.) *quod nocturno fuiſſet ſomnio pollutus.* Viguiſſe ibidem & lavandi morem adfirmat Hincmarus Archi-Epiſcopus in Epiſtola ad Carolum Calvum Regem. (Epiſt. 2. c. 9.) Partim à Judæis, partim à gentilibus ille mutuò fuit acceptus, conſuetis, ut jam ex Perſio apud Sanctum Hieronymum audivimus, flumine noctem purgare. Et hæc eſt una cauſarum, ob quas olim etiam apud fideles balnea fuere quotidiana.

Ex eodem principio nata eſt apud Eccleſias etiam purificatio puerperarum mulierum, & ad dies aliquot ab Eccleſiæ ingreſſu ſuſpenſio. Quin immò Græci etiam menſtruatas Baſilicis excluſerunt, uti liquet ex litteris Sancti Dionyſii Patriarchæ Alexandrini ad Baſilidem Epiſcopum. (Cap. 2.) De eiſdem rogavit Sanctus Auguſtinus Anglorum Apoſtolus: (Q. 10.) *Mulier, poſtquam genuerit, an poſſit Eccleſiam intrare, aut ſi menſtrua conſuetudine tenetur, an introire ei Eccleſiam liceat?* Reſpondit verò Gregorius Magnus ceſſaſſe apud nos legem Moſaicam, adeòque & omnem muliebris purificationis pompam, & addit: *Si mulier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat Eccleſiam, nullo peccati pondere gravatur.* Et infrà. *Mulier, dum ex conſuetudine menſtrua patitur, prohiberi intrare Eccleſiam non debet, quia ei naturæ ſuperfluitas in culpam non valet imputari. Et per hoc, quod invita patitur, juſtum non eſt, ut*

ingreſſu

ingreſſu Eccleſiæ privetur. Quod decretum in libro ſuo Pœnitentiali laudat Gregorius tertius Pontifex, additque quarumdam apud nos Latinos gentium Canonem contrarium : *Mulieres* Cap. 25. *menſtruo tempore Eccleſiam non intrent, quod ſi præſumpſerint, tres hebdomadas pœniteant*. Apud plures tamen prævaluit Gregorii Magni decretum. Et hinc Græci ſchiſmatici nos, quaſi Dionyſius Alexandrinus Latinæ Eccleſiæ potuerit præſcribere, arguunt ut Canonum prævaricatores. At laudabilis eſt mos uterque, habuitque ſuas rationes. Ex illis præſens, quem omninò probamus, Canon homines conjugatos vetat habitare in Eccleſiis, aut vicinis catechumenorum ædibus : Quin immò etiam in noſtris cæmeteriis nulla poſſit eſſe laicorum habitatio. Nam per omnem voluntarium, etiam conjugalem, effluxum Eccleſia atque cæmeterium profanantur.

CANON XCVIII.

QUi alteri deſponſam mulierem eo adhuc vivo, cui deſponſata eſt, in nuptiarum ducit ſocietatem, adulterii crimini ſubjiciatur.

SCHOLION.

SImilem Canonem habemus à Siricio Pontifice Epiſt. 1. c. 4. in litteris ad Himerium Archi-Epiſcopum Tarraconenſem. *De conjugali violatione requiſiviſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonio poſſit accipere? Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt,* Cap. 51. *ſi ulla tranſgreſſione violetur*. In Capitulari Aquiſgranenſi Carolus Magnus pro *Nupturæ* legit *Nuptæ*, atque ità non de ſponſalibus, ſed agi exiſtimat de matrimonio rato. Et certè in Reſponſis ad Bulgarorum quæſtiones Nicolaus primus Pontifex ſponſalia, contractum connubialem, & nuptias diſtinguit ut tria diverſa, per nuptias intelligens matrimonii conſummationem. Quidquid ſit, etiam ſponſalia ſemper conſueverunt in Eccleſia fieri, benedici à Sacerdote, eſſe ſummæ obligationis, uti liquet ex Canone undecimo Aneyrano, & quinquageſimo quarto Eliberino. Eorum tamen prævaricatio non eſt plenum adulterium.

CANON XCIX.

POrrò hoc quoque in Armeniorum regione fieri didicimus, quod quidam intus in ſacris altaribus carnium membra coquentes fruſta offerunt, Sacerdotibus judaicè diſtribuentes. Quocircà Eccleſiam immaculatam ſervantes, ſtatuimus nulli licere Sacerdoti ſeparata carnium membra ab offerentibus accipere, ſed iis ſint contenti, quæ offerenti viſa fuerint, ejuſmodi oblatione facta extra Eccleſiam. Si quis autem hoc non fecerit, ſegregetur.

SCHOLION.

ARmeniorum errorem latiùs exponit Sanctus Nicon monachus in libello de peſſimorum Armeniorum peſſima religione. *Armenii omnia ferè, quæ ſunt abolita, legalia adhuc peragunt. Agnum enim magno Dominico*, die Paſchali, *ſacrificant, & limina inungunt, & ejus oſſa comburentes ſervant cinerem cum ſanguine in ſignum expiationis: Et velum ante altare ſtatuunt, & tintinnabula ipſi vel altari appendunt. Quin etiam pro mortuis ovium & boum ſacrificia peragunt, nec defunctum aliter ſervandum exiſtimant, niſi tertiis, & vicenis, & quadrageſimis ejus diebus ejuſmodi ſacrificia peracta fuerint. Antequam autem hujuſmodi ſacrificia peragantur, ſal benedicentes dant beſtiis in nutrimentum, & ſuper earum etiam capita dicunt quaſdam orationes, & eas mactant. Hæc autem ſacrificia nominant natalitia. Si quis autem aliquid horum negarit, eum anathematizant*. Agni Paſchalis, & aliarum item carnium benedictionem, uti & plures ritus alios, laudatam in Ordine Romano, à Sancto Gregorio Magno & Apoſtolica Sede Armenii acceperunt: iſtum autem Judaicum de Agno abuſum partim à Jacobitis, partim à quibuſdam Latinis Eccleſiis, de quibus in opere de
Cap. 18. rebus Eccleſiaſticis Walafridus Strabo. *Quorumdam ſimplicium error, de Judaicarum ſuperſtitionum ſeminario natus, & ad noſtra uſque tempora quædam vetuſtatis extendens veſtigia, jam ex magna parte ſapientum ſtudio compreſſus eſt. Et ſicubi adhuc pernicioſum hujus peſtis germen reviroſcere fuerit comprobatum, mucrone ſpiritali radicitùs eſt amputandum. Illum dico errorem, quo quidam Agni carnes in Paſchate juxta vel ſub altari ponentes benedictione propria conſecrabant, & in ipſa Reſurrectionis die ante cæteros corporales cibos de ipſis carnibus percipiebant. Cujus benedictionis ſeries adhuc à multis habetur.* Et hunc quorumdam imperitorum Sacerdotum exceſſum omni Latinæ Eccleſię per calumniam impoſuit Photius ſchiſmaticus, uti in litteris ad Gallicanos Epiſcopos querltur Nicolaus primus: Epiſt. 70.
Mentiuntur Photiani *nos Agnum in Paſcha, more Judæorum, ſuper altare pariter cum Dominico corpore benedicere & offerre*. Et in alia appendicis Epiſtola. *Quod ſuper altare unà cum corpore Chriſti* Epiſt. 16. *offeratur Agnus tempore Paſchatis, eſt manifeſta calumnia*. Nam & illi imperiti Sacerdotes non ſupra, ſed juxta, aut infra altare Agnum benedicebant. Et nequaquam benedictione ſacrificativa. Præcipuam igitur ſui abuſus partem Armenii acceperunt à Jacobitis, quos in multis judaizaſſe, & iſtud à Saracenis didiciſſe, teſtatur Jaco- L. 1. c. 76.
bus à Vitriaco. Addit & cauſam tot ab hac Synodo Canonum adversùm Armenios. *Inter Armenios & Græcos ſunt inexorabiles diſcordiæ, &* Cap. 79.
diſſenſiones implacabiles, & invicem alii aliorum ritus & inſtituta deteſtantur. Hinc illi ſemper cum Latinis, quàm Græcis inire maluerunt pacta unionis.

CANON C.

OCuli tui recta adſpiciant, & omni cuſtodia ſerva cor tuum, jubet ſapientia. Corporis enim ſenſus ſua facilè in animam effundunt. Picturas ergò, quæ oculos præſtringunt, ſive in tabulis, ſive quovis alio modo fiant, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum movent incendia, nullo modo deinceps exprimi jubemus. Si quis autem hoc facere aggreſſus fuerit, deponatur.

SCHOLION.

Cap. 15. INanima pictura, teſte Sapiente, incitat inſenſati concupiſcentiam. Obſcœnas enim imagines eſſe peſſimum libidinis incentivum docet flagitioſus ille in Terentii Eunucho adoleſcens, pictum Jovis adulterium ſpectando lapſus, & quaſi cœleſti magiſterio ſeductus in ſtuprum. Hinc iſtiuſmodi picturas etiam in Gentilium, adeòque longè magis in fidelium ædibus damnat in libris de civitate Dei Sanctus Augustinus. Et L. 2. c. 7.
Monialis iſta, quam in balneo fuiſſe à dæmone invaſam ſuprà apud Sanctum Proſperum dixit Auctor librorum de Divinis promiſſionibus, ab impudica Veneris effigie fuit circumſcripta.

CA-

CANON CI.

CORpus Chriſti & templum, hominem ad imaginem Dei creatum, divinus magna voce appellat Apoſtolus. Omnem ergò ſenſibilem creaturam ſuperans, is qui ſalutari paſſione cœleſtem dignitatem eſt aſſecutus, Chriſtum bibens vel comedens æternæ vitæ adaptatur, animam & corpus Divinæ gratiæ participatione ſanctificans. Quare ſi quis immaculati corporis in ſynaxis tempore eſſe particeps voluerit, & offerre ſe ad communionem, manus in crucis formam figurans ſic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim qui ex auro, vel ex alia materia quædam loco manus receptacula efficiunt ad divini muneris ſuſceptionem, & per ipſa immaculatam communionem recipiunt, minimè admittimus, ut qui inanimatam ſubjectamque materiam Dei imagini præferant. Si quis autem deprehenſus fuerit immaculatam communionem iis impertiens, qui ejuſmodi receptacula afferunt, & ipſe ſegregetur, & is qui affert.

SCHOLION.

LAicis communicantibus Euchariſtia olim dabatur io manus. Et viris & fæminis. Hinc enim adversùm quoſdam fideles artifices, idola
Cap. 7. pro gentilibus effigiantes, exclamat & gemit in libro de idololatria Tertullianus. *Manus idolorum matres* in precibus attolli ad Deum: *Eas manus admoveri corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt*. Eſſe ait maous Dominici corporis ſcaodalizatrices, ideòque ex Domini mandato præcidendas. Et in libro de Baptiſmo laudat
Cap. 20. Neophytos, quod de ſacro fonte egreſſi aperiant apud matrem Eccleſiam cum fratribus *primas manus*, utique ad accipiendam Euchariſtiam. Et
Cap. 2. hinc in caoonica ad Baſilidem Epiſcopum Epiſtola ſcribit Sanctus Dionyſius Patriarcha Alexandrious fæmioas menſtruaras ooo poſſe ſacram meoſam accedere, aut Domini corpus attingere. Exponit io litteris ad Xixtum ſecundum Pontifi-
L. 7. c. 8. cem, apud Euſebii Cæſareenſis Eccleſiaſticam hiſtoriam exſtantibus, aſſerens à fidelibus *porrigi manus ad ſanctum iſtud alimentum capeſſendum*. Apud eamdem hiſtoriam ſcribit ad Fabium Antiochiæ Patriarcham Sanctus Cornelius Pootifex de Novatiaoo Anti-Papa, quod Euchariſtiam dans manus accipientis apprehenderet, eumque ad faciendam ſibi juratam profeſſionem ſacrilegè compelleret. Et de Macedonio, Aria-
L. 2. c. 30. norum Epiſcopo Conſtanrinopolitano, ejuſque aſſeclis ſcribit Socrates. Fidelem populum *per vim* cum Macedonio *myſteria participare coegerunt*: *Nam illius ora ligno diſtenderunt, myſteriaque ingeſſerunt*. Quod nempe orthodoxa plebs ad Epiſcopi hæretici Sacramenta manus extendere nollet. Et ad Theodoſium Auguſtum, cæde Theſſalonicenſi maculatum, apud Theodoretum in hi- L. 5. c. 17.
ſtoria Eccleſiaſtica dixit Sanctus Ambroſius. *Qui manus injuſta cæde & ſanguine reſperſas extendere audes, & eiſdem ſacroſanctum Domini corpus accipere? Aut quomodò venerandum ejus ſanguinem ori admovebis?* Et io libris adversùs Parmenianum
Sanctus Auguſtinus habet de Optato Gildonia- L. 2. c. 7.
no, Thamugadenſi Donatiſtarum Epiſcopo:
Accedebat dona offerre Deo, & ab eo cæteri conjun- L. 2. c. 23.
ctis manibus accipiebant. Et de eodem in libris contra Petilianum. *Illi pacis oſculum inter Sacramenta copulabatis, in ejus manibus Euchariſtiam ponebatis, cui viciſſim danti manus porrigebatis*. Olim quippe cum Epiſcopo Divina celebrante oon tantùm Presbyteri, ſed & ſubditi aut advenæ Epiſcopi oblata conſecrabant, & conſecrata ſumebaot accepta ab illo in manus. Et in Sancti
Sophronii prato ſpirituali dicitur ad ſepulchri ef- Cap. 78.
foſſorem: *Quo corde, quibus manibus accedens ſumis ſanctum & pretioſum corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti?* Et hinc rectè vetat Nannetenſis Synodus Dominicum corpus rangi à pœoiteote ad ſolam orationum communionem ſeu conſiſtentiam admiſſo: Quod nempe talis ſine oblatione communicaret, & accipere non poſſet Euchariſtiam. Hinc item communicaturus, licèt omnis balnei
abſtemius monachus, debuit ſemper lavare ma- Serm. 252.
ous, uti liquet ex Sancti Auguſtini ſermone de tempore, & hiſtoria Lauſiaca Palladii Epiſcopi

He-

Cap. 143. Helenopolitani. Patrum ac Synodorum teſtimonia ejuſmodi habemus longè plura, proindèque in litteris ad Urbanum octavum Pontificem, apud Clementem Galanum exſtantibus, Petrus
F. 132. Avitabolis, Clericus Theatinus, inter Georgianorum errores malè numerat, *Quod Euchariſtiam à Sacerdote celebrante recipiant in propriis manibus, & ipſimet proprio apponant ori.*

Attamen inter fæminas ac viros fuit differentia, & apud Græcos, & apud nos Latinos, quibus ſtatuit Synodus Antiſiodorenſis.
Cap. 42. *Unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem ſuum habeat: Quod ſi non habuerit, uſque in alium diem Dominicum non communicet.* Et apud Sanctum
Serm. 252. Auguſtinum ſermo de tempore. *Omnes viri, quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi Chriſti corpus accipiant. Non eſt grave, quod dico. Quomodò viri lavant aqua manus ſuas, ſic eleemoſynis lavent conſcientias ſuas: Similiter & mulieres, quomodò nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Chriſti accipiant; ſic corpus caſtum & cor mundum exhibeant, ut cum bona conſcientia Chriſti Sacramenta ſuſcipiant.* Linteolum iſtud à Dominico, cui ſerviebat, corpore appellabatur *Dominicale*. Sermonem hunc nunquam credidero eſſe Sancti Auguſtini; an autem mulierum Dominicalia ejuſdem Patris mei tempore fuerint, non auſim adfirmare. Certè viri nuda manu ſemper Euchariſtiam accepere. Utraque manu in crucis formam diſpoſita, quod laodatus Auguſtinus ſuprà dixit, *Manibus conjunctis*. Morem duraſſe exiſtimo, quouſque duravit communio domeſtica, & utrumque incommodis obnoxium morem ſimul deſiiſſe. Attamen in Romana Eccleſia ac Epiſcopatibus vicinis videtur iſte dudùm anteà fuiſſe exſtinctus. Etenim antiquus ritualis codex, à Joanne Morino in opere de ſacris Ordinationibus laudatus, ipſique à Conſtantino Cajetano ſacri Benedictini Ordinis Abbate erudito mutiatus, ait de Clericorum communione in Miſſa Pontificali. *Presbyteri & Diaconi, oſculando Epiſcopum, corpus Chriſti ab eo manibus accipiant;* F. 313.
Subdiaconi autem, oſculando manum Epiſcopi, ore accipiant corpus Chriſti ab eo. Dignius erat manu, quam ore accipere, atque ità populus tunc etiam ore omninò accipiebat. Codicem iſtum laudatus Morinus adfirmat ſeptingentis annis vetuſtiorem.

Porrò præſens Canon Euchariſtiam rectè vocat gratiam. Nam ità vocatur etiam à Sancto Hieronymo, Lauſiaca Palladii hiſtoria, ac à Sancto C. 68. 72.
Cypriano in ſermone de lapſis. Hæc item verba Sancti Judæ Apoſtoli, *Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam*, quidam dici volunt in duplicis Divinitatis fabulones, quorum Euchariſtia fuit fœdiſſima, abominabilis, tam ſancto nomine penitùs indigna.

CANON CII.

Oportet autem eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem à Deo accepere, peccati qualitatem conſiderare, & ejus qui peccavit ad converſionem promptum ſtudium, & ſic morbo convenientem afferre medicinam: Ne ſi in utroque immoderatione utatur, ab ejus qui laborat, ſalute excidat. Non enim ſimplex eſt morbus peccati, ſed varius & multiformis, & multas incommodi propagines germinans, ex quibus malum multùm diffunditur, & ulterius progreditur, donec viribus medentis ſiſtat. Quare qui medicinæ ſcientiam in ſpiritu profitetur, oportet eum primùm ejus, qui peccavit, affectionem conſiderare, & ſive vergit ad ſanitatem, ſive contrà propriis moribus provocat in ſe morbum, adſpicere quomodò ejus, quæ intercedit, vitæ rationis converſioniſque curam gerat: Et ſi artifici non reluctatur, & ulcus animæ auget per impoſitorum medicamentorum adjectionem, & ſic miſericordiam, prout dignus, impertiri. Omnem enim rationem init Deus, iſque cui paſtoralis traditus eſt principatus, ut errantem ovem reducat, & ei, quod eſt à ſerpente vulneratum, medeatur, & neque per deſperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ diſſolutionem, & contemptum fræna relaxet: Sed una quidem omninò ratione, ſive per acriora & adſtringentia, ſive per meliora & leviora medicamenta affectioni reſiſtat, &

ad

ad ulceris obductionem adnitatur, fructus pœnitentiæ examinans, & ſapienter diſpenſans & gubernans hominem, qui ad ſuperiorem illuminationem vocatur. Nos enim utraque ſcire oportet, & quæ ſunt ſummi juris, & quæ ſunt conſuetudinis: In iis autem, qui extrema non admittant, ſequi formam traditam, quemadmodùm Sanctus nos docet Baſilius.

SCHOLION.

SAcerdotes in ſacroſancto Pœnitentiæ Sacramento habent duplex officium, duplicemque poteſtatem, de qua Sanctus Leo Pontifex in Epiſtola ad Theodorum Epiſcopum Foro-Julienſem. (Epiſt. 91. c. 1.) *Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Utrique *operi inceſſabiliter ipſe Salvator intervenit, nec unquam ab illis abeſt, quæ Miniſtris ſuis exequenda commiſit.* Proindè non dumtaxat abſolutio, ſed & ſatisfactionis impoſitio eſt actus Divinæ delegationis ac poteſtatis, actibuſque à ſe impoſitis tribuit medicinalem præteritorum ac futurorum delictorum curam & cautelam, effectumque operis operati. Hinc ſpiritum diſcretionis habere, Canoneſque & conſuetudines ad congruam cuique peccato taxandam medelam noſſe jubetur Confeſſor, uti ab hoc Canone, ità (Cap. 34.) quoque à ſecunda Cabilonenſi, à Wormatienſi (Cap. 25. F. 807.) habita ſub Adriano ſecundo Pontifice, ac ab Huberti Cantuarienſis Archi-Epiſcopi Londinenſi Synodo adducta per Rogerum Hovedenſem. Hæc noſtris temporibus neceſſaria penitùs materia eſt alio magis opportuno loco illuſtranda.

DISSERTATIO
DE SYNODI TRULLANÆ
Cauſa, tempore, loco, Epiſcopis, auctoritate.

SUi occaſionem ſeu veriùs fucum edicit hæc ipſa Syoodus In ſermooe acclamatorio ad Imperatorem Joſtioianum ſecundum. *Quoniam ſanctæ & univerſales duæ Synodi, in hac imperante & Dei obſervatrice civitate congregatæ, una quidem temporibus Divæ recordationis Juſtiniani, altera verò ſub piæ memoriæ Imperatore Conſtantino, Tuæ Manſuetudinis Patre, ad paternè declarandum fidei myſterium, ſacros Canones nequaquam conſcripſerant, ſicut reliquæ quatuor ſanctæ univerſales Synodi, per quos populi quidem à deteriore & abjectiore vivendi ratione recedant, ad meliorem autem & altiorem vitam ſe traducant.* Et ſeptima Synodus in reſutatione conventiculi Iconoclaſtici: *Eidem ipſi* Patres, qui ſub Conſtan-
Act. 6. tino in ſexta Synodo *fuerant congregati, rurſùm*
ſub ejus filio Juſtiniano, *nutu Divino unanimiter convenientes poſt quatuor vel quinque annos, regulas ediderunt pro correctione Eccleſiaſticorum negotiorum uſque ad duas & centum.* Quintæ igitur & ſextæ Synodi in condendis Canonibus, ſeu morum ac fidelis populi reformativis regulis defectum hæc præſens ſupplere voluit, aut velle ſimulavit; ideòque paſſim à Græcorum Canoniſtis vocatur Synodus Quinta-Sexta. Verùm fuit piæ ſolicitudinis temeraria ſimulatio. Etenim pleræque generales Synodi nullum condendorum Canonum, ſed ſolius adversùm tuoc inquietantes hæreticos fidei ſtabilieodæ mandatum & poteſtatem babuerunt à Sede Apoſtolica, ideòque ſexta falcem ſuam io iſtam meſſem mittere prudentiſſimè noluit, cavens tractari à Sancto Agathone Pootifice, quomodò à Sancto Leone Magno norat tractatos Canones Chalcedonenſes. Nullos enim Græcarum Synodorum, niſi ſolos Nicænos Canones Romana huc uſque Eccleſia confirmarat. Laudo ſolam Synodum ſextam & primam: Aliæ namque quatuor, quoniam aut fidem aut Canones ſine Romana licentia ſtatuere attentarunt, Romanam Eccleſiam ac Rempublicam crudeliter arietarunt. Quivis Epiſcopi ſuæ Provinciæ aut Diœceſeos mores poſſunt omninò editis Canonibus corrigere; at de Romana Eccleſia ſtatuere, uti ſuprà à Sancto Bonifacio primo audivimus, oec ipſa Nicæoa Synodus præſumpſit, ideòque hæc, ejus non tantummodò humanos lapſus, ſed & rectiſſimas atque Apoſtolicas inſtitutiooes arrodere & mordere auſa, oimiùm exorbitavit.

Occurrunt variæ quæſtiones. Prima eſt, An hæc Synodus facta ſit ſub laudato Agathone Pontifice, ac de ejus mandato? Etenim ità affirmant Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopoli-
tanos in duodecim capitum adversùm Iconocla- Cap. 5.
ſtas libello, Leo ſapiens Auguſtus in ſuis novellis legibus Græci, paſſim omnes, adeò ut Cardinali Humberto, Sancti Leonis noni Pontificis ad Cooſtantinum Monomachum Imperatorem Legato, dixerit id in faciem Nicetas Pectoratus.
Quin immò Adrianus primus Pontifex in litteris Act. 2.
apud ſeptimam Syoodum lectis ac probatis, ſcri- F. 419.
bit ad Sanctum Tharaſiom Patriarcham Conſtantinopolitaoum. *Omnes ſanctas ſex Synodos ſuſcipio cum omnibus regulis, quæ jure ac Divinitùs ab ipſis promulgatæ ſunt. Inter quas continetur in quibuſdam venerabilium imaginum picturis Agnus digito Præcurſoris exaratus oſtendi.* Hic palàm eſt Ca-
non octuageſimos ſecundus Trullanus. Et Fran- Cap. 35.
corum Epiſcopis, iſtud à ſeptima pro imaginibus adductum ſextæ Synodi capitulum ad earum adorationem non ſpectare calumniantibus, reſpondet. *Idcircò teſtimonium de ſancta ſexta Synodo* Patres in ſeptima *protulerunt, ut clarificè oſtenderent, quod jam, quando ſexta Synodus acta eſt, à priſcis temporibus ſacras imagines & hiſtorias pictas venerabantur. Undè ipſa ſancta ſexta Synodus fideliter per Canones orthodoxè ſtatuens ità concludit:* Promulgans jam dictum Canonem octuageſimum ſecundum. Quocircà non taotùm Adrianus Pootifex, ſed & omnis Gallicana ac Germaoica Eccleſia agnovit hoſce Canones eſſe opus Synodi ſextæ. Conſentit Sanctus Tharaſius Patriarcha, Romaoæ Eccleſiæ inſigniter addictus, in litteris

ad

ad alios tres Græcorum Patriarchas, lectis ac probatis in eadem ſeptima Syoodo. *Sanctæ ſextæ Synodi cum omnibus dogmatibus, quæ legaliter ac Divinitùs ab ea promulgata ſunt, etiam depromptos Canones recipio.* Nominatim jam dictum de pictura Agni. Et quia Cardinalis Humberti tempore eos probare & ſervare recuſabat Romana Eccleſia, habebant Græci ſchiſmatici nos Latinos pro Canonum à generali Synodo editorum, & à ſede Petri coofirmatorum, damnatis prævaricatoribus.

Reſpondeo tamen eum eodem Cardinali Humberto. *Non mirum, ſi Agathoni Papæ & ſanctis Patribus ſextæ Synodi veſtra imputetis deliramenta, & quæ aut corrupiſtis aut finxiſtis Capitula, cùm etiam ipſi Domino Jeſu & Apoſtolis ejus imputetis figmenta. Undè nos ſcientes ſextam Synodum ad deſtruendam hæreſin Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas inſtitutiones congregatam, Capitula, quæ nobis ſub ejus auctoritate opponitis, omninò refutamus, quia prima & Apoſtolica Sedes nec aliquando ea accepit, nec obſervat, quia aut ſunt nulla, aut, ut vobis libuit, depravata ſunt.* Et infrà. *De Papa Agathone omninò ſcimus, quia nec ſextæ Synodo per ſeipſum præſedit, nec aliquibus ejus Capitulis ſubſcripſit, niſi quæ promulgata fuerunt adverſùm Monothelitarum hæreſin. Vos videte, undè hæc, quæ proponitis, habeatis, quia Romana Eccleſia talia hactenùs ignoravit.* Conſooat Anaſtaſius Bibliothecarius in ſeptimæ Synodi ad Joannem octavum Pontificem præfatione. *Eoſdem Patres Regulas illas Græci promulgaſſe perhibent, qui in ſexta Synodo ſunt inventi: Sed hoc nullis probare certis poſſunt indiciis.* Et in octavæ Synodi ad Adrianum ſecundum Pontificem præfatione. *Græci & alia oſtendunt Regularum numeroſa & præſumptuoſa ſatis capitula, priſcæ traditioni penè omnia valdè contraria, quæ à ſexta falsò perhibent Synodo promulgata, cùm ſexta Synodus nullam protulerit præter fidei regulam; ſed quas ejus aſſeverant regulas, longè poſt ſextam Synodum apud ipſos conſtat penes ſe, privatimque depromptas.*

Et ipſa temporis ratio mendacium convincit. Etenim hæc ipſa Synodus in variis Canonibus aſſirmat ſe conveniſſe indictione quinta, anno mundi ſexies milleſimo centeſimo decimo, qui ſuit Chriſti Domini ſexcenteſimus nonageſimus ſecundus, Sergii primi Pontificis quintus, octavus Juſtiniani ſecundi Auguſti. At verò ſexta Synodus finita ſuit anno Domini ſexcenteſimo octuageſimo primo, Conſtantini Pogonati Auguſti, qui hujus Juſtiniani ſuit pater, quarto decimo, Agathonis, inter quem & laudatum Sergium ſederuot quatuor Pontifices, quinto. Quocircà ſædè errat Regino Prumienſis monaſterii Abbas, Synodum hanc in annum ſexcenteſimum duodecimum detrudens. Maniſeſtum errorem continent hæc verba Sancti Tharaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani in ſeptima Synodo: *Poſt quatuor aut quinque* à ſexta Synodo *annos iidem ipſi Patres convenientes ſub Juſtiniano, filio Conſtantini, præſignatos Canones expoſuerunt; & nemo dubitet de illis.* Errat & Theophanes inter ſextam Synodum & hanc præſentem volens interceſſiſſe annos viginti ſeptem. Rectiùs dicit laudatus Anaſtaſius interceſſiſſe multùm temporis: Anni enim plenè decem interceſſerunt.

Et hinc oritur ſecunda quæſtio, An eidem reverà Epiſcopi fuerint in utraque Synodo? Reſpondeo non fuiſſe. Liquet ex ſubſcriptionibus. Incogniti apud Chriſtophorum Juſtellum Auctoris liber ſynodicus ducentos quadraginta, Theodorus Balſamon ac Joannes Zonaras ajunt interfuiſſe Epiſcopos viginti ſeptem & ducentos; at ego in hodierno ſubſcriptionum tomo numero ſolos ducentos & undecim. Et quidem de ſubſcriptis Alexandriæ, Antiochiæ, ac Hieroſolymæ Patriarchis dicit in ſeptimæ Synodi ad Joannem octavum Pontificem præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius. *Omnes* Trullanæ *Regulæ hactenùs eo toto apud Latinos manent incognitæ, quia nec interpretatæ: Sed nec in cæterarum Patriarchalium ſedium, licèt græca lingua utantur, reperiuntur archivis. Nimirùm quia nulla earum, cùm ederentur, aut promulgans, aut conſentiens, aut ſaltem præſens inventa eſt.* Lucidè dicit Patriarchas iſtos ne quidem per Legatos interſuiſſe. Etenim ſub barbaro ac infidelis Saracenorum jugo omnes cum ſubditis Eccleſiis tunc captivi gemebant. Hinc de Græcis, eoſdem utrique Synodo Epiſcopos adſuiſſe aſſeverantibus, rectè addit Anaſtaſius: *Hoc nullis probare poſſunt certis indiciis.* Aliqui tamen, nempe quadraginta tres, fuere eidem: At ex tantillo numero duæ grandes Synodi nequeunt confundi in unam.

Tertia quæſtio eſt, An hæc Synodus fuerit poſtulata per Juſtinianum Principem à Sergio Pontifice, atque ipſe ad illam ex avito Eccleſiæ more invitatus? Reſpondeo fuiſſe. Demonſtrant illud hæc verba in ſubſcriptionum capite: *Locus ſanctiſſimi Papæ Romani.* Norant quippè Græcorum & Epiſcopi & Auguſtus vetuſtum Chriſtiaoorum Canonem, ex quo adverſùs Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum Lucentius Eſculanus Epiſcopus ac Sancti Papæ Leonis Legatus dixit ad glorioſiſſimos judices in Synodo Act. 1. Chalcedonenſi. *Cùm perſonam judicandi non haberet, præſumpſit, & Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Quoniam igitur neque advenire, neque vicarios Præſides legare voluit Sergius, illi Regia Juſtiniani ſecundi auctoritate fulti fecere conventum, quomodò ipſorum olim ſub Juſtiniano primo Majores, Pontifice invito, fecerant Synodum quintam. Sperabant Sergium, uti & Vigilio Pontifici evenerat, aut precibus aut terroribus, poſtmodùm ſubſecutis & mox edicendis, ad actuum ſuorum comprobationem & ſubſcriptionem fore compellendum. Hinc ejus ſubſcriptioni primum locum in ſynodalibus tomis ſeu inſtrumentis reſervarunt.

Quarta quæſtio eſt, An huic Synodo adfuerit Legatio Apoſtolica? Reſpondeo adſuiſſe. Etenim Baſilius Gortynenſium Epiſcopus & Cretenſium Metropolita ſeipſum ſubſcribit cum hoc titulo: *Locum tenens totius Synodi ſanctæ Eccleſiæ Romanæ.* Scio titulum hunc, tamquam à Græcis adjectum, ſuppoſitionis & mendacii à quibuſdam argui: Aſt ego ducentos & amplius

Epiſcopos credere non poſſum fuiſſe adeò effrontes, & auſos ſynodaliter mentiti. Eos inter fuere viri probi, docti, ſancti. Et titulum illum in vita Sergii ptimi Pontificis omninò confirmat Anaſtaſius Bibliotbecarius: *Hujus Pontificis temporibus Juſtinianus Imperator Concilium in Regia urbe fieri juſſit, quò & Legati Sedis Apoſtolicæ convenerant, & decepti ſubſcripſerant*. Eadem in dignitate etiam ſextæ Synodo adfuerat idem Baſilius. Ad præſentem itaque Synodum invitatus Sergius ſuæ Diœceſeos Epiſcopos ſynodaliter conſuluit, & ad Principem miſit Legatos, qui vice ſua Synodum, non facerent, ſed ſuſpenderent ac impedirent. Ne à Græcis ad præſidendnm compellerentur, eos, non ſuæ ſedis ac perſonæ Vicarios ac Legatos fecit, ſed ſuæ dumtaxat Synodi Patriarchalis.

Audiamus hic nugas Theodori Balſamonis, Antiochenorum ſchiſmaticorum Patriarchæ, in commentariis Nomo-Canonis Photiani. *Synodo, quæ in magni Palatii trullo congregata eſt, aderant Baſilins Gortynæ, Cretæ inſulæ Metropolis, Epiſcopus, & quidam Ravennæ Epiſcopus, totius Synodi Romanæ Eccleſiæ vicem gerentes. Et non ſolùm ipſi, ſed & qui tùm erant Papæ Legati, Theſſalonicenſis, Sardinienſis, Heracleanus in Tbracia, & Corintbius Epiſcopi. Sunt autem Legati, qui à facie dicuntur, qui etiam particularem habent juriſdictionem, ut oſtenditur ex ſecundo titulo quinti libri imperialis*. Errat variè. Primò, Ravennæ Metropolitam Synodo adfuiſſe. Diſertè enim habet ſubſcriptionum tomus: *Locus Epiſcopi Ravennatis*, utique abſentis. Baſilii proindè collega, quoniam plures Legatos Synodo adfuiſſe dicit Anaſtaſius, fuerit Romanus Apocriſarius, quem tunc fuiſſe Conſtantinopoli oſtendit Juſtiniani Auguſti ad Joannem ſeptimum Pontificem Epiſtola, ſextæ Synodi adversùm tunc repullulantes rebelles confirmatrix. Secundò errat Balſamon Heracleenſem in Tbracia Epiſcopum fuiſſe Romanæ Sedis Legatum à facie, ſeu gentis ſnæ Vicarium Apoſtolicum, noſtra hodie phraſi Legatum natnm. Ille enim fuit Europæ Metropolita, ac Tbraciciæ Diœceſeos Primas: Numquam ſpectavit ad Romanum Patriarchatum. Sed neque Corintbius, licèt Metropolita Illyricianus, fuit ejuſmodi Legatus aut Præfectus. Balſamonem decepit Stephani Corinthiorum Epiſcopi in ſexta Synodo titulus: *Legatus Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ*. Tertins error eſt, quod ejuſmodi Legati potuerint Synodo generali præſidere. Sed neque Theſſalonicenſis fuit in hac Synodo, haud dubiè à Sergio Pontifice prohibitus, l. 7. Epiſt. 103. uti olim etiam ad Joannis quarti Conſtantinopolitani Epiſcopi profanas Synodos comparere fuerat à Sancto Gregorio Magno prohibitus Euſebius Epiſcopus Theſſalonicenſis.

Quinta quæſtio eſt, Quis fuerit bujus Synodi Præſes, quis locus, quot Canones, quod nomen? Ad primum reſpondeo Præſidentiam à quibuſdam adſcribi Paulo tertio Patriarchæ Conſtantinopolitano, quem Sanctus Nicepborus Patriarcha adfirmat è laico promotum. At veriùs eſt fuiſſe ejus ſucceſſorem Callinicum, hominem Latinæ Eccleſiæ penitùs adverſarium, aptumque hujuſmodi tragœdiis. Enm qnippè proximo ante Synodum anno conſtat Paulo defuncto ſucceſſiſſe. Malum conſilium conſultori peſſimum: Poſtmodùm enim à Juſtiniano Auguſto, quem ad hanc Pſeudo-Synodum faciendam ſeduxerat, fuit excæcarus, ſede ejectus, relegatus, Romam miſſus caſtigandus. Ejus, ut viri infamis, nomen exiſtimem eraſum à poſterioribus Synodi patronis, ac intruſum nomen Pauli. Fuit id ſatis facile: Nam ſuprà audivimus Synodi hujus Canones & Acta tempore Anaſtaſii Bibliothecarii necdum fuiſſe indita archivis ſedium Patriarchalium, nec translata in linguam Latinam.

Ad quartum reſpondeo hanc Synodum paſſim vocari Erraticam Trullanam. Vocatur Trullana à loco ſuæ celebrationis, quem Theodorus Balſamon rectè dicit fuiſſe Trullnm magni palatii. Errant igitur, qui habitam volunt in magnæ Eccleſiæ Trullo. Quid verò ſit Trullns, docet nos in vita Sergii primi Pontificis Anaſtaſius Bibliothecarius, agens de Eccleſia Romana Sanctorum Coſmæ & Damiani: *Trullum Eccleſiæ Sergius Pontifex fnſis ebartis plumbeis cooperuit*. Eſt turritæ concamerationis ſpecies, quam nos Belgæ lucernam, cuppulam Itali appellant. Ibidem ſexta Synodus fuerat celebrata. Et ità reſponſnm eſt etiam ad ſecundum. Hæc porrò Synodus vocatur Erratica à variis ejus partim erroribus, partim anſibus temerariis, ſuprà abundè demonſtratis. Marianus Scotus addit eſſe hæreticam. Nec ſine canſa. Etenim primus Canon dati aut accepti apud hæreſin baptiſmatis iterationem affirmat A. 692. eſſe rem non firmi dogmatis, ſed variabilis diſpenſationis & conſuetudinis, quod tnnc pridem ab omni Eccleſia erat de hæreſi damnatum.

Ad tertium reſpondeo eſſe Canones centum & duos. Ità diſertè adfirmant Sanctus Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſeptima Synodus in refutatione conventus Iconoclaſtici, Pbotius in Nomo-Canone, & incogniti apud Chriſtophorum Juſtellum auctoris libellus ſynodicus. Neque ideò errat Cardinalis Baronius, adſerens fuiſſe centum & tres: Ejus enim codex, uti de Nicænis Canonibus etiam Ruffinus fecit, poſſit unum fuiſſe partitus in duos. Addit in vitis Sergii primi ac Joannis ſeptimi Pontificum Anaſtaſins Bibliotbecarins *eos in ſex tomis fuiſſe deſcriptos, à tribus Patriarchis, Alexandrino, Conſtantinopolitano, ac Antiocbeno, & cæteris Præſulibus, qui in tempore illo convenerant, ſubſcriptos, miſſoſque in Romanam urbem ad confirmandum, vel in ſnperiori loco ſubſcribendum à Sergio Pontifice, capite omnium Sacerdotum*. Hæc verba, *Qui illo tempore convenerant*, ad ſolos Præſules referri oportet, non ad Patriarchas, quos idem Anaſtaſins ſuprà adfirmavit Synodo non adfuiſſe. Rogati poſtmodùm ſubſcripſerant, quomodò factum & à multis ad Synodnm Sardicenſem. Et cbarta Romam miſſa videtur Hieroſolymitanum non habuiſſe ſubſcriptum.

Alios inſuper nævos habuit eadem Synodus. Primò, Juſtinianus Auguſtus, temeritate uſque huc apud Eccleſias inaudita, ſubſcribit ante omnes Patriarchas: Etiam ante locum ſervatum

ſubſcri-

ſubſcriptinni Pontificis Romani. Deindè Patriarcha Hieroſolymitanns ſnbſctibit ante Antiochenum: Utique ex vanitate in Epheſina Synodo à Juvenali Hieroſolymæ Epiſcopo prætenſa, refutata autem à Sancto Pontifice Leone Magno. Sebaſta primæ Armeniæ Metropolis ſemper fuit in negotiis Eccleſiaſticis: Et tamen ejus Epiſcopus Leontins ſcribit ſe ſecundæ Armeniæ Metro-
L. 11. c. 12. politam. Utique ex novella lege Juſtiniani Augusti, Armeniam olim dumtaxat duplicem dividentis in quatuor, & primam jubentis eſſe ſecundam. Verùm enim verò addidit lex. *Quæ ad Sacerdotia ſpectant, ea volumus in priſtina remanere forma, negotio ipſo neque circa jus metropoliticum, neque circa Ordinationes, vel mutationem vel novationem ſuſcipiente; ſed priùs ordinatis nunc quoque authoritatem obtinentibus, & prioribus item Metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, ut quantùm ad ipſa nihil penitùs innovetur.* Leontins itaque ſcribere ſe debuit Metropolitam primæ Armeniæ, quomodò ſextæ Synodo ſeſe ſubſcripſerat ejus anteceſſor Theodorus. Nam & Cyprianus Claudinpolitanus Epiſcopus ſeſe ibidem ſcribit Honoriadis Metropolitam: Qnod nempe etiam Hnnorias Provineia quoad ſnlas res civiles per eumdem Juſtinianum eſſet deſtructa, ac in avita Bythiniæ & Paphlagnniæ partes redacta.

Sexta qnæſtio eſt, An Sergius Pontifex hanc Synodum confirmarit? Breviter ac eleganter
A. 652. reſpondet Regino Abbas Prumienſis. *Juſtinianus Auguſtus Sergium Pontificem, quia in errorem illius Synodi, quam Conſtantinopoli fecerat, favere & ſubſcribere noluit, miſſo Zacharia Proto Spatario ſuo, Conſtantinopolim deportari juſſit, ſed militibus repugnantibus juſſa Principis perficere non potuit.*
A. 692. Addit Marianus Scotus Zachariam ignominiosè fuiſſe urbe ejectum. Tractare Sergium parabat Juſtinianus ſecundus, quomodò Vigilium Pontificem à primn Juſtiniano tractatum ſuprà oſtendimus. Rei ſeriem, Proto-Spatharii in nrbe violentias, ac Romani popnli pro Pontifice zelum latè in libro Pontificali exponit Anaſtaſins Bibliothecarius. Verùm Divinæ providentiæ juſti oculi non dormiunt. Pergit enim laudatus Marianus: *Juſtinianus ob culpam perfidiæ regni gloria privatus, exul ſeceſſit in Pontum.* Exponit
Cap. 535. ſuprà memoratus libellus ſynodicus: *Leontius imperium invaſit, & Juſtinianum abſciſſis naribus Cherſonem relegavit.* Adjungit Anaſtaſius. *Sic Eccleſia Dei imperturbata cum ſuo Præſule, Chriſto favente, ſervata eſt.* Nullus enim nnquam Chriſtianus Princeps in Romanam Eccleſiam ant ejus Epiſcnpum exceſſit, quin Divinitùs luerit per graviſſimas calamitates.

Etiam relegatus ac truncatus Juſtinianus dnriſſima, at non penitùs infructuosè, eſt paſſns. Etenim recepto poſtmodùm glotinsè imperio, fecit quod in vita Joannis ſeptimi Pontificis ſcribit laudatus Anaſtaſins. *Illico ut palatium ingreſſus eſt, propriumque adeptus imperium, tomos, quos anteà ſub Domino Sergio Apoſtolicæ memoriæ Pontifice Romam direxerat, in quibus diverſa Capitula, Romanæ Eccleſiæ contraria, ſcripta inerant, per duos Metropolitanos Epiſcopos demandavit, dirigens per eos & Sacram, per quam Joannem ſeptimum Pontificem conjuravit ac adhortatus eſt, ut Apoſtolicæ Eccleſiæ Concilium aggregaret, & quæque ei viſa eſſent ſtabiliret, & quæ adverſa, renuendo excluderet.* Addidit & inſignes illas litteras, ſextæ, poſt quam exſtant, Synodi confirmatrices. *Sed Pontifex humana fragilitate timidus hos nequaquam tomos emendans per ſuprafatos Metropolitas direxit ad Principem, poſt quæ non diu in hac vita duravit.* Eum Anaſtaſius arguit, quod noluerit cribrare Cannnes, & triticum à palea ſeparare. Nec ſine fundamento. Verè enim de hac Synodn ait adductus libellus ſynodicus: *Omiſſos in quinta & ſexta Synodo Canones edidit, & ab omni Græca*, id eſt, gentili, *atque judaica, quin & hæretica traditione Eccleſias purgavit.* Habet bona mixta malis: Et utile ab inutili non viciatur. Potuerat ſeparari.

Septima quæſtio eſt, An iſtam ſeparationem Romana Ecelesia tandem fecerit? Pro parte negativa facit Anaſtaſius Bibliothecarius in octavæ Synodi ad Adrianum ſecundum Pontificem præfatione, dicens Græcos ex familiari gentis vitio paſſim Latinæ Eccleſiæ obtrudere adulterinos & reprobos Canones, eoſque inter eſſe hæc præſentia Capitula, præſumptuoſa, priſcæ traditioni penè omnia valdè contraria, ſextæ Synodi falsò ac perperàm adſcripta.

Partem autem adfirmativam ſuadet in ſeptima Act. 4.
Synodo Sanctus Tharaſius Patriarcha Conſtanti- F. 481.
nopolitanus. *Quidam ignoratione languentes ſcandalizantur in hos Canones, aſſerentes, Putas ſextæ Synodi ſunt? Cognoſcant autem, qui hujuſmodi ſunt, quod ſancta & magna ſexta Synodus ſub Conſtantino fuerit celebrata, contra illos, qui unam dicebant operationem & voluntatem in Chriſto, in qua hæreticis anathematizatis, & orthodoxa explanata fide, domum reverſi ſunt quarto decimo anno Conſtantini. Ergo poſt quatuor ſive quinque annos iidem ipſi Patres convenientes ſub Juſtiniano, filio Conſtantini, præſignatos Canones expoſuerunt, & nemo dubitet de illis. Illi enim, qui ſubſcripſerunt ſub Conſtantino, ipſi & ſub Juſtiniano præſenti chartæ ſubſcripſerunt, ità ut hoc manifeſtum ſit ex eorum propriæ manus Scripturæ immutabili ſimilitudine. Oportebat enim eos, qui Synodum univerſalem præſentaverant, etiam Canones Eccleſiaſticos exponere.* Et laudatus Anaſtaſins in Synodi ſeptimæ ad Jnannem octavum præfatione, quæ octavæ Synodi præfatione, ntpotè ſcripta ad Adrianum ſecundum, proximum Jnannis præceſſnrem, eſt poſterior. *Apoſtolatu veſtro decernente, non ſolos quinquaginta priores Apoſtolorum Canones Eccleſia recipit, ſed omnes eorum, utpotè Spiritus Sancti tubarum. Quin & omnium omninò probabilium Patrum & ſanctorum Conciliorum regulas & inſtitutiones admittit, illas dumtaxat, quæ nec rectæ fidei, nec probis moribus obviant, ſed nec ſedis Romanæ decretis ad modicum quid reſultant, quin potiùs adverſarios, id eſt, hæreticos potenter impugnant. Ergo regulas, quas Græci à ſexta Synodo perhibent editas, ità in hac Synodo principalis Sedes admittit, ut nullatenùs ex his illæ recipiantur, quæ prioribus Canonibus, vel decretis ſanctorum hujus Sedis Pontificum, aut certè bonis moribus inveniunt adverſæ. Quamvis omnes hactenùs ex toto maneant apud Latinos incogni-*

tæ, quia nec interpretatæ.

Anaſtaſii auctoritas eſt omninò irrefragabilis, ideòque de Joannis octavi Pontificis Synodo non eſt ambigendum. Fuit Synodus Trecenſis, de L. 3. c. 29. qua Flodoardus in hiſtoria Eccleſiæ Remenſis. *Hincmarus* Remenſium Archi-Epiſcopus *ſcribit Apologiam pro ſe contra eos, qui calumniati ſunt illum apud Joannem Papam, qui Synodum habuit Trecis, quibus & in Synodo reſpondit tunc pro tempore, aſſerens ſe decretales Epiſtolas Pontificum Romanorum venerabiliter ſuſcipere atque tenere, cùm calumniarentur inimici has eum nolle ad auctoritatem recipere*. Romanorum Pontificum, Nicæna Synodo priorum, ſunt iſtæ Epiſtolæ, per Iſidorum Mercatotem Hiſpanum delatæ in Galliam aut Germaniam, à Riculfo Moguntino Epiſcopo ſparſæ per omnem Franciam, ab Hincmaro Laudunenſi Epiſcopo, Nicolao primo Pontifice adſtipulante, defenſæ, ab Hincmaro autem Remenſium Archi-Epiſcopo, vito emunctarum narium, de ſuppoſitione & fictionis vitio impugnatæ. Hac de re, ut gravi crimine, apud Synodum Trecenſem delatus eſt idem Archi-Epiſcopus, atque hac occaſione Joannes octavus Pontifex non iſtas ſolummodò Epiſtolas, ſed quoſvis Canones, etiam vulgares Apoſtolicos & præſentes Trullanos, juſſit ſynodaliter examinari.

Octava quæſtio eſt, An hic primùm Pontifex triticum à palea in hiſce Canonibus diſcreverit, diſcretumque probarit? Reſpondeo id dudùm anteà factum videri à Conſtantino Papa, de quo laudatus Anaſtaſius in libro Pontificali. *Imperator Juſtinianus ſecundus miſit Sacram ad Conſtantinum Pontificem, per quam juſſit eum ad Regiam adſcendere urbem*. Principi obtemperans Pontifex cum Niceta Sylvæ Candidæ, Georgio Portuenſi Epiſcopo, & multis Romanæ Eccleſiæ Clericis Conſtantinopolim omninò acceſſit, ſumma reverentia, obedientia, ac ſolennitate acceptus. *Auguſtus enim Chriſtianiſſimus cum regno in capite ſeſe proſtravit, pedes oſculans Pontificis*. Adeò imperitè noſtri hodie Calviniſtæ oſculum iſtud, quod ipſi pedibus magni Turcæ non erubeſcunt impendere, novitatis ac idololatriæ ſuperſtitionis accuſant. Nempè eorum eſt regula: *Turca magis, quam Papa placet*. Pergit Anaſtaſius. *Die Dominico Papa Miſſas Imperatori fecit, & communicans Princeps ab ejus manibus proque ſuis delictis ut deprecaretur, Pontificem poſtulans, omnia privilegia Eccleſiæ innovavit, atque ſanctiſſimum Papam ad propria reverti abſolvit*. Horum omnium cauſam edicit idem Anaſtaſius in vita Gregorii ſecundi Pontificis. *Gregorius*, Romanæ Eccleſiæ tum Diaconus, *cum viro Sancto Conſtantino Pontifice ad Regiam profectus eſt urbem, atque à Juſtiniano Principe inquiſitus de quibuſdam Capitulis, optima reſponſione unamquamque ſolvit quæſtionem*. Juſtinianus ergò pendentem præſentium Canonum quæſtionem finiri volens, quod à Joanne ſeptimo poſtularat, tandem à Conſtantino Pontifice obtinuit, ideòque omnia Romanæ Eccleſiæ privilegia novis Edictis confirmavit: Antiquum præſertim Canonem, vetantem ſine Romani Epiſcopi licentia fieri generalem Synodum, & ut nulla etiam legitimè adunata præſumat de Romana Eccleſia quidquam definire. Nam & anteà reſtituerat eamdem Eccleſiam adversùs repullulantem autocephaliam ac rebellionem Archi-Epiſcoporum Ravennatum.

Iſthæc Apoſtolica confirmatio Sancto Tharaſio Patriarchæ, ſeptimæ Synodo, ac Adriano primo Pontifici fundamentum dedit tam glorioſè hiſce Canonibus atteſtandi. Attamen Pontifex Adtianus probat ſolos jure, Divinitùs, fideliter, orthodoxè promulgatos. Septima verò Synodus omnes omninò & laudat & confirmat in primo ſuo Canone: *Divinos Canones amplexabiliter teneamus, qui à ſeu ſanctis generalibus Synodis promulgati ſunt*. Quocircà exiſtimantes hanc confirmationem authenticam ac irrefragabilem, omninò labuntur: Nam & ſeptimæ Synodi Canones omnes, Romana Eccleſia numquam confirmavit. Et hinc præſentium Canonum per Conſtantinum Papam facta confirmatio manſit incognita non ſolùm apud Romanam, ſed & apud cæteras, Conſtantinopolitana excepta, Patriarchales Eccleſias, ideòque per Joannem octavum & Synodum Tricaſſinam opus habuit innovari. Dolendum eſt Gregorii ſecundi Pontificis optimam de ſingulis hiſce Capitulis reſponſionem aut latere aut periiſſe. Etenim Joannis octavi diſcretio fuit dumtaxàt generica, adeòque etiam poſt illam noſtri Canones manſerunt in ſua obſcuritate, nequidem dudùm poſt tranſlati in linguam Latinam. Franciſcus Suares in tomo ſecundo commentariorum in tertiam Sancti Thomæ partem, quò Chtiſti Domini noſtri ſecundinas expugnet, hoſce Canones vult eſſe magnæ auctoritatis, & addit, *Laurentius Surius advertit ſeptimam Synodum, & Florentinam, & Adrianum ac Michaelem ſummos Pontifices horum Canonum auctoritate fuiſſe uſos*. Diſp. 13. Sect. 2. Synodi Florentinæ locum reperire necdum potui, & ignoro Michaelem Pontificem: Nullus enim fuit iſtius nominis. Eis tamen uſus eſt Xixtus quintus Pontifex in Conſtitutione adversùm procurantes abortum: *Non* Conſtit. 87. *immeritò in ſexta Synodo Conſtantinopolitana ſancitum eſt, ut perſonæ, quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis ſubjiciantur*. Eſt è noſtris Canonibus nonageſimus primus.

Nona quæſtio eſt, An Conſtantinus Pontifex reverà horum Canonum diſcretionem fecerit, ſoloſque Romanis dogmatibus aut moribus non adverſos confirmarit? Ratio dubitandi eſt auctoritas Adriani primi Pontificis, laudantis & probantis etiam Canonem octuſgeſimum ſecundum, editum adversùs Chriſti Domini imagines in forma legalis Agni, quem Romanis contrariari moribus eſt abundè in Scholiis oſtenſum. Eumdem laudant ſeptima Synodus, Sanctus Tharaſius, ac in duodecim capitum adversùs Iconoclaſtas libello Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Romanæ fidei atque auctoritatis Defenſor inſignis.

Reſpondeo Canonem iſtum à Conſtaatino Pontifice nequaquam fuiſſe admiſſum. Abundè id ſuprà eſt demonſtratum. Etenim ſuæ picturæ ac moris adeò tenax manſit ſemper Latina Eccleſia, ut etiam in ſiniſtra Epiſcoporum Pontifi-

cali

Digitized by Google

cali chirotheca voluerit Agnum effigiari, uti liquet ex ſchiſmaticorum Græcorum in nos calumnia, relata à frequenter laudato tractatu Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum: *Latini Epiſcopi portant chirothecas, & in dextera ſcribunt*, DOMINI DEXTERA, *in ſiniſtra*, AGNUS DEI. Canon iſte aliquid utile, aliquid habet inutile. Utile eſt ejus de ſacrarum imaginum antiquitate ſynodale teſtimonium: Romani moris reprobatio eſt omninò inutilis, temeraria, nociva, damnanda. Porrò Leo Iſaurus Imperator ac illi adhærentes Iconoclaſtæ blaterabant nullam à ſex Synodis generalibus fieri ſacrarum imaginum mentionem, ideòque ipſas ab Eccleſia numquam fuiſſe probatas: Hinc illis dictum Canonem, ejus præſertim partem priorem, oppoſuit cum ſeptima Synodo Adrianus Pontifex, ſciens utile ab inutili non vitiari.

CON-

CONCILII SEPTIMI GENERALIS,

quod eſt ſecundum Nicænum,

DECRETUM DE FIDE.

Regiæ continuati ſemitæ, ſequenteſque Divinitùs inſpiratum ſanctorum Patrum noſtrorum magiſterium, & Catholicæ traditionem Eccleſiæ; nam Spiritus Sancti hanc eſſe novimus, qui nimirùm in ipſa inhabitat: Definimus in omni certitudine ac diligentia, ſicut figuram precioſæ ac vivificæ Crucis, ità venerabiles ac ſanctas imagines proponendas, tam de coloribus & teſſellis, quam quæ ex alia materia congruenter in ſanctis Dei Eccleſiis, & ſacris vaſis, & veſtibus & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam intemeratæ Dominæ noſtræ ſanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum ſimul & almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tantò qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam, & deſiderium, & ad oſculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ ſecundùm fidem eſt, quæque ſolam Divinam naturam decet, impartiendam: Ità ut iſtis, ſicuti figuræ precioſæ ac vivificæ Crucis & ſanctis Evangeliis & reliquis ſacris monumentis, incenſorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur: Quemadmodùm & antiquis piæ conſuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum tranſit; et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam. Sic enim robur obtinet ſanctorum Patrum noſtrorum doctrina, id eſt, traditio ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, quæ à finibus uſque ad fines terræ ſuſcepit Evangelium. Sic Paulum, qui in Chriſto locutus eſt, et omnem Divinum Apoſtolicum cœtum, et paternam ſanctitatem exſequimur, tenentes traditiones quas accepimus.

Sic triumphales Eccleſiæ Propheticè canimus hymnos : *Gaude ſatis filia Sion : Prædica filia Hieruſalem : Jocundare & lætare ex toto corde tuo : Abſtulit Dominus à te injuſtitias adverſantium tibi : Redemit te de manu inimicorum tuorum . Dominus Rex in medio tui : Non videbis mala ultra , & pax in te in tempus æternum* . Eos ergò , qui audent aliter ſapere , aut docere , aut ſecundùm ſceleſtos hæreticos Eccleſiaſticas traditiones ſpernere , et novitatem quamlibet excogitare , vel projicere aliquid ex his , quæ ſunt Eccleſiæ deputata , ſive Evangelium ſive figuram Crucis , ſive imaginalem picturam , ſive ſanctas Reliquias Martyris ; aut excogitare pravè aut aſtutè ſubvertendi quicquam ex legitimis traditionibus Eccleſiæ Catholicæ ; vel etiam quaſi communibus uti ſacris vaſis , aut venerabilibus Monaſteriis . Si quidem Epiſcopi aut Clerici fuerint , deponi præcipimus ; Monachos autem vel laicos à communione ſegregari .

SCHOLION.

Act. 4. F. 488. RECtè apud præſentem Synodum dicit Sanctus Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus in Epiſtola ad quemdam Scholaſticum . *Nemo offendatur adorationis ſignificatione . Adoramus enim homines & Angelos ſanctos , non tamen ſervimus illis .* DOMINUM ENIM , *inquit Moyſes* , TUUM ADORABIS , ET ILLI SOLI SERVIES . *Et vide , quomodò in eo quidem , quod dixit* , SERVIES , *præpoſuit* SOLI , *in eo verò , quod ait* , ADORABIS , *nequaquam* . Hinc infert creaturis quidem adorationem , at non ſervitutem poſſe impendi . Latiùs hæc oſtendit ipſa Synodus in Relatione ad Conſtantinum Auguſtum , ac Irenem ejus matrem . *Decrevimus* ſacras Sanctorum imagines *adorandas , id eſt , ſalutandas : Idipſum enim eſt utrumque .* Κύνειν *quippè antiqua Græca lingua & ſalutare & oſculari ſignificat , &* πρὸς *præpoſitio augmentum quoddam ſignificat amoris . Quemadmodùm* εἴρω *&* προσείρω , Κύρω , *&* προσκύρω , Κυνῶ *&* προσκυνῶ *: Quod ſalutationem indicat , & ſecundùm protenſionem amicitiam . Quod enim quis oſculatur , & adorat , & quod adorat , profectò & oſculatur , ſicut teſtatur humana affectio , quæ à nobis ad amicos habetur , & obviorum congreſſus . Hoc non ſolùm apud nos , ſed & apud veteres in Divina Scriptura ſcriptum reperimus . In hiſtoria namque Regnorum ſcriptum eſt* : ET DAVID SURREXIT , ET CECIDIT IN FACIEM SUAM , ET ADORAVIT TERTIO JONATHAM , ET DEOSCULATUS EST EUM . *Quid autem Dominus rursùm de Phariſæis Evangelicè ait ?* AMANT PRIMOS RECUBITUS IN CŒNIS , ET SALUTATIONES IN FORO . *Certum eſt , quod hic ſalutationem , adorationem appellet . Phariſæi quippe jactantem ſenſum habentes , ſeſeque juſtos opinantes , adorari ab hominibus feſtinabant , non ore ad os oſculari : Hoc enim eſt potiùs humilitatis , & non Phariſaici tumoris indicium . Iterùm autem Paulus Divinus Apoſtolus , ſicut Lucas in Actibus Apoſtolorum deſcribit .* QUIA CUM VENISSEMUS HIEROSOLYMAM , LIBENTER EXCEPERUNT NOS FRATRES . SEQUENTI AUTEM DIE INTROIBAT PAULUS NOBISCUM AD JACOBUM , OMNESQUE COLLECTI SUNT SENIORES . QUOS CUM SALUTASSET , NARRABAT PER SINGULA , QUÆ FECISSET DEUS IN GENTIBUS , PER MINISTERIUM IPSIUS . *Ergò & hic ſalutationem , honoratoriam adorationem , quam invicem exhibemus , Apoſtolicus ſenſus deſcribit . Quemadmodùm & de Jacob ait*: ADORAVIT FASTIGIUM VIRGÆ EJUS . *Conſona verò iſtis & Gregorius cognomento Deiloquus dicit .* BETHLEEM COLE , ET PRÆSEPE ADORA . *Quis putas eorum , qui rectè & ſyncerè intelligunt , quæ Divina Scriptura proferuntur , intelligat , quod hæc de adoratione , quæ in ſpiritu fit , pronuncientur ? Niſi fortè de inſenſatis ſit , vel ex his , qui totius ſcripturalis ſcientiæ & paternæ doctrinæ expertes exiſtunt . Num quidnam faſtigio virgæ ſervivit Jacob ? Aut præſepi præcepit Gregorius Theologus deſervire? Et rursùs quoque non vivificam Crucem ſalutantes conſonè canimus* : CRUCEM TUAM ADORAMUS DOMINE , ET ADORAMUS LANCEAM , QUÆ APERUIT LATUS TUÆ BONITATIS? *Quod certiſſimè ſalutatio eſt & dicitur : Sicut indicat iſtud , quod hæc propriis noſtris labiis contingimus . Nam etſi multoties invenitur adoratio in Divina Scriptura , & urbanè loquentibus Patribus noſtris pro ſervitute , quæ eſt in ſpiritu , cùm vox multa ſignificet , unum ex ſignificatis ejus eſt adoratio ſecundùm latriam . Adhuc autem adoratio eſt & ea , quæ per honorem & per amorem fit : Sicuti nos adoramus glorioſiſſimum & manſuetiſſimum Imperium veſtrum . Eſt & alia per timorem tantùm , ſicut Jacob adoravit Eſau . Et eſt per gratiam , ſicut Abraham adoravit filios Heth pro agro , quem accepit ab eis in ſepulturam Saræ uxoris ſuæ . Item expectantes quidam à ſublimioribus beneficium conſequi , adorant eos , ſicut Jacob Pharaonem . Hinc enim Divina Scriptura docens nos ,*

DO-

DOMINUM TUUM ADORABIS, ET ILLI SOLI SERVIES, *adorationem abſolutè ponit, & non adjicit* SOLI, *ut ſignificata multa habentem, & vocem æquivocam. Porrò* SERVIES ILLI SOLI *dixit: Etenim ſoli Deo ſervitutem noſtram referimus.*

Hæc ſervitus græcè latria dicitur, de qua voce rectè in libris de civitate Dei Sanctus
L. 10. c. 1. Auguſtinus. *Latriam noſtri, ubicumque ſanctarum Scripturarum poſitum eſt interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundùm quam præcepit Apoſtolus ſervos dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine græcè nuncupari ſolet. Latria verò ſecundùm conſuetudinem, qua locuti ſunt, qui nobis Divina eloquia condiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter ut penè ſemper, ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Vocem adæquatè correſpondentem nos Latini non habemus, ideòque græca ſemper uti adſuevimus. Hinc idololatria eſt ſummum generis humani crimen, quod iſtam ſervitutem impendat dæmoniis ac eorum ſimulacris. Eadem Sanc-
L. 20. c. 21. L. 1. tus Auguſtinus repetit in libris adversùs Fauſtum Manichæum, ac in libris adversùs Claudium Taurinenſem Epiſcopum eleganter exponit & ampliat Jonas Epiſcopus Aurelianenſis.

Etiam Deo & creaturis quibuſdam communem venerationis cultum proprio nequimus vocabulo exponere. Eſt admodùm varius: Alium Epiſcopis, alium Regibus, alium doctis, alium juſtis, alium adhuc vivis, alium regnantibus cum Chriſto impendimus, juxta variam cujuſque dignitatem. Juſtis cum Chriſto regnantibus, & Angelis & hominibus impendendum Doctores claſſici voce Græca paſſim appellant δουλεία. Neſcio, an penitùs rectè. Etenim hunc Romani Pontificis titulum, *Servus ſervorum Dei*, Græci vertunt, ὁ δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, adeòque vox δουλεία non ſervitutis ſolis beatis Angelis ac hominibus impendendæ ſpeciem ſignificat, ſed genus quibuſvis hominibus ac etiam Deo commune. Nos interim Latini voce iſta hodie utimur in dictum ſenſum. Eam verò cultus ſpeciem Græci vocant adorationem per amorem & affectum, ſalutationem, ſalutatoriam ac honoratoriam adorationem. Et hæc noſtra dulia eſt omninò latior: Utpotè quæ & omnibus & rebus etiam inanimatis impendatur.

Hanc ſolam Dominicæ Cruci, ejus, Chriſti Domini, Deiparæ Matris, & quorumvis Sanctorum imaginibus deberi ac impendi poſſe præſens Synodus, omnem imaginis cujuſvis honorem ad primitivi in ea repræſentati ſubſiſtentiam derivari proteſtata, definit.. Ejus ſenſum ex ejus Actis lucidiùs indagemus.

A prima Actione Baſilius Ancyræ in prima Galatia Metropolitanus Epiſcopus, Iconoclaſta pœnitens, recipitur in Eccleſiæ gratiam ſub hac profeſſione: *Venerabiles imagines, tam diſpenſationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſecundùm quod homo factus eſt, & intemeratæ Dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitricis, atque ſanctorum Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, & omnium ſimul Sanctorum, ſaluto pariter & amplector, atque adorationem, quæ pertinet ad honorem, impendo.* Id eſt, non latriam aut duliam, ſed ſolum ſalutationis honorem.

Actio ſecunda legit, probavit, & confirmavit hanc Adriani primi Pontificis dogmaticam, & ſui inſtructricem ac directricem Epiſtolam. *In univerſo mundo, ubi Chriſtianitas eſt, ipſæ ſacræ imagines permanentes ab omnibus fidelibus honorantur, ut per viſibilem vultum ad inviſibilem Divinitatis majeſtatem mens noſtra rapiatur ſpirituali affectu per contemplationem figuratæ imaginis ſecundùm carnem, quam Dei filius pro noſtra ſalute ſuſcipere dignatus eſt: Eumdem Redemptorem noſtrum, qui in cælis eſt, adoramus, & in Spiritu glorificantes collaudamus. Abſit à nobis, ut ipſas imagines, ſicut quidam garriunt, Deificemus. Sed affectum & dilectionem noſtram, quam in Dei amorem & Sanctorum ejus habemus, omnimodò præferimus. Et ſicut Divinæ Scripturæ libros, ipſas imagines ob memoriam venerationis habemus, noſtræ fidei puritatem ſervantes.* Sacri libri aliud non habent officium, quam ſui lectione nos in Dei, Chriſti Domini, & Sanctorum ejus, quos invocemus & adoremus, memoriam deducere, cujus officii cauſa merentur & ipſi ſuam venerationem: Aliud etiam officium non habent ſacræ imagines, utpotè libri indoctorum. Chriſtum Dominum aut Apoſtolum Paulum in libro legentes docti, non hunc, ſed illum dulicè, iſtum latricè adorant: Ità & indocti faciunt eorum imaginem videntes.

Et hinc laudatæ Epiſtolæ ſuffragans Sanctus Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſacras imagines adſeruit affectuoſo amore adorandas, ità tamen *ut fidem ac latriam* noſtram in ſolum Deum ponamus. Et Euthymius Sardenſis Epiſcopus, Lydiæ Metropolita: *Tota anima recipio ſacras Iconas cum convenienti honore, & ſalutatoria adoratione.* Quia nempè ſignum & ſignificatum, quomodò in ſubſtantia, ità & in honore magnum habent ac habere debent intervallum. Et Alexandrini, Antiocheni, ac Hieroſolymitani Patriarcharum dogmaticis ad Synodum litteris ſuffragans Conſtantinus Conſtantienſis Epiſcopus, Metropolita Cypriorum: *Suſcipio & amplector honorabiliter ſanctas & venerabiles imagines, atque adorationem, quæ per latriam, id eſt, Deo debitam ſervitutem efficitur, ſoli superſubſtantiali & vivificæ Trinitati impendo.*

Actio quarta legit quamdam Sancti Maximi Abbatis & Martyris cum Theodoſio Cæſareenſium in Bythinia Epiſcopo diſputationem, habentem hæc verba: *Unuſquiſque ipſorum ſancta Evangelia, & pretioſam Crucem, & Iconam Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Dominæ noſtræ, quæ eum genuit, ſalutaverunt.* Expoſuit verò Sanctus Patriarcha Tharaſius. *Conſpiciamus fratres, qualiter dixerit,* QUIA SALUTAVERUNT: *Quod & nos honoris affectu facere debemus. Nam latria noſtra ad unum Deum refertur.*

Actio quinta ejectas ab Imperatore Leone Iſauro ſacras imagines reſtituit Eccleſiis, unam in medio poſitam adorans cum hiſce exclamationibus. *A ſanctis Patribus edocti venerabiles imagines ſalutamus. Ab eis ducti adorationem, quæ per honorem fit, eis impendimus. Credentes in unum Deum in Trinitate laudandum, honorabiles imagines*

ſalu-

ſalutamus . Nos venerabiles iconas ſalutamus . His, qui non ſalutant ſanctas & venerabiles imagines, anathema.

Actio ſexta legit & probavit doctiſſimam conventiculi Iconoclaſtici refutationem, habentem inter cætera. *Sanctas imagines Chriſtiani neque*
t. 579. *Deos nominarunt, neque ut Diis deſervierunt, neque ab illis expectant Divinum judicium, neque ſpem ſalutis ſuæ in eis aliquando habuerunt, niſi ad recordationem & monimen eas habentes, & amore circa earum principalia flagrantes: Has & amplexi ſunt, & honoranter adoraverunt, non tamen Divinæ his ſervitutis vel cultus officium impenderunt, ſed neque aliis quibuslibet rebus.* Et infrà Iconoclaſtas, ſacras imagines ad idola abjicientes, graviter notat eadem refutatio, & pergit. *Nullus Chriſtianorum hominum, qui ſub cælo ſunt, imagini cultum ſervitutis exhibuit: Pagana eſt enim iſta fabulatio, & dæmonum adinventio, atque opus actionis Sathanicæ. Periit hoc Chriſti adventu. Servitus nunc in ſpiritu & veritate eſt. Diverſa autem, quæ Deo exhibentur, ad memoriam videlicet ejus & Sanctorum ipſius, habet Eccleſia repoſita: Ex quibus etiam imaginum eſt factura.* Imagines ſunt ex ſignis iſtis, quibus Deum & Sanctos Eccleſia veneratur, & quæ congruo ut ſigna, nequaquam pari cum ſignificatis, honore impartit.

Habet tandem concluſio operis. *Sentimus bonum & optimum eſſe, venerabilium imaginum poſitionem in Eccleſia fieri, & ſpiritualiter reduci per has ad principalium ſuorum memoriam, atque iſtas propter eorumdem honorificentiam & ſalutare & amplecti, ac debitam adorationem impendere. Sive ergò alicui ſit ſalutationem gratum vocare, ſive adorationem; hoc ipſum enim utrumque eſt: Niſi fortè quis adorationem, quæ ſecundùm latriam exhibetur, intelligat. Alia enim eſt hæc, ut multipliciter eſt oſtenſum. Nec inſtantia ſathanica ſit erga adorationem earum, neque formido iniquæ ſuſpicionis habens occaſionem, quia ſi acceſſero imaginem ſalutaturus, inveniar latriam, quæ in ſpiritu eſt, huic impendere. Abſit ſuſpicio hæc. Porrò hi, qui dicunt imaginales formationes ſufficere in commemorationem tantùm habere, & non etiam ad ſalutationem, unum recipientes, alterum reprobantes, per hoc ſemi-pravi, partimque mendaces & partim veraces demonſtrantur, aliàs quidem vera confitentes, & alias depravantes. Et ò inſenſibilitatem horum.*

Diviſa in partes adverſas, ſolenni hæreſeon more, fuit ſecta Iconoclaſtarum, ſeu ſacris imaginibus adverſantium. Poſtrema iſta laudatæ refutationis verba impetunt mediam ac molliorem quamdam Errorum, qui Iconoclaſtæ vocari non poſſunt, factionem, admittentem ſacras imagines in Eccleſiis ſtatui, verùm ad ſolam adſpicientium, indoctorum præſertim, inſtructionem ſeu commemorationem, alienas ab omni veneratione, etiam ſalutatoria. Fundabant ſe in quibuſdam Sanctorum Patrum teſtimoniis, præſertim litteris Sancti Gregorii Ma-
L. 7. Indict. 2. Epiſt. 111. gni ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem. *Ad nos pervenit, quod Fraternitas veſtra quoſdam imaginum adoratores adſpiciens, eaſdem Eccleſiæ imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari poſſit, habuiſſe laudamus, ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe indicamus. Idcircò enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi, qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergò Fraternitas & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenùs & litterarum neſcii haberent undè ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione non peccaret.* Et in alia Epiſtola. *Perlatum ad* L. 9. Epiſt. 9.
nos fuit, quod inconſiderato zelo ſuccenſus Sanctorum imagines ſub hac quaſi excuſatione, ne adorari debuiſſent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuiſſes, omninò laudavimus; fregiſſe verò reprehendimus. Dic Frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum eſt quod feciſti? Si non aliud, vel illud debuit te revocare, ne deſpectis aliis fratribus ſolùm te ſanctum & eſſe crederes ſapientem. Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit adorandum addiſcere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus: Quia in ipſa etiam ignorantes vident quid ſequi debeant, in ipſa legunt qui litteras neſciunt. Undè & præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt. Quod magnoperè à te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat, ne dùm rectè zelo incautè ſuccenderis, ferocibus animis ſcandalum generares. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolummodò mentes neſcientium fuit collocatum. Multis ſuadere pergit hanc concluſionem. Et in Epiſtola ad Secundinum
monachum, ſibi imagines Sanctorum donari & L. 7. Indict. 2. Epiſt. 55.
tranſmitti poſtulantem. *Valdè nobis tua poſtulatio placuit, quia illum toto corde quæris, cujus imaginem præ oculis habere deſideras, ut te viſio corporalis quotidiana reddat exercitatum, & dùm picturam illius vides, ad illum animo inardeſcas, cujus imaginem videre deſideras. Ab re non facimus, ſi per viſibilia inviſibilia demonſtramus. Scio quod imaginem Salvatoris noſtri non ideò petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem filii Dei in ejus amore recaleſcas. Et nos quidem non quaſi ante Divinitatem ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur. Et dum nobis ipſa pictura, quaſi Scriptura, ad memoriam filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet.* Ex ſimilibus ergò perperàm intellectis Patrum teſtimoniis quidam fatebantur imagines eſſe utiles, ac fructuosè poni in Eccleſiis, verùm ad ſolam idiotarum inſtructionem, adeòque nullam venerationem, ne quidem ſalutatoriam poſſe illis impendi. Quem errorem poſteà reſumpſere quidam Epiſcopi Francorum.

At certum eſt Sanctum Gregorium ab illis non fuiſſe intellectum. Etenim in poſteriori ad Serenum Epiſtola diſertè damnat ſolam incompetentem imaginum adorationem. Aſt quæ iſta incompetentia? Quidam populum Maſſilienſem idololatricæ ſuperſtitionis accuſant, ac æquiparant Simoni mago, de quo in libro de hæreſibus Sanctus Auguſtinus: *Jovem ſe credi volebat, Minervam verò quamdam meretricem Selenem, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat, imagineſque & ſuam &*

ejuſdem meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas, quas & Romæ tamquam Deorum ſimulacra auctoritate publica conſtituerat. At numquam id credidero de Maſſilienſibus. Exiſtimo fuiſſe illam incompetentiam, adversùs quam ſtatuit Moguntina Synodus Sebaſtiani Archi-Epiſcopi, Cap. 42. habita ſub Pontificatu Pauli tertii. *Cùm utilis & legitimus imaginum uſus intra eos limites contineri meritò debeat, ut ſimplex populus non ipſas imagines adorare, aut fiduciam ullam in eis ponere, ſed quem adorare, quoſve honorare, & undè omnia bona ſperare debeat, per imagines diſcat recordari. Nos pravæ ſuperſtitionis viam præcludere volentes omnibus locorum Ordinariis injungimus, ut ſi fortè in territoriis ſuis ad imaginem aliquam concurſus fieri, & homines ad ipſius imaginis figuram reſpectum habere, & quaſi quamdam Divinitatis opinionem illi tribuere animadverterint, ipſam imaginem pro qualitate cauſæ aut tollant, aut mutent, & aliam à prima notabili quantitate differentem reponant, ne rudis populus in intellectu ſuo depreſſus, & ideò per media corporalia ad Divina erigendus, ſpem ſuam contra Eccleſiæ intentionem in corporali, & quidem certa imagine privata phantaſia atque inhæſione collocet, quaſi in illa ſit quædam neceſſitas, ut per eam, & non aliter, inducatur Deus, & Sancti id facere quod petuntur. Verùm hæc omnia de Theologorum & ſapientiſſimorum virorum ſententia, ut ſic ſalubri Ordinariorum providentia à pernicioſo idololatriæ ſcelere populi præſervetur ſimplicitas.*

Eumdem abuſum in libro de moribus Eccleſiæ Cap. 34. Catholicæ notat Sanctus Auguſtinus, alloquens Manichæos. *Nolite mihi colligere profeſſores nominis Chriſtiani, nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes aut exhibentes. Noli conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ità libidinibus dediti, ut obliti ſint quid promiſerint Deo. Novi multos eſſe ſepulchrorum,* ſacras Martyrum reliquias continentium, *& picturarum adoratores.* Eſſe dicit ſuperſtitionem, non plenam idololatriam. Et jure merito. Sub Sereni itàque Epiſcopatu eidem errori carnaliter ſerviebant quidam è populo Maſſilienſi, atque ità frequentibus apud ſe Paganis dabant idololatriæ ſuſpicionem, ſcandalum, & fomenta, quæ ille ablata volens omnes ſacras imagines zelo incondito deſtruxit. Hinc melior ejuſdem populi pars ab ejus ſe communione retraxit, movitque Sanctum Gregorium ad litteras jam adductas.

Sanctus, inquam, Gregorius iſtam ſolummodò incompetentem, qua Chriſtianus populus ſignis tamquam rebus ſerviliter inhærebat, adorationem damnavit. Etenim in litteris ad Januarium Calaritanum in Sardinia Archi Epiſcopum graviter culpat Petrum quemdam ex Judæo no- L. 7. indict. 2. Ep. 5. vellum fidelem, qui *ſequenti die baptiſmatis ſui, hoc eſt, Dominico, in ipſa feſtivitate Paſchali, imaginem Dei genitricis & venerandam Crucem poſuerat,* quaſi Chriſtianitatis titulum in Judæorum ſynagoga violenter invaſa, eaſdemque mandat *cum ea, qua dignum eſt, veneratione efferri,* & omnia in priſtinum ſtatum reformari. Palàm docet imagines iſtas eſſe venerandas, veneratione ſalutatoria. Petrus ille imitatus fuerat quoſdam inconditos ſpectaculorum oſores monachos, adversùm quos ſtatuit in lege ad Julianum Prætorio Præfectum, exſtante in Codice Juſtiniani, Leo Auguſtus, L. 1. tit. 3. c. 26. *Decernimus, ut poſthac neque monachi, neque quicumque alii, cujuſcumque ſtatus atque fortunæ, in ædes publicas vel in quæcumque loca populi voluptatibus fabricata, venerabilem Crucem & ſanctorum Martyrum reliquias illicitè inferre conentur, vel occupare audeant ea, quæ ad publicas cauſas vel ad populi oblectamenta conſtructa ſunt.* Fixa enim Crux habebat Regii tituli virtutem, & quemvis locum Deo vendicabat. Eam deinceps à ſolis Epiſcopis figi meritò mandat Leo Auguſtus. Ex iſta lege Sanctus Gregorius Januario ſcripſit.

Quis Chriſtianæ adversùs Judaicam ac gentilem ſervitutem libertatis acrior vindex, quis ferventior Chriſtiani populi à ſignis ad res traductor eſſe queat Sancto Auguſtino? Et tamen ille in litteris ad Severum, ſuum in Donati parte conſanguineum, damnat quidem Donatiſtas, quod fideles ex Orientali Eccleſia venientes rebaptizarent; quod tamen illatam eis indè terram adora- Epiſt. 170. rent, omninò probat & laudat. Ejus terræ venerationem mitam & variam prædicat etiam in li- L. 21. c. 8. bris de civitate Dei. Eiſdem in libris ait Judæos L. 10. c. 17. Arcam ſuam fuiſſe legitimè veneratos: Venera- Tract. 47. tione religioſa. Et in tractatibus ſupra Sancti Joannis Evangelium ait de terra Hieroſolymorum: *Ibi ſunt veſtigia Domini, modò adorantur, ubi noviſſimè ſtetit, undè adſcendit in cælum.* Veſtigia iſta ſunt figuræ Dominicorum pedum. Et Cap. 10. in libro de decem chordis ſcribit de quavis imagine. *Undè facit tibi injuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua imago tua eſt in domo tua inaniter poſita ad vanum honorem tuum, nec ſentiens, nec videns, nec loquens? Si quis illam lapidet, nonnè in te factam eſſe contumeliam attendis?* Etiam illi factus honor tibi imputatur. Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli imagines L. 1. c. 10. fuiſſe tunc paſſim in noſtris Baſilicis affirmat in libris de conſenſu Evangeliſtarum. In Pſalmi Con. 2. centeſimi decimi tertii enarratione exponit cultum ſacris vaſis deferri conſuetum: *Numquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo?* Ità ſupplicamus non imaginibus, ſed Deo ante viſas imagines. Hinc ea, quod & de Judæorum Arca dixit, debita ipſis dumtaxàt veneratione honoramus: Longè inferiori, quam debeatur rebus primitivis.

Quocircà in præſentis Synodi ad Joannem octavum Pontificem præfatione rectè adversùm Francorum Epiſcopos dicit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Quæ ſuper venerabilium imaginum adoratione præſens Synodus docet, hæc & Apoſtolica Sedes veſtra, ſicut nonnulla ſcripta innuunt, antiquitùs tenuit, & univerſalis Eccleſia ſemper venerata eſt, & hactenus veneratur.* Eamdem namque doctrinam tradunt in litteris ad Imperatorem Leonem Iſaurum Sanctus Gregorius Papa ſecundus, in variis per hanc Synodum lectis & probatis Epiſtolis Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolita- Act. 4. nus, ac præſertim Sanctus Joannes Damaſcenus, & in libris de fide orthodoxa, & in tribus de imaginum cultu orationibus, confirmans teſtimoniis plurimorum Patrum. Adorationis generatim

Orat. 1. Orat. 3. tatim ſumptæ dat duas definitiones. *Adoratio eſt ſubmiſſionis & honoris nota. Adoratio eſt animi cedentis, id eſt, ſummiſſi atque humilis ſignificatio.* Addit. *Adorationis genera ſunt complura. Primum genus eſt, quod per latriam, quam ſoli Deo* Orat. 1. *natura adorando tribuimus, exhibetur.* Et iterùm: *Aliud eſt latriæ cultum exhibere, aliud honoris gratia in aliqua dignitate conſtitutos venerari.* Hocce ſecundum genus dividit in ſeptem ſpecies juxta ſeptemplicem ſpeciem rerum creatarum adorabilium. Eas inter ponit Sacerdotes, Reges, homines juſtos, amicos, Eccleſias, loca Domini Jeſu operibus illuſtrata, ſacra vaſa, ſanctos libros, imagines Sanctorum, & concludit: *Neminem oportet ut Deum adorare, niſi eum, qui natura Deus eſt; omnibus autem* jam dictis perſonis, rebus, ſignis *honorem debitum habere propter Dominum.* Proindè uti ſacroſanctæ Cruci, ejuſque

Latriæ ac Duliæ verbalem, non realem uſum carpit. ac Domini noſtri Jeſu Chriſti imaginibus non latriæ, ità nec aliorum Sanctorum figuris duliæ cultum impendimus; ſed & his & illis, quoniam diverſæ dignitatis ſunt, honorem congruum venerabundæ ſalutationis. Aſſiduè adfirmat & demonſtrat hanc eſſe Apoſtolicam, ſine ſcripto relictam Eccleſiæ, traditionem. Et hinc

Epiſt. 2. ad Leonem Auguſtum ſcribit laudatus Gregorius ſecundus. *Obito ſcholas eorum, qui elementis imbuuntur, & dic,* EGO SUM EVERSOR IMAGINUM: *Et confeſtim tabellas ſuas in caput tuum projicient.* Quia nempè Apoſtolica traditio eſt altiſſimè etiam puerorum animis Divinitùs infixa. Addit ante Chriſti Domini, *Chriſte fili Dei vivi miſerere nobis;* ante Deiparæ ac aliorum Sanctorum imagines rectè à nobis, dici, *Intercede pro nobis.* Quia nempe diverſæ iſtæ imagines ſunt quaſi diverſi Litaniarum libri, non quibus, ſed ex quibus fundimus iſtiuſmodi orationes.

Quæſtio eſt, Quomodò Synodus definiat ſacris imaginibus, idque ex antiqua conſuetudine, rectè offerri lumen & incenſum? Ratio dubitandi eſt auctoritas Sancti Auguſtini in libro de hæ-

Cap. 7. reſibus dicentis de Hæreſiarcha Carpocrate: *Sectæ ipſius fuiſſe traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incenſumque ponendo.*

Reſpondet in libro adversùs Vigilantium San-

Cap. 2. ctus Hieronymus. *Cereos non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris, ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod ſi aliqui propter imperitiam vel ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certè religioſarum fæminarum, de quibus verè poſſimus dicere,* CONFITEOR, ZELUM DEI HABENT, SED NON SECUNDUM SCIENTIAM, *hoc pro honore Martyrum faciunt: Quid indè perdis? Cauſabantur olim & Apoſtoli, quod periret unguentum, ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorem Chriſti fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt cereos, ſecundùm fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo,* UNUSQUISQUE IN SUO SENSU ABUNDET. *Idololatras appellas hujuſmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Chriſto credimus, de idololatriæ errore veniſſe: Non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcircò deteſtandum eſt; hoc fit Martyribus, & idcircò recipiendum eſt.* Hæc verba, *Illud fiebat idolis*, exponit in commentariis Eſaiæ Prophetæ, agens de Gentilium Diis Cap. 57.

Laribus: *Ipſa Roma urbis Domina in ſingulis* civitatis *inſulis & domibus tutelæ ſimulacrum cereis* olim *venerabatur & lucernis.* Chriſtiana fides ſuperſti- L.7.indict.

tionem in religionem demutavit. Nam & San- 2. Ep.54.

ctus Gregorius Magnus Secundino monacho miſit *aloen, thymiama, ſtyracem, & balſamum, ſanctorum Martyrum corporibus offerenda.* Et monachos, ſacras in cella ſua imagines accenſo lumine honorare conſuetos, laudat in prato ſpirituali Sanctus Sophronius. Etiam in baſilicis eaſdem Cap.180.

ità honorari conſueſſe docent exempla, teſtimoniaque plurima, & in libris de civitate Dei Sanctus Auguſtinus. Rationem dat Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in litteris ad Thomam Claudiopolitanum Epiſcopum, Honoriadis Metropolitam, lectis & probatis à quar- L.22.c.8.

ta Actione hujus Synodi. *Nec illud ſcandalizet quoſdam, quod ante imagines Sanctorum concinnatio luminariorum & ſuavis odoris thymiamata fiant. Symbolicè namque talia celebrari ad honorem illorum excogitata ſunt, quorum cum Chriſto requies eſt, quorum honor in eum recurrit, hoc probante Baſilio ſapiente, quia honor circa bonos conſervorum approbationem habet benevolentiæ erga communem exhibitæ Dominum. Indicia ſunt namque ſenſibilia lumina Divini & ſine materia luminis dati. Porrò aromatum incenſum eſt puriſſimæ & totius Sancti Spiritus inſpirationis & repletionis inſigne.* Sanctus itàque Auguſtinus in Marcellina Carpocratiana non fidelem incenſi uſum, ſed gentilem ac hæreticum idololatricæ ſuperſtitionis abuſum damnavit.

CANONES
CONCILII SEPTIMI GENERALIS.
CANON PRIMUS.

His, qui ſacram ſortiti ſunt dignitatem, teſtimonia & directiones Canonicarum præceptionum formæ conſiſtunt. Quas libenter ſuſcipientes cum Deiloquo David canimus ad Dominum Deum dicentes: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis. Et mandaſti juſtitiam teſtimonia tua in æternum: Intellectum da mihi, & vivam*. Et ſi in æternum prophetica vox mandat nobis cuſtodire teſtimonia Dei, & vivere in illis, immaculata profectò et immota permanent. Et quia Dei inſpector Moyſes ità dixit: *In illis non eſt addendum, & ab eis non eſt auferendum*. Et divinus Apoſtolus in eis gloriatus clamat. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Et, *ſi Angelus evangelizaverit vobis, præter quod accepiſtis, anathema ſit*. His ità ſe habentibus et proteſtantibus, exultantes in eis ſicut qui invenit ſpolia multa, divinos Canones amplectabiliter in pectore recondamus, et integram illorum præceptionem ac immobilem teneamus; tam ſcilicet illorum, qui ab almis et laudabiliſſimis Apoſtolis Sancti Spiritus tubis editi ſunt, quam eorum qui à ſex ſanctis et univerſalibus Synodis, atque his Conciliis, quæ localiter collecta ſunt, in expoſitionem hujuſmodi decretorum promulgati ſunt, nec non et eorum, qui à ſanctis Patribus noſtris prolati fuiſſe probantur. Ab uno enim eodemque ſpiritu illuſtrati definierunt quæ expediunt, et quidem quos anathemati tranſmittunt, et nos anathematizamus, quos verò depoſitioni, et nos deponimus; quos autem ſegregationi, et nos ſegregamus. Porrò quos epitimio, id eſt, pœnæ, tradunt, et nos quoque ſimili modo ſubmittimus. Sine avaritia namque ſint mores; contenti præſentibus; Paulus apertè clamat divinus Apoſtolus, qui in tertium cœlum aſcendit et audivit ineffabilia verba.

Scho-

SCHOLION.

ECcleſiaſtici Canones legitimi rectè vocantur Divini. Eos namque Sanctus Leo Magnus in litteris ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum dicit eſſe
Epiſt. 84. c. 2. *Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos*. Verùm Conſtantinopolitani, Chalcedonenſes, vulgares Apoſtolici, & præſertim Trullani Canones, quos Apoſtolica Sedes dudum abjecit, longè abſunt ab iſta dignitate. Eorum quoſdam nunquam, quoſdam dumtaxat diſpenſatoriè coacta admiſit. Porrò & omnes Trullanos, & ſingulos in ejus primo expreſſos Canones præſens noſter confirmat, atque ità omninò excedit. Nam & hæ voces, *Immutilata permanent*, improbant Trullanorum Canonum factam à Conſtantino Papa diſcretionem, quorumdamque dumtaxat ratibabitionem.

Epitimiorum meminit etiam Canon decimus ſextus, & ad Synodum octavam ſupplex, è ſchiſmate Photiano rediens, dixit Theodorus Synopæ Epiſcopus: *Non ſolùm Epitimiis digni ſumus, ſed & pœnis*. Et ejuſmodi Epiſcopis in Eccleſiæ gratiam recipiendis præſcriptus ab
Act. 2. Adriano ſecundo Pontifice libellus habebat: *Noſmet in hanc ſanctam Synodum projicimus, profitentes etiam accepturos nos eſſe libenter à ſanctiſſimo ſummo Sacerdote noſtro Epitimium definitum*. Et
Act. 2. Sancto Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano interloquente, *Epitimia, quæ indicta ſunt iis, qui ceciderunt, Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, ab hac ſancta & univerſali Synodo, in audientiam omnium legantur*; ejus Diaconus atque Notarius Stephanus legit. *Sic remedium & ſalutem animæ feceas, ac valdè diſcretum Epiſimium Sacerdotum, qui per multam conſuetudinem ceciderunt. Si quidem carnibus veſcantur, abſtinere ſe à carne, caſeo, & ovo, ii verò, qui carnes non comedunt, abſtinere à caſeo, & ovo, & piſcibus, quarta feria & paraſceve, edere legumina cum oleo & pauco vino, facereque genuflexiones quinquaginta per ſingulos dies, & dicere* KYRIE ELEISON *centies*, & DOMINE PECCAVI, *centies*, & DOMINE IGNOSCE MIHI PECCATORI, *centies, receaſereque ſextum Pſalmum, & trigeſimum ſeptimum. Hæc mando tibi cuſtodire uſque ad Chriſti nativitatem. Non autem habeas poteſtatem miniſtrandi, nec quoquo modo agendi quæ ſunt Sacerdotum: Et tunc in natalitiis magni Dei & Salvatoris Jeſu Chriſti recipies Sacerdotium tuum, & mecum eris Sacerdotio fungens immortali æterno Deo*. Pro quibuſdam gravium in Sanctum Ignatium rebelllonis ac aliorum criminum reis aliud Epitimium legit idem Stephanus. *Eſſe illos in duobus annis extra Eccleſiam, & in aliis duobus annis intra Eccleſiam audire Divinas Scripturas uſque ad catechumenos, non tamen ullo modo communicare, ſed abſtinere à carnibus & vino quatuor annis, præter Dominicos dies & Dominicas feſtivitates, & in aliis tribus annis ſtare cum fidelibus, & mereri Divinam communionem in ſolis Dominicis ſolemnitatibus cum eleemoſynis & orationibus, atque jejuniis, adeò ut tribus diebus hebdomadis, ſecunda videlicet, quarta, & ſexta feria abſtineant à carnibus & vino*. Rectè igitur ait Anaſtaſius Bibliothecarius in ſcholiis marginalibus octavæ Act. 1.
Synodi. *Epitimia multi quidem increpationes interpretantur, ſed iſto & multis in locis pro pœnis ponuntur, quas Eccleſia unicuique pro qualitate culparum præcipit obſervandas, utpotè jejunia, fletum, abſtinentiam ciborum, genu flexiones, & his ſimilia*. Et præſentem Canonem latinè reddens dicit: *Epitimia, id eſt, pœnas*, in ſatisfactionem impoſitas. Quatuor ſolennibus ac admodùm laborioſis, quas Chriſtianorum nimia pacatis temporibus multitudo dudùm ferre non potuit, publicæ pœnitentiæ ſtationibus hæc apud Græcos Epitimia ſucceſſerunt, & quandoque, uti ex poſteriori per Stephanum Diaconum lecto decreto liquet, incluſerunt quamdam iſtarum ſtationum figuram potiùs, quam plenam veritatem.

CANON II.

QUoniam pſallentes repromittimus Deo: *In juſtificationibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos*: Omnes quidem Chriſtianos hoc ſervare ſaluberrimum eſt; ſed præcipuè hos, qui hierarchicam conſecuti fuerint dignitatem. Undè definimus omnem, qui ad Epiſcopatus provehendus eſt gradum, modis omnibus pſalterium noſſe; ut ex hoc etiam omnis Clericus, qui ſub eo fuerit, ità moneatur et imbuatur. Inquiratur autem diligenter à Metropo-

lita,

lita, ſi in promptu habeat legere ſcrutabiliter et non tranſitoriè tam ſacros Canones et ſanctum Evangelium, quam divini Apoſtoli librum, et omnem Divinam Scripturam: atque ſecundùm Dei mandata converſari et docere populum ſibi commiſſum. Subſtantia enim Sacerdotii noſtri ſunt eloquia Divinitùs tradita, id eſt, vera Scripturarum Divinarum diſciplina, quemadmodùm magnus perhibet Dionyſius: Quod ſi diſceptaverit, nullatenùs conſecretur. Ait enim propheticè Deus: *Tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

Scholion.

Omne Pſalterium memoriter diſcere fuit olim obligatio omnium Clericorum, monachorum, ac ſacrarum Virginum, etiam extra monaſterium ac monaſticam profeſſionem degentium in propriis aut paternis ædibus. Hinc
Epiſt. 4. ad Ruſticum monachum ſcribit Sanctus Hieronymus: *Diſcatur Pſalterium ad Verbum.* Et ad nobilem virum Gaudentium, tradens regulam Pacatulæ filiolæ, ex utero per parentes Deo
Epiſt. 12. oblatæ: *Cùm virgunculam ſeptimus annus ætatis exceperit, diſcat memoriter Pſalterium.* Cauſam dat in litteris ad Euſtochium, laudans diſciplinam ac Moniales Hieroſolymitani monaſterii
Epiſt. 27. c. 10. exſtructi à Sancta Paula Romana. *Manè, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, noctis medio per ordinem Pſalterium* memoriter *cantabant*: Hinc *non licebat cuiquam Sororum ignorare Pſalmos.*

Quin immò ea fuit pietas omnium paſſim fidelium laicorum. Hinc enim idem Doctor de barbaris Hunnis, fidem noſtram complecti inci-
Epiſt. 7. pientibus, ſcribit ad Lætam matronam: *Hunni diſcunt Pſalterium.* Utpotè in omni labore dulciſſimum & uſitatum fidelibus celeuma. Nam nobilis adoleſcens Licentius etiam in ſecretis ad naturæ neceſſaria locis cantabat Pſalmos, & à
L. 1. de pia matre Monica de hac incompetentia delatum
Ord. c. 7. Sanctus Auguſtinus cum laude abſolvit. Ità Agneti Auguſtæ, Henrici quarti Imperatoris matri, roganti: *Utrùm liceret homini inter ipſam debiti naturalis egeriem aliquid ruminare Pſalmorum*, licere reſpondit Sanctus Petrus Damiani,
Epiſt. 5. Sancti Prophetæ Job in ſterquilinio, & Sanctæ Agnetis Martyris exemplo Dominum in lupanari laudantis.

Hæc tamen cum obligatione pietas pedetentim tranſiit ad ſolos Epiſcopos, Clericos, & monachos, de quibus ſtatuit octava Synodus Toleta-
Cap. 2. na: *Nullius cujuſcumque dignitatis Eccleſiaſticæ deinceps percipiant gradum, qui non totum Pſalterium, vel canticorum uſualium & hymnorum perfectè noverint ſupplementum.* Quod ipſum repetunt
Cap. 5. undecima Toletana, & Coyacenſis in eadem Hiſpania Synodus, habita ſub Papatu Sancti Leonis noni. Et Joannem Eccleſiæ Ravennatis Electum caſſavit Sanctus Gregorius Magnus,
L. 4. Epiſt. 45. quod eſſet Pſalmorum neſcius: *Hæc enim res eum minùs ſui ſtudium habere demonſtrabat.* Et de Joanne Diacono, ad Balnei Regii Epiſcopatum electo, ſcribit ad Eulogium Cluſinum Epiſcopum, L. 8. Epiſt. 34.
dictæ vacantis Eccleſiæ Viſitatorem: *Requirendum eſt, ſi in opere Dei ſtudium habuit, & Pſalmos novit.* Etiam Ruſticum Diaconum, Eccleſiæ L. 12. Ep. 6.
Anconitanæ Electum, caſſavit, quod licèt vir eſſet vigilans, tamen *Pſalmos ignoraret.* Et Gregorium tertium Pontificem, præſentis Synodi temporibus vicinum, quod totum Pſalterium memoriter noſſet, laudat Anaſtaſius Bibliothecarius.

Porrò Imperator Leo Iſaurus, ac ejus ſucceſſor & filius Conſtantinus Copronymus, ſuas adversùs Deum impias cogitationes adimpleturi, Epiſcopales cathedras impleverant hominibus vanis, imperitis, vertumnis, adulatoribus, irreligioſis, Eccleſiam ac quævis Epiſcopalia munia faſtidientibus, immò & averſantibus. Hinc neminem Epiſcopatui admovendum ſtatuit præſens Canon, niſi Pſalmorum plenè peritum, Eccleſiamque frequentare ac Divina officia decantare paratum. Et jure merito. Epiſcopus enim in quovis bono opere, adeóque & in cantu Eccleſiaſtico, eſſe debet ſui Cleri & populi Dux, norma, magiſter.

Inſuper in promovendo Epiſcopo requirit Synodus, ut ſcrutabiliter, & non tranſitoriè legere ſciat ſacros Eccleſiæ Canones. Etenim ad Maximum ac Severum Brutiorum Epiſcopos ſcribit
Innocentius primus Pontifex. *Eccleſiaſticorum Canonum norma nulli eſſet debet incognita Sacerdoti, quia neſcire hæc à Pontifice, ſatis eſt indecorum.* Epiſt. 5.
Et Sanctus Celeſtinus ad Calabriæ & Apuliæ Epiſcopos: *Nulli Sacerdotum liceat ſuos Canones ignorare.* Epiſt. 3. c. 1.
Et quarta Synodus Toletana: *Sacerdotes ſciant Canones.* Cap. 25.
Quod ipſum mandant tertia Synodus Turonenſis, ſecunda Remenſis, Moguntinæ ſub Carolo Magno habitæ præfatio, & ſecunda Cabilonenſis. Cap. 10. Cap. 1.
Neonem Iſauriæ Metropolitam, quod homines Canonum imperitos in Epiſcopos conſecraſſet, deponit apud Hermiam Zozomenum Synodus Seleucienſis. Et hinc Epiſcopo à ſe conſecrato Metropolitanus publicè L. 4. c. 23.
olim in Eccleſia in manus dabat *librum ſacrorum Canonum*, aſſiduè volutandum, uti in præfatione Epiſtolæ adversùs Hincmarum Epiſcopum Epiſt. 33.
Laudunenſem teſtatur Hincmarus Archi-Epiſcopus Remenſis.

Noſſe prætereà debet Epiſcopus omnem ſacram Scripturam. Nihil & antiquæ & novæ le-

gis

Digitized by Google

gis litteræ, omneſque Eccleſiæ Patres & Canones frequentiùs aut ardentiùs inculcant. Apoſtolum, adfirmantem in Eccleſia à Domino poſitos & Doctores & Paſtores, exponens in Epiſtolæ ad Epheſios commentariis Sanctus Hieronymus rectè ait diſtincta quidem, ſed individuè connexa eſſe iſta officia, neminemque adſumendum ad Paſtoris nomen, niſi Doctorem, qui *docere poſſit quos paſcit*. Neque refert, quod ſolam docibilitatem in Epiſcopo requirere, videatur idem Apoſtolus, ſcribens ad Timotheum. *Oportet Epiſcopum eſſe docilem*. Etenim in Græco eſt vox, διδακτικὸς, quæ *non ut interpretatur Latina ſimplicitas*, ſignificat doceri capacem, ſed capacem docere.
L. 1. contr. Pelag. c. 8. Porrò doctrina noſtra non eſt alia, quàm ſacra utriuſque legis Scriptura: Quam Dei Verbum, & traditum & ſcriptum. Quis neſciat Alexandri ſecundi ac Gregorii ſeptimi temporibus omnem Europæ Eccleſiam fuiſſe fœdiſſimam? Cauſam dat Sanctus Petrus Damiani, quod Epiſco-
L. 1. Epiſt. 15. pi *ſacrarum Scripturarum eloquia* neſcitent, ſed ſola *legum ſcita & forenſe litigium*. Ejuſmodi namque Epiſcopos, quales & ſuprà memoratus Neon promoverat, paſſim *inconſideratè & diſſolutè vivere* adfirmat præfata Synodus Seleucienſis.

Et ſacras litteras, & Eccleſiaſticos Canones Epiſcopus ſcire debet ſcrutabiliter: Hoc eſt, & intelligere, & aſſiduo ſtudio adhuc ſcrutari. Meritò ſanè in Epiſtolæ ad Titum commentariis
Cap. 1. laudatus Hieronymus graviter arguit Epiſcopos, *qui inertiæ ſe, & otio, & ſomno dantes, putant peccatum eſſe, ſi Scripturas legerint, & eos, qui in lege Domini meditantur die & nocte, quaſi garrulos inutileſque contemnunt.* Atticum Conſtantinopolitanum Epiſcopum laudat Socrates, quod in evolvendis veterum Patrum, ſacras litteras elucidantium, ſcriptis eſſet aſſiduus, & *noctes tereret*.
L. 7. c. 2. Etiam Sanctus Auguſtinus frequenter fatetur ſe noctes integras lucubraſſe. Natalis Salonæ in Dalmatia Archi-Epiſcopus peſſimè adminiſtravit:
L. 2. Epiſt. 14. 37. Cauſam edicit Sanctus Gregorius Magnus, quod *nequaquam lectioni ſtuderet*, ideòque *Eccleſiaſtici ordinis uſum ignoraret*. Ejus frivolas excuſationes egregiè refutat. In Sancti Aggæi Prophetæ com-
Cap. 2. mentariis Sanctus Hieronymus id præſertim requirit in illis, qui cum non plena ſcientia Epiſcopalem cathedram adſcenderunt. *Saltem*, inquit, *illud habeant, ut poſtquam Sacerdotes fuerunt ordinati, diſcant legem Dei, ut poſſint docere quod didicerint, & augeant ſcientiam magis quàm opes, magiſque noctes & dies in Scripturarum tractatu, quàm in ratiociniis & ſupputatione conſumant.*

Addit Canon horum omnium cauſam: *Quia ſubſtantia Sacerdotii noſtri ſunt eloquia Divinitus tradita, id eſt, vera Scripturarum Divinarum diſciplina.* Addit enim laudatus Hieronymus in eiſdem commentariis. *Si Sacerdos eſt, ſciat Legem Domini; ſi ignorat legem, ipſe arguit non eſſe Domini Sacerdotem. Sacerdotis enim eſt ſcire legem, & ad interrogationem reſpondere de lege.* Et ad Hiſpa-
Epiſt. 25. niarum Epiſcopos ſcribit Hormiſda Pontifex. *Nec leve nec vacuum fuit, quod nec apud veteres quidem niſi Levitici generis viri, ad ſancta admittebantur altaria, ne peſſimè, meritis contemptis, aut pretio aut præſumptione ad ſacros cultus impar accederet. Tunc migrabant per illam prærogativam familiarum ad inſtituta Cultorum, nunc eſt doctrina pro genere. Quod illis fuit naſci, hoc nobis imbui. Illos tabernaculo dabat natura, nos Altaribus parturit diſciplina.*

Pergit Canon: *Quod ſi diſceptaverit, nullatenùs conſecretur.* Et iterùm: *Inquiratur à Metropolitano*, &c. Similem Canonem habemus à tertia Cap. 7.
Synodo Francorum Valentina. *Si à ſervitio pii Principis noſtri aliquis Clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Epiſcopus, timore caſto ſolicitè examinetur: Primùm, cujus vitæ ſit; deindè cujus ſcientiæ. Et vigore Eccleſiaſtico ſub oculis Dei omnipotentis agat Metropolitanus in hac parte, Epiſcopis ſicut Dei miniſtris auxilium ferentibus, ne maculatæ vitæ, & pompis ſæculi turbidus, & ſimoniaca hæreſi pollutus, humilibus & mundis Chriſti membris, Eccleſiæque ipſius ſupponatur Epiſcopus. Nec præſumat illiteratum, & cupiditate nimia cæcatum, redditurus facti ſui rationem, populo Dei præficere.* Valentinus Francos à Carolo Calvo Rege, præſens Canon Græcos à dictis duobus Auguſtis promotos è foricibus Palatinis indignos Epiſcopos impetit, omnem deinceps promovendum mandans non ſolummodò Pſalterii, cantus Eccleſiaſtici, Sacrorum Canonum, ac Divinarum Scripturarum eſſe peritum, ſed & deſuper examinari à Metropolita, eique ad juratam de diligenti ſtudio, docendo populo, & frequentandis ac decantandis Divinis in Eccleſia laudibus profeſſionem. *Qui diſceptaverit*, id eſt, ejuſmodi profeſſionem non lubens fecerit, *nullatenùs conſecretur*. Et jure merito. Ignaros enim ac ineptos Epiſcopos iniquo populo dari in pœnam, ac eſſe Divini furoris crudele flagellum, rectè docet laudata Synodus Valentina.

Rectè item præſens Canon Epiſcopatum vocat ſummum Sacerdotium. Eodem enim modo vocat Synodus Taurinenſis: *Ordinatio ſummorum* Cap. 1.
Sacerdotum. Et in litteris ad Himerium Terraconenſem Archi-Epiſcopum Siricius Pontifex: Epiſt. 1. c. 15.
Summi Antiſtites. Et in litteris ad Synodum Toletanam Innocentius primus: *Honor ſummi Sacer-* Epiſt. 22. c. 4.
dotii. Et in decimo ſermone de quadrageſima Cap. 1.
Sanctus Leo: *Summi Antiſtites, & ſecundi Ordinis Sacerdotes*. Paſſim ità Patres loquuntur. Errant, qui Romanæ Eccleſiæ Primatui id putant adverſum. Rationem dat Sanctus Leo Magnus in litteris ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem. *Connexio* Chriſtiani *corporis concordiam* Epiſt. 84. c. 11.
exigit Sacerdotum: Quibus etſi dignitas non ſit communis, eſt tamen ordo generalis. Quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis. Et cùm omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut omnibus præemineret. Itaque non à juriſdictionis poteſtate, in qua grande & varium diſcrimen, ſed à conſecratione, in qua pares omnes, Epiſcopi vocantur ſummi Sacerdotes.

CANON

CANON III.

OMnis electio à Principibus facta Epiſcopi aut Presbyteri aut Diaconi irrita maneat ſecundùm regulam, quæ dicit; *ſi quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur; & ſegregentur omnes qui illi communicant*. Oportet enim, ut qui provehendus eſt in Epiſcopum, ab Epiſcopis eligatur; quemadmodùm à ſanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, in regula definitum eſt quæ dicit: *Epiſcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui ſunt in Provincia, Epiſcopis ordinari; ſi autem hoc difficilè fuerit aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipſum convenientibus, & aliis per litteras conſentientibus, tunc conſecratio fiat. Firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque Provinciam metropolitano tribuatur Antiſtiti.*

SCHOLION.

HUnc Canonem in litteris ad Hugonem Eccleſiæ Lugdunenſis Primatem laudat
Epiſt. 68. Sanctus Ivo Epiſcopus Carnotenſis. *Quid ſuper electione Epiſcoporum à Principibus facta dicat ſeptima Synodus, non eſt meum veſtram docere Prudentiam*. A Regibus ſuis invaſam Epiſcoporum nominationem dicit à præſenti Canone damnari. Ejus ſanciendis cauſam edicit vita authentica Sancti Stephani, Auxentiani in Bythinia monachi & Martyris, per Judocum Clicthovæum latinè reddita, & Sancti Joannis Damaſceni operibus adnexa, agens de promotione Conſtantini Patriarchæ Conſtantinopolitani facta per Imperatorem Conſtantinum Copronymum. *Conſtantinus Imperator ſacri Ordinis quemdam nactus, cui & nomen cum ipſo idem & eadem fidei ſententia erat, ei, proh ſceleſtum facinus, Eccleſiæ curam, adminiſtrationemque commiſit, non Patrum electione, non Synodi examinatione, non denique canonico ſuffragio atque decreto, ſed tyrannica poteſtate Antiſtitem ipſum inſtituens. Etenim non ſecùs ac ſi in ſcena luderent, ambo in pulpitum adſcenderunt, ac deindè Imperator manibus impuris diploidem ſacram nefario homini profanè imponit, dignum Epiſcopatu eum eſſe proclamans, qui gravi potiùs ignominia & vituperatione erat dignus*. Graviſſimè invehitur in iſtam Principis temeritatem. Imitatus ille fuerat patrem ſuum Leonem Iſaurum, qui Sancto Germano Patriarchæ Conſtantinopolitano, ob defenſas ſacras imagines ejecto, ſuperintruſerat Anaſtaſium Lævum Iconoclaſtam, & adversùs quem ſcripſit Sanctus Pontifex Gre-
Epiſt. 2. gorius ſecundus: *Quemadmodùm Pontifex introſpiciendi in palatium poteſtatem non habet, ac dignitates Regias deferendi; ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi*.

Eamdem temeritatem damnat in Conſtantio Auguſto Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, L. contra Conſtant.
in Anaſtaſio Auguſto Theodorus Lector, in L. 4. c. 25.
Zenone Auguſto Michael Glyca, in Agilulfo L. 8. Epiſt. 65.
Longobardorum Rege Sanctus Gregorius Magnus, in Paulo Samoſateno Nicephorus Calixtus, ac in Maximo Cynico Gregorius Presbyter, Encomiaſtes Sancti Gregorii Nazianzeni. Paulus namque Samoſatenus à Perſarum Rege gentili dicitur intruſus in Cathedram Antiochenam, Sedem Conſtantinopolitanam Maximus Cynicus à Theodoſio Auguſto petiit, verùm piiſſimus Princeps ſacrilego facinore noluit profanari. Eadem præſumptio dudùm graſſata eſt in Francorum, Germanorum, & Anglorum Regibus: Hinc enim Sanctus Thomas Cantuarienſium Martyr & Archi-Epiſcopus, Regiis perſecutionibus illuſtratus, meritò ſe pati profeſſus eſt, quod non ab Eccleſiæ ſuæ monachis Cathedralibus, ſed à Regia violentia accepiſſet Epiſcopatum, ideòque ad Synodum Turonenſem profectus illum Alexandro tertio Pontifici ad manus poſuit, atque ab eodem coactus recepit. Et dudùm ante hanc Synodum ſtatuit in Reges ſuos
tertia Synodus Pariſienſis. *Quod ſi quis per ordi-* Cap. 8.
nationem Regiam Epiſcopalis honoris culmen temeritate nimia pervadere præſumpſerit, à Comprovincialibus loci ipſius Epiſcopus recipi nullatenùs mereatur, quem indebitè ordinatum agnoſcunt. In præſentis Canonis commentario rectè Joannes Zonaras Regum iſtam temeritatem dicit eſſe *vetus malum*. Et apud nos Latinos & apud Græcos ſemper fuit rigidiſſimè vetitum, ſemperque reſurrexit. Apud nos Latinos in ipſum acerrimè decreverunt & pugnarunt variæ variarum Provinciarum & gentium Synodi, variique Romani Pontifices, nominatim Gregorius ſeptimus, Urbanus ſecundus, Paſchalis ſecundus, Calixtus ſecundus, Innocentius ſecundus, Alexander tertius, volentes liberè ambulare electiones canonicas juxta Canonem Apoſtolicum & quartum Nicænum.

cænum. De vario rei hujus ſtatu ſcribi oporteret grandes libros.

Apud Græcos præſentem Canonem ſprevit Imperator Nicephorus Phoca, Eccleſiaſticæ libertatis fœdiſſimus hoſtis, de quo Georgius Cedrenus. *Legem tulit, cui & Epiſcopi quidam leves atque adulatores ſubſcripſerunt, ne Imperatoris injuſſu ullus crearetur Epiſcopus.* Perverſæ legis occaſionem adducit in Eccleſiaſtica hiſtoria Joannes Zonaras. *Orta inter ſummum Paſtorem*, Polyeuctum Patriarcham Conſtantinopolitanum, *& primarios Sacerdotes contentione, cùm hi decernendi licentiam & approbandi poteſtatem ſibi vendicarent, ille ſuffragia reprehenderet, ut quæ nec ſine affectibus, nec recto judicio ferrentur, operamque daret, ut ab his judicium facturis & ipſe in conſilium adhiberetur: Imperator ex hoc ſumpta occaſione, & omni auctoritate deſignandi Epiſcopos ſibi vendicata, edixit ne quiſquam injuſſu ſuo in ullam Eccleſiam mitteretur.* Caſſata & lacerata poſtmodum fuit ea lex, atqoe de ſolo Epiſcopatu Conſtantinopolitano indultum Principi, quod ad Michaelem Auguſtum [Act. 4.] ſcribit Pontifex Nicolaus Primus in litteris per octavam Synodum probatis. *Conſuetudinem veſtram novimus, in Regia urbe minimè apicem Archieraticæ poteſtatis aliquem poſſe habere ſine Eccleſiaſticæ plebis conſenſu, atque imperiali ſuffragio.* Eamque conſuetudinem Pontifex probat, aut ſanè non damnat. Exponit in opere de Eccleſiaſticis Ordinationibus Symeon Archi-Epiſcopus [Cap. 9.] Theſſalonicenſis. *Suffragia ſecundùm conſuetudinem in tres perſonas feruntur, lataque ad Imperatorem à Chartophylace & duobus Epiſcopis deferuntur. Unius de tribus à Concilio nominatis electio antiquitùs Imperatori, ut uncto, à Patribus permiſſa eſt, eò quod omnes ſint à Synodo electi, & digni eo honore judicati.* Quod privilegium laudant etiam Codinus Curopalates & Imperator Joannes Cantacuzenus. Ad omnem Epiſcopatum tres à Clero & populo eligi, electos Metropolitæ ac ejus Synodo offerri, & ipſorum unum ab illo confirmari & conſecrari ſtatuit Juſtinianus Auguſtus, ac omnis Eccleſia, etiam Sanctus Gregorius Magnus, ſervavit: Hoc ipſum Metropolitæ privilegium quoad Patriarchæ Conſtantinopolitani electionem datum eſt Imperatori.

Et illo contentos eſſe Græcorum Auguſtos voluit laudatus Nicolaus Pontifex, at non obtinuit. Liquet ex ejus litteris ad cunctos Conſtantinopolitano Patriarchatui ſubjectos Epiſcopos probatis & lectis in ſeptima Actione Synodi octavæ. *Impietas tantùm caput extulit, ut Eccleſiarum Præſulibus poſthabitis, & ordine canonico conculcato, laici nunc Eccleſiaſtica moderamina teneant, & pro libitu proprio iſtos modò removeant, modò illos in locum eorum promoveant, & rursùs quos nunc approbant, poſtmodùm mentis levitate victi repellant.* Etenim Michael Auguſtus Sanctum Patriarcham Ignatium ejecit ut à laicis promotum, & Photium intruſit: In eodem opere ſibi ipſi adverſus. Pergit Pontifex. *Ut nempe ſæculares ac laici homines quælibet ſcelera valeant licenter committere, & pro his à nullo Pontifice, qui ex Clero promotus hæc firma poterat auctoritate compeſcere, liberè redarguantur.* Multis oſtendit ex iſta impunitatis cupidine cœpiſſe Reges ad Epiſcoporum nominationem, quaſi ad boni & mali ſcientiæ pomum manus extendere, & ſorices palatinos, utpotè adulatores & canes mutos, ad Epiſcopatus evehere. Addit in memorato opere Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis. [Cap. 8.] *Verùm iſta non tam ab Imperatoribus, quam ab adulatoribus fiunt, qui eos humanis verbis falſa perſuaſione commovent ad majora perpetrandum, ità ut audeant & promovere Epiſcopos, & tranſlationes facere. Papæ!* Solidè temeritatem improbat, niſi quod ut homo Græculus & ſchiſmaticus de Regia unctione, quaſi vero novæ legis Sacramento, nugas venùm exponat, & anilia, quæ quibuſdam hodie Francis emere non pudet, deliramenta. Rectè itàque Tractatus Conſtantinopolitanus apud Patres Prædicatores repertus improperat Græcis. *Patriarchæ eorum, & Archi-Epiſcopi, & Archi-Mandritæ, ſecundùm quod aliquando fuit in primitiva Eccleſia hæreticorum, ad obtinendos honores à laicis promoventur. Quod prorsùs hoc in tempore trigeſimus Apoſtolorum Canon inhibet fieri. Sed & tertius Canon Synodi, quam Græci ſeptimam vocant, pronunciat omnem electionem, à Principibus ſæculi factam, fore irritam.* Ex quo liquet tractatum iſtum fuiſſe compoſitum poſt tempora Calixti ſecundi Pontificis, ſub quo Eccleſia Latina recepit liberas electiones Prælatorum. Porrò vulgaris ille, à noſtro etiam citatus, Apoſtolicus Canon apud Dionyſium Exiguum eſt trigeſimus primus. Additur & quartus Nicænus: Utpotè Regiæ Epiſcoporum nominationi capitaliter repugnans.

CANON IV.

PRædicator Eccleſiæ Paulus Divinus Apoſtolus, ac ſi Canonem ponens Epheſiorum Presbyteris, immò verò & omni ſacratæ multitudini, ità fiducialiter perhibuit dicens: *Argentum, aut aurum, aut veſtem nullius concupivi, omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos;* Beatiùs exiſtimans dare. Propter quod & nos edocti ab eo de-

finimus, nullatenùs Epiſcopum turpis lucri gratia excogitare ad excuſandas excuſationes in peccatis, & expetere aurum vel argentum, aut aliam ſpeciem ab Epiſcopis, vel Clericis, aut Monachis, qui ſub ipſo ſunt. Ait enim Apoſtolus: *Iniqui regnum Dei non poſſidebunt*. Et, *non debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis*. Quiſquis ergò propter exactionem auri vel alterius cujuslibet ſpeciei, aut propter proprium vitium inventus fuerit coercens à miniſterio, vel ſequeſtrans aliquem Clericorum, qui ſub ſe degunt, aut venerabile templum claudens, ne in eo Dei miniſteria celebrentur, ad inſenſata ſuam tranſmittens inſaniam, inſenſatus veraciter eſt; ac per hoc, ſimili pœnæ eo ſubjecto, convertatur dolor ejus in caput ejus, ut in tranſgreſſorem mandati Dei & mandatorum Apoſtolorum. Præcipit enim & Petrus principalis Apoſtolorum ſummitas; *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, non turpis lucri gratia, ſed promptè, neque ut dominantes in Clero, forma facti gregis, & cùm apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.*

Scholion.

A Cunctis Eccleſiis, earumque Presbyteris & Clericis aliquid, ut *Cathedræ honorem*, deberi Epiſcopo, clamant antiqui Canones. Cathedraticum illud vocatur. Duos annuatim ſolidos adſignant in litteris ad virum illuſtrem Creſconium Pelagius ſecundus Pontifex, ſecunda Synodus Bracarenſis, ac tertia Tole- Epiſt. 14. Cap. 2. Cap. 20. tana, adjungens *multos Epiſcopos per parochias non Sacerdotaliter, ſed crudeliter exactionibus & angariis deſævire, ut Exactores potiùs, quàm Dei Pontifices nominari mereantur*. Mandat gravatis Clericis, *ut querelas ſuas ad Metropolitam deferre non differant, & Metropolitanus non moretur ejuſmodi præſumptiones coercere*. Quod ipſum ad novas Clericorum querimonias ſtatuit ſeptima Synodus Toletana. Et hoſce Hiſpanos Canones ſemper ſervavit etiam Gallicana Eccleſia, uti docet Sancto-Dionyſiani monaſterii privilegium datum à Landerico Epiſcopo Pariſienſi: Verùm & iſtic legimus graviſſimas querelas de Epiſcoporum extorſionibus & variis extorquendi arti- Cap. 17. bus: In eas ſtatuunt ſecunda Synodus Cabilonenſis, Capitularia Ludovici Pii Auguſti, Capitularia Tholoſana Caroli Calvi Francorum Re- Cap. 14. gis, tertia Synodus Valentina, Synodus Mel- Cap. 45. denſis, Eugenius ſecundus Pontifex in Synodo Romana per illuſtriſſimum D. Lucam Holſtenium vulgata, Synodus Tholoſana habita ſub Cap. 7. Pontificatu Victoris ſecundi, Gregorius ſeptimus in quinta ſua Romana Synodo, & Alexander tertius in Synodo Lateranenſi, urgens locum Apoſtoli: *Non debent filii parentibus, ſed parentes filiis theſaurizare*. L. 1. Epiſt. 42. De variis in hoc vitio artibus Lariſſenum Archi-Epiſcopum, item Biſunti- L. 2. Epiſt. 125. num, & Epiſcopum Pictavienſem notat Innocentius tertius. L. 3. Epiſt. 184. Euſebiana factio Sanctum Athanaſium, quod Eccleſias ſibi ſubjectas linearum veſtium exactionibus vexaſſet, falsò traduxit. Quin & omnes orthodoxos Epiſcopos de eadem avaritia calumniatur in libro de fuga in perſecutione, & in libro de jejuniis Montaniſta Cap. 13. Tertullianus. Adeò vetuſtum eſt iſtud malum. Cap. 13. Graſſatum eſt præſertim in ſedibus Patriarchalibus. Nam multas, & quidem Metropolitanas, Eccleſias per Patriarchæ Conſtantinopolitani exactiones fuiſſe ad inopiam, & æs alienum deductas queſtus eſt in Synodo Chalcedonenſi Euſe- Act. 16. bius Ancyræ Epiſcopus, primæ Galatiæ Metropolita.

Monachos exactionibus vexari vetat Canon ex cauſa ſingulari. Etenim ad Joannem Schyllitanum Epiſcopum ſcribit Sanctus Gregorius Magnus. L. 7. Epiſt. 33. *Queſti ſunt nobis monachi Caſtellienſis monaſterii, quod in Fraternitatis veſtræ civitate eſt conſtitutum, quædam te de monaſterio ſub Xenii quaſi ſpecie abſtuliſſe: Neceſſe eſt, ut ſi quid te recolis indecenter accepiſſe, ſine dilatione reſtituas, ne avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum eſſe erga monaſteria Sacerdotalis magis debuerat munificentia demonſtrare*. Et Ilerdenſis Synodus: *Ea, quæ* Cap. 3. *in jure monaſterii de facultatibus afferuntur, in nullo diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur*. Exempta enim ab hiſce oneribus ſemper fuerunt monaſteria, uti teſtantur & confirmant tertia ac ſeptima Toletana Synodus ac tertia Gallorum Valentina. Epiſcoporum quorumdam importunitas monaſteriis tandem peperit plenam ſub Sedis Apoſtolicæ protectione exemptionem.

Rigidiſſimè etiam præſens Canon vetat deteſtandam avaritiæ ſpeciem, qua quidam Epiſcopi, abſolutionem auro vendituri, perſonas aut loca, Clericorum præſertim, ſuſpendebant à Divinis, interdicebant, excommunicabant. Ità & in Canonicis litteris, Hedenulfo Laudunenſi Epiſcopo in conſecratione datis, ſtatuit Hincmarus Metropolita Remenſis: *Ne quemquam* Apud Sirmond. formul. 26. *Eccleſiaſtici Ordinis Miniſtrum, occaſione turpis lucri,*

lucri, ut aliquid ab eo abſolute accipiat, contra ſacras regulas excommunicet, inhibemus. De illo enim exceſſu notarat dejectum ex eodem Epiſcopatu Hincmarum nepotem. Et ad Albertum Epiſcopum, ſuum nuper diſcipulum & monachum, ſcribit Sanctus Petrus Damiani. (L.4. Epiſt. 2.) *Cave, ne more quorumdam, non dicam Paſtorum, ſed fabrorum, cuiquam Sacerdotum ſub pecuniæ ſpe* (deeſt hæc vocula) *titulum cujuslibet reatus opponas, eumque ab adminiſtratione ſuſpendens poſtmodùm per terreni lucri commodum in ſui gradus jura reſtituas. Giezi nempè meretur lepram, qui ſuam mutat pro pecuniæ cupiditate ſententiam*. (Epiſt. 14.) Adjungit & alium abuſum. *Qui commodum tollit, & miniſterium reddit, ex ore Petri vibratum in Simonem ſpiculum non evadit*. Quidam Epiſcopi, uti in alia deplorat Epiſtola, ſuſpenſis aut dejectis Clericis reddebant officium aut gradum, & eorum proventus ſibi retinebant. Et hunc abuſum damnat in quinta ſua Romanâ Synodo Gregorius ſeptimus: *Interdictum Sacerdotale officium pretio interveniente nullus Epiſcopus reſtituat. Quod ſi fecerit, officii ſui periculum ſubeat*. Et de Synodo Rothomagenſi, facta per Theodinum & Albertum, Alexandri tertii Legatos Cardinales, ſcribit Rogerus Hovedenſis. (F. 531.) *De novis libris Excommunicatorum, & de quadraginta & octo libris, quæ pro abſolutione exiguntur, nihil perfectum eſt, quia Epiſcopi Normandiæ illud decretum recipere noluerunt*. (A. 1237.) Eumdem exceſſum in Anglicanis Matthæus Paris, ac ſimilem in Leodienſibus Archi-Diaconis graviſſimè reprehendit Gerardus Epiſcopus Cameracenſis, cujus verè Epiſcopalem Epiſtolam vide apud Baldricum Noviomenſem Epiſcopum in Chronico Eccleſiæ Cameracenſis. (L.3. c. 18.)

CANON V.

PEccatum ad mortem eſt, quando quidem peccantes incorrepti perſiſtunt. Hoc verò deterius eſt, ſi et arroganter elati inſurgunt adversùs pietatem et veritatem; et præferentes mammona Dei obedientiæ, nullatenùs regularibus ejus præceptis intendunt. In his non eſt Dominus Deus, niſi humiliati à proprio reſipuerint fortaſsè exceſſu. Oportet enim eos magis accedere ad Deum, et cum contrito corde remiſſionem hujus peccati et indulgentiam petere, et non gloriari in illicito dato. Juxta enim eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde. Eos igitur, qui gloriantur ſe per dationem auri ordinatos in Eccleſia, et in hac maligna conſuetudine, quæ alienat à Deo et omni Sacerdotio, ſperant, et ex hoc impudenti facie et non operto ore exprobrabilibus verbis eos, qui ob virtutem vitæ à Sancto Spiritu electi et conſtituti ſine datione auri ſunt, inhonorant, primò quidem noviſſimum gradum ſui ordinis definimus: Quod ſi permanſerint, per epitimium corrigantur. Si verò quis claruerit ſuper conſecratione hoc aliquando faciens, efficiatur ſecundùm Apoſtolicam regulam, quæ dicit: *Si quis Epiſcopus per pecuniam dignitatem hanc obtinuerit, vel Presbyter aut Diaconus, deponatur & ipſe & qui eum conſecravit, & excidatur omnimodis etiam à communione, quemadmodùm Simon Magus à me Petro*. Similiter et juxta ſecundam regulam ſanctorum Patrum, qui apud Chalcedonem convenerunt, quæ ait: *Si quis Epiſcopus per pecunias conſecrationem fecerit, & ſub precio redegerit gratiam, quæ non poteſt vendi, ordinaveritque per pecunias Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, ſive Presbyteros, aut Dia-*

conos, aut quemdam eorum, qui in Clero connumerantur, aut præpoſuerit per pecunias Oeconomum vel Defenſorem, ſive Manſionarium, aut prorſus quemquam, qui ſub regula eſt, turpis lucri gratia, qui hoc conatus fuerit agere, ſi convictus fuerit, proprii gradus periculum ſubeat, & qui conſecratus eſt, nihil proficiat ex conſecratione vel promotione, quæ per negotiationem effecta eſt; ſed ſit alienus à dignitate, & ſollicitudine, quam per pecunias conſecutus eſt. Si verò quis mediator apparuerit in hujuſmodi turpibus & illicitis datis, ſi quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat; ſi verò laicus vel monachus, excommunicetur.

SCHOLION.

CAnon nequaquam de Simoniacis ſacrorum Ordinum emptoribus agit, ſed de illis, qui opima ſua patrimonia titulari ſuæ Eccleſiæ dabant, eoque fuco pauperibus ob virtutem merita ad eumdem gradum promotis inſultabant, ac priorem locum impudenter prætendebant. Adversùm illos ſtatuit Canon iſtud ipſum, quod in Regula ſua Sanctus Auguſtinus. *Qui aliquid videbantur eſſe in ſæculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant, non de parentum divitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt, nec de ſuis divitiis magis ſuperbiant, quia eas monaſterio partiuntur, quam ſi eis in ſæculo fruerentur. Alia quippè quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant, ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, ut pereant. Et quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cùm anima miſera ſuperbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat poſſidendo?*

Porrò Clericis, quomodò & Epiſcopis, juxta Ordinationis ſuæ tempus adſignari locum eſt mos perpetuus omnium Eccleſiarum. Hinc ſuperbis illis priorem locum meritò Canon interdicit. Nam & Sanctus Leo Magnus de Epicarpio novello Presbytero ſcribit ad Dorum Epiſcopum
Epiſt. 1. Beneventanum, *Cognovimus apud te novo ambitu, fœdoque colluvio Presbyterii ordinem fuiſſe turbatum: ità unius*, dicti Epicarpii, *feſtina & immatura provectio, quædam eorum dejectio facta eſt, quos ætas commendabat, & nulla culpa minuebat.* Eum ambitum, novitatem, ſuperbiam acriter inſectatur & punit. Et in litteris ad Lucaniæ Epiſcopos vetat Sanctus Papa Gelaſius *cujuslibet utilitatis cauſa ſeu Presbyterum ſeu Diaconum his præferri, qui ante ipſos fuerint ordinati.* Epiſt. 9. Et de Sancto Gregorio Magno ſcribit Joannes Diaconus. *Antiquiſſimum Eccleſiaſticæ conſuetudinis ordinem, ab Apoſtolis traditum, & ad ſua uſque tempora ſolenniter conſecratum, Gregorius adeò ſtudioſiſſimè retinebat, ut nullum, quantalibet ſanctitate, ſapientia, nobilitateve polleret, anterioribus Clericis in conventu, conſeſſu, ſtatione, ſive ſubſcriptione præponeret.* In decreto Gelaſiano vox, *utilitatis*, & apud Joannem Diaconum vox, *Nobilitate*, palàm demonſtrant ambitum à noſtra Synodo damnatum iſtis quoque temporibus non defuiſſe. Vox, *Sapientia*, oſtendit Fratrum in ſacra Theologia Doctorum præcedentiam, in quibuſdam Mendicantium Ordinibus uſitatam, adverſari antiquæ diſciplinæ. Et quidem præſens Canon vanos iſtos Clericos non ſolùm priori excluſit, ſed & detruſit in locum poſtremum.

Inſuper vetat deinceps quempiam ſolo facultatum Eccleſiæ donandarum merito ordinari. Et Ordinatum, & Ordinantem, & mediatores damnat de ſimonia. Jure meritò. Etenim omninò laudabilis eſt lex Conſtantini Magni Auguſti, exſtans in Codice Theodoſiano, mandanſque L. 16. tit. 2. c. 3. *nullum inſtructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicis muneribus opportunum, ad Clericorum nomen obſequiumque confugere, ſed eos de cætero in defunctorum Clericorum loca ſubrogari, qui fortuna tenues, neque muneribus civilibus teneantur obſtricti.* Dat cauſam in alia lege. *Opulentos ſæculi* Cap. 6. *ſubire neceſſitates oportet, pauperes Eccleſiarum divitiis ſuſtentari.* Quocircà qui in dignitatum ac beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributione exiſtimant opulentos inopibus præferendos, deviant toto cœlo. Opulentos tamen præſens Canon non excludit.

CANON

CANON VI.

QUoniam quidem regula eſt, quæ dicit : *Bis in anno per ſingulas Provincias oportere fieri per conventum Epiſcoporum regulares inquiſitiones, Propter fatigationem & ut opportunè habeantur ad iter agendum, hi qui congregati ſunt* : Definierunt ſextæ Synodi ſancti Patres, omni excuſatione remota, modis omnibus ſemel in anno fieri, & depravata corrigi. Hunc ergò Canonem & nos renovamus. Et ſi quiſquam Princeps inventus fuerit hoc prohibere, communione privetur. Si quis verò Metropolitanorum hoc neglexerit agere abſque neceſſitate, vel vi, ſeu aliqua rationabili occaſione, canonicis pœnis ſubjaceat. Dum autem Synodus agitur ſuper Canonicis & Evangelicis negotiis, oportet congregatos Epiſcopos in meditatione & ſollicitudine fieri cuſtodiendorum Divinorum & vivificorum Domini mandatorum, in cuſtodiendis enim illis retributio multa : Quia & lucerna mandatum, lex autem lux, & via vitæ argutio & diſciplina eſt ; & mandatum Domini lucidum illuminans oculos. Porrò non habeat Metropolitanus licentiam ex his, quæ defert Epiſcopus ſecum, ſive jumentum, ſive aliam ſpeciem expetendi. Quod ſi hoc egiſſe convictus fuerit, ſolvat quadruplum.

SCHOLION.

PRimus à noſtro citatus eſt quintus Nicænus, alter, hunc moderans, ac ſextæ Synodo perperàm adſcriptus, eſt Canon octavus Trullanus, quem à Romana Eccleſia nunquam fuiſſe admiſſum teſtatur in marginali Scholio Anaſtaſius Bibliothecarius. Romana namque Eccleſia conſtantiſſimè ſemper inhæſit decreto Sancti Leonis Magni, de Canonibus Nicænis ſcripto ad
Epiſt. 54. c. 2. Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum. *Nulla ſibi de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum vel comparare ſe audeat vel præferre, cum tanto Divinitùs privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitùs auctoritate ſit vacuum, quidquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum*. Proindè & hunc præſentem Canonem ſemper refutavit Eccleſia Romana.

Hæc verba, *Si quiſquam Princeps inventus fuerit hoc prohibere, communione privetur*, impetunt Leonis Iſauri & Conſtantini Copronimi Auguſtorum in Eccleſiaſticam libertatem violentias, arrogantium ſibi omnia humana & Divina. Etiam apud nos Latinos, Romano imperio exutos, ac ſub Francorum, Burgundionum, Gothorum, aliorumque Barbarorum jugo captivos, graſſari tunc pridem cœperat idem malum, atque de illo ad Fauſtum & Symmachum, Romanos Senatores, ſcribit Sanctus Avitus Archi-Epiſcopus Viennenſis. *Primùm fuerat talis ſtatus rerum* Epiſt. 5.
deſiderandus, ut ipſi per nos urbem orbi venerabilem pro dependendis humanis Diviniſque expeteremus officiis. Sed quia iſtud jam dudùm per rationem temporum fieri poſſe ceſſavit, vellemus, quod fatendum eſt, vel eò ſecuritatis accedere, ut quæ in cauſa communi ſupplicari oportet, Amplitudo veſtra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognoſceret. Sed quoniam hujus quoque nos voti compotes reddit Provincia præfixis regnorum determinata limitibus, ſupplici prece poſco, ne celeberrimo Ordini veſtro pagina hæc aliquod moveat, quaſi ab uno dictata, faſtidium. Agit de cauſa Symmachi Romani Pontificis, ab æmulis accuſati de variis, & poſtulati ad degradationem, à laudatis Romanorum Senatoribus rogatus judicium totius Eccleſiæ Gallicanæ.

Reſpondet ſanctus Epiſcopus ab everſo in Galliis Romano Imperio graviſſimè læſam eſſe Eccleſiaſticam libertatem, adducitque duo vulnera. Primum eſſe dicit obicem Romanarum ad judicia & Synodos evocationum, de quibus ad Ætium, utriuſque in Gallia militiæ Magiſtrum, Theodoſius ſecundus & Valentinianus tertius Imperatores, de Sancto Hilario Arelatenſium Archi-

Epiſcopo

Digitized by Google

Epiſcopo adversùs Sanctum Leonem Pontificem rebelli, & quibuſcumque per omnem Occidentem Epiſcopis, reſcripſerunt. *Illis omnibus pro lege ſit, quidquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas, ità ut quiſquis Epiſcoporum ad judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur, ſervatis per omnia, quæ Divi parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt*. Memorati Barbari ſubactos populos, eorumque præſertim Epiſcopos & Clericos, volentes à Romanæ Reipublicæ Principe alienatos, etiam à Romani Pontificis acceſſu prohibuerunt, atque ità exindè nullus ſine Regia licentia potuit illius judicium aut Synodum invitatus aut evocatus adire. Imitati ſunt Regem Hieroboam, qui decem Iſraelis tribus à Davidicæ familiæ Regibus avulſurus circumſcripſit etiam à Domini Dei Sacris, Pontifice, templo. Ex hoc fonte nata ſunt omnia hodierna contra Romanas evocationes privilegia. Rectè enim Nicolaus primus Pontifex ſcribit ad Hincmarum Archi-

Epiſt. 47. Epiſcopum Remenſem. *Mala conſuetudo, quæ non minùs, quam perniciosa corruptela, vitanda eſt, niſi citiùs radicitùs evellatur, in privilegiorum jus ab improbis adſumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præſumptiones celerrimè non compreſſæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari*. Ob ejuſmodi Regis ſui violentiam à Romana Symmachi Pontificis Synodo ſe & ſuos Collegas Sanctus Avitus excuſat.

Alterum Eccleſiaſticæ libertatis vulnus eſſe dicit Provincialium Synodorum obicem, & etiam ad illas requiſitam Regiam licentiam. Etenim ejus tempore ſacta Agathenſis Synodus disertè dicit ſe conveniſſe ex permiſſu Domini ſuiglorioſiſſimi, magnificentiſſimi, piiſſimique Alarici Regis Gothorum. Iſtud ipſum profitentur plures Gallicanæ Synodi, quin & de data licentia, ut grandi in Eccleſiam beneficio, gratias & laudes dicunt Regibus: Barbaros ità emollire conantur. Quin immò ſub Ludovico Pio Auguſto adunata ſexta Pariſienſis Synodus graviter de variis Eccleſiaſticæ diſciplinæ nævis, ex Synodorum defectu natis expoſtulat, & addit.

L. 1. c. 26. *Proindè omnibus nobis pernecessarium viſum eſt, ut ab imperiali Celſitudine libertas temporis impleretur*, utique ad Synodos temporibus per ſacros Canones præſcriptis faciendas.

Eadem Eccleſiaſtica Provincia erat quandoque in diverſos Reges diviſa, quorum neuter ſuos Epiſcopos ſine licentia ſua permittebat exire fines regni. Nequidem ad comprovinciales Collegas unà cum Metropolita conſecrandos. Ex hoc fonte Sanctus Avitus nequiit ſuam Synodum adunare, ideòque coactus fuit laudatis Romanorum Senatoribus ſolus reſcribere. Et hinc tertia Aurelianenſis ac aliæ plures Gallicanæ Synodi ſtatuunt, ut nullus Epiſcopus à Provinciæ ſuæ Synodo aut Metropolitani evocatione excuſetur *ob diviſionem ſortis*, id eſt, regni. Præſens Canon Synodis iſtis dari mandat avitam, id eſt, pleniſſimam libertatem. Malè itaque Petrus à Marca,

L. 6. c. 15. Pariſienſium nuper Archi-Epiſcopus, in opere de Sacerdotii ac imperii concordia culpat Synodum Arvernenſem, aliaſque Gallicanas poſteriores, paulatim conatas reſtituere libertatem Eccleſiæ, excutereque Regias uſurpationes & conſuetudines, utpotè, quod Regi ſuo Henrico ſecundo conſtans in faciem dixit Sanctus Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus, *conſuetudines Barbarorum*. A Regibus Francorum non ampliùs barbaris, ſed jam Chriſtianiſſimis, orthodoxis, Romanis, laudatæ Synodi tentarunt molliter Eccleſiæ gloriam efeſtucare, & efeſtucarunt. Fœdiſſimam iſtam, licèt multa & grandi eruditione refertam, concordiam, à Romana Eccleſia damnatam, ab ipſo Petro à Marca ad Tholoſanam Eccleſiam nominato recantatam ſolemniſſimè, Leonis Iſauri adulatoribus, quam Regis Chriſtianiſſimi Epiſcopis magis dignam, ſynopſibus ſuis fœdiorem reddidit Stephanus Baluzius. *Prima omnium Synodus Arvernenſis imminuere cœpit Regiam auctoritatem. Apertior fuit audacia ſequentium Conciliorum*. Et tua, Baluzi, omnium apertiſſima.

Hæc verba, *Non habeat licentiam Metropolitanus ex his, quæ defert Epiſcopus ſecum, ſive jumentum, ſive aliam ſpeciem expetendi*, frænant ac eradicare conantur avaritiam quorumdam Metropolitarum, de quibus in litteris ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales Epiſcopos Sanctus Petrus L. 2. Ep. 1.

Damiani. *Vidi quemdam de fratribus noſtris, qui ſic ſubſultabat atque gliſcebat, dùm præfixum ſynodalis Concilii tempus inſiſteret, ac ſi trituræ ſeu vindemialis proventus articulus immineret. Accingebat* Locus

enim ſe muneribus colligendis, ad quos utique præ- mendoſus.

cidendos non aciem ferri, ſed aciem exacuebat eloquii, qui etiam hujus fraudis habere dicebatur Pſeudo Apoſtolos, qui nimirùm pecuniam hinc indè corraderent, eaſque marſupiis ſuis evomentibus infarcirent. Eſſe dicit certam ac patentem ſimoniam. In litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem lau- L. 2. Epiſt.

dat Sanctum Rudolſum Eugubinum Epiſcopum, 14.

quod congregans annualiter Synodum, nullum adſuetæ oblationis vel Xeniorum Canonem à Clericis exigi permittebat: ABSIT, *inquit*, UT VENDAM SYNODUM. Et Hincmarus Metropolita Re- Epiſt. 46.

menſis mandat omnibus ſuis Epiſcopis: *Synodos Presbyterorum ſecundùm ſacros Canones ſine venalitate habere*. Et in litteris canonicis, Hedenulfo Laudunenſi Epiſcopo in conſecratione datis, Epiſcopos, *qui Synodos temerè frequentabant, ut factione miniſtrorum ſuorum diverſo modo denarios quaſi pro eulogiis acciperent*, damnat de ſimonia. Attamen Metropolitæ ab Epiſcopis, & Epiſcopo à Presbyteris & Clericis debitum ſemper fuit aliquod ſynodaticum, ſeu ſubſidium ad Synodi impenſas. Hinc enim Landericus Pariſienſium Epiſcopus in privilegio, quod Sancti Dionyſii monaſterio dedit, omnes Clericos, ſpectantes ad ejus Altaria ſeu Eccleſias, eximit, *ab omni debito Synodorum*. Et in litteris ad Epiſcopum

Lexovienſem ſcribit Sanctus Fulbertus Carnoten- Epiſt. 58.

ſis Epiſcopus *Synodum Epiſcopo jure ab Eccleſiis ſolvendam*. Id ipſum ait Synodus Tholoſana, habita ſub Papatu Victoris ſecundi.

CANON

CANON VII.

Ait Paulus Divinus Apoſtolus : *Quorumdam peccata manifeſta ſunt, quorumdam autem & ſubſequuntur* . Peccatis ergò prævenientibus & alia peccata his accidunt. Impiam itàque Chriſtianos accuſantium hæreſin & aliæ impietates ſubſecutæ ſunt . Sicut enim venerabilium imaginum vultum abſtulerunt ab Eccleſia, ità & alios quoſdam mores deſeruerunt , quos & oportet renovari , & ſecundùm ſcriptam & non ſcriptam legiſlationem denuò detineri . Quotquot ergò venerabilia templa conſecrata ſunt abſque ſanctis Reliquiis Martyrum , definimus in eis Reliquiarum unà cum ſolita oratione fieri poſitionem : Et ſi à præſenti tempore inventus fuerit Epiſcopus abſque Lipſanis conſecrare templum , deponatur , ut ille qui Eccleſiaſticas traditiones tranſgreditur .

SCHOLION.

Iconoclaſtas fuiſſe inſuper Vigilantianos hæreticos , & ſacras Sanctorum reliquias ab ipſis ſpretas , præſens Canon oſtendit . Rectè eoſdem vocat fratrum, utique de ſacratum imaginum idololatria , accuſatores . Porrò ſacris Altaribus reliquias, ſanctorum Martyrum præſertim, ſolenniter imponere, iſtamque impoſitionem facere ritualem conſecrationis partem, eſt antiquiſſima traditio & pietas Eccleſiarum. Eam in libro contra Vigilantium laudat Sanctus
Cap. 3. Hieronymus. *Malè ergò Romanus Epiſcopus facit, qui ſuper mortuorum hominum , Petri & Pauli, ſecundùm nos oſſa veneranda, ſecundùm te vilem pulviſculum , offert Domino ſacrificia , & tumulos eorum Chriſti arbitratur Altaria?* Quare labi videtur liber Pontificalis in vita Sancti Gregorii Magni: *Hic præcepit , ut ſupra Beati Petri & Pauli corpora Miſſa celebraretur*. Cur ſolum Romanum Epiſcopum laudet Sanctus Hieronymus,
Epiſt. 54. ſcribit Sanctus Ambroſius ad ſororem ſuam Marcellinam . *Cùm ego Baſilicam dedicare vellem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt , dicentes* : SICUT IN ROMANA , SIC BASILICAM DEDICES . *Reſpondi* : FACIAM, SI MARTYRUM RELIQUIAS INVENIAM . Reperit verò Sanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii reliquias, atque ità Romano more dedicavit. Non omnes Eccleſiæ habuere olim martyria, ac Martyrum ab illis reliquias: Et ipſas exhumari , tangi , videri , transferri dudum non fuiſſe permiſſas à Romana & omni
L. 3. Epiſt. 30. 56. Latina Eccleſia, teſtatur Sanctus Gregorius Magnus in litteris ad Conſtantinam Auguſtam. Nec novæ, quam ipſa Conſtantinopoli exſtruebat, Eccleſiæ auſus fuit ullas donare. Regiones, quibus non fuerant Martyres , ſacris Brandeis cogebantur eſſe contentæ. Porrò laudatum à Canone morem induxiſſe in Romanam Eccleſiam videtur Sanctus Martyr, & Pontifex Felix primus, de quo liber Pontificalis: *Hic conſtituit ſupra ſepulchra aut memorias Martyrum Miſſas celebrari* . Martyrum memoria nequaquam, uti quidam putant, eſt eorum, longè antiquior, & ab ipſis introducta Apoſtolis, facta in Miſſa invocatio ſeu commemoratio; ſed eſt ipſorum ſacris reliquiis inſtructa Baſilica ſeu altare.

Romanus mos pedetentim tranſiit ad omnes Eccleſias Latinas: Etenim, in libris de civitate
Dei Sanctus Auguſtinus ait *Sacerdotem ad altare ſupra ſanctum Martyris corpus ſtare*, atque ità Deo L. 8. c. 27.
offerre ſacrificium . Addit iſtas SS. Martyrum memorias falſorum Deorum templis ac delubris Cap. 26.
ſucceſſiſſe. Et in libris adversùs Fauſtum Manichæum. *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur , atque orationibus adjuvetur ; ità tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum ſacrificemus , quamvis in memoriis Martyrum conſtituamus Altaria . Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari aliquando dixit* : OFFERIMUS TIBI PETRE, AUT PAULE , AUT CYPRIANE ? *Sed quod offertur , offertur Deo , qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit , ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem & in illos , quos imitari poſſumus , & in illum , quo adjuvante poſſumus* . Aliam pii L. 20. c. 21.
moris cauſam adducit in ſermone populari de diverſis, agens de loco, in quo martyrium paſſus
fuit Sanctus Cyprianus. *In eodem loco Menſa Deo* Ser. 113.
exſtructa eſt , tamen Menſa dicitur Cypriani , non c. 2.

quia

quia ibi unquam Cyprianus eſt epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus, & quia ipſa immolatione ſua paravit hanc Menſam, non in qua paſcat, aut paſcatur, ſed in qua ſacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur. Martyrium eſt cruentum quoddam ſacrificium, ideòque in martyriorum locis, aut ad Martyrum reliquias rectiſſimè offertur ſacrificium incruentum, à quo omne martyrium ducit exordium. *Et tantò dulciùs in illo loco propter natalem Cypriani ſanguis bibitur Chriſti, quantò devotiùs ibi propter nomen Chriſti ſanguis fuſus eſt Cypriani.* Eſt quidem Menſa Cypriani, attamen nequaquam Cypriano, ſed ſoli Deo erecta: Quia ſoli Deo Baſilicas & Altaria, Martyribus ſolas in iſtis memorias erigimus.

Eamdem pietatem & morem laudat Sanctus Gregorius Magnus, ſanctæ Crucis in civitate Ariminenſi Oratorium conſecrari permittens à
L. 2. Epiſt. 9. Caſtorio Epiſcopo, & addens: *Sanctuaria ſuſcepta*, ità ſacræ reliquiæ frequenter vocantur à ſanctis Patribus, *cum reverentia collocabis*. Quod ipſum de Reatinæ civitatis baptiſterio ſcribit ad
L. 7. indict. 2. Epiſt. 12. Chryſantum Epiſcopum Spoletanum. Et Conſtantius Mediolanenſis Archi-Epiſcopus Sancti Pauli Apoſtoli, & Sanctorum Martyrum Joannis & Pancratii reliquias ab eodem Pontifice impetravit, utique ad conſecrandum altare. Et
Epiſt. 88. Palladius Santonenſis in Gallia Epiſcopus, Eccleſiam cum tredecim altaribus ædificans, qua-
L. 5. Epiſt. 50. 51. L. 1. Dial. c. 10. tuor inconſecrata reliquit, quouſque per Brunichildis Francorum Reginæ preces ab eodem Gregorio reliquias obtineret. Et inter ritus, quos dedicando Sancti Sebaſtiani Oratorio adhibuit Fortunatus Tudertinus Epiſcopus, fuit illatio reliquiarum. Et Arianorum in urbe Eccleſiam reconciliaturus ipſe Sanctus Gregorius Sancti Severini reliquias ſibi tranſmitti juſſit ex Campania: Quod nempè Ariani, uti & noſtri Iconoclaſtæ, ſine reliquiis dedicaſſent.

Eadem pietas etiam apud Græcos eſt antiquiſſima. Etenim de Eccleſia, quam Gallus & Julianus Conſtantini Magni nepotes exſtruebant, ſcribit Hermias Zozomenus: *Sepulchrum Mamæ Martyris amplisſimo templo circumdabant*. L. 5. c. 2. Et de Sancto Zenone, Gazenſi apud Palæſtinos Epiſcopo: *Exſtruxit Eccleſiam, & altare in ea erexit, Martyrumque reliquias ibi repoſuit*. Cap. 8. Et de Sancto Nilamnone monacho, Cap. 19. qui impetrata à Deo morte evaſit Epiſcopatum: *Templum ſupra illius ſepulchrum indigenæ conſtruxerunt*. Epiſt. 144. Et ad Romanos milites ſcribit Theodoretus. *Nos perſæpè ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum templa nuncupamus, atque hoc Dionyſii fortaſſe, illud Juliani vel Coſmæ dicimus, tametſi non ignoramus exiguas plerumque corporum reliquias in his eſſe, animas verò Divinioribus in locis requieſcere*. Quod ipſum repetit in litteris ad Timotheum Epiſcopum. Et in hiſtoria monaſtica ait de Sancto Zebina monacho: Epiſt. 130. c. 24. *Templum loculo ejus maximum inædificarunt*. Et reliquias, quas à Sancto Gregorio Magno poſtulabat, Conſtantina Auguſta imponere parabat Altaribus novæ Baſilicæ Palatinæ. Poſt ejuſdem Pontificis tempora invaluit mos ſacras reliquias effodiendi, ac paſſim tranſportandi, atque ità etiam generalis conſuetudo nullius Eccleſiæ ſine illis conſecrandi. Videtur eſſe ritus Apoſtolicus. Etenim Sanctorum animas ſub altari Dei Sanctus Joannes Apoſtolus in Apocalypſi vidit. Cap. 6.

CANON VIII.

QUoniam errantes hi, qui ex Hebræorum ſuperſtitione conſiſtunt, ſubſannare ſe Chriſtum Deum exiſtimant, ſimulantes Chriſtianizare, ipſum autem negant, clam & latenter ſabbathizantes, & alia Judæorum more facientes: Definimus hos neque in communionem, neque in orationem, neque in Eccleſiam ſuſcipi, ſed manifeſtè ſint ſecundùm religionem ſuam Hebræi: Neque pueros eorum baptizari, neque ſervum emi vel acquiri. Si verò ex ſincero corde ac fide converterit ſe quis eorum, & confeſſus fuerit ex toto corde, divulgans mores eorum & res, ut alii etiam arguantur & corrigantur, hunc ſuſcipi & baptizari, & pueros ejus, quin & obſervari eos, ut recedant ab Hebraicis adinventionibus, definimus, aliàs autem nullatenùs admittendos.

SCHO-

SCHOLION.

HIc etiam Canon impetit præſumptiones Leonis Iſauri, de quo Theophanes. *Leo Imperator coegit Judæos baptizari. At verò baptizati contra propoſitum ſuum diluerunt Baptiſma: Et comedentes ſancto munere participabantur, & contaminabant fidem.* Vocem, *Comedentes*, elucidat Georgius Cedrenus, dicens eos jentare, idque ſtudio & in contemptum, conſuetos, antequam ſumerent ſacroſanctam Euchariſtiam.

Canoni conſonat Sanctus Gregorins Magnus in litteris ad Virgilium Arelatenſem Archi-Epi-
L. 1. Epiſt. 41. ſcopum & Theodorum Epiſcopum Maſſilienſium. *Plurimi Judaicæ religionis viri ad noſtram perduxere notitiam, multos conſiſtentium in illis partibus Judæorum vi magis ad fontem baptiſmatis, quam prædicatione perductos.* Lucrandarum animarum zelum laudat, at modum penitùs improbat. *Dum enim quiſquam ad baptiſmatis fontem non prædicationis ſuavitate, ſed neceſſitate pervenerit, ad priſtinam ſuperſtitionem remeans indè deteriùs moritur, undè renatus eſſe videbatur.* Judæorum ſalutem tanto dilectionis ardore curavit
L. 7. Epiſt. 24. ſanctiſſimus Pontifex, ut Agrigentino, *quibus longum vel triſte videbatur ſolennitatem ſuſtinere Paſchalem*, permiſerit, contra Apoſtolicum Canonem, diſpenſatoriè extra Paſcha poſt quadraginta dierum pœnitentialem catechumenatum baptizari. Apoſtolici in Sicilia patrimonii colonos Judæos ad Chriſtum Dominum alliciens magna conſuetæ penſionis parte levavit, quibuſdam id, ut in fidæ converſionis anſam & fomenta, calu-
L. 6. Ep. 6. mniantibus reſpondens. *Nec hoc inutiliter facimus, quia etſi ipſi minùs fideliter veniunt, hi tamen, qui de eis nati fuerint, jam fideliùs baptizantur. Aut ipſos ergò, aut eorum filios lucramur.* Etiam Richaredum, Gothorum in Hiſpania Regem, qui factus orthodoxus Judæos omnes aut ſuis finibus excedere, aut Chriſtianos fieri edixerat, nulla pecunia ad Edictum vel molliendum induci ſe permittens, laudat, & confirmat. Omnem hac in te probavit induſtriam, excepta ſola violentia cogente ad unum.

Eadem fuit ſententia quartæ Synodi Toletanæ, præcipientis de Judæis, *nemini deinceps ad credendum vim inferri*, quod fidem oporteat eſſe voluntariam. *Sicut enim homo proprii arbitrii vo-* Cap. 56.
luntate Serpenti obediens periit, ſic vocante Dei gratia, propria mentis converſione, quiſque credendo ſalvatur. Damnat & nuperam eorum coactionem factam à Rege Siſebuto, & addit: *Oportet, ut fidem, quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur, & fides, quam ſuſceperunt, vilis & contemptibilis habeatur.* Omnes à fide taliter ſuſcepta Apoſtatas mandat inflictis etiam pœnis *ad cultum Chriſtiani dogmatis* per Epiſcopos *revocari, ut quos voluntas propria non emendat, animadverſio Sacerdotalis coerceat: Eos autem, quos circumciderunt, ſi filii eorum ſint, à parentum conſortio ſeparari; ſi ſervi, pro injuria corporis libertati tradi. Eorum baptizatos filios, aut filias, ne parentum ultra involvantur erroribus*, ab eorum conſortio ſeparari decernit, ac monaſteriis aut piis perſonis traditos in fide Chriſtiana ac probatis moribus firmari.

Et hanc regulam omninò recepit ac ſemper ſervavit Eccleſia Romana. Quocircà præſens Canon, Apoſtatas Judæos mandans Eccleſia ejici, & in prioris ſuperſtitionis aperta profeſſione impunes relinqui, eorumque proles & ſervos baptizari vetans, palàm labitur, eſtque unus ex illis, de quibus in hujus Synodi præfatione ad Joannem octavum Pontificem ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Prioribus Canonibus, vel decretis Sanctorum Sedis Romanæ Pontificum, aut certè bonis moribus inveniuntur adverſi:* Eum igitur Romana Eccleſia numquam admiſit. Quomodò jam baptizati iſtorum Judæorum filii aut ſervi, ità & necdum baptizati parvuli ab eis ſeparandi ſunt & baptizandi, uti ſemper conſueverunt filii Apoſtatarum. Et hinc liquet Baptiſmum Regia aut alia quavis coactione ſuſceptum eſſe omninò validum ac firmum.

CANON IX.

OMnia puerilia ludibria, inſanaſque debacchationes atque conſcripta, quæ falsò contra venerabiles imagines facta ſunt, dari oportet in Epiſcopio Conſtantinopoleos, ut recondantur cum cæterorum Hæreticorum libris. Si verò quis inventus fuerit hæc occultare, ſi quidem Epiſcopus aut Presbyter, vel Diaconus fuerit, deponatur; ſi verò Monachus aut laicus anathematizetur.

SCHOLION.

HÆreticorum librorum uti lectionem, ità detentionem rigidiſſimè ſemper interdixit Eccleſia, conſueta eoſdem ad ignes damnare. Ità factum libris Arii, Theodori Mopſueſteni, Neſtorii, Severi, & plurium aliorum. Præſens Canon imitatur Synodum Conſtantinopolitanam, Marcelli Ancyrani Epiſcopi ac librorum ejus damnatricem, de qua Synodalis Epiſtola conventiculi Philippopolitani: *Ejus aliquos pravissimos ſenſus contra fidem rectam, Eccleſiamque ſanctiſſimam, propter memoriam poſteriorum cautelamque, in archivo Eccleſiæ condiderunt.* Addit de eadem Synodo Hermias Zozomenus: *Scripſit item ad Galatiæ Eccleſias, ut Marcelli librum conquirerent, cremandumque curarent.* Quocircà unicum dumtaxat exemplar fuerit inditum Eccleſiæ archivis. Porrò Conſtantinopoli fuerat bibliotheca nobiliſſima, habens trecenta & tria millia codicum, & duodecim in adjunctis ampliſſimis ædibus Bibliothecarios doctiſſimos, de quibus Conſtantinus Manaſſes: *Tanta in opinione virtutis erant, ut ne ipſi quidem Imperatores novi quidquam & inuſitati vel moliendum vel agendum ſibi putarent, illis ad conſilium non adhibitis.* Et Bibliothecam, & ædes, & Doctores iſtos, quod ſacras imagines defenderent imperterriti, Leo Iſaurus vivos exuri fecerat, & barbaram iſtam jacturam præſens Canon reſtaurat. L. 2. c. 31.

CANON X.

QUoniam quidam Clericorum parvipendentes Canonicam conſtitutionem, relinquunt Parochiam propriam & ad alias Parochias convolant, & maximè in hac à Deo ſervanda Regia urbe ſeſe apud Principes locant in eorum Oratoriis Miſſas facientes: Hos abſque proprio Epiſcopo & Conſtantinopolitano Antiſtite non licet ſuſcipere in qualibet domo vel Eccleſia; quod ſi hoc fecerit, & ità perſeveraverit, deponatur. Quotquot autem cum conſcientia prædictorum hoc fecerint Sacerdotum, non licet eis mundanas & ſæculares curas ſuſcipere, præſertim cum hoc agere prohibeantur à ſacris Canonibus. Quiſquis autem apparuerit eorum, qui dicuntur Majores, curam tenere, aut deſinat, aut deponatur; potiùs autem maneat ad magiſterium tam puerorum quàm famulorum, relegens eis Divinas Scripturas; ad hoc enim etiam Sacerdotium conſecutus eſt.

SCHOLION.

EST innovatio trigeſimi primi, & quinquageſimi noni Canonum Trullanorum, huc uſque non ſervatorum à Græcorum nobilitate, adversùm quos dicit tractatus Conſtantinopolitanus Patrum Prædicatorum. *In domibus ſuis manſiunculas conſtruunt, in quibus Sanctorum imagines collocant, & eis omne obſequium exhibent lampadarum, cereorum, & incenſi; & ſynodales, quas Patres eorum exſtruxerunt, Eccleſias in ſolitudinem ſinunt & paupertatem redigi. Et penè in cubilibus ſuis faciunt Miſſarum ſolennia celebrari.* Has domeſticas Capellanias Canon interdicit præſertim Clericis majoribus, id eſt, in nobiliori aliquo Eccleſiæ miniſterio conſtitutis.

Digitized by Google

CANON XI.

Cum ſimus debitores omnes ſacras Regulas cuſtodire, & eam, quæ dicit, in unaquaque Eccleſia Oeconomos eſſe, modis omnibus inviolabilem conſervare debemus. Et ſi quidem unuſquiſque Metropolitanus in ſua Eccleſia conſtituerit Oeconomum, benè utique habet: Sin autem, ex auctoritate propria Conſtantinopoleos Epiſcopo licentia eſt præponendi Oeconomum in Eccleſia. Similiter & Metropolitanis, ſi Epiſcopi, qui ſub ipſis ſunt, non ſategerint Oeconomos ſtatuere in ſuis Eccleſiis. Id ipſum autem ſervandum eſt in monaſteriis.

Scholion.

Est Canonis Chalcedonenſis vigeſimi ſexti innovatio, & ad monaſteria extenſio, graviter excedens, quod Patriarchatum Conſtantinopolitanum, à Romana Eccleſia huc uſque refutatum conſtantiſſimè, non ſolummodò confirmet, ſed & aliquam in aliarum etiam Patriarchalium Diœceſeon Metropolitas poteſtatem videatur impartiri. Nulla id uſque huc Synodus attentarat.

CANON XII.

Quiſquis Epiſcopus inventus fuerit vel Abbas de ſalariis Epiſcopii ſive monaſterii transferre quicquam in Principum manus, vel etiam alii perſonæ conferre, irritum ſit quod datum eſſe conſtiterit, ſecundùm Canonum ſanctorum Apoſtolorum, qui dicit. *Omnium Eccleſiaſticarum rerum Epiſcopus ſollicitudinem habeat, & diſpenſet eas tamquam Deo contemplante; non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare quæ Dei ſunt. Quod ſi pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur, ſed non ſub eorum occaſione quæ ſunt Eccleſiæ defraudentur.* Quod ſi & excuſationem prætenderint, damnum facere, & nihil ad profectum agrum exiſtere, nec ſic Principibus, qui per loca illa ſunt, tribuatur ager vel locus, ſed Clericis vel agricultoribus. Quod ſi calliditate uſus fuerit, & à colono vel Clerico emerit Princeps agrum, etiam ſic irrita ſit venditio, & reſtituatur Epiſcopio vel monaſterio; & Epiſcopus vel Abbas hoc faciens abjiciatur, Epiſcopus quidem ab Epiſcopio, Abbas autem à Monaſterio, tamquam qui diſperſit malè quæ non collegit.

SCHOLION.

EPiſcoporum & Abbatum crimen, præſenti Canone compreſſum, eſt antiquum in Eccleſia, ſcribitque de illo Symmachus Pontifex
Epiſt. 5. c. 2. ad Sanctum Cæſarium Archi-Epiſcopum Arelatenſem: *Hi, qui non Dei gratia, ſed promiſſione rerum Eccleſiaſticarum præmiſſa ad Sacerdotium conantur accedere, deſideriorum talium refrænetur exceſſus*. Malum cœpit, ex quo Reges Antiſtitum electionibus ſeſe violenter miſcere, eoſque nominare & inveſtire, ſuadente avaritia, attentarunt: Ità ambitioſos Clericos ad Chriſti & pauperum patrimonia ſibi promittenda, & ſub fuco variò donanda ſeduxere, Eccleſiæ libertatem & caſtitatem vertentes in ſimoniacam ſervitutem & fornicationem, omneque avitæ diſciplinæ aurum in multiformem ſcoriam flagitioſæ ac facinoroſæ iniquitatis. Graviſſimè de hac peſtilentia, etiam intra Italiam graſſante, apud Carolum Magnum Epiſt. 7.
queſtus eſt Adrianus primus Pontifex, adeòque & ab hac, quam indixit, direxit, confirmavit, Synodo juſſit compeſci & damnari. Verùm illa poſtmodùm reſurrexit, uti docent querimoniæ L. 1. Epiſt. 10
ac litteræ Sancti Petri Damiani ad Alexandrum, L. 2. Epiſt. 2.
ſecundum Pontificem, & ad Bonifacium Cardinalem Epiſcopum Albanenſem. In aliis ad neſcio quem Epiſcopum litteris ait illam denuò fuiſſe exciſam à Victore ſecundo Pontifice in Synodo, cui & Henricus Imperator adfuit, Florentina.

CANON XIII.

QUoniam propter calamitatem, quæ pro peccatis noſtris Eccleſiis facta eſt, ſubreptæ ſunt à quibuſdam viris quædam venerabiles domus, tam videlicet Epiſcopia quam monaſteria, & facta ſunt communia diverſoria: Si quidem voluerint ii, qui hæc retinent, reddere ea, ut ſecundùm antiquitatem inſtaurentur, benè & optimè; alioquin ſi de ſacrato Catalogo fuerint, hos deponi præcipimus; Si verò Monachi vel Laici, excommunicari; quos nimirùm conſtat condemnatos eſſe à Patre & Filio & Spiritu Sancto. Et deputentur ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, quia voci Domini adverſantur quæ dicit: *Non faciatis domum Patris mei domum negotiationis*.

SCHOLION.

FIdiſſima fidei orthodoxæ fulcra ſemper fuere monachi, ideòque & Paganorum & Hæreticorum odiis dirè vexati. Eos Alexandriæ fuiſſe ab Arianis relegatos, virgis cæſos, pedibus conculcatos, gladiis impetitos ſcribunt in litteris ad Antiochenam Euſebianæ factionis Synodum Sanctus Julius Pontifex, Synodus Alexandrina in Epiſtola ad omnes orthodoxos ſub cœlo Epi-
L. 2. c. 4. ſcopos, Synodus Sardicenſis, Theodoretus,
L. 4. c. 9 Socrates, Zozomenus. Valens Auguſtus Aria-
L. contra nus, Julianum Apoſtatam imitatus, ad mili-
Vig. c. 3 tiam coegit. Eos item à Vigilantianis, Neſto-
L. 3. c. 4. rianis, ac Eutychianiſtis graviſſima paſſos re-
Relat. 2. ſtantur Sanctus Hieronymus, Leontius Schola-
poſt Epiſt. 22. ſticus Byzantinus, & Archi-Mandritæ ſecundæ Syriæ in litteris ad Hormiſdam Pontificem, agentes de Severo Pſeudo-Patriarcha Antiocheno, & Petro Pſeudo Metropolita Apameenſi. Queruntur trecentos quinquaginta viros è ſuis occiſos, multos vulneratos, ſua monaſteria everſa atque incenſa. Eorumdem Pſeudo-Epiſcoporum per emiſſarios barbariem, inductaſque in deſtructa ac deſolata monaſteria meretrices deſcribunt Archi-Mandritæ Conſtantinopolitani in libello Romanis Legatis exhibito, & monachi Apameenſes in libello ad ſecundæ Syriæ Epiſco- Act. 45.
pos, lectis in Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Patriarcha.

Barbarus hoſce turbines imitari cœpit Leo Iſaurus, ac præſertim ejus ſucceſſor ac filius Conſtantinus Copronymus, de quo Theophanes. *Mo-* A. 767.
naſteria, quæ in gloriam Dei, & in ſalvandorum refugium facta ſunt, domos fore communes fautori-

bus

bus ſuis militibus ſanciebat, effectis jam illis Prætoriis caſtris: Denique Dalmatii monaſterium, quod erat inter optima Byzantii cœnobia, militibus in habitaculum tribuit. Ea verò, quæ dicuntur Calliſtrati, & Dii monaſteria, nec non alias ſacras monachorum ac Virginum domos à fundamentis deſtruxit.
A. 771. Et iterùm. *Lachanadraco Thracenſium Prætor venundabat omnia monaſteria virorum ac mulierum, & omnia vaſa ſacrata, & libros, & pecora, quæ patrimoniorum eorum erant, & horum pretia Principi detulit. Quotquot monachicos & paternos libros, in quibus vitæ erant ſanctorum Patrum, reperit, igne combuſſit. Et multos monachorum interfecit verberibus, quoſdam etiam gladiis trucidavit. Innumerabiles oculorum uſibus privavit, quorumdam barbas oleo & cera perungens ſuccendebat igne, & ità tam facies eorum, quam capita cremabat. Poſt alios cruciatus etiam exilii deſtinabat. Poſtremò in tota Provincia ſibi ſubjecta non reliquit hominem unum monaſtico ſchemate amictum. Quod cùm didiciſſet Imperator, ſcripſit ei gratias, dicens:* INVENI HOMINEM SECUNDUM COR MEUM. Neque Nero, neque Domitianus, neque Diocletianus ità in Chriſtianos, uti deſævijt in monachos hic Conſtantinus. Etiam in Regia civitate Conſtantinopolitana, nobiliſſimorum monaſteriorum longè opulentiſſima, nec unum remanſiſſe monachum legimus in Actis Sancti Stephani Martyris & monachi Auxentiani.

Addit Iconoclaſtici conventiculi reſutatio lecta & probata à ſexta Actione Synodi præſentis. *Undè vel qualiter incipiam ſingularum rerum referre turbationes, timores, perſecutiones, cuſtodias monachorum per civitates, flagella, vincula eorum per multos annos, catenas circumdatorum pedum, venerabilium monaſteriorum pollutas translationes in ſæcularia receptacula, ità ut inhabitantes in eis reverendi viri poſt rapinam bonorum ſuorum ad barbaricas regiones pergerent, & more Apoſtolico meliorem ducerent vitam inter gentes degere, quam cum contribulibus converſationem obſcænam ducere.* Et neque iſtic fuere ſecuri. Etenim fictas ex Sancti Joannis Damaſceni nomine litteras ad Saracenorum Principem miſit Leo Iſaurus, atque ità optimum virum induxit in miſerandas calamitates. Etiam in monachos, eorumque poſeſſionem & habitum leges peſſimas tulit Conſtantinus, neminem deinceps mandans admitti ad ſtatum iſtum, omneſque jam admiſſos vocari immemorandos, id eſt, neſandos, in humano genere nec nominari dignos, ac ſacrum habitum Σκοτίων ἐνδυμα, id eſt, *veſtem tenebrarum.* Priorem Sanctus Theodorus Studita in encomio Sancti Platonis monachi, legem poſteriorem memorat laudata vita Sancti Stephani Auxentiani.

Eadem impietate Baſilicas, etiam cathedrales, ac Epiſcoporum orthodoxorum palatia tractavit profanus Conſtantinus. Conſtantinopolitanam Sanctæ Pelagiæ Baſilicam nobilem fuiſſe ab illo funditùs deſtructam, capite damnatorum ſepulturæ deputatam, vocatamque *Pelagii ſepulchretum*, teſtatur Georgius Cedrenus. Laudata Sancti Stephani vita ait verſam in Ethnicorum reorum foveam, ac fuiſſe Sancti Pelagii: Et hinc Cardinalis Baronius exiſtimat Baſilicas diverſas. Etiam Metropolitanam Chalcedonenſium Baſilicam, idem impius *fecit commune armamentarium, & ſterquilinium fore decrevit*, ac Sanctæ Euphemiæ Martyris glorioſiſſimæ, patronæ tutelaris, unà cum ipſo loculo in mare projecit: Sancti Angeli in Lemnum inſulam deportarunt.

Ejus filius ac ſucceſſor Leo quartus in imperii exordio meliora aut ſapuit, aut viſus eſt ſapuiſſe. *Placuit*, inquit Theophanes, *tam Optimatibus, quàm populo, & viſus eſt brevi tempore pius eſſe, ſanctæque Dei genitricis & Monachorum Amicus: Undè & monachos Metropolitanos Epiſcopos creans in ſummis ſedibus collocavit.* Ejus vidua Irene & filius Conſtantinus Chalcedonenſem Baſilicam repurgarunt, Sanctamque Euſemiam reſtituerunt ſuo loco & honori. Addit tamen Conventiculi Iconoclaſtici laudata reſutatio. *Quod eſt horum omnium atrociſſimum, etiam uſque in præſens hæc impietas profanationis venerabilium monaſteriorum apud quoſdam prævaricatoriè permanet; Et pro ſacris hymnis & voce exultationis, quæ in tabernaculis juſtorum ſunt, cantica meretricia & ſathanicæ modulationes, & pro creberrimis genuflexionibus ſaltatoriæ inflexiones.* Hinc ergò præſens Canon omnia monaſteria & Baſilicas rigidiſſimè mandat reparari, poſſeſſiones reddi, ac in primævum ſtatum integerrimè reformari. Lutherani & Calviniſtæ dignentur intueri ſuos Patriarchas.

CANON XIV.

Quia ordo debet in Sacratione cuſtodiri, omnibus liquet, & cum diligentia conſervare Sacerdotii promotiones, Deo eſt prorſus acceptum. Et quoniam videmus ſine manus impoſitione à parvula ætate tonſuram Cleri quoſdam accipientes, nondum ab Epiſcopo manus impoſitione percepta ſuper ambonem irregulariter in Collecta

legentes:

legentes : Præcipimus amodò id minimè fieri . Idipſum quoque conſervandum eſt etiam inter monachos. Lectoris autem manus impoſitionem licentia eſt unicuique Abbati in proprio monaſterio ſolummodò faciendi , ſi dumtaxat Abbati manus impoſitio facta noſcatur ab Epiſcopo ſecundùm morem præficiendorum Abbatum , dum conſtet illum eſſe Presbyterum . Simili modo ſecundùm antiquam conſuetudinem Chorepiſcopos præceptione Epiſcopi oportet promovere Lectores.

SCHOLION.

Eccleſiſtica non tantùm monachi , ſed & Clerici tonſura & corona ſunt omninò antiquiſſimæ. A legis Moſaicæ Naſaræis mutuò acceptas, ac per Apoſtolos unà cum aliis quibuſdam ritibus in Eccleſiam introductas volunt San-
L. 1. c. 4. ctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in opere de
L. 1. c. 3. officiis Eccleſiaſticis , Rabanus Maurus Epiſco-
Cap. 193. pus Moguntinus , Alcuinus Flaccus , Gemma animæ , Hugo de ſancto Victore in opere de Sacramentis , eorumque ſequaces multi . Etiam Sanctum Petrum Apoſtolum fuiſſe attonſum & tonſura coronatum teſtatur antiquus Ordo Romanus, orans ſuper tonſurando Clerico : *Oremus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro hoc famulo ſuo , qui ad deponendam comam capitis ſui pro ejus amore & exemplo beati Petri Apoſtoli feſtinat.*

Apoſtolicæ coronæ rationem adſignat apud Anglicanam venerabilis Bedæ Hiſtoriam Ceolfri-
L. 5. c. 22. dus Abbas in litteris ad Naitanum Regem Pictorum . *Non ob id in coronam attondemur, quia Petrus ità attonſus eſt , ſed quia in memoriam Dominicæ paſſionis ità attonſus . Idcircò & nos , qui per eamdem paſſionem ſalvari deſideramus , ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice , ſumma corporis parte , geſtamus.* Noſtra eſt ſpineæ coronæ memo-
L. 4. c. 39. rativa figura. Eamdem rationem probant Raba-
Epiſt. 2. nus Maurus , Amalarius Fortunatus Treverenſis , ac Stephanus Epiſcopus Tornacenſis.

Cap. 8. Eodem tendit ratio in libro de gloria Martyrum adducta à Sancto Gregorio Epiſcopo Turonenſi. *Petrus Apoſtolus ad humilitatem docendam caput deſuper tonderi inſtituit .* Lucidiùs exponit Gemma animæ. *Petrus Apoſtolus à gentibus captus , & ad ludibria Chriſtianorum traditus , barba raſus fuit & capite decalvatus . Quod ipſe deinceps in memoriam fieri juſſit , quod incredulos , quamvis inſcios , tamen Deo permittente , in figuram operatos intellexit .* In figuram Dominicæ ſpineæ coronæ. Eamdem hiſtoriam laudant jam dictus Rabanus , & in rerum Eccleſiaſticarum contemplatione Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus .

Iſtius Apoſtolicæ injuriæ radicem edicit Sanctus Cyprianus, Nemeſianum alioſque in metallis Martyres conſolans de calamitate varia , qua-
Epiſt. 77. rum una erat *caput ſemitonſum , deteſtabilis & tetra deformitas apud gentiles* . Erat enim & apud Græcos & apud Latinos nota & character ſervitutis . Hinc de Cajo Caligula Auguſto ſcribit Svetonius : *Pulchros & comatos , quoties ſibi occurrerent , occipitio raſo deturpabat .* Eadem de cauſa Cap. 35.
& Apollonium Tyanæum , & Sanctum Joannem Apoſtolum fuiſſe à Domitiano Auguſto raſos referunt Philoſtratus, & liber Prochoro Diacono adſcriptus. Et apud Ariſtophanem eſt vulgaris paræmia : *Servus cùm ſis , comam geris* . Et Jovem in Miſantropho ridet Lucianus : *Egregius gigantum exterminator ſedebas , cùm tibi cæſaries ab illis circumtonderetur* . Quempiam enim circumtondere erat riſui dare atque ludibrio. Quocirca uti Dominica crux , ità & Sancti Petri Apoſtoli tonſura gentilem ignominiam mutavit in gloriam Chriſtianam . Apud Laurentium Surium
Sancti Gangerici Cameracenſis Epiſcopi vita co- Aug. 11.
ronam noſtram vocat *Regiam ac Sacerdotalem* .
Neſcio quis antiquus ſcriptor à Gratiano addu- 12. q. 1.
ctus eam geſtari ait *ex inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum regni , quod exſpectatur* . Et hinc ad Proculianum Donatiſtarum Hippone Epiſcopum
ſcribit Sanctus Auguſtinus . *Honorant nos veſtri ,* Epiſt. 47.
honorant vos noſtri : Per coronam noſtram adjurant nos veſtri , per coronam veſtram adjurant vos noſtri. Et ſynodalibus ad Sanctum Leonem Papam litteris plures Epiſcopi ſeſe ſubſcribunt : *Ego coronam veſtram venerans ſaluto* .

Neque verò ſolam coronam ſeu caput ſemitonſum , ſed & circumtonſam cæſariem , adeòque duplicem apud gentiles ignominiam, continet noſtra tonſura . Etenim de Aniceto Pontifice habet liber Pontificalis : *Conſtituit , ut Clericus comam non nutriat , ſecundùm præceptum Apoſtolicum* . Et quarta Synodus Carthaginenſis : *Cleri-*
cus comam non nutriat , nec barbam radat . Ejuſ- Cap. 44.
modi Canones habemus multos . Cauſam dat in Sancti Ezechielis Prophetæ commentariis , hæc de Sacerdotibus Moſaicis verba , *Caput ſuum non*
radent , neque comam nutrient , ſed attondebunt ca- Cap. 44.
pita ſua , exponens Sanctus Hieronymus . *Perſpicuè demonſtratur, nec raſis capitibus , ſicut Sacerdotes cultoreſque Iſidis atque Serapis , nos eſſe debere , nec rursùs comam demittere , quod propriè luxurioſorum eſt , barbarorumque , & militantium , ſed ut honeſtus habitus Sacerdotum facie demonſtretur . Diſcimus nec calvitium novacula eſſe faciendum , nec ità ad preſſum tondendum caput , ut raſorum ſimiles eſſe videamur , ſed in tantum capillos demittendos , ut opertum ſit caput* . Eccleſia ergò ità imitari voluit Sanctum Petrum , ut tamen à Gentilium Sacerdotibus eſſemus diſcreti , habentes coronam , non raſam , ſed tonſam . Et hinc Donatiſtis , Epiſcopos , Presbyteros , ac Diaconos

conos noſtros publicæ contra Apoſtolicum pœnitentiæ, adeòque & raſo capiti ſubdentibus, frequenter improperat Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus: *Ubi didiciſtis radere capita Sacerdotum?* Scandaloſa, de gentiliſmo ſuſpecta, piorum oculorum offenſiva erat raſura: Ideòque illam poſtmodum, Gentiliſmo exſtincto, Ecclesia recepit.

Demiſſam viri comam rectè dicit Sanctus Hieronymus eſſe propriam barbaris, militibus, luxurioſis. Etenim in libro de velandis virginibus Cap. 10. L. 1. Tertullianus inter varia barbarorum inſignia adducit *Cirros Germanorum*. Eos Francorum, utpotè Germanorum, Regibus nunquam potuiſſe detonderi Agathias in operis ſui exordio teſtatur. Eorum item militibus nun poterant: Hinc enim de Godefrido, Lotharingiæ Duce, qui Henrico tertio Auguſto perduellis civitatem ac Eccle- A. 1046. ſiam Virdunenſem exuſſerat, ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis: *Facti eum in tantùm pœnituit, ut publicè ſe verberari faceret, & capillos ſuos, ne tonderentur, magna pecunia redimeret, ſumptus ad reædificandam Eccleſiam daret, & in opere cæmentario per ſeipſum plerumque, vilis mancipii miniſterio functus, deſerviret*. Nempè tonſura reddebat Regni, Ducatus, militiæ irreparabiliter incapacem. Ità & Regem ſuum Hilderieum eidem Franci, volentes regno detruſum, tradidere Epiſcopis tondendum, & Pippinum intruſerunt. Eadem forma viguit, fuitque frequentiſſima apud poſteriores Græcorum Auguſtos. Etiam apud antiquos Romanos: Nam Julianum cognatum non alio fine Conſtantius Imperator in Eccleſiæ Nienmedienſis Lectorem tonderi juſſit, quam ut imperandi ſpe faceret perpetuò extorrem. Longa eſt hæc tonſuræ materia: Lucidè demonſtrat Reges fideles ſemper potuiſſe deponi per Eccleſiam, & conſtitui regno incapaces.

Permiſſam comam etiam de luxuria norant Patres & antiqui & juniores. Adduco unum Guilielmum Malmesberienſem, in Regum Anglorum annalibus agentem de Guilielmo ſecundo, qui omnem Cleri & populi diſciplinam in L.4.f.113. regno ſuo impiiſſimè peſſumdedit. *Tunc fluxus crinium, tunc luxus veſtium, tunc uſus calceorum cum arcuatis aculeis inventus. Mollitie corporis certare cum fæminis, greſſum frangere, geſtu ſoluto & latere nudo incedere adoleſcentium ſpecimen erat. Enerves, emolliti, quod nati fuerant, inviti manebant: Expugnatores alienæ pudicitiæ, prodigi ſuæ.* Et in hiſtoria novella agens de Henrico primo Rege, impii iſtius fratre & ſucceſſore. *Quoddam accidit in Anglia, quod mirum videatur crinitis noſtris, qui obliti quid nati ſunt, in muliebris ſexus habitum capillorum longitudine ſeipſos* L.1.f.176. *transformant. Quidam provincialium militum, magno crinium luxu ſuperbiens, conſcientiaque ſtimulante perterritus, viſus eſt ſibi videre in ſomnis, quaſi aliquis eum capillorum ſuorum criniculis ſuffocaret. Quare ſomno excuſſus, quidquid ſuperfluebat comarum, citò abſcidit. Cucurrit exemplum per Angliam, & (ſicut recens pœna mentem movere ſolet) omnes penè milites ad juſtum modum crines ſuos reſcindi æquanimiter tulerunt. Sed non diu ſtetit hæc ſanctitas. Vix enim anno elapſo, cuncti, qui ſibi curiales eſſe videbantur, in prius vitium reciderunt: Longitudine capillorum cum fæminis certabant, & ubi crines deficiunt, involucra quædam innodabant, obliti vel potiùs ignari ſententiæ Apoſtolicæ;* VIR SI COMAM NUTRIERIT, IGNOMINIA EST ILLI. A ſæculo, *Dei æmulo*, inventum eſſe morem iſtum ſcribit in adducto libro Tertul- Cap. 7. lianus. Adversùs illum ſtatuit in Synodo ſua Londinenſi Sanctus Anſelmus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis: *Ut criniti ſic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non tegantur*. Utinam & noſtrorum temporum, eiſdem fœditatibus laborantium, Epiſcopis Divina miſeratio infundat Spiritum Sancti Anſelmi.

Suos itàque Clericos barbaris, militibus, luxurioſis in coma adſimilari Eccleſia nolens, juſſit eſſe attonſos. Comæ affectatores meritò non Clericos, ſed ſponſos Sanctus Hieronymus appellat. Et hinc ad titulum de Ordinatione lectoris habet Euchologion Græcorum. *Caput à Pon-* Epiſt. 22. c.22. *tifice ter ſignatur, & tondetur in formam crucis ab eodem: Deindè ab aliquo juxta figuram Clericorum perfectè tondetur*. Pontifice adſtante & vidente. Etiam apud Latinos ſic olim factum: Et perfecta tonſura ſtatim ab Epiſcopo per ſolennes orationes benedicta. Eodem adſtante & ſolenniter benedicente factam fuiſſe primam Clerici barbam oſtendunt antiqui libri Epiſcoporum rituales, ac hodiernum Pontificale. Adſtans Epiſcopus primam comæ & barbæ tonſuram fieri curabat expertem omnis vanitatis.

Et quidem nos Latini Clericalem tonſuram hodie ab omni Ordine minori diſtinguimus, ejuſque ſolius impartitione Clero adgregamus, facimuſque Clericum gaudentem privilegio Canonis & fori. Græci eam à lectoratu, quem ſolum habent minorem Ordinem, non ſeparant, uno rituum contextu utrumque ſimul conferunt: Tonſura eſt illis pars Lectoratus. Deindè Latini, uti ex quarta patet Synodo Carthaginenſi, ſacri ſemper codicis traditione, Græci ſemper ſola manuum impoſitione dederunt Lectoratum, uti docent præſens Canon & libri eorum Rituales, antiqui & novi.

Et hinc oritur quæſtio, An Clerici tonſura apud nos Latinos ſemper fuerit conſecratio ritu & effectu ab omni minori Ordine diſtincta? Quidam negant. Etenim de Cajo Pontifice habet liber Pontificalis. *Conſtituit, ut omnes Ordines ſic in Eccleſia adſcenderent: Si quis Epiſcopus fieri mereretur, ut eſſet Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolythus, ſequens Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, exindè Epiſcopus ordinaretur*. Non tonſuram, ſed Oſtiariatum dicit eſſe primam initiationem. Et hinc in litteris ad Himerium Tarraco- Epiſt. 1. c. 9. nenſium Metropolitam Siricius Pontifex promovendum Epiſcopum ait ab infantia ante pubertatis annos debere eſſe baptizatum, & Lectorum miniſterio ſociatum. Quod ipſum Zozymus Pontifex ſcribit ad Heſychium Salonæ Epiſcopum, Dalmatiæ Metropolitam. Etiam Synodus Epiſt. 1. c. 3. Bracarenſis mandat, ut ex laico nemo fiat Epiſcopus, ſed primùm Lector, totumque annum in iſto miniſterio probetur. Et ſecunda Toletana Synodus, agens de infantibus Deo & Eccle-

ſiæ

Cap. 1. ſiæ per parentes ad Clericatum, oblatis: *Statuimus obſervandum, ut mox cùm detonſi, vel miniſterio Lectoram contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ debeant erudiri.* Tooſuram & Lectoratum confundit.

Reſpondeo tamen morem noſtrum eſſe longè antiquiſſimum. Tonſuram enim ab omni minori Ordine palàm diſtinguit antiquus Ordo Romanus, Sancti Gregorii, immò Sancti Gelaſii Pontificis opus, à Gregorio dumtaxat auctum & politum. Concordant antiquiſſima Latinarum Eccleſiarum Ritualia. Et nullus oppoſitorum nobis Canonum dicere queat Lectoratum fuiſſe primum Ordinem: Etenim & laudatum Sancti Caii Papæ decretum, & quarta Synodus Carthaginenſis, conſtanterque antiqui Canones Oſtiariatui dant primum locum. Iſti igitur Canones promovendum Epiſcopum volunt ſpecialiter fuiſſe Lectorem per tempus aliquod, quod iſtic incipiat docendi officium, proprium Epiſcoporum. Notanda ſunt verba Zozymi Pontificis: *Si ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, inter lectores uſque ad vigeſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret, ſi major jam & grandævus acceperit, ità ut poſt Baptiſmum ſtatim ſe Divinæ militiæ deſideret mancipari, ſive inter Lectores, ſive inter Exorciſtas quinquennio teneatur.* Lucidè diſtinguunt inter Lectorem ſeu Exorciſtam fieri, & Eccleſiaſticis miniſteriis ſeu Divinæ militiæ mancipari: Et hocce poſterius innuunt eſſe tempore prius, utpotè fieri conſuetum per ſolam ſine omni Ordine tonſuram.

Quod item Græci tonſuram olim à Lectoratu diſtinxerint, teſtatur apertiſſimè præſens Canon. L. 123. c. 13. Etiam Juſtiniani Auguſti lex novella mandans neminem ordinari Lectorem, niſi qui decem & octo annos habuerit: Nequaquam vetat pueros, quod ſemper fecere Græci, in Clericos tonderi. Confirmat antiquum Græcorum Rituale, exſtans Romæ apud Clericos Theatinos Sancti Andreæ Valleoſis, habens hunc titulum cum ſuis orationibus: *Ordo & officium ad tondendam comam.* Et in præſentis Canonis commentario Theodorus Balſamon, dicens pueros olim conſuetos nigris veſtibus indui, tonſuram accipere, & ſine manus impoſitione Deo conſecrari. Et Ammianus Marcellinus, homo gentilis, Juliano Apoſtatæ coævus, rerum noſtrarum non ignarus, refert Alexandriæ Presbyterum Chriſtianum, nomine Theodorum, morte affectum à Paganis, quod L. 22. c. 18. *Cirros puerorum licentiùs detonderet.* Græcorum enim Presbyteri primam tonſuram paſſim contulerunt. Idem tradit trigeſimus tertius Canon Trullanus, Armeniis mandans *neminem populo è ſuggeſtu Divinas Scripturas recitare, niſi qui Sacerdotali tonſura uſus fuerit, & benedictionem à ſuo Paſtore canonicè ſuſceperit.* Non χειροτονίαν, ſeu impoſitionem manuum, ſed εὐλογίαν, id eſt, ſimplicem benedictionem. Et ex iſtius Canonis auctoritate cœperunt ſimplices Clerici, non accepto Lectoratus Ordine, ſolenniter in Eccleſiis legere, atque Hierarchia noſtra avita lædi & turbari. Nec tantùm Clerici ex Clericalis, ſed & ex monachalis tonſuræ vigore monachi legebant ex ambone. Et omnem hunc abuſum præſens Canon reformat; monachos tamen à ſuis Abbatibus, dummodò Presbyteris & Abbatiali benedictione inſignitis, accipere manus impoſitionem, & ordinari Lectores permittit. Non tantùm in ſuburbiis, ſed & intra civitates Græcorum ſemper fuere monaſteria; plura tamen erant in remotis agris & nemoribus: Hinc ad evitandos monachorum excurſus exiſtimat Theodorus Balſamon poteſtatem iſtam Abbatibus indultam. Quidquid ſit, eam recepit & confirmavit, at poſtmodùm, etiam Latina Eccleſia, monachos à ſuis Abbatibus permittens omnibus minoribus Ordinibus inſigniri: Nempe dum illis dedit Pontificalia ornamenta. A quibuſdam permiſit conferri & Subdiaconatum.

Addit Canon de Abbate: *Dum conſtet eſſe Presbyterum.* Abbates enim & apud Græcos & apud nos Latinos poterant olim eſſe laici. Eugenius ſecundus & Leo quartus Pontifices primùm in Romanis ſuis Synodis, per D. Lucam Holſtenium publicatis, ediderunt hunc Canonem: *Abbates Sacerdotalem honorem ſint adepti, ut peccantium ſibi ſubjectorum reatum valeant omnimodis refrænare, & amputare commiſſa.* Attamen Canon ubique non fuit ſtatim uſu receptus. Oſtendi poſſit multis exemplis & teſtimoniis. Nam & Goffredus Vindocinenſis, Urbano ſecundo Pontifici coævus & amicus, frequenter teſtatur ſe Diaconum à Sancto Ivone Carnotenſi Epiſcopo fuiſſe benedictum in Abbatem, Presbyterum autem conſecratum Romæ dudum pòſt à laudato Urbano ſecundo, dum factus fuit Cardinalis in titulo Presbyterali Sanctæ Priſcæ. Eodem porrò tempore Canon invaluit. Etenim Joannes & Benedictus Cardinales, Legati Paſchalis ſecundi, ſtatuerunt in Synodo Pictavienſi: *Ut Abbates, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant, aut Prælationem amittant.* Quod ipſum etiam de Priore ſtatuit Synodus Londinenſis, habita ſub Pontificatu Honorii ſecundi. Et hinc Sugerium Diaconum, Monaſterii Sancto-Dionyſiani electum, Calixtus ſecundus primùm in Presbyterum, deindè in Abbatem benedixit. Diaconus enim, quomodò in Epiſcopum, ita eligi poteſt in Abbatem.

Lectoris ordinandi poteſtatem Canon impartit etiam Chorepiſcopis, idque ſecundùm antiquam conſuetudinem, de qua Synodus Antiochena: *Chorepiſcopi ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, & Exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant; nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare præter civitatis Epiſcopum, cui ipſi cum poſſeſſione ſubjecti ſunt.* Cap. 10. Lectores igitur, Subdiaconos, Exorciſtas ſuo olim arbitrio, Diaconos & Presbyteros non niſi de licentia ordinare poterant: At verò præſens Canon nullam ipſis ſine licentia ordinationem permittit, adeòque limitat Antiochenum. Plures tamen etiam olim Epiſcopi neceſſariam voluere ſuam licentiam: Eamque eſſe vetuſtam Eccleſiarum conſuetudinem teſtatur in Epiſtola ad Chorepiſcopos Sanctus Baſilius. Longa eſt & varia de Chorepiſcopis quæſtio, ſuo loco elucidanda. Abbates præſens Canon ad Epiſcopi licentiam non reſtringit.

Quia

Quæſtio eſt, An monachalis & Clericalis tonſura apud Græcos, uti ſunt apud Latinos, fuerint ſemper diverſæ? Reſpondeo fuiſſe. Eccleſiaſtica Hierarchia, Sancto Dionyſio Areopagitæ paſſim adſcripta, eas palàm diſtinguit. Habet enim hunc titulum: *Myſterium monaſticæ conſecrationis*. Et infrà ſtatuit. *Sacerdos ſigno crucis monachum conſignatum tondet, omnique veſte detracta, eum alia induit*. Apud Græcos fuit triplex ſacræ tonſuræ genus, Clericalis, Monachalis, & Baptiſmalis, ſtatim poſt Baptiſma fieri conſuetæ, cujus ritum, ex antiquis Ritualibus libris deſumptum, Euchologio ſuo inſeruit Jacobus Goartius, magnum lumen Ordinis Prædicatorum. Ejus titulus eſt: *Oratio ad tondendum puellum*. Oratio habet: *Benedic hunc præſentem puellum*. Et iterùm; *Benedic huic præſenti famulo tuo unà cum Suſceptore ejus*. Porrò Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis quærit, Propter quid tonſura fiat in baptizatis? Et reſpondet: *Poſt chriſmationem tondet Sacerdos in crucis figuram capillos capitis ejus*. Producit rationes, & addit. *Inſuper capilli Chriſto offeruntur velut primitiæ, & ſacrificium humani corporis in baptizato. Sunt enim velut totius corporis exhalatio. Ideò Pontifex eos acceptos, non ut ſors tulit, negligenter projicit, ſed in loco ſacro reponit*. Quibuſdam in locis eos Suſceptori tradit, Imagini Crucifixi adpendendos. Ità ille ſuſceptum à ſe puellum Chriſto Domino offerebat, commendabat, conſecrabat.

Et hìnc intelliges Anaſtaſium Bibliothecarium, in octavæ Synodi præfatione dicentem de Rege Bulgarorum. *In tantùm pietas crevit Principis, & abundabat circa Beatum Petrum venerationis affectu, ut quadam die propria manu capillos ſuos apprehenderit, & contemplantibus cunctis, Romanis Miſſis tradiderit, dicens: Omnes Primates & cuncti populi Bulgarorum terræ cognoſcant ab hodierna die me ſervum fore poſt Deum Beati Petri & ejus Vicarii*, Pontificis Romani. Etiam liber Pontificalis dicit de Benedicto ſecundo Pontifice. *Hic ſuſcepit mallones capillorum Domini Juſtiniani ſecundi, & Heraclii, filiorum Clementiſſimi Principis* Conſtantini Pogonati, *ſimul & juſſionem, per quam ſignificat eoſdem capillos direxiſſe*. Et A. 755.
Regino Abbas Prumienſis. *Carolus Magnus Pippinum filium ſuum ad Luitprandum* Longobardorum *Regem direxit, ut ejus juxta morem capillum incideret, qui ejus cæſariem incidens ei pater effectus eſt, multiſque eum ditavit regiis muneribus, & genitori remiſit*. Ea igitur detonſio aut donatio capillorum erat ritus ſeipſum devovendi ac donandi in obſequium, profitendæque ſervitutis.

CANON XV.

CLericus ab inſtanti tempore non connumeretur in duabus Eccleſiis. Negotiationis enim eſt hoc & turpis commodi proprium, ab Eccleſiaſtica conſuetudine penitùs alienum. Audivimus enim ex ipſa Dominica voce: *Quia nemo poteſt duobus Dominis ſervire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet*. Uuuſquiſque ergò ſecundùm Apoſtolicam vocem in quo vocatus eſt, in hoc debet manere, & in una locari Eccleſia. Quæ enim per turpe lucrum in Eccleſiaſticis rebus efficiuntur, aliena conſiſtunt à Deo. Ad vitæ verò hujus neceſſitatem ſtudia ſunt diverſa: Ex his verò qui voluerit, acquirat corporis opportuna. Ait enim Apoſtolus: *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ*. Et hæc quidem in hac à Deo conſervanda urbe; cæterum in villis, quæ foris ſunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

SCHOLION.

BEneficiorum pluralitas, à decimo etiam Chalcedonenſi Canone damnata, eſt omninò avaritia, ſacrilega negotiatio, turpe lucrum, clericali ſanctitati penitùs adverſum. Eam in regia civitate nec ob unius beneficii inſufficientiam permittit Canon, hanc ſuppleri mandans ex præſcripto Canonis Africani: *Clericus victum & veſtimentum ſibi artificiolo vel agricultura, abſque officii ſui detrimento, quærat.* Can. 4. c. 53. Ità enim & Apoſtolus vixit. Sola Clericorum inopia excuſat iſtam pluralitatem.

CANON XVI.

OMnis jactantia & ornatura corporalis aliena eſt à ſacrato Ordine. Eos ergò Epiſcopos vel Clericos, qui ſe fulgidis & claris veſtibus ornant, emendari oportet, quod ſi in hoc permanſerint, epitimio tradantur. Similiter eos, qui unguentis inunguntur. Quoniam verò radice amaritudinis exorta, contaminatio facta eſt in Catholica Eccleſia Chriſtianos calumniantium hæreſis, etiam hi, qui hanc receperunt, non ſolùm imaginarias picturas abominati ſunt, ſed & omnem reverentiam repulerunt, eos qui religioſè ac piè vivunt offendentes, ac per hoc completur in eis quod ſcriptum eſt: *Abominatio eſt peccatori Dei cultus.* Igitur ſi inventi fuerint deridentes eos, qui vilibus & religioſis veſtibus amicti ſunt, per epitimium corrigantur. Priſcis enim temporibus omnis ſacratus vir cum mediocri ac vili veſte converſabatur. Omne quippè quod non propter neceſſitatem ſuam, ſed propter venuſtatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodùm magnus ait Baſilius. Sed neque ex ſericis texturis quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in ſummitatibus veſtimentorum. Audierant enim ex deiſona lingua: *Quia qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.*

SCHOLION.

CAnonis cauſam adducit Sancti Stephani Auxentiani vita, dicens de Conſtantino Copronymo, qui veſtem monaſticam, utpotè pauperem & humilem, vocari juſſerat veſtem tenebrarum, & ipſos monachos, tenebricoſos, idololatras, immemorandos. *Stolidam multitudinem in concionem advocat, ac veneranda crucis ligna unà cum Dominici corporis & ſanguinis myſteriis, atque omni labe puris Evangeliis palàm proponit, atque ità per ea univerſos jurejurando adſtringit nunquam ſe Divinas imagines adoraturos, nec communionem à Monacho accepturos, nec ſalutantibus quidquam humanitatis viciſſim exhibituros. Verùm ſi quiſquam eorum Monachum aliquem uſpiam obviam habuiſſet, tenebricoſum eum, immemorandum, & idolorum cultorem appellaturos, ac demùm lapidibus ipſum appetituros.* Apoſtatarum monachorum veſtes publico, uti hodie & Calviniſtæ faciunt, populi ludibrio expoſuit. Adversùm has impias ac immemorandas leges ſtatuit Canon Monachos, utpotè homines religioſos ac ſanctos, deinceps à nemine offendi, eorumque ſacrum habitum non derideri. Et jure merito. Eam namque veſtem Angelicam, quod nempe vitæ Angelicæ homines contegat, vocant apud Joannem Bolandum vita Sancti Gregorii Acritenſis, & in prato ſpirituali Sanctus Sophronius

Pa-

Patriarcha Hieroſolymitanus. Monaſticæ cucullæ myſteria largè ex Bonifacio quatto Pontifice exponit Sanctus Petrus Damiaui. Monachos aut humilem ipſorum babitum irridere eſt pagina perfidia, damnata à Sancto Hieronymo in Ep. 10. 23. litteris ad illuſtres matronas Furiam ac Marcellam, & à Sancto Salviano Epiſcopo Maſſilienſi. Eſſe hic adfirmat unum ex illis delictis, ob quæ Divinus furor Africam tradidit in barbaras atque Arianas manus Wandalorum.

Canon præſens dat & aliam cauſam, ex qua oporteat habitum monaſticum revereri. Quod nempe *priſcis temporibus omnis ſacratus vir*, & Epiſcopus & Clericus, cum monaſtica aut ſanè *mediocri ac vili veſte converſabatur*. Etenim Valenti Auguſto Ariano, in Eccleſiæ Cæſareenſis bona Regiam manum mittere minitanti, apud Hermiam Zozomenum reſpondit Sanctus Baſilius L.6.c.15. Magnus: *Opes non habeo, niſi veſtem laceram & paucos libros*. Et de Sancto Jacobo Niſibeno, quod authenticam monachi veſtem, vilem è ca- Cap. 1. prarum pilis tunicam retinuerit, teſtatur in hiſtoria monaſtica Theodoretus. Et de Sancto Martino Turonenſi Epiſcopo ſcribit Sulpitius Cap. 7. Severus: *Eadem*, quæ monacho fuerat, *in veſtitu ejus vilitas erat*. Et de Sancto Fulgentio Cap. 18. Ruſpenſi Epiſcopo Auctor incognitus, at probatiſſimus: *Numquam pretioſa veſtimenta quæſivit, ſed unica tantùm viliſſima tunica, ſive per æſtatem, ſive per hyemem fuit patienter indutus*. Et de Joanne quarto Epiſcopo Conſtantinopolitano Sanctus L.4. Epiſt. 20. Gregorius Magnus: *Corpus deſpectis veſtibus tegit*. Et ipſum Sanctum Gregorium, Romanum Pon- L.4. c.80. tificem fuiſſe mediocri habitu uſum Joannes Diaconus oſtendit. Ob ejuſmodi exempla plurima vilis monachorum habitus eſt meritò venerandus.

Nec illum ſolum Conſtantinus Auguſtus, ſed & ſuum avitum habitum deſpexerant Iconoclaſtæ Epiſcopi & Clerici, ejus modeſtiam demutantes in ſulgidas, claras, ſericis texturis variatas veſtes, apponenteſque variorum colorum ornamenta in ſummitatibus. Et ipſorum vanitatem & Canonis noſtri mentem eleganter apud Laurentium Surium exponit Ignatius Archi-Epiſcopus Nicænus in vita Sancti Tharaſii, qui præſentem Canonem condidit, publicavit, executioni mandavit, Patriarchæ Conſtantinopolita- Cap. 4. ni. *Multis ex eis, qui erant relati in numerum Clericorum, qui ſuos lumbos zonis cingebant aureis, & ornati erant variis & pretioſis veſtibus ſericeis, aurum quidem ademit, fecit autem ſuccingere lumbos cingulis contextis ex pilis caprarum. Eis verò, qui toti corpori ex eiſdem filis purpureis veſtes habebant contextas, excogitat tunicas remotas à curioſitate nimia & deliciis, ut quæ eſſent veſtitus honeſtus, & convenirent eis, qui Deo ſervire ſtatuerunt & profitentur humilitatem. Ex quo quid evenit? Ut tolleretur quidem quidquid damni ex eo naſcebatur; honoraretur autem frugalitas, ut theſaurus quiſpiam pretioſiſſimus*. Ità, inquam, Sanctus Tharaſius præſentem Canonem eſt executus. De unguentis hic interdictis alius erit dicendi locus: Erant unguenta odorifera, quæ pudicitiæ venena ac peſtes Sanctus Hieronymus appellat. Eadem inſectatur gentilium parœmia: *Non benè olet, qui benè ſemper olet*.

CANON XVII.

QUia quidam Monachorum deſerentes Monaſteria ſua, præeſſe anhelantes, & obedire renuentes, inchoant conſtruere oratorias domos, ea quæ ad perfectionem neceſſaria ſunt non habentes: Quiſquis igitur hoc viſus fuerit agere, prohibeatur à loci Epiſcopo. At verò ſi ſumptus ſufficientes ad perfectionem habuerit, quæ ab ipſo deſiderantur, ad terminum perducantur. Idipſum autem ſervandum eſt etiam ſuper laicis & Clericis.

SCHOLION.

ANtiquum de ædificandis Eccleſiis Canonem ſcribit ad Felicem Meſſinenſem in Sicilia Epiſcopum Sanctus Gregorius Magnus, agens de Eccleſia per Januarium Subdiaconum ibidem exſtructa. *Omnia diligenter inquire, & ſi eorum,* L.12. Epiſt. 10. *quæ offeruntur, reddituum quantitas, vel quæ tempore mortis reliquerit, ſartis tectis, & luminaribus, nec non alimoniis ſervientium annua poſſint præſtatione ſufficere, ipſa munificentia ſit geſtis municipalibus allegata. Quod ſi hæc, quæ diximus, per ſollicitudinem tuam impleta non fuerint, de pro-*

pria ſubſtantia, quanti interfuerit, utilitati Eccleſiæ te vel hæredes tuos ſatisfacturum eſſe non dubites. Quomodò Clericum ſine titulo, ità Eccleſiam ſine dote conſecrans Epiſcopus obligabatur ad plenam illius ſuſtentationem, obligationemque tranſmittebat ad hæredes. Et dos non tantùm certa eſſe debuit, ſed & referri in Acta civitatum. Ejuſmodi Canones habemus multos. eoſque noſter præſens etiam ad monaſteria extendit, frænatum volens ambitum quorumdam monachorum. Quod ipſum in novella ad Mennam L.67. c.1. Patriarcham Conſtantinopolitanum lege, licèt obſcurè, ſtatuiſſe videtur Juſtinianus Auguſtus.

CANON XVIII.

Sine offenſione eſtote his etiam qui foris ſunt, Divinus dicit Apoſtolus: Fæminas autem commorari in Epiſcopiis vel etiam Monaſteriis, omnis eſt offenſionis materia. Quiſquis ergò ancillam, vel liberam in Epiſcopio poſſidere claruerit, vel in Monaſterio ad opus Monaſterii alicujus, increpetur; ſi autem permanſerit, deponatur. Porrò ſi contigerit in proaſtiis fæminas eſſe, & voluerit Epiſcopus vel Abbas iter ad eas facere, præſente Epiſcopo vel Abbate nullatenùs monaſterii opus facere eo tempore mulieri liceat: Sed ſeorſim moretur in alio loco, donec Epiſcopus vel Abbas recedat, propter irreprehenſibilitatem.

SCHOLION.

QUomodò hodie Lutherani & Calviniſtæ, ità Iconoclaſtæ monachos omnes, & Epiſcopos & Clericos orthodoxos traducebant de incontinentia, alios ex ſemetipſis metientes. Liquet ex laudata vita Sancti Stephani Auxentiani: Hinc omnem leviſſimæ etiam ſuſpicionis anſam præſens Canon meritò demolitur ex regula Apoſtolica: *Ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*. Ad tit.c.1.

CANON XIX.

IN tantum inolevit avaritiæ facinus in Rectores Eccleſiarum, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur religioſi viri atque mulieres, obliviſcentes mandatorum Domini, per aurum introitus accedentium tam ad ſacratum Ordinem quàm ad Monaſticum efficiant. Undè fit, ut quorum initium improbabile eſt, omnia ſint projicienda, ut magnus ait Baſilius; *Neque enim Deo per mammona ſervire licet*. Si quis ergò inventus fuerit hoc faciens, ſi quidem Epiſcopus vel Abbas extiterit, vel quilibet de ſacrato Collegio, aut deſinat aut deponatur,

ponatur,

ponatur , juxta ſecundam regulam Chalcedonenſis Concilii . Abbatiſſa verò ejiciatur de monaſterio , & tradatur in alio monaſterio ad ſubjectionem . Similiter & Abbas , qui non habuerit manus impoſitionem Presbyteri . Porrò quæ filiis à parentibus dantur more dotis , vel ſi quæ ex propriis rebus acquiſita offeruntur , profitentibus his , qui ea offerunt Deo dicanda , definimus , ſive perſeveraverint , ſive exierint , manere illa in monaſterio ſecundùm repromiſſionem ipſorum, niſi fuerit culpa Prælati.

SCHOLION.

OMne in monaſtico ingreſſu aut profeſſione exactum pretium & hic & alii plurimi Canones damnant de ſimonia. *Audivimus* , inquit
Cap. 16. Synodus Francoſordienſis , *quod quidam Abbates cupiditate ducti præmia pro introeuntibus in monaſterium requirant . Ideò placuit nobis & ſanctæ Synodo , ut pro ſuſcipiendis in ſancto Ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur, ſed ſecundùm Regulam Sancti Benedicti ſuſcipiantur* . Et Caroli Magni ad monachos Capitulare : *Nullus Abbas pro ſuſceptione monachi præmium quærat* . Et Alexandri tertii Pontificis Synodus Lateranenſis . *Monachi ſub pretio non recipiantur in monaſterio . Si quis exactus aliquid dederit , ad ſacros Ordines non accedat ; is autem , qui eum receperit , officii privatione mulctetur* . Et ejuſdem Synodus Turonenſis : *Ab eis , qui ad Religionem tranſire voluerint , nulla pecunia*
Cap. 19. *exigatur* . Et apud Gregorium nonum ſub titulo de Simonia Presbyterum quemdam ſub triginta ſolidorum pacto factum monachum , ipſumque item Abbatem pro tanta pravitate mandat idem Pontifex graviter puniri . Et in Synodo Londinenſi Richardus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus , Sancti Thomæ Martyris proximus ſucceſſor : *Nullus Prælatus in recipiendo Monacho , Canonico , vel Sanctimoniali præmium ſumere vel exigere aliqua pacti occaſione præſumat ; ſi quis hoc fecerit , ana-*
Cap. 25. *thema ſit* . Ejuſmodi ingreſſu in laudato Gregorii noni titulo Clemens tertius damnat de ſimonia. Confirmat in litteris ad Stephanum Cantuarienſem Archi-Epiſcopum Innocentius tertius , om-
Cap. 30. nes taliter receptos , licèt longè plurimos , puniri mandans , & addens : *Illud tamen grataniter recipi poterit , quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum* . Et in Synodo ſua Lateranenſi . *Quoniam ſimoniaca labes adeò pleraſque Moniales infecit , ut vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores , paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare* . Rigidiſſimè punit , ac deinceps vetat ut veram lepram Simonis . Etiam in litteris apud Franci-
L.4. Epiſt. 90. ſcum Boſquetum exſtantibus , ſcriptis ad Hieroſolymæ Patriarcham , graviſſimè expoſtulat de vitii iſtius graſſatione , ac pergit . *Ipſam quoque domum militiæ templi , ad quam oculi reſpiciunt plurimorum , quoſdam intelleximus ſimoniacè introiſſe , ſimplicitate tamen potiùs , quàm malitia : Simplicitate occaſionem præſtante delicto* . Simplicitate , quæ *ſub prætexta ſubventionis* , ſeu adjuvandæ ſacræ militiæ , *ad extorſionem procedebat* . Eam omninò damnat de ſimonia , imitatus Sanctum Gregorium Magnum , ſcribentem ad Siagrium Auguſtodunenſem , & quoſdam alios Epiſcopos Gallicanos . *Suadet forſitan Diabolus debere ab habentibus accipi , ut ſit quod poſſit non habentibus erogari , dummodò vel ſic venena mortifera eleemoſynæ celata obumbratione transfundat . Nam nec venator feram , nec avem auceps deciperet , vel piſcem piſcator caperet , ſi aut illi laqueum in aperto proponerent , aut ille hamum eſca abſconditum non haberet . Undè etiam illud certum eſt , quia etſi monaſteria aut Xenodochia , aut quid aliud de pecunia , quæ pro ſacris Ordinibus datur , conſtituantur , mercedi non proficit* . Multis oſtendit per ejuſmodi pietaria prætextus fucari & pejorem reddi , nequaquam purgari ſimoniam . Qui eam ob publicas Reipublicæ neceſſitates purgari , adeòque nominatos Prælatos poſſe Regiis exactionibus gravari docent , miſerè hallucinantur . L.7. indict. 1. Ep. 111.

Neque pecuniarum ſolummodò , ſed & paſtus ſeu convivii , licet de conſuetudine , exactionem Alexander tertius damnat de ſimonia . Neſcio quod monaſterium , duodecim ſolidos eo titulo exigens , coegit ad reſtitutionem . Confirmat Urbanus quartus in Extravagante communi ad titulum ſub ſimonia . *Multorum fide dignorum* Cap. 1.
relatione didicimus , quod in nonnullis Eccleſiis & monaſteriis , tam virorum quàm mulierum , deteſtabilis ſervatur abuſio , quod cùm perſonæ recipiuntur ab eis ad obſervantiam regularem , ipſæ temeritate præſumptuoſa paſtus ſeu prandia Capitulis & Conventibus ex ſtatuto ſeu conſuetudine , quæ corruptela potiùs eſt dicenda , tribuere compellantur . Rigidiſſimè ea vetat , permittens tamen recipi ſponte & gratuitò oblata . Oxonienſis ſub Honorii tertii Pontificatu habita Synodus paupertatis titulo exigi permittit ſolam primam monachandi veſtem . Noſter Canon etiam dotem ſponte à parentibus , aut quævis alia ab ipſis ingredientibus donata admittit , monaſterio , licèt illi citra Prælati culpam ante profeſſionem regrediantur ad ſæculum , volens permanere . Et hanc clauſulam correxit ſacroſancta Synodus Tridentina . *Ante profeſſionem , excepto victu & veſtitu Novitii vel Novitiæ , quocumque prætextu à parentibus vel propinquis , aut Curatoribus monaſterio nihil ex bonis ejuſdem tribuatur : Ne hac occaſione diſcedere nequeat* . Quævis facta donatio nonniſi ſecuta profeſſione firmatur.

Epiſcopum aut Abbatem Presbyterum , lepra iſthac

iſthac maculatum, deponi ex regula Chalcedo-
nenſi, Abbatiſſam verò atque Abbatem non
Presbyterum mandat Canon de ſuo ejici
monaſterio, ac in alind ad perpetuam ſubjectio-
nem & pœnitentiam tranſportari. Eamdem pœ-
nam in laudatis ad Patriarcham Hieroſolymita-
L.4. Ep. 4. num litteris Innocentius tertius, & apud Grego-
Epiſt. 9. rium nonum Clemens tertius, & in litteris ad
Januarium Calaritanum Epiſcopum, item in lit-
teris ad Victorem Epiſcopum Panormitanum
Sanctus Gregorius Magnus infligit aut laudat.
Adeò antiqua eſt iſta monachorum pœna.

Verùm hodierna multorum in Belgio mona-
ſteriorum praxis recipiendi monachi dotem non
ſolummodò ſpontè oblatam accipit, ſed & exi-
git, ac de illa ſtipulatur. An igitur ſimonia la-
boramus? Reſpondeo non laborare. Etenim
Catellum, Mauritii Auguſti Palatinum, ad
Virigantini monachi, qui dumtaxàt Lectioni va-
care poterat, & non manibus laborare, expen-
ſas exigenti monaſterio de maternis illius bonis
L.7. Ep.1. ſolvendas coegit Sanctus Gregorius Magnus.
Joannes Romæ ad Sanctum Andream in clivo
Scauri monachus obierat: Hinc de ejus hæredi-
tate eſt orta contentio inter ejus fratrem Mauren-
tium, militiæ magiſtrum, & Candidum Abba-
tem, agentem utilitates ſui monaſterii. Eam
tranſactione tandem finierunt, ipſamque proba-
Epiſt. 13. vit laudati monaſterii fundator idem Gregorius.
Quomodò poſt mortem, ità ante Joannis profeſ-
ſionem omninò tranſigere ac ſtipulari potuiſſent.
Cauſam ſcribit idem Pontifex ad Januarium Me-
Indict. 2. tropolitam Calaritanum. *Quia ingredientibus mo-*
Epiſt. 7. *naſterium, convertendi gratia, ulteriùs nulla ſit te-*
ſtandi licentia, ſed res eorum ejuſdem monaſterii ju-
ris fiant, aperta legis definitione decretum eſt. Eſt
lex Juſtiniani Auguſti exſtans in Codice. *Ut non*
L. 2. tit. 3. *liceat parentibus impedire, quo minùs liberi eorum*
C. 55. *volentes monachi fiant, aut eam ob ſolam cauſam*
exhæredare; ſed ſi ipſi teſtamentum condant, neceſ-
ſe habento quadrantem illis relinquere: Sin autem
hoc fecerint, locus ſit ab inteſtato. Quod ſi illi mona-
ſteria relinquant, atque mundani fiant, omne ipſo-
rum jus ad monaſterium pertineat. Quod ipſum
L. 76. c. 4. confirmat in lege novella ad Joannem Orienta-
L. 5. c. 4. lium Prætorium Præfectum, & in alia ad Epi-
phanium Patriarcham Conſtantinopolitanum,
excipiens ſolum caſum filiorum legitimorum,
quibus à patre monacho relinqui vult quartam
patrimonii partem. Religioſa itàque profeſſio
non ſolummodò monachi perſonam ac bona præ-
ſentia, ſed etiam omnem futuræ hæreditatiæ ſuc-
ceſſionis ſpem transfundit in monaſterium pleno
ac immobili jure, iſtaſque leges, uti à Sancto
Gregorio audivimus, recepit ac ſemper ſervavit
Eccleſia Romana.

Potiò apud nos Belgas viget jam pridem Ni-
cephori Phocæ Imperatoris Conſtantinopolitani
lex, de qua Georgius Cedrenus. *Nicephorus do-*
nationes monaſteriis atque templis relictas à piis qui-
buſdam Imperatoribus prorsùs abolevit, lege etiam
lata, ne Eccleſiæ immobilibus locupletarentur bonis,
cauſatus Epiſcopos malè prodigere ea, quæ pauperi-
bus darentur, militibus interim deficientibus. No-
ſtrates vocant legem amortizationis, de qua tace-
re ſit ſatius, ne, quod & Sanctus Ivo Carnoten-
ſis Epiſcopus timuit, aut Domini Regis offenda-
mus Majeſtatem, aut matris Eccleſiæ libertatem.
Quidquid ſit, monaſteria, quæ piiſſimus Domi-
nus Rex ſuis juribus exuere nunquam voluerit,
in monachorum ſuorum hæreditatem non poſſunt
ſuccedere, ideóque ante illorum profeſſionem de
ipſa cum parentibus aut aliis conſanguineis ſtipu-
lantur, accipiantque quid præſentis & modici pro
grandi futuro. Non itàque de monaſtici ingreſ-
ſus aut profeſſionis, ſed de ſpectantis ad nos hæ-
reditatis pretio paciſcimur, ubi nulla vel ſpecies
eſt Simoniæ. Opulenta & fratrum ſuorum ſuffi-
cientem ſuſtentationem habentia monaſteria ad
ſummum de avaritia notari poſſunt.

Opponi queat Innocentii quarti Pontificis Epi- Epiſt. 4.
ſtola ad ſacrum Ordinem Ciſtertienſem. *Indulge-*
mus, ut poſſeſſiones, & alia bona mobilia ac immo-
bilia, exceptis feudalibus, quæ perſonas fratrum,
ad monaſteria veſtra è ſæculo fugientium, & profeſ-
ſionem facientium in eiſdem, ſi remanſiſſent in
ſæculo, ratione ſucceſſionis, vel quocumque alio juſto
titulo contigiſſent, petere ac retinere valeatis, con-
traria conſuetudine non obſtante. Indulto aut privi-
legio jus commune non habet opus, atque ità ex
iſto Innocentii indulto liquet adductas Juſtinia-
ni leges à Romana Eccleſia nunquam fuiſſe ad-
miſſas.

Reſpondeo earum admiſſionem patere ex San-
cto Gregorio Magno, ideòque de ipſa non ambi-
gendum. Attamen ſacer Ciſtertienſis Ordo ob
duas cauſas opus habuit laudato privilegio. Pri-
mam ſuprà audivimus à Synodo Francofordienſi,
mandante monachos ſuſcipi ſine quavis exactione
ſecundùm Regulam Sancti Benedicti. Etenim Ca-
rolus Magnus in Gallia, Germania, ac Longo-
bardia proſcripſit quaſvis monachorum Regulas,
omniaque ſuæ monarchiæ monaſteria coegit ad
Regulam Sancti Benedicti. Principi huic obſtri-
ctiſſimus eſt magnus Ordo ille. At verò iſta Re- Cap. 59.
gula à monachando nihil penitùs vult exigi, re-
cipique permittit ſola ſponte & gratis oblata.
Et huc non ſola Synodus Francofordienſis aut
Caroli Magni Capitulare, ſed etiam Alexandri
tertii aliaque cuncta adducta Romanorum Ponti-
ficum decreta reſpiciunt: Nam uſque ad Innocen-
tii tertii tempora Eccleſia Latina in ſuis monachis
vix aliam agnovit Regulam, quam Sancti Bene- Epiſt. 2.
dicti. Sacer porrò Ordo Ciſtertienſis ex Reſor-
mationis ſuæ fundamentalibus legibus eam ſerva-
re debet ad litteram, nulloſque habere fundos,
niſi quos ſuſtentationi ſuæ neceſſarios colat pro-
priis manibus ſuorum Converſorum. *Ciſtertien-*
ſium Ordinem, inquit in Epiſtola ad Robertum
Pontiniacenſis monaſterii Priorem Stephanus
Epiſcopus Tornacenſis, *quaſi lucernam ſupra mon-*
tem poſitam, quis in Eccleſia Dei maximum & præ-
cipuum culmen non dicat attingere? Evangelium
impleates, monaſticam Regulam, quam ſupererога-
vit Benedictus Pater, fidelis Samaritani ſtabula-
rius, ſic obſervant, ut nec unum ex eo jota præteri-
re videantur. Beata paupertas eorum, quæ licèt eos
fame premat & frigore, non tamen aut mendicare
compellit, aut divitibus adulari. Suis ac ſuorum
manibus victum exquirunt & veſtitum. Nec buccel-
lam

Digitized by Google

lam ſuam comedunt ſoli : Comedit cum eis pupillus ex ea . Tanta in cibo parſimonia , ut duobus tantùm pulmentis utantur , quæ aut ager ex leguminibus , aut ex oleribus hortus adfert . Quovis hodie mendicanti Ordine fuere pauperiores ac frugaliores , & in pauperes ac hoſpites quovis opulento monaſterio liberaliores . Verùm ſanctiſſimæ vitæ cœpit paulatim gens multiplicari ſine numero , atque ità non magnificari lætitia , ſcribitque ad Guilielmum Metropolitam ſuum Remenſem laudatus Epiſcopus Tornacenſis : *Credo , quia Ciſtertienſes* Epiſt. 74. *de numero ſunt eorum , qui violenti diripiunt cœlum , ſed utrùm violenter eis terram rapere liceat , necdum legi .* Nempe avita paupertate non contenti fundos , Eccleſias , decimas admittere , atque ità murmurationibus exponi cœperunt , perdereque affectum populi & Cleri . Et hinc tandem majoribus proventibus omninò habuerunt opus : Hinc eis lege Juſtiniani , contra Sancti Benedicti regulam & eorum conſuetudinem , uti conceſſit Innocentius quartus .

Alteram neceſſarii indulti cauſam habemus apud Gregorium nonum ſub titulo de privilegiis in decreto Honorii tertii Pontificis . *Licet ſancta Eccleſia legum ſæcularium non reſpuat famulatum , quæ æquitatis & juſtitiæ veſtigia imitantur , quia tamen in Francia & nonnullis Provinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur , & occurrunt rarò cauſæ Eccleſiaſticæ tales , quæ non poſſint ſtatutis canonicis expediri , firmiter interdicimus , ne Pariſiis vel in civitatibus ſeu aliis locis vicinis quiſquam docere vel audire jus civile præſumat .* Principaliores Ciſtertienſium familiæ fuere in Gallia , adeòque iſthic in ſuis neceſſitatibus ad Romanas Juſtiniani leges Innocentii quarti temporibus non poterant proclamare : Hinc earum affectum à ſpecialis Sedis Apoſtolicæ privilegio debuere nanciſci .

CANON XX.

EX hoc definimus minimè duplex fieri monaſterium ; quia ſcandalum id & offendiculum multis efficitur . Si verò aliqui cum cognatis abrenunciare & monaſticam vitam ſectari voluerint , debent quidem viri virorum adire cœnobium , fœminæ verò mulierum ingredi monaſterium : In hoc enim placatur Deus . Quæ autem hactenùs ſunt dupla , teneant ſecundùm regulam Sancti Patris noſtri Baſilii , & ſecundùm præceptionem ejus ità formentur . Non habitent in uno monaſterio monachi & monachæ : Adulterium enim intercipit cohabitationem . Non habeat aditum monachus ad monacham , vel monacha ad monachum ſecretò ad collocutionem . Non cubet monachus in muliebri monaſterio , neque ſingulariter cum monacha convivetur . Et quando neceſſaria vitæ à virorum parte ad Regulares deferuntur , extra portam hæc ſuſcipiat Abbatiſſa monaſterii fœminarum cum quadam vetula monacha . Porrò ſi contigerit , ut aliquam propinquam ſuam videre voluerit monachus , in præſentia Abbatiſſæ huic confabuletur per modica & compendioſa verba , & in brevi ab ea diſcedat .

SCHOLION.

DUplicia , præſertim fratrum aut cognatorum , monaſteria olim frequentia fuerunt . Talia fuiſſe prima per Apoſtolos fundata , quæ ex Philone Judæo adducit in hiſtoria Eccleſiaſtica & laudat Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus , exiſtimat Hermias Zozomenus . Certè Sanctus L. 1. c. 12. Paulinus cum uxore Tharaſia , cum fratre & pia matre Monica Sanctus Auguſtinus , Sancta Macrina Sancti Baſilii Magni ſoror cum matre & fratre Petro duxerunt ejuſmodi monachiſmum . Verùm privatæ potiùs illæ domus , quam cœnobia

bia fuerunt. Duplicium itàque cœnobiorum ori-
ginem Sancto Baſilio quidam malè adſcribunt:
Nam & quædam Pachomiana fuiſſe talia, Nilo
tamen flumine diviſa, habemus ex Lauſiaca hi-
Cap. 99. ſtoria Palladii Epiſcopi Helenopolitani. Semper
durè oluerùnt. Etenim Senecam, Pelagianæ fa-
ctionis Presbyterum, ea introducere molientem,
in litteris ad Piceni Epiſcopos graviſſimè, ut de
Epiſt. 7. re ſcandaloſiſſima, arguit Sanctus Pontifex Ge-
laſius primus, & addit: *Diſcreta ſuis habitationi-
bus virorum atque fœminarum, ſicut ſanctum pro-
poſitum docet, exerceatur circumſpecta devotio.*
Eademque omnia, altero tranſlato, ſeparari
juſſit in lege Codicis ad Mennam Patriarcham
Conſtantinopolitanum Juſtinianus Auguſtus:
L. 1. tit. 3. c. 44. *Quod juſtam ſuſpicionem introducant monachis aſſi-
duè cum monialibus, aut cùm voluerint congredien-
di.* Et ad Didacum Compoſtellæ Archi-Epiſco-
Epiſt. 19. pum ſcribit Pontifex Paſchalis ſecundus. *Illud
omninò incongruum eſt, quod per regionem veſtram
monachos cum ſanctimonialibus habitare didicimus:
Ad quod reſecandum Experientia veſtra immineat,
ut qui in præſentiarum ſimul ſunt, diviſis longè ha-
bitaculis ſeparentur, neque in poſterum conſuetudo
hujuſmodi præſumatur.* Sanctus Ordo Præmon-
ſtratenſis etiam duplicia in ſui exordio habuit
monaſteria: Eorum extinctionem latiùs refert
Jacobus de Vitriaco, addens exindè Ciſtertien- L. 2. c. 32.
ſium monialium cœnobia per Brabantiam ac
Diœceſim Leodienſem tempore modico admo-
dùm multiplicata. Eadem extinguit præſens
Canon: Quod ſuſpecta ſint, periculoſa, ſcan-
daloſa, & quod Iconoclaſtæ, uti patet ex vita
Sancti Stephani Auxentiani, peſſimis illa ca-
lumniis onerarent. Excipit tamen duplicia San-
cti Baſilii monaſteria: Quod de ipſorum ſtru-
ctura ac diſciplina, deſcripta utcumque à San-
cto Gregorio Nyſſeno Epiſcopo in vita ſororis
ſuæ Sanctæ Macrinæ, dici poſſet: *Ab auditione
mala non timebit.* Et hìnc duplicia Sanctæ Birgit-
tæ monaſteria, à quibuſdam impugnata & ac-
cuſata, ad Erici Svecorum Regis & Epiſcopo- Epiſt. 114. 115.
rum ejus preces probavit & confirmavit Synodus A. 1414.
Baſileenſis. Eorum originalem diſciplinam de-
ſcribit & laudat Thomas Walſinghamenſis.

CANON XXI.

NOn oportere monachum vel monacham monaſterium proprium relinquere, & ad alia proficiſci. Quod ſi contigerit hoc, recipi hunc hoſpitio neceſſe eſt; aſſumi autem ſine voluntate Abbatis ejus non convenit.

SCHOLION.

QUomodò Clerici ad certam Eccleſiam ordinati, ità olim omnes paſſim monachi ad certum monaſterium fuere profeſſi, & profeſſione, quaſi ſpirituali matrimonio, adfixi. Non niſi ex graviſſimis cauſis poterant transferri. Jam oſtendi translationem fuiſſe duriſſimum pœnæ genus. Plurimis Abbatum & monaſteriorum ob receptos mutuos monachos litibus prima & media ſæcula ſcatuerunt. Nihilominùs mendicantes Ordines translationem ad ſuperioris nutum profitentur: Ità exigit adſumptum ab illis Apoſtolicum munus, Eccleſiæ Dei longè utiliſſimum, ſuo loco elucidandum.

CANON

CANON XXII.

Deo quidem totum committere, & non propriis voluntatibus deſervire, magna res eſt. *Sive enim manducatis ſive bibitis*, Divinus Apoſtolus dicit, *Omnia in gloriam Dei facite*. Chriſtus ergò Deus noſter in Evangeliis ſuis initia peccatorum recidere præcepit. Non enim mœchia ab eo tantùm inhibetur, ſed & motio cogitationis ad mœchiæ commiſſum damnatur, dicente eo: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Hinc ergò edocti cogitationes debemus mundare. Nam etſi omnia licent, ſed non omnia expediunt, ut ex Apoſtolica voce docemur. Neceſſarium ergò eſt omnī homini manducare ut vivat, & quidem inter eos, quibus vita eſt nuptiarum, & natorum atque laicalis affectus, manducare viros & mulieres, nulli detractioni patet; tantùm ut ei, qui dat eſcam, gratias agant, & non ab eis per quaſdam thymelicas voluptates ſathanæ imago cantantibus cytharifque atque meretriciis contortionibus coli videatur. Quibus ſuperveniet Prophetica maledictio, quæ ità dicit: *Væ qui cum cithara & pſalterio vinum bibunt, opera autem Domini non intuentur, & opera manuum ejus non intelligunt*. Et ſi uſquam fuerint inter Chriſtianos hujuſmodi, corrigantur. Sin autem, obtineant ſuper eis quæ ſunt ante nos regulariter edita. Quibus autem vita eſt ſolitaria & unius moris, ut eis videlicet, qui Domini jugum ſe ſingulare tollere ſpondent, ſedere, & tacere convenit. Sed & his, qui ſacratam elegere vitam, nullo modo licet ſecretò cum mulieribus convivari; niſi fortè cum quibuſdam Deum timentibus & reverendis viris vel etiam mulieribus, quatenùs & ipſa convivatio ad directionem ſpiritalem proficiat, & inter conſanguineos quoque idipſum efficiatur. Rurſuſque ſi contigerit in itinere monachum vel ſacratum virum non circumferre quæ victui opportuna ſunt, & propter neceſſitatem divertere ſive in Xenodochium, ſive in domum alicujus, licentiam habebit hoc faciendi, tamquam urgente neceſſitate.

Scholion.

Cap. 21. THymelicorum etiam meminerunt in titulo
de Piſtoribus, & in titulo de Scenicis Co-
dex Theodoſianus, ac in Canone quinquageſi-
mo quarto Synodus Laodicenſis. Thymelen
Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Orcheſtræ
pulpitum, adeòque Thymelicos fuiſſe dicit eos,
qui ibidem lyris, cytharis, aliiſque inſtrumentis
L. 4. muſicis cantabant. Conſonat Julius Pollux.
*Scena propriè eſt hiſtrionum; Orcheſtra chori, in
qua eſt & thymelę, quæ vel tribunal eſt, vel ara.* Et
Vitruvius. *Apud Græcos tragici vel comici actores
in ſcena peragunt, reliqui autem artifices ſuas per
orcheſtram præſtant actiones; Itáque ex ea ſcenici
& thymelici græcè ſeparatim nominantur.* Et The-
gani chronicon ſcribit Ludovico Pio Auguſto in
magnis feſtis ad menſam thymelices adfuiſſe, ad
quorum nugas numquam ipſe riſerit: Fuiſſe dicit
mimos, ſcurras, cythariſtas, choraulos, uti
per ſacras litteras, ità per Eccleſiaſticos Cano-
nes à fidelium menſis rigidiſſimè proſcriptos.
Præſens Canon monachos extra monaſterium,
& præſertim cum fœminis manducare meritò ve-
tat. Quin immo Abbatum Aquiſgranenſis ſub
Ludovico Pio conventus ſtatuit: *Laicus cauſa* Cap. 52.
manducandi ac bibendi in Refectorium non ducatur.
Quod etiam Theodoricum Francorum Regem è
ſui monaſterii Refectorio exire juſſerit, & à Bru-
nichildi Regina relegari, quam ad clauſtri inte-
riora laicos admittere maluerit Sanctus Colum-
banus, Fredegarius teſtatur. De monachis quam L. 2. c. 36.
maximè verum eſt: *Familiaritas parit contem-
ptum.*

DISSER-

DISSERTATIO

DE SEPTIMA SYNODO GENERALI.

CAPUT PRIMUM.

An ſacræ Imagines olim apud Hebræos fuerint licitæ ac uſitatæ?

VIdetur intricata quæſtio. Etenim idem Deus optimus maximus, qui Moyſi & omni Hebræorum populo dixit, *Non facies tibi ſculptile*, nec ullam Angeli, hominis, aut beſtiæ *ſimilitudinem*, Cherubinos ac Æneum etiam ſerpentem fieri per eumdem legislatorem juſſit. Et hinc impius Marcion *inconſtantiam adſcripſit Omnipotenti*, accuſavitque quaſi *mutabilem*, utpotè *qui alibi vetet, alibi mandet*. Reſpondet verò in
Cap. 7. libro de idololatria Tertullianus. *Idem Deus, qui vetuit ſimilitudinem fieri, extraordinario præcepto ſerpentis ſimilitudinem indixit. Utique ſuſpenſi in modum ad figuram Dominicæ Crucis, à ſerpentibus, id eſt, ab angelis diabolis liberaturæ nos.* Et in libri adversùs Marcionem. *Similitudinem vetans*
L. 2. c. 22 *fieri omnium, quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra, & in aquis, oſtendit & cauſas, idololatriæ ſcilicet ſubſtantiam cohibentes. Subjicit enim*: NON ADORABITIS EA, NEQUE SERVIETIS ILLIS. *Serpentis autem Ænei effigies poſteà præcepta Moyſi à Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, ſed ad remediandos eos, qui à ſerpentibus infeſtabantur. Et taceo de figura remedii. Sic & Cherubin & Seraphin aurea in arcæ figuratum exemplum, certè ſimplex ornamentum, accommodata ſuggeſtui, longè diverſas habendo cauſas ab idololatriæ conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur, non videntur ſimilitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu deprehenſa, ob quam ſimilitudo prohibetur.* Quod nempe extra legis cauſam in lege non peccetur.

Attamen magis placet prior expoſitio de neceſſario ſpeciali ac extraordinario præcepto. Perplacent hæc ejus verba in laudato libro de idololatria. *Toto mundo* pingendi & quovis modo effigiandi *artibus Deus interdixit ſervis ſuis*. Et bene Cap. 4.
de Rege Salomone in idololatriam lapſo ſcribit in Judaicarum Antiquitatum libris Joſephus Ju- L. 8. c. 2.
dæus: *Jam ante quoque à legum præſcripto diſceſſerat, quando æneas boum effigies baſi maris ænei addiderat, ſicut ſolio ſuo leonum poſt appoſuit. Nam neque illa fas erat facere.* Utique ſine ſpeciali ac extraordinario Dei præcepto. Et in alio ejuſdem operis libro ſcribit de laureatis Cæſaris imaginibus, à Pontio Pilato Judææ Præſide in urbem Hieroſolymitanam illatis. *Pilatus ſigna* L. 18. c. 4.
cum effigie Cæſaris in urbem intulit ad legis noſtræ contumeliam, qua cautum eſt, ne habeamus ejuſmodi effigies. Et ideò qui ante hunc fuere Præſides, cum ſignis aliter inſignitis ſolebant urbem ingredi. Primus Pilatus ignaris omnibus noctu illatas effigies Hieroſolymis ſtatuit. Quod ubi cognitum eſt civibus, magno agmine petierunt Cæſaream, ubi per multos dies ſupplices rogaverunt Præſidem, ut aliò imagines illas transferret. Aut trucidari aut acquieſcere juſſi legati iſti *humi procumbebant, & exertos præbentes jugulos manifeſtè præſeferebant patriæ legis obſervationem ſibi eſſe vita chariorem. Tunc Pilatus admiratus tam conſtans legis ſtudium, continuò eas imagines Hieroſolymis Cæſaream tranſportavit.*
Etiam poſtmodùm omnem ſuam gentem trucida- Cap. 11.
ri maluerunt, quam Caii Auguſti ſtatuam, præſertim in templo, recipere, & *ſacratam urbem pollui vetitis imaginibus*. Vetitis à Lege Divina. L. 17. c. 8.
Et in alio libro ſcribit de Aquila aurea, Romanorum inſigni, quam Herodes Rex ſupra majorem templi portam dedicarat. *Lex noſtros homines* L. 1. c. 21.
vetat imagines ſtatuere, aut conſecrare animantium effigies. Quamobrem Doctores erant auctores ſuis diſcipulis, ut Aquilam illam detraherent. Et illi cum publico tumultu, & patenti vitæ ſuæ periculo ipſam omninò detraxerunt, putantes Deo legis auctori facere ſacrificium. Etiam in primo libro

de bello Judaico rei ſetiem turbulentiſſimam largè idem Joſephus deſcribit & laudat. Ex quibus omnibus liquet neque domeſticas ornatus gratia imagines Judæis fuiſſe permiſſas.

Et hinc qui ex prophetia Patriarchæ Jacob de filio ſuo Juda, *Catulus Leonis Juda*, Tribus Juda inſignia exiſtimant fuiſſe Leonem, omninò hallucinantur. Hallucinantur & illi, qui ejuſmodi inſignia exiſtimant eſſe novum ante pauca dumtaxàt ſæcula inventum. Eos convincit Pſalmus: *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri*. Litteralis enim ſenſus eſt: Si inter Aſſyriorum columbam argenteam, & Ægyptiorum aureum vitulum pro inſigni habentium, terminos ſecuri conſiſtatis. Et omnem hanc Tertulliani ac Joſephi doctrinam probare videtur in prima in Leonem Iſaurum Imperatorem Epiſtola Sanctus Pontiſex Gregorius ſecundus. Et hìnc ænei ſerpentis à Rege Ezechia factam deſtructionem omninò improbat: E cauſis graviſſimis fieri à Deo juſſam imaginem ait humana auctoritate frangi non potuiſſe.

Addit & cauſam Divinæ de omni penitùs imagine prohibitionis. *Propter idololatras, qui terram promiſſionis occupabant, verba faciebat Deus* omnem populo ſuo interdicens imaginem, *qui aurea & argentea, lignaque, & omnem creaturam adorabant, & volantes aves omnes, & dicebant:* ISTI SUNT DII NOSTRI, ET ALIUS DEUS NON EST. *Propter hæc manufacta diaboli noxia & execranda dicebat Deus, ne ea adoraremus*. Gentes omnes, ac præſertim Chananæi, non ſolummodò à Deo vivo & vero apoſtatarant, ſed inſuper imagines manibus ſuis factas in Deos ſtulti conſecrarant, & ut Deos adorabant, atque ipſos etiam Hebræos in iſtud execrabile vitium fuiſſe propenſiſſimos nemo ignorat. Ejus originem edicit Sapiens. *Acerbo luctu dolens pater citò ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia*. Profani ac damnati Divinitatis appetitores dæmones ſeſe miſcuerunt, figentes domicilia in ejuſmodi ſtatuis, datiſque indè oraculis miſeros Adæ filios circumſcripſerunt in incredibiles errores. Hìnc ſacrilega iſta domeſtica ſacra in publicas leges, atque ità etiam Regum, artificum, ſæculi ſapientum, quin & omnis generis beſtiarum imagines in Deos profecerunt. Quocircà tunc omnis, etiam patris aut filii, imago cœco humano generi erat periculoſa, ſuſpecta, ſcandaloſa, ideòque ut talis carnali Hebræorum populo rigidiſſimè à Deo optimo maximo interdicta. Cap. 14.

Aliam interdictionis cauſam adducit in Orationibus de imaginum cultu Sanctus Joannes Damaſcenus. Orat. 3. *In veteri teſtamento Iſraelitæ neque templa hominum nominis conſecrabant, neque memoriam hominis celebrabant. Adhuc enim exſecrationi obnoxia erat natura humana, & mors erat ſupplicium & mulcta. Itàque deplorabatur, & qui mortui cadaver attigerat, putabatur immundus. Nunc autem natura noſtra, ex quo Divinitas illi, tamquam medicamentum quoddam vitam atque ſalutem afferens, conjuncta eſt, glorioſa evaſit, & ad incorruptionem accipiendam idonea. Quare Sanctorum mors annuis laudibus celebratur, & templa illis conſtruuntur, & imagines fiunt*. Sanctorum imagines in eorum invocatione fundantur, & ad ipſam diriguntur, utpotè libri indoctorum: At verò ante Domini incarnati mortem clauſus erat paradiſus, juſti omnes in limbo extra ſanctorum Angelorum conſortium & Dei intuitum, ideòque tamquam illius familiares & domeſtici non poterant invocari atque imaginibus honorari.

CAPUT II.

An in novo Teſtamento ſemper fuerit uſus ſacrarum imaginum?

SAcras Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, ac aliorum Sanctorum imagines eſſe Apoſtolicam traditionem conſtanter in laudatis Orationibus Sanctus Joannes Damaſcenus adfirmat. Conſonat Theodoſius Ammorienſis Epiſcopus, abjurans Iconoclaſticam hæreſin, ſacrarumque imaginum venerationem apud præſentis Synodi primam Actionem profitens cum hoc additamento: *Quemadmodùm Eccleſia Chriſtianorum ſuſcepit à Sanctis Apoſtolis, & Patribus, & uſque ad nos*. Et in ſecunda Actione Euthymius Sardenſis Epiſcopus, Lydiæ Metropolita: *Prælectas litteras ſanctiſſimi Papæ* Adriani primi *ſenioris Romæ ſincerè ac indubitanter ſequens polliceor ac profiteor me ità ſapere de ſanctiſſimis iconis, non quaſi quoddam novum dogma admittens, ſed tamquam certiſſimè ſciens de illis traditionem Sanctorum Apoſtolorum, & ſacratiſſimorum magiſtrorum, qui has reliquerunt in ſancta Dei Eccleſia*. Quod ipſum adſerunt Gregorius Synopæ Epiſcopus, Sabbas Studiani monaſterii Hegumenus, & Iconoclaſtici Conventiculi refutatio, lecta ac probata per Synodum præſentem. Gregorius Peſſinuntis Epiſcopus, ſecundæ Galatiæ Metropolita, addidit ab Antiochena Sanctorum Apoſtolorum Synodo fuiſſe editum hunc Canonem: Act. 2. *Ne ultra errent hi, qui ſalvi fiunt, circa idola, ſed pro eis imaginentur Dei virilem ſtatuam Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Eique Leo Rhodiorum Epiſcopus, Provinciæ inſularum Metropolita, eſt firmiter adſtipulatus. Iconoclaſtici Conventiculi Refutatio eſſe ait ipſius Domini traditionem. F. 572.

Ut ut ſit, ſacrarum imaginum uſus eſt omninò antiquiſſimus. Etenim quod Sanctus Lucas Evangeliſta Deiparam Virginem depinxerit, quodque à ſanguinis fluxu per Dominicæ veſtis attactum ſanata mulier æneam illi ſtatuam, Divinis poſtmodùm miraculis illuſtratam, Cæſareæ Philippi dedicarit, teſtantur auctores antiqui irrefragabiles, & certa traditio omnium Eccleſiarum. Miracula iſta adducit Euſebius Cæſareenſis Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus, teſtis oculatus, addens Sanctorum
Apoſtolorum Petri & Pauli, & ipſius etiam Chriſti
Domini imagines, *colorum varietate expreſſas*,
conſervataſque, id eſt, à Majoribus acceptas, ſuo
tempore fuiſſe ubique uſitatas. Poſteriora lauda-
tæ imaginis ſub Juliano Apoſtata Imperatore mi-
L. 7. c. 4. racula refert Hermias Zozomenus. Quod ipſe
Dominus Jeſus Chriſtus imaginem ſuam non ma-
nuſactam Abagaro Edeſſenorum Principi miſerit,
L. 5. c. 10. Gregorius ſecundus Pontifex in litteris ad Leo-
nem Iſaurum adſeverat. Orientalis Eccleſia id
Epiſt. 2. ſemper habuit indubitatum. Et in libro de pudi-
citia adversùs orthodoxam Eccleſiam ſcribit Ter-
tullianus. *Procedant ipſæ picturæ calicum veſtro-*
Cap. 7. *rum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis il-*
lius, utrumne Chriſtiano, an Ethnico peccatori de
reſtitutione contineat. Et in alio ejuſdem libri ca-
Cap. 10. pite: *Ille ſi fortè patrocinabitur Paſtor, quem in*
calice depingis. Chriſtum Dominum in boni Pa-
ſtoris, ovem perditam in humero reportantis,
effigie antiqui fideles pingebant in ſacris calici-
bus: Neque picturam iſtam, ſed ejus ad pœni-
tentes mœchos applicationem Tertullianus repre-
hendit. Etenim & adversùm gentiles, à quibus
ob veneratas ſacroſanctæ Crucis imagines *Cruci-*
colæ vocabamur, nos in libro Apologetico de-
fendit. Etiam Minutius Felix. Et hinc à Dio-
cletiano Auguſto fuiſſe omnibus fabris, ne au-
reas aut argenteas Cruces Chriſtianis facerent,
ſub capitis pœna interdictum, referunt fidelia
Act. 4. Acta Sancti Procopii Martyris, lecta & probata
in Synodo præſenti. Ejuſdem Principis tempore
ſactas imagines, haud dubiè adversùs Gentilium
calumnias, à Sancto Martyre Pierio, Eccleſiæ
Alexandrinæ ac Theonæ Patriarchæ Presbytero,
fuiſſe defenſa, oſtenſumque, *omnem earum hono-*
rem & irreverentiam Prototypi eſſe honorem ſive irre-
L. 119. *verentiam*, tradit Photius in Bibliotheca.

Quæſtio eſt, An primitiva, Gentilium ac
Judæorum calumniis & perſecutionibus divexa-
ta, Eccleſia ſacra imagines non ſolummodò pri-
vatim uſurparit, ſed etiam publicè in Baſilicis
expoſuerit? Pro parte adfirmativa fecit auctori-
tas Adriani primi Pontificis in litteris dogmaticis
ad Conſtantinum Auguſtum ac ejus matrem Ire-
nem. *Sanctorum figuræ ab ipſis ſanctis fidei noſtræ*
rudimentis apud omnes fuere Chriſtianos, atque in
Eccleſiis Sanctorum ſacræ figuræ expreſſæ atque depi-
ctæ hactenùs fuerunt: Quatenùs gentilitus Pagano-
rum conſpecta Divinæ Scripturæ depicta hiſtoria ab
idolorum cultura & dæmonum ſimulacris ad verum
Chriſtianitatis lumen atque amoris Dei culturam ver-
ti deberet: Conſonare videtur Iconoclaſtici Con-
F. 576. venticuli Refutatio. *A Chriſti Domini temporibus*
uſque ad Conſtantinum Imperatorem tranſierunt anni
quaſi trecenti, cùm priùs tyrannidem Pagani exerce-
rent, quando ſcilicet plurimi Chriſtianorum bonum cer-
tamen certantes martyrio ſæculum hoc derelinquebant,
adversùs idola inſurgentes. Chriſtianorum verò copia,
Divino zelo commota, templaque conſtruentes, quæ-
dam in nomine Chriſti, quædam in honore Sancto-
rum, alii humanitatis in eis Chriſti Dei noſtri actu,
alii certaminis Martyrum narrationes coloribus exa-
rabant.

Reſpondeo tamen primis iſtis Chriſtianæ præ-
dicationis temporibus ſacras imagines in Eccle-
ſiis non fuiſſe. Lucidè id teſtatur Ælius Lam-
pridius, ſcribens de Imperatore Alexandro Seve- Cap. 43.
ro. *Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos*
recipere, quod & Adrianus cogitaſſe fertur, qui
templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat
fieri, quæ hodie idcircò quia non habent numina,
dicuntur ADRIANI, *quæ ille ad hoc paraſſe dice-*
batur: Sed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſa-
cra, repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id
optatò eveniſſet, & templa reliqua deſerenda. Iſta
Chriſto Deo noſtro dicanda templa eſſe ſine ſimu-
lacris juſſerat Adrianus Auguſtus, quod ità eſ-
ſent cuncta templa Chriſtianorum. Conſonat
Synodus Eliberina: *Placuit picturas in Eccleſia eſ-*
ſe non debere, ne quod colitur aut adoratur, in pa-
rietibus depingatur. Pro ſacrarum imaginum cul-
tu grande teſtimonium. Eas quidam Hiſpania-
rum Epiſcopi non dumtaxàt privatim venerari,
ſed & ornandis Eccleſiis imponere cœperant:
Res ſancta & bona, at nova iſto tempore, ideò-
que ſynodaliter compreſſa ac interdicta. Et huc
in litteris ad Michaelem Auguſtum reſpicit Ni-
colaus primus Pontifex. *In pace Eccleſiæ conſtitu-* Epiſt. 2.
tis nil contrarium eſſe poteſt, ſi Sanctorum effigies fi-
delibus augeant incrementi amorem. Etenim ante
datam Eccleſiæ à Conſtantino Auguſto pacem
ſacræ imagines nos apud Gentiles atque Judæos
reddebant de idololatriæ vitio ſuſpectos, uti li-
quet ex neſcio quorum ſanctorum Martyrum cum
Paganis tyrannis de ſacris imaginibus diſputatio-
ne, laudata per præſentem Synodum, compila- Act. 5.
ta verò per Conſtantinum Eccleſiæ Conſtantino-
politanæ Diaconum & Chartophylacem. Etiam
propter privatim geſtatas ac veneratas ſacroſanctæ
Crucis imagines nos ut Crucicolas accuſabant &
deridebant. Hìnc ergò iſtas omnes, tamquam
ſcandaloſas & Gentilium ac Judaicorum oculo-
rum, quos Chriſto lucrari ſatagebat, offenſivas
publicè in Baſilicis ſtatui Eccleſia interdixit.
Neque aliud volunt Adrianus Pontifex, & Con-
venticuli Iconoclaſtici Refutatio: Palàm hæc di-
cit hunc Eccleſiarum ornatum poſt Eccleſiæ pa-
cem, natamque indè fidelis populi copiam,
priùs cœpiſſe.

Egregiè aſſertionem noſtram confirmat factum
Sancti Epiphanii, Salaminenſis in Cypro Archi-
Epiſcopi, de quo ipſe in Epiſtola ad Joannem
Epiſcopum Hieroſolymitanum, exſtante inter
litteras Sancti Hieronymi. *Audivi quoſdam mur-* Epiſt. 60.
murare contra me, quia quando ſimul pergebamus c. 5.
ad ſanctum locum, qui vocatur Bethel, & veniſſe-
mus ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidiſſem-
que ibi præteriens lucernam ardentem, & interro-
gaſſem quis locus eſſet, didiciſſemque eſſe Eccleſiam,
& intraſſem ut orarem, inveni ibi velum pendens in
foribus ejuſdem Eccleſiæ, tinctum atque depictum,
& habens imaginem quaſi Chriſti, vel Sancti cujuſ-
dam: Non enim ſatis memini, cujus imago fuerit.
Cùm ergò hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti contra au-
ctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem,
ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus ejuſ-
dem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent et
efferrent. Et infrà. *Precor, ut præcipias deinceps*
in Eccleſia Chriſti vela iſtiuſmodi, quæ contra reli-
gio-

gionem noſtram veniunt, *non appendi*. *Decet enim Honeſtatem Tuam magis habere hanc ſollicitudinem*, *ut ſcrupuloſitatem tollat*, *quæ indigna eſt Eccleſia Chriſti*, *& populis qui tibi ſunt crediti*.

Alium Sancti Epiphanii locum ex neſcio qua oratione, etiam memorata per Sanctum Joannem Damaſcenum, adduxit Conventiculum F 615, 616. Iconoclaſticum. *Attendite vos ipſos*, *& tenete traditiones*, *quæ ſuſcepiſtis*: *Ne declinetis ad dexteram*, *neque ad ſiniſtram*. *Et in hoc memoriam habete filii dilecti*, *ne inducatis imagines in Eccleſias*, *neque in cœmeteria Sanctorum*, *ſed per memoriam habete Dominum in cordibus veſtris*. *Sed neque in domum communem*: *Non enim expedit Chriſtiano per oculos & vagationes mentis efferri*. Et ex Epiſtola ad Theodoſium Auguſtum. *Multoties locutus ſum cum Miniſtris meis*, *ut auferrentur imagines*: *Receptus non ſum ab eis*, *neque audire vocem meam ſaltem paululùm paſſi ſunt*.

Reſpondet orthodoxa ejuſdem Conventiculi L. 616, 617, refutatio fictam atque adulterinam aſſe iſtam Epiſtolam ex variis cauſis. Primò enim Sanctis Baſilio Magno, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nyſſeno, Joanni Chryſoſtomo, Cyrillo Hieroſolymitano, Ambroſio, ac Amphilochio, ſacras imagines admittentibus ac profitentibus, coætaneus fuit Sanctus Epiphanius, & ab eorum nemine de tali dogmate redargutus. Deindè, authenticis Sancti Epiphanii ſcriptis plenus eſt mundus & omnes Eccleſiæ, iſtius autem Orationis ac Epiſtolæ vix duo aut tria repetiuntur exemplaria, atque ità palàm eſt eſſe nova ac ficta. Tertiò, *Templum dedicaverunt in Cypriorum inſula ejus diſcipuli*, *nominantes illud vocabulo ejuſdem Patris*, *& cum multis aliis titularibus picturis imaginem ejus in ipſo templo locaverunt*: *Et ſi iſte taliter venerabilium abominaretur vultum imaginum*, *quomodò diſcipuli ejus imaginaliter hunc depingerent?*

Aliter in prima pro ſacris imaginibus oratione reſpondet Sanctus Joannes Damaſcenus. *Quod ſi dixeris virum admirabilem Epiphanium apertè imagines interdixiſſe*, *primum id fortaſſe eſſe falſum & fictum reſpondebimus*, *eique*, *ut à multis fieri conſuevit*, *Orationem ab alio compoſitam fuiſſe attributam*. *Deindè*, *ut Epiphanii eſſe eam orationem concedamus*, *quemadmodùm ſcimus Beatum Athanaſium Sanctorum reliquias non in urnis collocandas*, *ſed humi condendas eo conſilio cenſuiſſe*, *ut abſurdum Ægyptiorum morem abrogaret*, *qui mortuos ſuos non ſub terra condebant*, *ſed in lectulis & ſcimpodiis collocabant*, *ſic etiam fortaſſè magnum Epiphanium*, *ut quidpiam ejuſmodi rectè conſtitueret*, *imagines non eſſe faciendas cenſuiſſe*. *Nam quod ei propoſitum non fuerit*, *ut illas abrogaret*, *Divini ipſius Epiphanii teſtatur Eccleſia*, *ad hoc uſque tempus imaginibus exornata*. Perplacet hæc reſponſio.

Sacras imagines in publicas Baſilicas introduxiſſe exiſtimator Sanctus Sylveſter Pontifex occaſione iſtius miraculi, de quo Romanum Breviarium ad diem nonam Novembris: *Hodierno die primùm Romæ publicè Eccleſia conſecrata eſt*, *& imago Salvatoris in pariete depicta populo Romano apparuit*. Edixit Phariſaicum Gentilium ac Judæorum ſcandalum, offenſionem, calumnias deinceps non curanda, triomphare Crucis myſterium, ſacras imagines publico cultui & Eccleſiarum ornatui poſſe exponi. Ità affirmat L. 2. c. 19. Adrianus primus Pontifex in Reſponſis ad dubia Francorum. Romanum morem reliquæ, extra Romanum præſertim Patriarchatum ſitæ, Eccleſiæ non niſi pedetentim recepere, atque ità Cypriorum ad Antiochenum Patriarchatum ſpectans Eccleſia ex cauſis antiquam ſine imaginibus conſuetudinem videtur retinuiſſe, eamque Sanctus Epiphanius voluit aut perpetuare, aut inſtaurare. Neque verum eſt enim de hac re à coætaneis Epiſcopis non fuiſſe redargutum. Aliud oſtendit ejus ſuperiùs adducta Epiſtola Apologetica ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum. Eadem forsàn de cauſa Sanctus Joannes Chryſoſtomus, uti in Photii Bibliotheca teſtatur Synodus ad Quercum, *eum delirum appellavit & parvum dæmonium*. Certè in aliena parochia nequaquam poterat attentare ejuſmodi novitates. Reverà eo tempore novitates: Nam omnes tunc utique & Latinas & Græcas Eccleſias fuiſſe ſacris imaginibus plenas, liquet ex plurimis coetaneorum Patrum teſtimoniis, videndis apud præſentem Synodum, & in tribus doctiſſimis Orationibus Sancti Joannis Damaſceni. Gregorius Peſſinuntis Epiſcopus hac in Synodo laudat hæc verba Iſidori Peluſiotæ: *Templi ratio nulla eſt*, *quod non coronat imago*. Etenim Epiphanio Act. 4. defuncto ſacras imagines ſtatim recepit etiam Cypriorum Eccleſia, ac item ipſum inter alios ſuos Sanctos Epiſcopos depinxit.

Notanda ſunt hæc ejus verba in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymæ Epiſcopum: *Ut ſcrupuloſitatem tollat*, *&c.* Hoc eſt, Gentilium ac Judæorum, Palæſtinæ Baſilicas quotidie intrantium, & ob viſas iſtic imagines nos de idololatria calumniantium ac deridentium, ſcandalum & offenſionem. Non ergò ut pravas, ſed ut in terra iſta adhuc inconvenientes & offenſivas, ideòque *Scripturarum auctoritati & Religioni noſtræ* adverſas, imagines Sanctus Epiphanius publicè in Eccleſiis poni interdixit. Eas namque non eſſe Divinitùs præceptas, aut penitùs neceſſarias etiam Adrianus primus Pontifex ſcripſit ad Conſtantinum Auguſtum & matrem Irenem. Attamen Sancti Epiphanii factum, uti damnare non audeo, ità nec probare præſumo. Notanda ſunt & verba Sancti Joannis Damaſceni de Sancto Athanaſio Sanctorum reliquias intra humum condente. Idem mos Romæ, in Africa, ac multis in aliis Eccleſiis videtur fuiſſe. Suprà audivimus Sanctorum iſtic reliquias infra altare fuiſſe, & ſupra ipſas ſtetiſſe ſacrificantem Sacerdotem.

Opponi poſſit Sanctus Auguſtinus in expoſitionibus Pſalmorum, adversùm aurea & argen- Pſal. 113. tea gentium ſimulacra declamans graviſſimè, & Conc. 2. addens. *Sed & nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex hujuſmodi materia vel metallo habemus in uſum celebrandorum Sacramentorum*, *quæ ipſo miniſterio conſecrata ſancta dicuntur in ejus honorem*, *cui pro ſalute noſtra indè ſervitur*. *Et ſunt profectò etiam iſta inſtrumenta & vaſa quid aliud*, *quam opera manuum hominum?* *Verumtamen nunquid os habent*,

bent, & non loquentur? Nunquid oculos habent, & non videbunt? Lucidè docet nullam imaginem nobis eſſe aut licere.

. Reſpondeo id alieniſſimum eſſe à Sancto Auguſtino. Quod enim Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli imagines proſtarent paſſim ſuo tempore in omnibus Eccleſiis, palàm aſſerit in primo libro de conſenſu Evangeliſtarum. In loco Cap. 10. igitur nobis objecto agit de Dei Patris ſeu ipſius Divinitatis corporea imagine, quam multis ſæculis Eccleſia ignoravit. Etenim ad Leonem Epiſt. 1. Iſaurum ſcribit Gregorius ſecundus Pontifex. *Cur Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti oculis non ſubjicimus, ac pingimus? Quoniam quis ſit, non novimus, Deique natura ſpectanda proponi non po-* Act. 4. *teſt, nec pingi.* Et Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in litteris ad Joannem Epiſcopum Synadenſem. *Inviſibilis Deitatis imaginem & ſimilitudinem, vel ſchema vel figuram aliquam non formamus, quam nec ipſorum Sanctorum Angelorum ſublimes Ordines conſiderare vel inveſtigare penitùs valent.* Et Joannes Theſſalonicenſis Epiſcopus in hac Synodo laudatus. *Imagines Dei facimus, id eſt, Domini noſtri Jeſu Chriſti, quemadmodùm viſus eſt ſuper terram, hunc pingentes, & non ut intelligitur natura Deus. Quæ enim ſimilitudo eſt, vel quis habitus incorporei & ſine ſchemate Verbi Patris?* Idem multis docent in Orationibus de imaginum cultu Sanctus Joannes Damaſcenus, & vita Sancti Stephani Auxentiani. Et hæc noſtra Synodus ſolas Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, ac ſanctorum hominum & Angelorum imagines in fidei ſuæ decreto probavit. Hunc in ſenſum Sanctus Auguſtinus ſeipſum in Cap. 9. libro de decem chordis explicat, dicens de Deo: *Et nullam ſimilitudinem debemus facere.* Sacras imagines eſſe Dominicæ incarnationis effectum & ſequelam Patres paſſim adfirmant.

CAPUT III.

Exponitur cultus ſacrarum Reliquiarum.

SAnctorum Reliquias Eccleſia Catholica ſemper eſt venerata. Hinc enim, uti apud Euſebium Cæſareenſem Eccleſia Smyrnenſis ad Ponticam ſcribit, à Judæis moti Gentiles Præſidem exorarunt, ne Sancti Polycarpi Martyris & Epi- L. 4. c. 14. ſcopi corpus cuiquam daret, *ne Chriſtiani Crucifixo deſerto illum inciperent venerari*: Eadem in nos fuit calumnia Diocletiani ac Maximiani Auguſtorum, de quibus idem Euſebius, agens de L. 8. c. 6. Sanctis Martyribus Gorgonio & Dorotheo. *Eos poſt mortem decoro & celebri funere terræ mandatos Imperatores de integro effodiendos, & in mare præcipitandos decreverunt, ne quidam eos in ſepulchris conditos, Deos eſſe reputantes, Divina veneratione proſequerentur.* Et Julianum Auguſtum Martyrum Reliquiis honores noſtros invidiſſe, ideòque à cruenta perſecutione nequiter ceſſaſſe, Socrates teſtatur. Eadem de cauſa apud Her- L. 5. c. 8. miam Zozomenum Pagani Gazenſes Martyrum oſſa aſinorum & camelorum oſſibus miſcuerunt. Et apud Ammianum Marcellinum Alexandrina L. 3. c. 10. Plebs gentilis Georgium Epiſcopum, aſt Aria- L. 22. c. 28. num, à ſe trucidatum, *ſubito igne cremavit, & cineres projecit in mare, id metuens, ut clamabat, ne collectis ſupremis ædes illis extruerentur.* Parentes quippè noſtri ſanctas Martyrum reliquias non tantùm pretioſis ſindonibus involutas glorioſiſſimè ſepeliebant, ſed & ſuis indebant Altaribus, ac ſuper ipſas Deo ſacrificium offerebant. Quis eſſe poſſit major honor? Eorum in hiſce colligendis, ornandis, ſepeliendis diligentiam & conſtantiam nullus ignorat.

Honoris modum eleganter exponit in præfatis litteris laudata Eccleſia Smyrnenſis. *Miſeri* Gentiles ac Judæi *ignorabant, nos non aliquando in animum inducere poſſe, ut vel Chriſtum deſeramus, vel alium quempiam colamus ut Deum. Illum enim, qui verè filius Dei eſt, adoramus: Martyres autem ut diſcipulos & imitatores Domini meritò amplectamur, quorum nos in pietate diſcipulos & conſortes in gloria fore optamus.* Quod Martyres Deo aut ejus Filio Domino noſtro Jeſu L. 1. Chriſto non æquemus, egregiè oſtendit laudatum à Sancto Optato Milevitano Epiſcopo factum Cæciliani, tunc Archi-Diaconi, poſtmodùm Archi-Epiſcopi Carthaginenſis, increpantis Lucillam, fœminam opulentam & factioſam, non quod Martyris, ſed quod necdum vindicati, id eſt, necdum ab Eccleſia probati & canonizati Martyris os, idque *ante ſpiritalem* Euchariſtiæ *cibum & potum libaret*: Quod *neſcio cujus mortui hominis os præponeret Calici ſalutari.* Ejuſmodi religioſa oſcula ante ſumptam Euchariſtiam fieri vetuit antiqua Eccleſia, ne dictæ Gentilium calumniæ foret ullus locus. Et hinc intelliges Conſtantinum Harmenopulum in libro de Sectis: Cap. 17. *Donatiſtæ quoddam os, manutenentes idipſum priùs exoſculabantur, atque ità Euchariſtiam percipiebant.* Factioſa Lucilla Donatiſtici ſchiſmatis fuit prima origo, atque ità ejus in ſacra communione morem tota forsàn factio recepit in legem. Dico, *Forsàn*: Ejus enim rei neque Sanctus Optatus, neque Sanctus Auguſtinus meminit, adeòque fides manet penes memoratum Conſtantinum, hominem ſchiſmaticum & novum.

Reliquiarum cultus mirificè ſplendeſcere cœpit poſt datam Eccleſiis à Conſtantino Auguſto pacem. Tunc enim contigerunt illa, quæ in libro adversùs Vigilantium laudat Sanctus Hiero- Cap. 2. nymus. *Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & illorum ſe ſentire præſentiam confitentur? Sacrilegus dicendus eſt & nunc Arcadius Auguſtus, qui oſſa beati Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico, & in vaſe*

aureo

aureo portaverunt? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quaſi præſentem viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, ut de Palæſtina uſque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Chriſto laudem una voce reſonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Chriſtum, cujus Samuel Levites & Propheta fuit. Adoramus ſolum Deum vivum & verum: At Sanctorum uti animæ, ità & corpora ſunt illius vera ac viva templa, ideòque illum non dumtaxàt in ſemetipſo, ſed etiam in ſua domo adoramus, ipſique unà domui impendimus ſuum honorem, quem noſtra Synodus ſalutationem appellat. Eſt phraſis antiqua. Nam & in hiſtoria Lauſiaca de Sancto Apollonio Martyre ac ejus Sociis ſcribit Palladius Epiſcopus
Cap. 67. Helenopolitanus: *Deum adorantes, eorum corpora ſalutavimus*. Eleganter & largè idem docet Sanctus Hieronymus contra blaſphemum Vigilantium, dolentem Martyrum Reliquias, utpotè vilem & diſſolutum ſæpè pulverem, *pretioſo operiri velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel projici in ſterquilinium, ut ipſe ſolus dormiens & ebrius adoraretur*.

Ejuſmodi ſanctarum reliquiarum ſolemniſſimas translationes habemus longè plurimas. Quævis enim civitas quempiam ſanctum Martyrem optabat ſibi patronum. Nec ſine cauſâ. Etenim de Sancto Jacobo Niſibeno Epiſcopo ſcribit in illoſtrium virorum catalogo Gennadius Preſ-
Cap. 1. byter Maſſilienſis. *Moritur hic vir Conſtantii temporibus, & juxta præceptum patris ejus Conſtantini intra muros Niſibenſes ſepelitur, ob cuſtodiam ſcilicet civitatis. Quod ſecundùm fidem Conſtantini evenit. Nam poſt multos annos ingreſſus Julianus Apoſtata Niſibem, & vel gloriæ ſepulti invidens vel fidei Conſtantini, cujus ob id domum perſequebatur, juſſit efferri de civitate ſancti corporis Reliquias: Et poſt paucos menſes, conſulendæ licet Reipublicæ, Jovinianus Imperator, qui Juliano ſucceſſerat, tradi-*
Cap. 1. *dit Barbaris Perſis civitatem*. Etiam vivus Jacobus ſola oratione, ut in monaſtica hiſtoria largè refert Theodoretus, civitatem à Perſica obſidione portentosè liberarat, ideòque & à mortuo Conſtantinus non vanè ſperabat. Sacras ejus Reliquias fuiſſe aliter exportatas idem Theodoretus aſſerit: At Gennadio, utpotè ſeniori, eſt omninò credendum.

Eidem fundamento innititur Populi Uzalenſis, adversùs ſuum Epiſcopum, partem de Sancti Stephani Reliquiis transferre volentem ad Promontorianenſem ſuæ Diœceſeos Eccleſiam, motus tumultuoſus, de quo in libris de ejuſdem Sancti miraculis Sanctus Evodius Epiſcopus ejuſdem civitatis Uzalenſis. *Immenſa ad Eccleſiam*
L. 1. c. 7. *multitudo confluxit. Tumultus magnus & clamor fieri cœpit, zelus fidei, & amor amici Dei omnes accendit. Circumdatur Epiſcopus ſtipantibus turbis, rogatur, tenetur, non ante dimittitur, quam Sacramento etiam nihil ſe Reliquiarum de civitate ablaturum polliceretur*. Pius populus amittere noluit ſuum patronum tutelarem, cujus ſanctas Reliquias fuiſſe in afflictæ tunc Chriſtianitatis ſolatium Divinitùs revelatas ac repertas ſcribit ad omnes Chriſti fideles Avitus Presbyter parochiæ Hieroſolymitanæ. Videatur & Sancti Auguſtini ſermo de diverſis. Ser. 306. c. 5. 9.

Rectè item Sanctus Hieronymus ait dæmones ad ſanctorum Reliquias rugire & torqueri. Largiùs exponit in eodem libro adversùs Vigilantium. Cap. 4. *Sentio, ſentio, infeliciſſime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpè hoc viliſſimo tortus eſt pulvere, immò hodieque torquetur, & qui in te plagas diſſimulat, in aliis confitetur. Niſi fortè in morem Gentilium, impiorumque Porphyrii & Eunomii, has præſtigias dæmonum eſſe confingas, & non verè clamare dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta*. Similem Arianorum de facto per Sanctorum Gervaſii atque Protaſii Reliquias miraculo blaſphemiam refert in Sancti Ambroſii vita Presbyter Paulinus. Lutherani & Calviniſtæ agnoſcant ſuos Patriarchas.

Nec tantùm corpora, ſed & Sanctorum veſtes, domos, ſedes, aliaque id genus fuit ſemper Eccleſia venerata. *Jacobi Apoſtoli*, inquit Euſebius Cæſareenſis, *Cathedram, qui primus erat* L. 7. c. 14. *ad Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum à Servatore delectus, ad iſtud tempus ſervatam, Epiſcopi, qui illic ordine ſucceſſerunt, permagnò æſtimant*. Ejuſdem Apoſtoli Epiſcopale pallium fuiſſe pari honore ſervatum, ac tandem Sancto Ignatio Patriarchæ Conſtantinopolitano donatum pro grandi munere, Nicetas Paphlago adfirmat. Etiam Sancti Petri Apoſtoli cathedram veneratur Eccleſia Romana. Hieroſolymitanæ regionis terram, utpotè Dominicis veſtigiis calcatam, fuiſſe olim miſſam in omnem Chriſtianam regionem, & grandi reverentia exceptam, ſuprà audivimus à Sancto Auguſtino. Et quid miri? Etenim etiam Majorum noſtrorum pocula benè merita à nobis honorari ſcribit, atque ab illis ad Reliquias argumentatur in libro de Reſurrectione Cap. 12. Tertullianus. Pro ſacrarum Reliquiarum venerationé habemus innumera Patrum teſtimonia: Ex ſolis Sancti Auguſtini locis poſſit grande volumen impleri.

Silere nolim vetuſtum Romanæ Eccleſiæ morem de veneratione Brandeorum, de quibus ad Conſtantinam Auguſtam, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Reliquias dedicandæ eorum Baſilicæ poſtulantem, ſcribit Sanctus Gregorius L. 3. Epiſt. 30. Magnus. *Corpora ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum tantis in Eccleſiis ſuis coruſcant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum ſine magno illuc timore poſſit accedi. Dum beatæ recordationis Deceſſor meus, quia argentum, quod ſupra ſacratiſſimum corpus beati Petri Apoſtoli erat, longè tamen ab eodem corpore ferè quindecim pedum ſpatio, mutare voluit, ſignum ei non parvi terroris apparuit. Sed & ego ſimiliter aliquid ad ſacratiſſimum corpus Sancti Pauli Apoſtoli meliorare volui, & quia neceſſe erat, ut juxta ſepulchrum hujuſmodi effodi altiùs debuiſſet, Præpoſitus loci ipſius oſſa aliqua non quidem eidem ſepulchro conjuncta reperit, quæ quoniam levare præſumpſit, atque in alium locum tranſponere, apparentibus quibuſdam triſtibus ſignis, ſubita morte defunctus eſt*. Etiam de Sancti Laurentii corpore refert ſimile miraculum, ac pergit. *Cognoſcat tranquilliſſima Domina, quia Romanis con-*

ſuetudo

ſuetudo non eſt, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore, ſed tantummodò in pixide Brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima Sanctorum corpora ponitur. Quod levatum in Eccleſia, quæ dedicanda eſt, debita cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac ſi ſpecialiter eorum corpora deferantur. Undè contigit, ut beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, ſicut à Majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus Reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipſum Brandeum allatis forcipibus inciderit, & ex ipſa inciſione ſanguis effluxerit. In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus omninò intolerabile eſt atque ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere quiſquam fortaſſè voluerit. Quod ſi præſumpſerit, certum eſt quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum conſuetudine, qui oſſa Sanctorum levare ſe aſſerunt, vehementer miramur, & vix credimus.

Confirmant Hormiſdæ Pontificis ad Juſtinum Auguſtum Legati in litteris ad ipſum Pontificem, agentes de Juſtiniano tunc Orientis Comite, poſtmodùm Principe Auguſto, ſanctorum Principum Apoſtolorum Baſilicam ædificante, & Sancti Laurentii Reliquias ad (Relat. 3. poſt Epiſt. 65.) eam dedicandam poſtulante. *Habuit prædicti viri petitio ſecundùm morem Græcorum, & nos contrà conſuetudinem Sedis Apoſtolicæ expoſuimus: Accepit rationem.* Ejus merita prædicant, & adjungunt. *Undè ſi Beatitudini veſtræ videtur, ſanctuaria beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſecundùm morem ei elargiri præcipite, & ſi fieri poteſt, ad ſecundam cataractam ipſa ſanctuaria deponere, veſtrum eſt deliberare.* (Epiſt. 66.) Et ipſe Hormiſda Pontifex in litteris ad eumdem Juſtinianum. *Beatiſſimorum Apoſtolorum Sanctuaria ſub omni veneratione tranſmiſimus.* Hæc Sanctuaria ſeu Brandea laudatus Gregorius in ſua Romana Synodo vocat (L. 4. Epiſt. 44.) ſuperpoſita Sanctorum corporibus *velamina*, linea utique aut ſericea, quandoque ad primam dumtaxàt, quandoque ad ſecundam arcæ ſacras Reliquias continentis cataractas deponi conſueta: Exindè cenſebantur magis aut minùs ſancta. De eiſdem intelligo Sanctum Hieronymum in (L. 3. c. 11.) libris adversùs Ruffinum: *Ad Sanctorum ſudaria & ſemicinctia dæmones rugiunt.*

Addunt Legati Apoſtolici de Comite Juſtiniano. *Petit & de catenis ſanctorum Apoſtolorum, ſi poſſibile eſt.* Vocem, *Si poſſibile eſt*, exponit Sanctus Gregorius in laudata Epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam. *Quia ſereniſſimæ Dominæ tam religioſum deſiderium eſſe vacuum non debet, de catenis, quas ipſe Sanctus Paulus Apoſtolus in collo & in manibus geſtavit, ex quibus multa miracula populo demonſtrantur, partem aliquam vobis tranſmittere feſtinabo, ſi tamen hanc limando tollere prævaluero. Quia dum frequenter ex catenis eiſdem multi venientes benedictionem petunt, ut parùm quid ex limatura accipiant, aſſiſtit Sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ità concitè aliquid de catenis ipſis excutitur, ut mora nulla ſit. Quibuſdam verò petentibus diu per catenas ipſas ducitur lima, & tamen ut aliquid exindè exeat, non obtinetur.* Et (L. 1. Epiſt. 29. 30.) hìnc vides, quales fuerint claves illæ, de quibus ad viros Primates ſcribit frequenter idem Gregorius. *Sanctiſſimam clavem à Sancti Petri Apoſtoli corpore vobis tranſmiſi, quæ ſuper ægros multis ſolet miraculis coruſcare: Nam etiam de catenis ejus interiùs habet.*

(L. 2. c. 42.) Eadem Brandea in laudati Pontificis vita laudat Joannes Diaconus, dicens fuiſſe pannum quemdam, pixidi ab ipſo Pontifice incluſum, & Pontificali ſigillo ſignatum: Fuiſſe *Brandei*, id eſt, panni ſupra Sanctorum ſepulchra pendi aut jacere conſueti *particulas*. Et hìnc quidam Occidentalium Eccleſiarum ſeu Principum Legati, irati ob denegatas Sanctorum Reliquias, vocabant *vilem pannum*, & *pretioſis* ſuæ patriæ *palliis* opponebant. Eorum murmurationes Brandei inciſione ac emiſſo ſanguine curatas fuiſſe etiam à Sancto Gregorio laudatus Joannes teſtatur, & addit in alio libro. (L. 3. c. 58. 57.) *Ex beati Gregorii veracibus* ad Conſtantinam Auguſtam *verbis apparet, quia uſque ad illa tempora pro Reliquiis Brandeum Romanus Pontifex conferebat, cum poſteriori tempore de veſtibus, quæ ſub altari Sancti Joannis in Baſilica Conſtantiniana ſervantur, particulæ cœperint petentibus pro Sacris Reliquiis dari.* Ex quo conſtat quaſvis Reliquias aut Sanctuaria, quæ uſque ad (Cap. 56.) illa tempora in Latinis Eccleſiis legimus poſtulata & impetrata, dumtaxàt Brandea fuiſſe. Etiam cum illis altaria fuiſſe conſecrata. Et hìnc Joannes quartus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſuperbi nominis *Epiſcopus univerſalis*, profanus adfectator, Conſtantinam Auguſtam, moliens inimicam facere, callidè induxit ad poſtulandas Reliquias, quas notat ab optimo Gregorio, iniquitatis ſuæ adverſario, non poſſe concedi.

Duravit iſta pietas uſque ad Stephani tertii Pontificis tempora, in cujus vita de Aiſtulpho Longobardorum Rege, obſidente Romanam civitatem, ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Multa corpora Sanctorum effodiens, eorum ſacra myſteria in magnum animæ ſuæ detrimentum abſtulit.* Et Paulus primus Pontifex in litteris ad Joannem Sanctorum Stephani ac Sylveſtri Abbatem: *Impia Longobardorum gens effodientes Martyrum ſepulchra, & impiè devaſtantes, quorumdam ſanctorum auferentes ſecum deportaverunt corpora.* Et quia quievit Divina vindicta eos & Franci ſunt imitati, atque ità etiam apud nos Latinos pedetentim invaluit mos ſacras Reliquias exhumandi ac tranſferendi.

Videtur tamen pietas dudùm anteà etiam Romæ vacillaſſe. Etenim de Bonifacio quinto Pontifice habet liber Pontificalis: *Hic conſtituit, ut Acolythus non præſumat ſanctorum Martyrum Reliquias levare, niſi Presbyter.* Et ſecunda Synodus Cæſar-Auguſtana ſtatuit: *Reliquiæ in quibuſcumque locis de Ariana hæreſi inventæ fuerint, prolatæ à Sacerdotibus, & Pontificibus præſentatæ, igne probentur.* Fuit hoc apud Hiſpanos & Gothos, quos, uti & Francos, exiſtimem fuiſſe adversùm Brandea murmuratores. Etiam Sancti Stephani Reliquias fuiſſe ab Africanis Epiſcopis tranſlatas aut transferri tentatas, ſuprà audivimus à Sancto Evodio. Laudata igitur pietas conſtanter viguit in ſola Italia, Eccleſia præſertim Romana.

CAPUT IV.

Exponitur doctrina Evangelica de invocatione Sanctorum.

ETiam Sanctorum invocatio eſt omninò tra-
ditio Apoſtolica. Etenim ad Clerum ſuum
ſcribit Sanctus Cyprianus de ſui temporis ac ſuæ
Epiſt. 37. Eccleſiæ Martyribus: *Dies eorum, quibus exce-
dunt, annotate, ut commemorationes eorum inter
memorias Martyrum celebrare poſſimus*. Ex quo pa-
tet antiquitas noſtri in libro Miſſali Canonis, &
Martyrologiorum. Et in libris de civitate Dei
ait Sanctus Auguſtinus. *Piorum animæ mortuo-*
L. 20. c. 9. *rum non ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt
regnum Chriſti: Alioquin nec ad altare Dei fieret
eorum memoria in communicatione corporis Chriſti*.
Cap. 45. Et in libro de ſancta virginitate: *Perhibet clariſ-
ſimum teſtimonium auctoritas Eccleſiaſtica, in qua fi-
delibus notum eſt, quo loco Martyres, & quo defun-
ctæ Sanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur*.
Ser. 101. c. 7. Et in ſermone de diverſis. *Habent honorabilem
locum Martyres ſancti. Advertite: In recitatione ad
altare Chriſti loco meliore recitantur*. Locum iſtum
Ser. 117. c. 5. meliorem exponit in alio ſermone. *Quod norunt
fideles, diſtincti à defunctis loco ſuo Martyres reci-
tantur: Nec enim pro eis oratur, ſed eorum oratio-
nibus Eccleſia commendatur*. Et in tractatu ſuper
Tract. 84. Evangelium Joannis: *Ad ſanctam Menſam non ſic
Martyres commemoramus, quemadmodùm alios, qui
in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed
magis ut orent ipſi pro nobis*. Et in ſermonibus de
Ser. 17. c. 1. verbis Apoſtoli. *Habet Eccleſiaſtica diſciplina,
quod fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitan-
tur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur, pro cæ-
teris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria
eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus ora-*
L. 6. c. 4. *tionibus commendari*. Et apud Euſebium Cæſa-
reenſem Sancta Martyr Potamiena Baſilidi, à
quo humaniter tractata, carnifici ſuas apud
Deum preces, peccatorum veniam, & Chriſtia-
nitatis gratiam pollicetur, ac triduo poſt appa-
rens obtentam declaravit. Apud eumdem Theo-
L. 8. c. 17. doſia, virgo Tyria, carceratos Martyres obſe-
crat, *ut cùm erunt apud Dominum, illius recorden-
tur*. Male feriatum Eccleſiæ ſuæ Clericum quàm
durè puniverit Sanctus Martyr Eleutherius, à
Sancto Gennadio Patriarcha Conſtantinopolita-
no invocatus, referunt in Collectaneis Theodo-
L. 2. rus Lector, & Sanctus Sophronius in prato ſpi-
rituali. Et in Synodo Chalcedonenſi omnes Epi-
ſcopi cum Clericis Conſtantinopolitanis exela-
marunt: *Flavianus* Patriarcha Conſtantinopoli-
tanus, trucidatus ab Eutychianiſtis, *poſt mortem
vivit, Martyr pro nobis oret*. Quid opus teſtimo-
niis? Sunt infinita.

Et hinc Baſilius Ancyræ Epiſcopus, primæ
Galatiæ Metropolita, ex Iconoclaſtarum hæreſi
ad Eccleſiam rediens, profitetur apud Synodum
Act. 1. præſentem: *Expeto interceſſiones intemeratæ Domi-
næ noſtræ, ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, ſancta-
rumque & cœleſtium virtutum, & omnium omninò
Sanctorum*. Et Theodoſius Ammorienſis Epiſco-
pus: *Auxilium & protectionem Dei genitricis, &
interceſſiones illius unaquaque die & nocte invoco, ut
peccator in adjutorium meum, tamquam quæ habeat
confidentiam apud Chriſtum Dominum noſtrum, qui
ex ea natus eſt*. Eſſe traditionem Apoſtolicam
diſertè in dogmaticis ad Conſtantinum Augu-
ſtum & matrem ejus Irenem litteris, hac in Sy-
nodo lectis & probatis, adfirmat Pontifex Adria-
nus primus. Et ad Leonem Iſaurum ſcribit Gre-
gorius ſecundus: *Sanctum Petrum omnia Occiden-
tis regna veluti Deum terreſtrem habent*. Plerique
enim Latini Reges, regnorum ſuorum proprie-
tate in Romanam Eccleſiam tranſlata, quod Ro-
mano imperio facere debuerant, Sancto Petro
Apoſtolo ex larga ſeſe pietate fecerant feudatarios
aut vectigales.

Tria poſſint opponi. Primum eſt auctoritas
Sancti Auguſtini in libro de civitate Dei: *Mar-*
tyres ad Dei ſacrificium, ſicut homines Dei, ſuo L. 22. c. 10.
*loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote,
qui ſacrificat, invocantur*. Alterum eſt auctoritas
antiquiſſima Græcarum liturgiarum, orantium
pro Sanctis, etiam pro Deipara Virgine, uti
pro reliquis defunctis. *Offerimus tibi*, inquit
Sancti Baſilii liturgia, *rationabilem hunc cultum
pro iis, qui in fide requieverunt, Patribus, Pa-
triarchis, Apoſtolis, Prophetis, Martyribus,
præcipuè autem ſanctiſſima intemerata Domina noſtra
Deipara & ſemper Virgine Maria*. Conſonat San-
ctus Ivo Carnotenſis Epiſcopus in litteris ad Ma-
thildim Reginam Anglorum: *Quia incertus eſt* Epiſt. 174.
*ſtatus animarum, non videtur otioſum, ſi pro his
intercedimus, qui jam requie perfruuntur, ut eo-
rum requies augeatur, & pro his, qui locis purga-
toriis deputati ſunt, ut fidelium orationibus indul-
gentiam conſequantur*. Tertium eſt Vigilantii
principium, quod nempe Sanctorum animæ ſint
ſub ara Dei, in loco refrigerii, in ſinu Abrahæ,
adeòque ſuis tumulis & Reliquiis adeſſe non
poſſint, & noſtras audire orationes. Iſtud ipſum
in libro de cura agenda pro mortuis Sanctus Au-
guſtinus docet, adfirmans etiam ipſos ſuarum
Reliquiarum tumulos ab animabus ſanctis igno-
rari, atque ità dogma iſtud nequaquam eſt hære-
ſis Vigilantiana.

Ad primum reſpondeo Sancti Auguſtini men-
tem abundè patere ex locis ſuprà adductis. Plura
habet ejuſmodi loca. Objectum nobis locum ex-
ponit in ſermone de diverſis: *In recitatione ad* Ser. 101.
Altare Chriſti Martyres meliore loco recitantur, non c. 7.
tamen pro Chriſto adorantur. Idipſum frequenter Cap. 21.
dicit, præſertim in vigeſimo libro adverſùs Fau-
ſtum, conſonatque in libro adverſùs Vigilantium
Sanctus Hieronymus: *Quis umquam Martyres* Cap. 3.
adoravit? Utique pro Chriſto, aut ad Chri-
ſtum. Plurima ejuſmodi Patrum loca pugnant
adverſùm ſuprà memoratas Gentilium ac Judæo-
rum calumnias, ac ſceleratos Manichæos, bla-
terantes nos Martyres in idola vertiſſe, quod à
Ranorum gente in Paganiſmum relapſa factum
fuiſſe de Sancto Vito Martyre ſcribit in Sclavo-
rum chronico Preſbyter Hemboldus. Quod L. 1. c. 6.
ipſum

ipſum de Chriſti Domini ac aliorum Sanctorum ac profanorum imaginibus egiſſe Simonem magum, & Marcellinam Carpocratis ſeqnacem, [C. 5. 7.] teſtatur in libro de hæreſibus Sanctus Auguſtinus. Chriſtianum dogma eleganter apud Ammiannm Marcellinum exponit Eupraſius Prætor Roma- [L.27.c.16.] nus, dicens ad Valentinianum Auguſtum. *Parciùs agito, piiſſime Principum, hos enim, quos interfici tamquam noxios jubes, ut Martyres, id eſt,* DIVINITATI ACCEPTOS, *colit religio Chriſtiana.*

Ad ſecundum homo quidem ſchiſmaticus, inſignis tamen Græcorum rituum interpres Nicolaus Cabaſilas rectè reſpondet communem iſtam pro defunctis orationem eſſe complexam, & pro aliis Deo ſupplicare, pro aliis gratias agere: [Cap. 33. 49. 48.] *Pro Sanctis nihil orat Sacerdos, ſed potiùs eos orat, ut ab eis in orationibus adjuvetur.* Et infrà in eodem libro ſacræ liturgiæ expoſitorio. *Hic nonnulli decepti ſunt, non gratiarum actionem, ſed pro Sanctis ad Deum ſupplicationem, eorum memoriam eſſe putantes, neſcio undenam accepta hac cogitandi occaſione. Neque enim ex ipſis rebus eſt hæc credere conſentaneum, nec ex ipſis verbis ſacrificii.* Errorem copioſè ac eleganter expugnat. Et iſtam pro defunctis communem, adeòque ambiguam precandi formulam variæ liturgiæ non habent. Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Latinæ Eccleſiæ morem, ſuprà à Sancto Auguſtino laudatum, imitatus palàm diſtinguit duos defunctorum ordines: *Quorum*, ioquit de Saoctis, *ſupplicationibus reſpice nos Deus.* Et de aliis piè deſuoctis: *Memento omnium, qui prædormierunt in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ.* Sancti Ivonis iſta opinio paſſim rejicitur, utpotè ab antiquo Eccleſiæ dogmate recedens. Repeto laudata ſuperiùs Sancti Auguſtini verba: *Injuria eſt pro Martyre orare, cujus debemus orationibus commendari.* Eadem eſt ratio cujuſque Sancti.

Ad tertium reſpondet Sanctus Auguſtinus in [Cap. 26.] laudato libro de cura agenda pro mortuis. *Iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodùm opitulentur Martyres eis, quos per eos certum eſt adjuvari. Utrùm ipſi per ſeipſos adſint uno tempore tam diverſis locis*, ubi à diverſis invocantur; *an ipſis in loco meritis ſuis congruo ab omni mortalium converſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, nec quid agant ſcimus.* Quòd igitur Sancti in cœlis pro nobis orent, quodque à nobis legitimè honorentur ac invocentur, eſt omninò Apoſtolicum ac Evangelicum dogma; an autem noſtras ad ſe preces ſciant vel andiant, eſt res Eccleſiaſticæ quæſtionis. Ejus adfirmativæ psrs paſſim traditur & à Græcis & à Lstinis Patribus; negativa, quod Vigilantio, Iconoclaſtis, Claudio Taurinenſium Epiſcopo, Erroni in Galliis per Sanctum Hildebertum Turonen- [Epiſt. 51.] ſem Archi-Epiſcopum devicto, Waldenſibus, Wicleffiſtis, Lutheranis & Calviniſtis plsceat, jam dudùm apud omnes orthodoxos malè olet. Ea oihilominùs non admiſſa, Sanctorum invocationem illi fateantur, & pacem iſta quæſtio habebit.

CAPUT V.

Quæſtiones aliquot de ſacris imaginibus.

PRima quæſtio eſt, Quonam tempore in eccleſia fieri cœperiot imagines Dei Patris, adeòque totius Sanctiſſimæ Trinitatis? Reſpondeo apud Armenios eſſe ſatis antiquas. Etenim in eos ſcribit Nicephorns Calixtus. *Imagines Pa-* [L.18.c.53.] *tris & Spiritus Sancti effigiant, quod perquam eſt abſurdum. Imagines enim corporum eorum ſunt, quæ videri & circumſcribi poſſunt, non eorum, quæ inviſibilia ſunt, & intelligentia comprehendi nequeunt.* Meritò redarguuntur de uſurpata ejuſ- [Epiſt. 2.] modi novitate. Quod enim Nicephori tempore Romana Eccleſia Dei Patris imaginem adhuc ignoraret, liquet ex litteris Nicolai primi Pontificis ad Michaelem Auguſtum, laudantis ſolas imagines Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, ac aliorum Sanctorum. Adducit tamen, licèt alio fine, rationem, ex qua poſtmodùm Dei Patris imagines Romana Eccleſia admiſit: *Deus, qui eſt inviſibilis & incorporeus, non per propriam ſubſtantiam Deitatis, ſed per ſubjectam creaturam apparuit mortalium oculis*: In forma antiqui dierum. Hinc in eadem ipſum Eccleſia pingit. Quod quaodo incœperit, fateor me ignorare.

Verùm Armenios, quod Spiritus Sancti in columbæ ſpecie imagines facerent, peſſimè Nicephorus arguit. Ea enim eſt omnium Eccleſiarum coosuetudo antiquiſſima, per præſentem Synodum probata & confirmata. Et de Sancto Innocentio primo Pontifice ſcribit liber Pontificalis: *Fecit turrim argenteam cum patena, & columbam deauratam.* Et Clerici ac Monachi Antiocheni, in libellis Joanni ſecundo Patriarchæ Conſtantinopolitano ac ejus Synodo exhibitis, lectis in Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Patriarcha, allegant adverſùs Severum ſuum Patriarcham. *Præſumptum eſt ab ipſo & hoc, Beatiſſimi: Nam columbas aureas & argenteas, in formam Spiritus Sancti ſuper Divina lavacra & altaria appenſas, unà cum aliis ſibi adpropriavit, dicens non oportere in ſpecie columbæ Spiritum Sanctum nominare.* Et io hiſtoria ſua Eccleſiaſtica, per præſentem Syoodum laudata, Joannes Diacrinomenus ſcribit de Xenaja ſeu Philoxeno Hierapolitano Epiſcopo, Provinciæ Eufrateſiæ Metropolita, nequiſſimo diſcipulo Severi. *Noſſe dicit & illud,* [Act. 5.] *eſſe puerilis ſenſus fingere in columbæ idolo Sanctiſſimum & adorandum Spiritum, præſertim cum Evangelicæ nequaquam tradant litteræ, quia factus eſt columba Spiritus, ſed quia in ſpecie columbæ apparuit aliquando. Quia verò diſpenſatoriè, non ſubſtantialiter ſemel oſtenſus eſt, non ideò aptum eſt pits corporis idolum faciendi.* Adverſùs hoc Severi & Philoxeni dogma interlocutus eſt Sanctus Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus: *In nomine Sancti Spiritus ſuperpoſitas columbas receperunt Pa-*

tres. Et interlocutionem præſens Synodus, licèt fidei decreto non inſeruerit, omninò probavit. Quocircà Nicephorus Caliſtus, dum Græco ſpiritu Armenios inſectatur, labitur in Severum.

Altera quæſtio eſt, An etiam Sancti Angeli in humana ſpecie legitimè effigientur? Negavit dictus Xenaja, de quo laudatus Joannes Diacrinomenus. *Non enim licitum aſſerebat Angelos, cùm incorporei ſint, corpora facere, & quaſi in humanis formis exiſtentes corporeos formare*. Et infrà. *Crebrò Angelorum imagines deponens* in Eccleſiis *delebat*. Ex quo liquet ipſas ante ejus temeritatem omninò in Eccleſiis fuiſſe.

Et hinc reſpondeo eas eſſe omninò legitimas. In præſenti Synodo Conſtantinus Cypriorum
Act. 5. Metropolita id probat ex Cherubinis per Moyſen factis. *Vultum*, inquit, *hominis habebat Cherub: Et quomodò quidam dicunt, Quia quis vidit vultum Cherubin?* Et poſt elegantem de incorporea Angelorum ſubſtantia diſſertationem dicit Joannes Epiſcopus Theſſalonicenſis, in hac Synodo lectus. *Non ut Deos, ſed ut creaturas ſpirituales, & miniſtros Dei, & non ut propriè incorporeos exiſtentes, pingentes & honorantes Angelos non peccamus. Porrò in humana eos forma depingimus, eò quod frequenter ſic apparuerunt his, ad quos miſſi ſunt à Deo*. Ad quæ verba interlocutus eſt Sanctus Tharaſius: *Oſtendit Pater, quod & Angelos oporteat pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & veluti homines apparuerunt multis*. Et haſce imagines, de ipſorum ſubſtantia nihil definiens, in ipſo fidei decreto probavit præſens Synodus, & Romana Eccleſia, uti ex Nicolai primi Pontificis ad
Epiſt. 2. Michaelem Auguſtum Epiſtola liquet, omninò confirmavit.

Tertia quæſtio eſt, An ſolæ Sanctorum picturæ, non autem ſtatuæ legitimè fiant? Ratio dubitandi eſt auctoritas Sancti Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani in litteris ad Thomam Claudiopoleos Epiſcopum, Honoriadis Metropolitam, laudantis ſtatuam, quam Domino ante ædes ſuas erexit fœmina Philippi-Cæſareenſis à ſanguinis fluxu liberata. *Non hoc dicimus nos, ut ſtatuas æneas facere ſtudeamus*.

Reſpondeo cum marginali ſcholio Anaſtaſii Bibliothecarii. *Græci, ne Sacra omnibus pateant, ſacrum Altare cancellis circumcludunt, in quibus reponunt imagines, quæ ſimul altare contegunt, & populo adorandæ proponuntur. Huc videtur alluſiſſe Germanus. Id enim ſtatuæ minùs præſtare queunt. Ac proindè uſum imaginum, ut commodiorem & communiorem, magis etiam pium quodammodò vocavit. Nam alioquin pium eſſe ac receptum ab Eccleſia ſtatuarum uſum, ex quibuſdam Epiſcoporum interlocutionibus, & ex ipſa definitione hujus Synodi apertiſſimè conſtat*. Fidei namque definitio non tantùm pictas imagines probat, ſed quaſvis figuras. Et de Leone Iſauro ſcribit vita Sancti Stephani Auxentiani, quod primus ejus furor æream Domini crucifixi ſtatuam, Eccleſiæ portis ſuperpoſitam, invaſerit ac deturbarit. Ex hinc intelliges Græcorum ſchiſmaticorum in nos Latinos calumniam, adductam à tractatu Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum. *Latini hiſtorias Sanctorum præter paſſionem Chriſti in Eccleſiis ſuis non deſignant: Et ipſam non pictura, ſed opere plumario in ſimilitudine ſculptilium faciunt*. Quod ſolas, & quidem ſolius Chriſti Domini, ſtatuas faciamus, neſcio undè affirment.

Quarta quæſtio eſt, Quomodò & quare Domini & Sanctorum imagines vocemus venerandas & ſacras? Ratio dubitandi eſt, quod nullum elementum eſſe poſſit venerandum & ſanctum, niſi ſolemnibus Eccleſiæ precibus, aut ſancto chriſmate conſecratum: Nam & Eccleſiaſtica vaſa ità facimus ſacra. At verò nihil tale imaginibus impendimus, atque ità hoc titulo eas Iconoclaſticum Conventiculum proſcripſit ad res profanas.

Reſpondeo cum ejuſdem Conventiculi ſynodali Refutatione. *Multa, quæ in nobis ſacrata ſunt, orationem ſacram non recipiunt, cùm indè & ex ipſo nomine plena ſint ſanctitudine & gratia. Et propterea hæc ut reverà veneranda honoramus & ſalutamus. Ipſe enim typus vivificæ Crucis abſque oratione ſacra effectus penes nos colitur, & contenti ſumus figura ejus ad ſuſcipiendam ſanctificationem*. Addit ſignum iſtud ſeipſo eſſe adeò ſanctum, ut etiam in fronte aut aere à quovis formatum dæmones inſequatur ac fuget. Et infra. *Imaginem nihil aliud ſcimus, quam indicantem principalis imitationem. Hinc & nomen ejus ſortita eſt. Et ſecundùm id tantùm ei communicat, & ideò venerabilis eſt & ſancta. Si verò ſceleſti viri vel dæmonis eſt imago, polluta & contaminata eſt, quia & principale ejus contaminatum & profanum exiſtit*. Imagines ſunt indoctorum libri, ideòque vocibus in ſigni genere ſimiles: Hinc ut hæ, ità & illæ à ſola ſignificati qualitate dicuntur, & ſunt honeſtæ, caſtæ, impudicæ, profanæ, aut ſanctæ.

Adjungit Adrianus primus Pontifex in Reſ- L. 1. c. 39.
ponſis ad dubia Francorum. *Uſus ſanctæ noſtræ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ fuit & eſt, quando ſacræ imagines vel hiſtoriæ pinguntur, priùs ſacro chriſmate unguntur, & tunc à fidelibus venerantur: Inſtar facientes, ut locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens*, FACIES UNCTIONEM OLEI, ex quo & Altare, & omnia templi ac ſacrificii miniſteria ungantur & conſecrentur. Qui pius mos etiam hodie in quibuſdam Italiæ Eccleſiis dicitur ſervari. Addit laudata Refutatio etiam Eccleſiaſtica vaſa eſſe ſancta, & tamen nullis precibus ſanctificari. Conſonare videtur Sanctus Auguſtinus in Pſalmorum expoſitioni- Pſal. 133.
bus: *Ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur*. Con. 2.
Ego eorum per ſanctum chriſma & ſolennes preces conſecrationem firmus exiſtimo eſſe Sancti Sylveſtri Pontificis inſtitutum, ſuo loco elucidandum.

Quinta quæſtio eſt, Quibus in locis oporteat aut conveniat ſacras imagines collocari? Reſpondet in ipſa fidei definitione præſens Synodus eas *congruenter poni in ſanctis Dei Eccleſiis, ſacris vaſis, veſtibus, parietibus, tabulis, domibus, & viis*. Etenim cives Antiochenos, Sancti Meletii Patriarchæ ſui nomen cunctis paſſim ſuis filiis imponentes, plurimùm in ejuſdem encomio laudat Sanctus Joannes Chryſoſtomus & pergit. *Quod in nominibus feciſtis, hoc & ſuper illius iconam geſſiſtis*.

geſſiſtis. Etenim & in annulorum circulis, & in calicibus, & phialis, & in thalamorum parietibus, & ubique iconam ſanctam illam exararunt multi, ut non ſolum audirent ſanctum vocabulum iſtud, ſed & viderent corporis ubique figuram, & duplici quadam migrationis illius conſolatione fruerentur. Et de Romanis ac Sancto Symeone Scylita ſcribit in monaſti- Cap. 16. ca hiſtoria Theodoretus. *Ferunt maxima in Roma celebrem adeò virum eſſe, ut in omnibus officinarum veſtibulis parvas ejus imagines ſtatuant, tutelam ſibi ex his quamdam & præſidium comparantes.* Et in ſplendidè veſtitos opulentos fideles declamat Sanctus Gregorius Nyſſenus: *Noli Chriſtum pingere in veſtimentis, ſed potiùs horum ſumptus pauperibus eroga.* Ex quo vides non ſolas ſacras Eccleſiaſticas, ſed & uſuales fidelium veſtes olim fuiſſe imaginibus ornatas. Neque ipſas, ſed ſolam divitum tenacem in pauperes manum ſanctus Pater reprehendit. Eodem modo ſacros calices inſigniri conſuetos audivimus ſuprà à Tertulliano. Et ad Leonem Iſaurum ſcribit Pontifex Epiſt. 1. Gregorius ſecundus: *Nullus ex Chriſti amantibus ac religioſis hominibus iter olim peragens, abſque imaginibus peregrinationes obibat.* Etiam in publicis viis, plateis, balneis, foris, civitatum portis fuiſſe ſemper poſitas ſacras imagines, poſſit variè oſtendi.

Sexta quæſtio eſt, An ſacras imagines legitimè oſculemus? Reſpondeo adfirmativè. Liquet ex noſtræ Synodi decreto de fide, cujus etiam hanc partem fuiſſe à ſe confirmatam teſtatur Adrianus primus Pontifex in Reſponſis ad dubia L. 1. c. 25. Francorum. Definiit Synodus adversùs Leonem Iſaurum, qui ſacras imagines necdum exturbare auſus dicit in vita Sancti Stephani Auxentiani: *Ajo illas ſublimiori loco collocandas, ne ore quiſquam eas contingat, atque ita rebus honore dignis contumelias inferat.* Etenim in Baſilicis Græcorum ſacræ imagines, quas populus oſculari poſſet, fixæ erant in loco humili, cumque morem everſum Leo voluit, ſperans ſuas adversùs Deum cogitationes pedetentim adimplendas. Iſtum, inquam, oſculi morem Romana Eccleſia probavit, videtur tamen olim non uſitaſſe. Et hinc Patrum Prædicatorum tractatus Conſtantinopolitanus refert hanc Græcorum ſchiſmaticorum in nos Latinos calumniam: Latini *Crucem uno digito attingentes oſculantur, & ſacras imagines renuunt oſculari.* Et adversùm Armenios ſcribit Nicepho- L. 18. c. 53. rus Caliſtus. *Imagines ſacras honorant illi quidem, ſed non oſculantur: Ac digito tantùm eas contingentes, huic oſculum figunt.* Nempe ritum hunc, uti & alios plures, habebant Armenii à Sancto Gre- Cap. 7. gorio Magno & Eccleſia Romana. Eamdem Eccleſiam ſequentes Bulgari Nicolaum primum Pontificem de ſolarum ſanctarum Reliquiarum, non autem de ſacrarum imaginum oſculo conſuluerunt. Sanctæ Crucis ſignum ac Evangelii li- L. 2. brum, uti ex Jona Aurelianenſi Epiſcopo liquet, Latina Eccleſia ſemper eſt oſculata. De Crucis oſculo etiam reſpondit Bulgaris Nicolaus primus. Oſculi reverentiam ſoli Chriſto Domino, quem & Crucis ſignum & Evangelii codex repræſentant, exiſtimem olim fuiſſe à noſtris Majoribus reſervatam. Quidquid ſit, Conventiculi Iconoclaſtici Refutatio ſacras imagines rectè vetat vocari *ſimulacra*. Eſt vocabulum idolis jampridem adpropriatum.

Gregorium ſecundum Pontificem rogavit Leo Iſaurus: *Qui ſit, ut in ſex generalibus Conciliis de imaginibus nihil ſit dictum?* Etenim in præſenti Synodo Sanctus Taraſius Patriarcha nullum pro illis ſcriptum Canonem adducere potuit, niſi octuageſimum ſecundum Trullanum. Hinc Hæreſiarcha Auguſtus eas dixit rem inutilem, numquam ab univerſali Eccleſia probatam. Iſtud fuit palmare illi fundamentum. Quare ſeptima quæſtio eſt, An ipſum ſit verum? Reſpondeo ſacras imagines, licèt nullum pro ſe œcumenicum Canonem habeant, omninò tamen fuiſſe à ſex Synodis probatas. Dictæ enim Leonis petitioni eleganter reſpondet laudatus Pontifex. *Ne* Epiſt. 2. *de pane quidem & aqua dictum eſt quidquam, ſitne comedendum aut non comedendum, bibendum an non bibendum, quandoquidem hæc antiquitùs & à principio ad vitæ humanæ conſervationem habes tradita. Sic etiam imagines traditæ fuerant, ipſique Pontifices imagines ad Concilia deferebant: Nec ullus ex Chriſti amantibus iter peragens, abſque imaginibus peregrinationes obibat.* Et ad ejuſdem quæſtionis motorem Baſilium Tricacabum dixit Sanctus Stephanus Auxentianus. *Quid? An non ſex omnia Concilia in ſacroſanctis templis coacta ſunt, primum nimirùm in Nicææ Metropoli atque ampliſſimo urbis illius templo; ſecundum apud Conſtantinopolim in ſanctæ pacis templo, tertium in pulcherrimo Theologi templo, quod in Epheſina Metropoli ſitum eſt, quartum in ſanctiſſima Metropolitanæ noſtræ Chalcedonis æde, quintum autem ac ſextum Conſtantinopoli rurſum, alterum nempe in Auguſtiſſima Sophiæ templo, alterum autem in palatii æde, quam Oatum vulgò appellant? Quid igitur? An non in omnibus hiſce templis imagines pictæ erant? Quodnam ex prædictis Conciliis dejiciendas eas ac delendas eſſe cenſuit? Reſponde ad hoc Epiſcope.* Ex quo liquet Baſilium Tricacabum fuiſſe omninò Epiſcopum. De Epheſina tamen Synodo labitur Sanctus Stephanus: Habita illa fuit in Eccleſia Virginis Deiparæ.

CAPUT VI.

Exponuntur antiqui errores de Sanctorum imaginibus, Reliquiis, ac invocatione.

PRimus ſacrarum imaginum hoſtis nequaquam fuit Leo Iſaurus. Etenim ad primam præſentis Synodi Actionem dixit Sanctus Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Invenimus & Manichæos non recipientes iconas, & Marcioniſtas, & eos qui confundunt Chriſti naturas, quorum primus eſt Petrus Cnapheus, & Xenajas Hierapolitanus,*

politanus, hæretici, ſed & Severus. Et ad Actionem quintam: *Hebræos, & Saracenos, & Gentiles, & Samaritas, inſuper & Manichæos, atque Phantaſticos, id eſt, Theopaſchitas, imitantes Iconoclaſtæ voluerunt exterminare venerabilium imaginum viſionem*. Infrà addit à eunctis iſtis Erronibus Eccleſiam fuiſſe de idololatria accuſatam. *Xenajas*, inquit Joannes Diacrinomenus, *non exiſtimat honorem aut gloriam impendere Chriſto imaginem ei per picturæ artem efficere; eſſe autem illi acceptabilem ſolam in ſpiritu & veritate adorationem*. Hinc quaſvis imagines aut fregit, aut certè abſcondit. Impietatem ſecuta eſt omnis Factio Eutychianorum.

Omnis item Ariana colluvies, nec non ejus doloſus atque acerrimus pugil Euſebius Cæſareenſis Epiſcopus, Conſtantiæ Auguſtæ, Conſtantini Principis ſorori, Chriſti Domini imagi- F. 619. nem poſtulanti, reſcribens *non aliquando apud ſe inveniendam imaginem*. Etiam in Eccleſiaſtica hiſtoria virus occultare nequiit, dicans de Chriſti Domini & Sanctorum Principum Apoſtolo- L. 7. c. 14. rum ſacris ac antiquiſſimis imaginibus. *Veroſimile eſt, quod Majores noſtri ad gentilis conſuetudinis ſimilitudinem quam proximè accedentes, eos qui tamquam ſervatores illis fuiſſent, id eſt, aliquid ſalutis & ſubſidii attuliſſent, apud ſe honore ad hunc modum afficere conſueverant*. Sacras imagines è vetuſto Paganorum more deſcendere libens admitto; uti admiſit Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in litteris ad Thomam Metropolitam Claudiopolitanum, agens de ænea Domini ſtatua, facta per mulierem Philippi-Cæſareenſem: *Secundùm gentilem conſuetudinem factum eſt, non renuente, ſed volente Domino, ut demonſtretur per plurimum tempus ipſius bonitatis miraculum*. Imaginum uſum, uti & alia quædam, mutato fine & modo, Sancti Apoſtoli è gentili & ſacrilego fecere Sanctum & Chriſtianum.

Verùm quæ connexio hæreſis Marcioniticæ, Manichææ, Arianæ, Eutychianæ, & generaliter eunctæ duas in Chriſto Domino naturas confundentis, cum errore Iconoclaſtico? Edicit Iconoclaſtici Conventiculi Refutatio: *Prædicant ſine anima rationali hominem factum fuiſſe Dominum noſtrum, & pro anima Divinitatem habere, ut paſſionem in eam efferant, &, utpotè Deitatem paſſam fatentes, non admittunt imaginem*. Lucidiùs edicit ipſe Euſebius in memorata Epiſtola ad Conſtantiam. Ait Divinæ formæ ſive naturæ nullam poſſe fingi imaginem, & pergit. *Sed utique* F. 617. *que ſervi formæ imaginem quæris, & corpuſculi quo amictus eſt propter nos. Sed & id gloria Divinitatis temperatum didicimus, & abſorptum eſſe mortale à vita*. Omnes confundentes docent in Domino, non veram carnem, ſed ſolam illius phantaſticam ſpeciem, quæ nullo pacto poſſit effigiari. Et hinc Epiphanio Eccleſiæ Catanenſis Diacono, ac Act. 1. Thomæ Calaritani Archi-Epiſcopi Legato, roganti, *Minor eſt prioribus*, Encratitarum, Novatianenſium, ac Arianorum *hæreſibus novitas præſens* Iconoclaſtica, *an major*, rectè reſpondit Joannes monachus, Orientalium Patriarcharum Vicarius ac Legatus: *Hæreſis hæc pejor eſt omnibus hæreſibus, & malorum peſſima; veluti quæ diſpenſationem Salvatoris evertit*.

Primus ſacrarum Reliquiarum hoſtis, uti in libris adversùs Claudium Taurinenſem rectè advertit Jonas Epiſcopus Aurelianenſis, fuit Euſtatius Sebaſtenſis Epiſcopus, primæ Armeniæ Metropolita, in quem ſtatuit Synodus Gangrenſis: *Si quis ſuperbiæ uſus affectu conventus abominatur, qui ad confeſſiones Martyrum celebrantur, & miniſteria, quæ in illis fiunt, ſimul cum eorum memoriis execratur, anathema ſit*. Cap. 20. Neque ſolas eorum confeſſiones, memorias, ſeu reliquias ille abominatus eſt, ſed & omnes Baſilicas, factus Patriarcha noſtrorum Svencfeldianorum, qui etiam ſacras litteras, utpotè creaturam, projicientes, ſoli Deo ſe affigi jactant, & vocant *Cæleſtes Prophetas*. Cardinalis Stanislaus Hoſius meritò vocat Stencfeldianos. Ex eis prodierunt Anglorum Independentes. Etiam à duplicis Divinitatis fabulonibus exiſtimo ſpretas fuiſſe Reliquias: Carnem enim dixere natura malam, diaboli opus, alienam à ſpe reſurrectionis. Hinc & Martyria ſpernebant.

Euſtatio ſucceſſit Eunomius, Cyzici Epiſcopus, Helleſponti Metropolita, puti puti Arianiſmi reſuſcitator, ab ipſis etiam Arianis damnatus, homo corpore & mente leproſus, de quo Sanctus Hieronymus in libro adversùs Vigilantium. *Rides de Reliquiis Martyrum, & cum auctore hujus hæreſeos Eunomio Eccleſiis Dei calumniam ſtruis*: Cap. 4. *Nec tali ſocietate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Eccleſiam loquitur. Omnes enim ſectatores ejus Baſilicas Apoſtolorum & Martyrum non ingrediuntur, ut ſcilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris auctoritatis arbitrantur quam Evangelia, & in ipſo credunt eſſe lumen veritatis: Sicut aliæ hæreſes Paracletum in Montanum veniſſe contendunt, & Manichæum ipſum dicunt eſſe Paracletum*. Primus ille cum Juliano Apoſtata effutiit ad Reliquias non veraciter torqueri dæmones, ſed ſua doloſè tormenta ſimulare.

Eunomio ſucceſſit Vigilantius, homo Gallus, natus in civitate Convenarum, verùm in Hiſpania, uti in catalogo Gennadius ſcribit, Parochus neſcio cujus Eccleſiæ ſpectantis ad Epiſcopum Barchinonenſem. Ei Riparius Presbyter & Sanctus Hieronymus imponunt errores varios. Primo, negavit invocationem Sanctorum, ob duas rationes. Prima erat, quod eorum animæ uſque ad judicii diem ſint extra Dei conſpectum in quopiam quietis loco, ideòque ſuis tumulis aut Reliquiis, audituræ vota ſupplicantium, non poſſint adeſſe. Altera erat, *Quod dùm vivimus, mutuò pro nobis orare poſſimus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, præſertim cùm Martyres, ultionem ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare non quiverint*. Secundus ejus error Sanctorum Reliquias, ut vilem & paſſim diſſolutum hominis apud Deum nihil valentis pulverem, blaſphemavit, prohibens illis accendi cereos, aut quemvis impendi honorem. Errorem tertium adducit in Sancti Iſaiæ Prophetæ commentariis laudatus Hieronymus. Cap. 6. *Nuper ſub magiſtro cerebroſe in Gallia pullularunt, qui*

qui Baſilicas Martyrum declinantes, nos qui ibi orationem ex more celebramus, quaſi immundos fugiunt. Quod nempe tangere mortuum ſit immunditia legalis. *Hoc autem non eam illi faciunt, quam habitantes in eis dæmones, fortitudinem & flagella ſancti cineris non ferentes.* Antiquam pietatem, qua Majores noſtri poſt nocturnum ac innoxium naturæ in ſomno fluxum ingredi non audebant Martyrum Baſilicas, *ut mulierculrum deliramenta*, cerebroſus ille *ſubſannabat*. Ex quo vides Sanctorum invocationem, Reliquiarum cultum, & Baſilicarum dedicationem eſſe connexa, adeòque unius adſertione aut negatione adſeri aut negari omnia tria. Alios item errores habuit Vigilantius, verùm à noſtro propoſito alienos. Alienus non eſt error Meſſalianorum, de quo
Cap. 18. in libro de ſectis Conſtantinus Harmenopulus: *Deiparam nullo dignantur honore, neque Præcurſorem & Baptiſtam Joannem, neque Sanctos, Martyribus exceptis.* Et hinc in Oratione de ſanctarum imaginum reſtitutione, exſtante in quinto decimo tomo Bibliothecæ ſanctæ, Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus Iconoclaſtas paſſim vocat *Bogomilos*, id eſt, peſſimam partem Meſſalianorum.

CAPUT VII.

Exponitur exordium erroris Iconoclaſtici.

ERroris exordium fuit à juratis Religionis Chriſtianæ hoſtibus Judæis, Saracenorum in Romano Imperio graſſantium poteſtate abuſis, de quibus ad Domini annum ſexcenteſimum quadrageſimum Georgius Cedrenus. *Humarus Saracenorum Princeps ædificare* Judæorum *templum Hieroſolymitanum cœpit: Cùmque ædificia non conſiſterent, Judæi cauſam rogati, eam expoſuerunt, & Crucem, quæ templo montis olearum impoſita erat, depoſuerunt. Ità demùm ædificia firmata ſunt. Atque hæc res Chriſti oſoribus occaſionem præbuit multas Cruces deturbandi.*

Pergit laudatus Scriptor ad Chriſti Domini annum ſeptingenteſimum tertium. *Paucis, antequam Leo Iſaurus imperare cœpit, annis, Hebræi quidam, Laodicæa Phœniciæ oriundi, Izethum Arabum Principem adiverunt, promittentes ei quadraginta annos duraturum in imperio, ſi veneranda & in templis Chriſtianorum honore culta ſimulacra per omnem ditionem ſuam deſtrueret. Perſuaſum hoc eſt fatuo Izetho, & decretum univerſale contra venerandas imagines compoſuit.* Latiùs rem in præſenti Synodo exponit Joannes monachus, Orientalium Patriarcharum Vicarius ac Legatus, dicens iſtum Saracenorum Principem fuiſſe nomine Izidum, illique à Judæo, mago & venefico,
Act. 5. promiſſos ſolos triginta imperii annos: *Dummodò omnem imaginalem picturam ſive in tabulis, ſive per muſiva in parietibus, ſive in vaſis ſacris & veſtibus altarium, & quotquot hujuſcemodi reperiuntur in cunctis Chriſtianorum Eccleſiis, exterminaret & perfectè deleret, nec non & quotquot in foris civitatum ad ornatum ſunt & decorem in quacumque ſimilitudine.* Addidit *omnem ſimilitudinem, ut importabilem oſtendere inimicitiam, quam contra nos habebat*: Ut in plenum vigorem reduceret legem Moſaicam, à qua omnem penitùs imaginem fuiſſe interdictam, eſt ſuprà oſtenſum.

Proſequitur laudatus Joannes monachus. *Tyrannus deceptione captus, levitate uſus Judæo obſecundavit. Et mittens depoſuit ab omni Provincia, quæ ſub ipſo erat, ſanctas imagines, & reliquas ſimilitudines, & hoc modo non parcens deturpavit Eccleſias Dei per veneficum Hebræum ſub ſua poteſtate ſitas. Porrò fugientibus Deo amabilibus Chriſtianis, ne propriis manibus ſubverterent ſanctas imagines, Hebræos Deo odibiles & viliſſimos Arabes angariabant, qui ad hoc miſſi erant Amiræi. Sicque incendebant venerabiles iconas, & domos Eccleſiarum modò quidem linientes, modò autem radentes. Quibus auditis, Pſeudo-Epiſcopus Nacoliæ, & qui circa ipſum erant, imitati ſunt iniquos Judæos & impios Arabes, injuriam inferentes Eccleſiis Dei. Juſtum autem judicio ſacro veſtro intimare auditui, qualem miſer ille finem & veneficus Hebræus ſuſceperit. Cùm enim hoc egiſſet Symbulus Ezidus, non pluſquam duobus annis & dimidio vivens defunctus eſt, & pervenit in ignem æternum. Et imagines quidem in antiquo ſtatu ſuo & honore reſtitutæ ſunt. Porrò hujus filius Hulidus indignatus, tamquam homicidam patris ſui veneficum turpiſſima morte occidi juſſit, digna pro facto falſæ Divinationis ſuæ portantem.* Addidit Gaudioſus Meſſanenſis Epiſcopus: *Et ego puerulus eram in Syria, cùm Saracenorum Symbulus imagines ſubverteret.*

Et quidem Hulidus ille non ſolùm veneficum Hebræum adgreſſus eſt, ſed & omnes ejus complices, de quibus laudatus Cedrenus. *Hulidus regno potitus Hebræos iſtos ut impoſtores necare voluit, quod illi ſentientes, profugi in Iſauriam deflexerunt. Ibi cùm ſe ad fontem quemdam refrigerarent, ſupervenit Leo, adoleſcentulus etiamnùm, formoſus & procero corpore, qui ſe ſordida arte alebat, & prandendi gratia, fonti ipſe quoque adſidens, jumentum onere levat. Hinc illi, genio vaticinium ſuggerente, prædicunt fore, ut Romanorum imperio potiatur, neqauaquam prorſùs fidem rei faciunt. Interim juramento eum adigunt, ſi hunc eventum res ejus habuerint, facturum quod ipſi ab eo poſtulaturi eſſent. Juravit eis hoc ad templum beati Theodori, quod erat in proximo.* An dumtaxàt generatim ipſis favere, an ſpeciatim ſacras imagines demoliri jurarit, res eſt incerta. *Digreſſis eis, Leo à Siſinnio Patricio in exercitum adſciſcitur, neque multò poſt à Juſtiniano* ſecundo Auguſto *Spatarius factus, potitus victoria, à Theodoſio* tertio *Orientis Dux creatus imperium conſecutus eſt.* Idque auxilio & favore Saracenorum. Jure Leo, Conon anteà dictus, fidem negavit tantis magorum promiſſis: Fuiſſe enim viliſſimum & pauperrimum puerum ſcribit etiam Michael Glycas. L. 4. c. 45.

Pergit Cedrenus ad annum ſeptimum imperantis

Digitized by Google

tis Leonis. *Vates iſti Hebræi, qui Leoni imperium prædixerant, veniebant, promiſſumque ſibi ab eo ſacrarum imaginum ſubverſionem poſtulabant, pollicentes ei, ſi ſatisfeciſſet, vitam centum annorum. His ſceleroſus ille fidem adhibens, multa nobis Chriſtianis mala paravit. Nactus enim quoſdam ſecum ſentientes, interque hos Nacoliæ Epiſcopum, religionem haud leviter polluit.* Nacolia fuit civitas Phrygiæ ſalutaris, ac de iſto ejus Epiſcopo Conſtantino dixit ad præſentem Synodum etiam San-
Act. 4. ctus Tharaſius Patriarcha: *Initium hæreſeos ex illo fuit.* Neque mireris ſtultis ejuſmodi promiſſis Leonem ſeductum: Fuiſſe enim verum Iſaurum, id eſt, ſuperbum, pertinacem, indoctum, craſſum, ſtupidum Gregorius ſecundus Pontifex reſtatur, & addit in prima ad ipſum Epiſtola. *Teſtis eſt Deus, quaſcumque ad nos miſiſti Epiſtolas, auribus cordibuſque Regum Occidentis obtulimus, pacem illorum tibi & benevolentiam conciliantes, teque laudantes, & mirificè efferentes, prout te anteà converſantem intuebamur. Idcircò enim laureata tua receperunt, ut Reges à Regibus honore affici convenit.* Et iterùm in eadem Epiſtola: *Per decem annos*, utique in imperio, *rectè ambulaſti.* Quod ipſum dicit vita Sancti Stephani Auxentiani, addens doloſè & ſimulatè egiſſe. Ut ut ſit, errat Cedrenus, dicens nono imperii anno cœpiſſe in ſacras imagines inſanire.

Laudata vita exponit inſaniæ exordium. *Leo acta Senatorum claſſe, abſurdum illud & impium evomuit, imaginum picturas formam quandam idolorum retinere, neque iis cultum adhibendum eſſe, ne alioquin Dei loco imprudentes idola veneremur.* Exhorruit Senatus; ſed & Regiæ civitatis orthodoxus populus, ideòque parabat in illum, quod olim Anaſtaſium Auguſtum paſſum refert Cedrenus. *Adduxit Anaſtaſius Cyzico pictorem*
F. 295. *quemdam Syro-Perſam, habitu Presbyteri, qui in Regia quædam monſtruoſa & ab imaginibus Eccleſiaſticis aliena pingeret: Ob quæ magna populi eſt orta ſeditio.* Hinc Leo leonis conſtantiam exuens induit chamaleontem, & dixit. *Non huc ſpectat mea oratio, ut imagines penitùs deleantur, ſed ajo ſublimiore loco collocandas, ne ore quiſquam eas contingat, atque ità rebus honore dignis contumeliam inferat.* Ab oculis & oſculi reverentia remotas ſperabat ab omni paulatim amore excludendas. Ejus metum ac palinodiam Sancto præſertim Germano, Patriarchæ Conſtantinopolitano, adſcribit Conſtantinus Manaſſes.

Humani metus victricem cupiditatem eſſe aquis aggerum victricibus in violentia ſimilem rectè docet Sanctus Auguſtinus. Hinc enim à Conſtantino Nacolienſi, Theodoſio Epheſino, Joanne Nicomedienſi, Siſinnio Paſtilla Pergenſi in Pamphylia, ac Baſilio Tricacabo neſcio cujus civitatis Epiſcopo, hæreticis impudentiſſimis, in reprobam mentem circumſcriptus Leo Imperator fecit quæ illi improperat Sanctus
Epiſt. 1. Pontifex Gregorius ſecundus. *Eccleſias Dei, quas ſancti Patres conveſtierant & ornarant, tu ſpoliaſti atque denudaſti, tametſi talem habebas Pontificem, Dominum Germanum.* Hujus civiles & Eccleſiaſticas virtutes laudat plurimùm, addens fuiſſe virum nonaginta quinque annorum. Et in alia Epiſtola. *Cùm ſanctas Eccleſias fimbriatis aureis* Epiſt. 2. *veſtibus conveſtitas & variegatas inveniſſes, eas ornatu privaſti atque vaſtaſti.* Et poſt Eccleſiarum picturas egregiè commendatas pergit. *At tu ab his abſtinere juſſos humiles populos in otioſis ſermonibus, nugis, cytharis, crepitaculis, ſibilis, & tricis occupaſti. Et pro gratiarum actione & celebratione ad fabulas traduxiſti.* Et iterùm. *Non ità eſt, uti dicis Imperator, quaſi Deos Martyres appellemus.* Non ſolas imagines, ſed & Sanctorum invocationem damnavit Leo, utriuſque cauſa omnem Eccleſiam accuſans de idololatria. Sanctum Germanum Patriarcham, quod ſactam in coronatione juratam de cuſtodienda orthodoxa fide profeſſionem improperaret, alapa percuſſit, militum fuſtibus & contumeliis expoſuit, ſede extruſit, proſcripſit, in Patriacharum intruſit Anaſtaſium Presbyterum, cognomento Lævum, Sancti Germani Syncellum ac proditorem, Epiſcopatus ambitu jam pridem ad omnia venalem. Duodecim monachos Regiæ Bibliothecæ cuſtodes, quorum Princeps dicebatur Doctor œcumenicus, vivos exuſſit, in plures impietati ſuæ adverſantes Epiſcopos & Clericos egit Neronem, Domitianum, aut Diocletianum. De ejus in fidelem plebem ſævitia ſcribit in Gregorii ſecundi Pontificis vita Anaſtaſius Bibliothecarius. *Leo Imperator compellebat omnes Conſtantinopoli habitantes, ut deponerent, ubicumque habebantur, imagines, tam Salvatoris, quàm Dei Genitricis, vel omnium Sanctorum, eaſque in medio civitatis igne cremarent, & omnes dealbarent depictas Eccleſias. Et quia plerique tale facinus fieri præpediebant, aliquanti capite truncati, alii corporis parte abſciſſi pœnam pertulerunt.*

Omnes ſacras imagines ubique dejecit Auguſtus Hæreſiarcha, omnes Baſilicarum pictos parietes dealbavit. Omnia item ſacra vaſa & veſtimenta conflavit ac redegit in fiſcum. Cauſam dat vita Sancti Stephani Auxentiani, alloquens Epiſcopos Iconoclaſtas. *An non, cùm in Concilio veſtro ſederetis, libellus vobis à piis quibuſdam viris oblatus eſt, qui Epiſcopum quemdam eo nomine deferret, quod lancem ſanctam, in qua Chriſti & Dei genitricis imagines ſculptæ erant, contriviſſet? Vos autem contritionis illius crimen imaginibus adſcribentes, ipſum quidem omni crimine ſolviſtis, pios autem viros ab Eccleſiæ cœtu proſcripſiſtis, idolorum vindices eos appellantes. Quo quid audaciùs aut flagitioſiùs fingi poteſt? An non etiam ſacram ſupellectilem ſanctis imaginibus exornatam concerpſiſtis?* Iſaurica Principis avaritia, quavis via in opes fœdè inhians, facinus adjuvit. Adjuvit & intruſus Patriarcha Anaſtaſius. At non impunè. Etenim poſtmodùm ob adjutam Artabaſdi tyrannidem fuit à Conſtantino Copronymo publicè fuſtigatus, aſino præpoſterè impoſitus, atque ità populo Conſtantinopolitano datus in ſpectaculum.

Sine Apoſtolica Sede nihil de Eccleſiæ dogmate aut ritu poteſt firmari. Hinc ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Gregorii ſecundi: *Juſſionibus poſtmodùm miſſis decreverat Imperator, ut nulla imago cujuslibet Sancti, aut Martyris, aut Angeli, ubicumque haberetur: Maledicta enim omnia aſſerebat. Et ſi acquieſceret in hoc Pontifex,*

gratiam

gratiam Imperatoris haberet; ſi hoc fieri præpediret, à ſuo gradu decideret. Ei ſpondet Leo ſuam gratiam, quod jam anteà eumdem ſede pelli & occidi juſſiſſet. Ejus ab Anaſtaſio memoratam juſſionem lucidiùs exponit ipſe Pontifex Gregorius. *Nos perterrefacis, aiſque, Romam mittam, & imaginem Sancti Petri confringam, ſed & Gregorium illinc Pontificem adduci curabo, ſicut Martinum Conſtantius adduci juſſit.* Et iterùm. *Scripſiſti ad me: Ozias Rex Judæorum poſt annos octingentos ſerpentem æneum è templo ejecit; ego verò poſt annos octingentos*, à Christo nato, *idola ex Eccleſiis ejeci.* Pro, *Ozias*, legendum eſt, *Ezechias*, recteque habet Scholion marginale: *Videtur error ex lapſu memoriæ.* Et in alia Epiſtola. *Obſecutus es pertinaci animo tuo ac domeſticis perturbationibus:* IMPERATOR SUM ET SACERDOS.

Tunc adimpleta eſt Sancti Gregorii Magni de ſacris Auguſtorum Principum in res Eccleſiaſticas juſſionibus Prophetia, ſcripta ad Sabinianum
L. 4. Epiſt. 39. ſuum Diaconum, ac in Regia urbe Apocriſarium. *Poſtquam defendi ab inimicorum gladiis nullo modo poſſumus, poſtquam pro utilitate Reipublicæ argentum, aurum, mancipia, veſtes perdidimus, nimis ignominioſum eſt, ut per eos etiam fidem perdamus.* Juſſiones iſtas dudùm diſpenſatoriè toleravit ex cauſis, numquam probavit Eccleſia: Eis Conſtantius, Valens, Zeno, Anaſtaſius, Juſtinianus, ac Mauritius Auguſti ortodoxam fidem & ſacrorum Canonum diſciplinam arietarunt, Leo Iſaurus omnem Chriſtianitatem perdere conatus eſt, ſtatuens ſe temeritate huc uſque inaudita Imperatorem & Sacerdotem, id eſt, Auguſtum Hæreſiarcham. Ab earum jam intolerabili ſervitute datam ſibi à Chriſto Domino poteſtatem & libertatem vindicatura Romana Eccleſia Græcorum jugum excuſſit, & Occidentis imperium Carolo Magno Francorum Regi tradidit, at ſub ſtipulata & jurata ceſſione ſacrarum juſſionum. Et hoc unico verbo ruunt omnia, quæ pro earum purgatione & inſtauratione pompoſè ac eruditè in Sacerdotii ac imperii concordia argutatur Petrus à Marca Archi-Epiſcopus Pariſinus.

Omnes Leonis Iſauri in Romanam Eccleſiam ac ejus Legatos violentias, ac ejuſdem Eccleſiæ ad ipſum ſanæ menti reddendum ſynodales ac perſonales conatus enarrare eſſet longum. Gregorii ſecundi, Gregoriique tertii Pontificum Synodos, legationes, preces, minas, aſſiduas ſine cogitandi feriis curas videre poſſis in libro Pontificali. Palàm ad illum ſcripſit Gregorius
Epiſt. 1. ſecundus: *Me prorsùs vitæ meæ tæduit, quod ſententiam non mutaris, ſed in malis perſeveres.* Optimum Pontificem adversùs illius barbaras machinationes defenderunt Luitprandus Longobardorum Rex, Carolus Martellus Francorum Princeps, Occidentales Reges omnes, ac ipſa intra Italiam militia Romana. Adeò ille in vanum à Luitprando pacem & auxilia exſpectavit. Rationem edicit Pontifex, agens de ænea Domini Salvatoris ſtatua, per Leonem ex Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ portis dejecta, & conſtanti fide mulierum Regiæ urbis, quæ dejectis ſcalis ſacrilegi facinoris executores fuſtibus necarant. *Tu mali æmulator miſſis ſatellitibus mulieres neſcio quot illic occidiſti, adſtantibus utilibus viris Romanis, & ex Francia, ex VVandalis, ex Mauritania, ex Gothia, & ut generatim dicam, ex toto interiori Occidente. Cùm autem advenissent, & in ſuis regionibus ſinguli juvenilia tua pueriliaque facta narraſſent, tunc projecta laureata tua conculcarunt, & faciem tuam conciderunt.* Ejus tractarunt imagines, quomodò ab ipſo viderant vel audierant tractari imagines Chriſti Domini & Sanctorum. Quin & Romanum in Italia Exarchatum ac Pentapolim junctis armis invaſere, & Romanam iſtic militiam ad Pontifici parendum & auxiliandum contra proprium Principem compulerunt. Pleroſque enim Latinos Reges fuiſſe Sancto Petro feudales aut vectigales, & pro ipſo ut pro Deo terreſtri animatos, ſuprà audivimus. Et hinc omnia illa imperii ſui mala optimo Pontifici Leo, extremum totius Italiæ excidium minitatus, adſcripſit. Nempe barbaros Latinorum Reges orthodoxa fides in Romanos, Romanum Auguſtum hæretica impietas in barbarum demutavit.

CAPUT VIII.

Exponitur graviſſima injuria Romanæ Eccleſiæ per Leonem Iſaurum illata.

ROmani imperii, qui tunc erat, fines deſcribit laudatus Pontifex in Epiſtola ad
Leonem Auguſtum. *Scis Romam Imperium tuum ulciſci non poſſe, niſi fortè ſolam urbem propter adjacens mare & navigia. Si enim ad quatuor viginti ſtadia fuerit Roma egreſſus Papa, nihil minas tuas extimeſcit.* Et iterùm. *Quod ſi nobis inſolenter inſultes, & minas intentes, non eſt nobis neceſſe tecum in certamen deſcendere: Ad quatuor & viginti ſtadia ſecedet in regionem campaniæ Pontifex, tùm tu vade, & ventos perſequere.* Apuli, Calabri, Marſi, Brutii, & Campanorum pars ſpectabant ad imperium, Roma erat limes: Ultra eam nihil habebat Leo, niſi maritimum Ravennæ Exarchatum, & regionem Pentapolitanam. Et quidem Baſilium Romanæ civitatis Ducem ſeu Gubernatorem, Pontificem trucidare aut captivare ſatagentem, Romanus populus captivavit, monaſterio clauſit, atque ità plenum & liberum almæ urbis dominium ad Pontificem devenit. Donatio Conſtantini, licèt exſtans hodie inſtrumentum ſit fictum, nequaquam eſt fabula: Romanæ urbis dominium Papa pridem habuit. Verùm arma & ſceleratorum vindex gladius erant in manu Principis: Ea Gregorius ſecundus accepit. An eis uſus fuerit, eſt altioris indaginis: Certè novi Auguſti electionem, in quam pruriebat orthodoxus populus, meliora de Leone ſperans con- Epiſt. 1.

ſtanter impedivit. Ille tamen in rabiem verſus fecit quod ad ejus Prooepotem Conſtantinum ac hujus matrem Irenem ſcribit Pontifex Adrianus primus. *Veſtrum à Deo coronatum ac piiſſimum poſcimus Imperium, ut ſi veram & orthodoxam ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ nitimini amplecti fidem, ſicut antiquitùs ab orthodoxis Imperatoribus ſeu à cæteris Chriſtianis fidelibus oblata atque conceſſa ſunt, Patrimonia beati Petri Apoſtolorum Principis, fautoris veſtri, in integrum nobis reſtituere dignemini pro luminariorum concinnationibus eidem Dei Eccleſiæ, atque alimoniis pauperum. Immò & conſecrationes Archi-Epiſcoporum ſeu Epiſcoporum, ſicut Olitana conſtat traditio, noſtræ Diœceſis exiſtentes, penitùs canonicè ſanctæ noſtræ Romanæ reſtituantur Eccleſiæ.* Et in reſponſionis ad dubia Francorum. *Quando Græcos pro ſacrarum imaginum erectione adhortati ſumus, ſimili modo & de diœceſi tam Archi-Epiſcoporum, quàm Epiſcoporum ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, commonentes quæſivimus reſtituere eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam tunc cum patrimoniis noſtris abſtulerunt, quando ſacras imagines depoſuerunt.* Et Nicolaus primus Pontifex in litteris ad Michaelem Auguſtum. *Oportet veſtrum* Epiſt. 2. *Imperiale Decus, ut antiquum morem, quem noſtra Eccleſia habuit, veſtris temporibus reſtaurare dignemini, quatenùs vicem, quam noſtra ſedes per Epiſcopos veſtris in partibus conſtitutos habuit, Epiſcopum videlicet Theſſalonicenſem, qui Romanæ ſedis vicem per Epirum veterem, Epirum novam, atque Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, Daciam Ripenſem, Daciam mediterraneam, Mæſiam, Dardaniam, & Prævalim, Beato Petro Apoſtolorum Principi contradicere nullus præſumat, quæ Anteceſſorum noſtrorum temporibus, ſcilicet Damaſi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Celeſtini, Xixti, Leonis, Hilari, Simplicii, Felicis, atque Hormiſdæ, ſanctorum Pontificum, ſacris diſpoſitionibus agebatur. Prætereà Calabritanum patrimonium, & Siculum, quæque noſtræ Eccleſiæ conceſſa fuerunt, & ea poſſidenda obtinuit, & diſponende per ſuos familiares regere ſtuduit, veſtris conceſſionibus reddantur. Volumus, ut & conſecratio Syracuſani Archi-Epiſcopi noſtra à ſede impendatur, ut traditio ab Apoſtolis inſtituta nullatenùs veſtris temporibus violetur.* Et io octavæ Synodi ad Adrianum ſecundum Pootificem præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius. *Tota Dardania, Theſſalia, Dacia, & utraque Epirus, atque cæteræ regiones circa Hiſtrum fluvium ſitæ, Apoſtolicæ Sedis veſtræ moderamine antiquitùs præcipuè regebantur & diſponebantur. Sed poſtquam Imperatores Romanorum, qui nunc Græcorum appellantur, variorum fautores vel inventores effecti errorum, ſanctam Chriſti Eccleſiam diverſis hæreſibus ſcindere minimè formidaverunt, ſcidit Deus imperium eorum, ut in occiduis partibus regnare paulatim, ſuperno decernente judicio, ceſſaverint, donec Romanos Pontifices ſuis pravitatibus incurvare conantes, nec valentes, ac per hoc multiplicibus pœnis afficientes, Heſperiæ poteſtatem jam prorsùs amitterent, Occidentis etiam imperio amiſſo; nihilominùs Romanis Pontificibus, quia jam jubere nequeunt, ſuadere nituntur ſuis læſis favorem ſenſibus accommodandum. Sed quia iſti cum Petro ſuper Petram veræ confeſſionis ſtantes peſtiferam ſuggeſtionem audire poſſunt, obaudire non poſſunt, mox illi, quoniam aliter eos lædere nequeunt, patrios & antiquos terminos transferunt, privilegia Sedis Apoſtolicæ corrumpunt, & penè omnia jura diſponendarum Diœceſeon auferunt, atque ſuis hæc fautoribus, conſentaneis, & ſectatoribus conferunt, cum quibus etiam jus, quod Sedes Apoſtolica ſuper prædictas regiones habuit, quia juxta ſe ſitæ videbantur, uſurpant, & Conſtantinopolitanæ Diœceſi nequiter applicant.*

Quomodò Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus omnem Illyricianam, decem & ſeptem Provinciis conſtaotem, Diœceſim, Romano Pontifici ſubreptam, per Theodoſii Auguſti legem Sedi ſuæ tranſcribere, atque ità ſe Patriarcham conſtituere tentarit, ſuprà ad ſextum decimum Sardiceoſem Canonem eſt abundè oſtenſum. Et quidem legem Theodoſius omninò caſſavit. *Omni*, ſcribit ad patruum ſuum Hono- Epiſt. 12. rium Auguſtum, *ſupplicantium Epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remota, ſtatuimus obſervari, quod priſca Apoſtolica diſciplina & Canones veteres eloquuntur. Super qua re, ſecundùm formam oraculi Perennitatis Tuæ, ad viros illuſtres Prætorii Illyrici noſtri ſcripta porreximus, ut ceſſantibus Epiſcoporum ſubreptionibus antiquum ordinem ſpecialiter faciant cuſtodiri: Ne venerabilis Eccleſia ſanctiſſimæ urbis privilegia à veteribus conſtituta amittat, quæ perenne nobis ſui nominis conſecravit imperium.* Eum laudatus patruus io hæc verba rogarat: Epiſt. 11. *Majeſtas tua, Chriſtianitatis memor, quam pectoribus noſtris miſericordia cæleſtis infundit, univerſis remotis, quæ diverſorum Epiſcoporum ſubreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem præcipiat cuſtodiri: Nec ſub Principibus Chriſtianis Romana perdat Eccleſia, quod aliis Imperatoribus non amiſit.* Ex quo liquet Illyricianam diœceſim ex Apoſtolico Canone, uti & de Syracuſani Epiſcopi conſecratione dicit Nicolaus primus Pontifex, ad Romanum Patriarchatum pertinere. Item liquet hanc omnem præſumptionem potiùs ab Illyrici Epiſcopis, præ Theſſaloniceoſi Regiam civitatem frequentare malentibus, quam ab Attico Conſtantinopolitano Epiſcopo proveniſſe: Aut certè ab Honorio & Theodoſio Auguſtis purgari Atticum, & invidiam in innominatos Epiſcopos derivari. Hanc omnem notitiam debemus Lucæ Holſtenio, vulgatæque per ipſum Romanæ Synodo Bonifacii ſecundi Pontificis in cauſa Stephani Lariſſeni Epiſcopi, per Theſſaliam Metropolitæ.

Quocircà admirationem meretur Juſtiniani Auguſti temeritas, qui legem iſtam, à Romana Eccleſia damnatam, ab Honorio Auguſto, ſine cujus auctoritate prodire non potuerat, improbatam, & à proprio auctore Theodoſio Auguſto Cap. 6. caſſatam, oon erubuit in ſuum codicem ſub titulo de ſacroſanctis Eccleſiis intrudere. Nempe adeſſe voluit novis molitionibus Epiphanii Patriarchæ Conſtantinopolitani, adverſùs quem Bonifacio ſecundo Pontifici dixit memoratus Stephanus Lariſſæ Archi-Epiſcopus: *Unum ſtudium habet, ut* Epiſt. 24. *in ſanctis Theſſaliæ Provinciæ Eccleſiis dominus atque judex eſſe videatur.* Et iterùm. *Putat de ſacrarum*

Eccleſiarum

Eccleſiarum Regiæ urbis jure aliquid minui, quod ego Apoſtolicam Sedem veſtram viſus ſum nominaſſe. Et ejuſdem Stephani Epiſcopi Provinciales. *Jus in noſtra Provincia ſibi facere præparat, ut exemplo iſto nemo audeat de ſanctarum Eccleſiarum noſtrarum jure quidquam dicere, nec memoriam facere antiquitatis, vel eorum quæ uſque hactenùs tenuerunt. Quia ſtudii ejus eſt, ut ſub ordinationem & jus ſanctæ Regiæ civitatis Eccleſiæ nos miſeros efficiat.* Dictus Theſſalorum Metropolita de neſcio quo crimine apud Epiphanium Patriarcham in jus vocatus de judicis incompetentia excepit, ex ſexto Niceno Canone ajens Metropolitas à ſuo Patriarcha judicandos, ac ſeſe ſpectare ad Romanum Patriarchatum. Hinc tamquam contumax fuit per Epiphanium ab officio Epiſcopali ſuſpenſus, carceri deſtinatus, ac de gratia detentus Conſtantinopoli ad datos fidejuſſores. Verùm enim verò Romam tandem acceſſit, atque Bonifacius ſecundus Pontifex vetuſta Eccleſiæ ſuæ privilegia diſcuſſit, demonſtravit, ſtabilivit.

Res ità manſit uſque ad Vigilium Pontificem, à quo per aliquot annorum exilium fracto idem Juſtinianus Auguſtus & quintæ Synodi confirmationem, & Primatus Acridani, quo vicariatus Theſſalonicenſis fuit graviter mutilatus, erectionem extorſit. Paulum Theſſalonicenſem Epiſcopum, qui graſſantibus in Romanam Eccleſiam Monothelitis, Apoſtolicas vices in ordinarium Primatum attollere tentabat, Sanctus Papa Martinus primus compreſſit, ideòque iſtius ſucceſſor Joannes à Legatis Apoſtolicis compulſus eſt ſextæ Synodo ſubſcribere in hanc formam: *Joannes miſericordia Dei Theſſalonicenſis Epiſcopus, & Vicarius Apoſtolicæ Sedis Romæ Legatus.* Attamen & Juſtinianus & ille Paulus Romanum Patriarchatum non præſumpſerunt mutilare. Primus Leo Iſaurus, ſacrilegas ſuas juſſiones à Gregorio ſecundo ſperni, ac Ravennæ Exarchatum, Pentapolim, ipſamque Romanam urbem ſibi erepta indignatus, omne Romanæ Eccleſiæ in Illyrico, Sicilia, Calabria, Apulia, & Campania patrimonium redegit in fiſcum, ac omnes iſtarum gentium Eccleſias tranſcripſit in Patriarchatum Conſtantinopolitanum. Grandis injuria & pertinax: Quæ non niſi per captam à Flandris noſtris Conſtantinopolim potuit ab Innocentio tertio poſt aliquot ſæcula, & nomine tenùs, reparari.

Et hinc in præſenti primùm Synodo apparuit Archi-Epiſcopus Syracuſanus, ità ſubſcribente ejus legato: *Galato exiguus Presbyter, & ex perſona Stephani Archi-Epiſcopi Siciliæ, libenter omnia, quæ præſcripta ſunt, ſuſcipiens ſubſcripſi.* Quare

L. 1. c. 7. n. 4. errorem continent hæc verba Petri A Marca Archi-Epiſcopi Pariſienſis: *Quin Siciliæ adminiſtrationem Eccleſiaſticam obtineret Metropolita Syracuſarum, dubitare non ſinit Epiſtola Conſtantini Imperatoris ad Chreſtum Syracuſanum apud Euſebium.*

L. 10. c. 5. Hæc ſunt Epiſtolæ verba: *Duobus Epiſcopis ex ſede ſecunda, quos tu ipſe tibi maximè deligendos judicaveris, adſumptis* ad Synodum Arelatenſem *occurras.* Hinc infert dictus Petrus Chreſtum fuiſſe primæ ſedis Epiſcopum, adeòque Metropolitam. Et pallii uſum, proprium metropoliticæ dignitatis ornamentum, ſemper fuiſſe Syracuſanis Epiſcopis, liquet ex litteris Sancti Gregorii Magni.

Aſſevero tamen illum tunc non fuiſſe Archi-Epiſcopum ſeu Metropolitam. Etenim litteris, L. 5. Epiſt. 18. quibus Mauritii Auguſti de certo hominum genere non monachando legem ad omnes ſuæ Patriarchalis diœceſeos Metropolitas miſit, laudatus Gregorius dedit hanc Epigraphen: *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbitio Dyrrachitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopolis, Joanni Corinthi, Joanni primæ Juſtinianæ, Joanni Cretenſi, Joanni Lariſſæ, Mariniano Ravennæ, Januario Calaritano*, utique Metropolitæ, *& omnibus Epiſcopis Siciliæ.* Quod nempe Siculi non haberent Metropolitam, niſi ipſum Pontificem Romanum. Lucidè hoc ipſum patet ex Apoſtolicis vicibus, quas Sancto Maximiano Syracuſæ Epiſcopo dedit idem Gregorius: Dedit eas, non *loco* aut ſedi, L. 2. Epiſt. 4. *ſed perſonæ*, ob notam ejus fidem ac integritatem, *quatenùs* religioſis Siciliæ *perſonis non ſit neceſſarium poſthac pro parvulis cauſis tanta maris ſpacia tranſmeando Romam pervenire.* Cur anteà Siculi etiam pro parvulis cauſis debebant Romam accedere? Cur eas Syracuſanus Epiſcopus non poterat ſine Apoſtolicis vicibùs terminare? Quod ipſe eſſet dumtaxàt Provincialis Epiſcopus, & ipſum Papam Sicilia haberet Metropolitam. In alia item Epiſtola ſcribit ad eumdem Maximianum: *Fraternitati tuæ noſtra auctoritate commiſſum* L. 3. Epiſt. 11. *eſt, ut quæ in Sicilia incongruè gererentur, noſtra vice corrigeres.* Sanè Metropolita ad corrigendos provinciæ ſuæ exceſſus delegatione Apoſtolica aut vice Patriarchali non habet opus. Quid magis ſpectat ad Metropolitam, quàm Provincialium Epiſcoporum cauſas cognoſcere, earumque ſtatum poſt ſynodale judicium Pontifici referre? At verò nec per Apoſtolicas vices id poterat Maximianus. Etenim cives Agrigentinos, Epiſcopum ſuum Gregorium accuſantes, non ſynodaliter à Maximiano audiri, L. 7. Epiſt. 12. ſed Romam ad ſe tranſmitti juſſit Gregorius, utpotè proprius, qui ſolas parvulas cauſas Maximiano delegarat, Siciliæ Metropolita. Meſſinenſis Epiſcopus ad graviſſima populi ſui crimina egit virum bonum & canem mutum: Neque tamen Maximiano, ſed Gregorio à civibus in prima inſtantia delatus eſt, & à Maximiano per Gregorium, pœnas ſibi reſervantem, L. 3. Epiſt. 12. juſſus vice ſua moneri. Quod videlicet nec illud ſine delegatione poſſet Maximianus. Epiſcopalium in Sicilia cauſarum primæ inſtantiæ ſemper deferebantur Romam: Eas poſt Maximiani mortem non ampliùs Syracuſæ Epiſcopo, ſed Apoſtolici in Sicilia patrimonii Rectori aut Romanæ Eccleſiæ ibidem Defenſori delegabat Gregorius, utpotè proprius inſulæ Metropolita.

Alia tria idipſum evincunt argumenta. Primum deſumitur ex Baſilicarum ſeu Oratoriorum dedicationibus, quas olim à Provinciali Epiſcopo ſine Metropolitæ licentia fieri non potuiſſe liquet ex litteris Montani Archi-Epiſcopi Toletani, in ſecunda Toletana Synodo exſtantibus. At verò ad Brutios, Lucanos, & Siculos Epiſcopos ſcribit Sanctus Pontifex Gelaſius primus: Epiſt. 9. *Baſilicas noviter inſtitutas, non petitis ex more præceptio-*

ceptionibus, dedicare non audeat. Subdit eamdem eſſe rationem Oratoriorum. L.12. Epiſt. 10. Ejuſmodi licentiam etiam à Gregorio Magno impetrarunt Felix Meſſinenſis, L.8. Epiſt. 63. Decius Lilybetanus, & Joannes Epiſcopus Syracuſanus. L.12. Ep. 4. Secundum argumentum deſumitur ex Epiſcoporum conſecrationibus, per omnem Romanum Patriarchatum fieri ſemper conſuetis à Metropolita: At verò Siculi Epiſcopi Romam ad Pontificis manum ſemper conſecrandi iverunt, adeò ut Nicolaus primus Pontifex dicat Syracuſani Epiſcopi conſecrationem ad ſeſe ex Canone Apoſtolico pertinere. Tertium argumentum petitur ex Eccleſiarum vacantium viſitatoribus, dari ſemper conſuetis à proprio Metropolita: At verò quod Siculorum Eccleſiæ eos ſemper à Pontifice acceperint, dubitare non ſinunt Epiſtolæ Gregorii Magni, adeòque demonſtrant eum iſtic tum fuiſſe proprium Metropolitam.

Neque refert, quod Conſtantius Auguſtus ſedem Syracuſanam dicat fuiſſe primam. Erat enim prima intra Siciliam, quomodò in Anglia Londinenſis, in ſecunda Belgica Sveſſionenſis, in Lugdunenſi Auguſtodunenſis, in Senonenſi Provincia fuit ſedes Carnotenſis; Prima, quam Græci proto-thronum vocant, poſt Metropolitanam. Item Pallii uſus nihil evincit; Nam etiam in Gallia Auguſtodunenſis, in Italia Papienſis, in Sicilia Meſſinenſis ac Panormitanus Epiſcopi habebant iſtud ornamentum ſine Metropolitica poteſtate;

Et hinc intelligeas litteras Sancti Leonis magni Epiſt. 4 c. 7. ad Epiſcopos Siciliæ. *Quia ſaluberrimè à Sanctis Patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conventus, terni ſemper ex vobis ad diem tertium calendarum Octobrium Romam fratrum Concilio indiſſimulanter occurrant: Quod utique laborioſum non eſt, ſi viciſſim inter vos hæc conſuetudo ſervetur*. Laudat Pontifex quintum Canonem Nicænum, palàm agentem de Synodo Provinciali: Siculi igitur ſpectabant ad Romanam Provinciam, & Dominus Papa erat eorum Metropolita. Hinc enim & Epiſtolæ Epigraphe habet: *Ad univerſos Epiſcopos in Sicilia conſtitutos*. Quia ab urbe remoti erant, diſpenſatoriè indulgetur, ut non ad utramque, ſed ad unam ſolummodò Synodum quotannis adveniant, & quidem ſoli tres alternatim. Poſteà, uti ad Cyprianum Diaconum ſcribit Sanctus Gregorius, permiſſum eſt ex cauſis, *ut ſemel in triennio Romam veniant*.

Vaſtiſſima olim fuit Romanæ Eccleſiæ Metropolitica Provincia: Omnem Calabriam, Apuliam, Brutios, Marſos, Campaniam, Thuſciam, Umbriam, Picenum comprehendens. Hinc antiquæ Romanorum Pontificum Epiſtolæ paſſim habent hanc Epigraphen: *Ad Epiſcopos Brutios, Ad Epiſcopos per Thuſciam conſtitutos, Ad Epiſcopos Campanos, &c.* Quod nempe iſtic nullus, niſi ſolus Romanus Epiſcopus, eſſet Metropolita. E Provinciis enim Metropolitam habentibus ille ſolus poterat Pontifici ſcribere ac referre, ideòque & hujus Reſcripta ad illum ſolum paſſim dirigebantur. Ità Siricius Himerio Tarraconenſi, Innocentius Rufo Theſſalonicenſi, Zozymus Pontifex Patroclo Arelatenſi Metropolitano paſſim reſcripſit. Exempla ſunt infinita. Nullos olim Italia habuit Metropolitas, niſi Romanum, Mediolanenſem, Aquilejenſem, ac in Sardinia Calaritanum. Ravennas primùm ſub Valentiniano tertio Auguſto emerſit. Rationem haurio ex Marciano Juriſconſulto, apud Juſtiniani Auguſti Digeſta diſtinguente Romanas *Provincias, Italiam, urbem*: L. 17. tit. 22. c. 1. Quod diverſa forma regerentur; quod Italia à Cæſare Auguſto ac iterùm ab Adriano Imperatore fuerit quidem in varios diſtrictus, ac tandem à Conſtantino Magno in Provincias diviſa, attamen quædam urbanæ ac ſuburbicariæ, quædam Italicæ, ac propriè Italia dicerentur; quod Italia contra Romam & urbanas provincias diſtingueretur. Hinc enim in Epiſtola ad Solitarios ſcribit Sanctus Athanaſius Mediolanum eſſe Italiæ Metropolim. Et antè Conſtantinum de Paulo Samoſatenſi Patriarcha Antiocheno, ſynodaliter damnato, Epiſcopalem domum deſerere recuſante, rogatus ad Synodum Antiochenam reſcripſit Aurelianus Auguſtus domum adſignandam illi, *cui Chriſtiani Italiæ & urbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam perſcriberent*. Euſeb. l. 7. c. 24. Romana urbs non niſi unicum ſemper habuit Epiſcopum: Per ejus Epiſcopos Princeps gentilis, at rerum Chriſtianarum peritus, intelligit Epiſcopos ad provincialem Romani Epiſcopi Synodum & metropoliticam poteſtatem pertinentes, eoſque diſtinguit à Chriſtianis Italiæ, utique ſpecialiter dictæ. Et in virorum illuſtrium catalogo ait Sanctus Hieronymus de Sancto Cornelio Papa: *Scripſit Epiſtolam ad Flavianum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum de Synodo Romana, Italica, & Africana*: Quod alia Italica, alia Romana eſſet provincia, Metropolita, adeòque & Synodus. *Poſt Italiam in provincias diviſam*, inquit eruditus Jacobus Gutherius in opere de officiis domus Auguſtæ, *partes quæ Italiæ Vicario parebant, propriè Italiæ nomen ſibi vindicabant; cùm aliæ, quæ Vicario urbis ſubjectæ ſunt, urbanæ cenſerentur*. Habebat hic Vicarius juriſdictionem ab ipſo Principe delegatam, ideòque illæ provinciæ erant propria ipſius Principis Diœceſis. Similis forma fuit ante erectas provincias, uti videre eſt apud Carolum Sigonium. Eamdem ſecutus Sanctus Petrus Apoſtolus Romano Epiſcopo in Metropoliticam Diœceſim adſignavit omnem cum Sicilia ſuperiorem Italiam uſque ad Padum flumen: Regio tranſpadana eſt ſpecialis antiquorum Italia, proprium habens Vicarium; ejus Metropolis eſt Mediolanum, ac illic Apoſtolus laudatus poſuit Italiæ Metropolitam. Rei cauſam dat Galla Placidia Auguſta, ad filium Theodoſium ſcribens de Sancto Leone Papa: Con. Chal. L. 1. Epiſt. 26. *Acceſſit Epiſcoporum multitudine circumſeptus, quos ex innumerabilibus Italiæ civitatibus pro principatu proprii loci ſeu dignitate collegit*. Grandiſſimam provinciam ac innumerabilem Epiſcoporum provincialem Synodum requirebat ſupremus Primatus Epiſcopi Romani. Et hæc eſt cauſa, cur Romanis olim Pontificibus plures Epiſcopos, quàm Presbyteros aut Diaconos conſecratos adſcribat paſſim liber Pontificalis: Quod nempe ſolos ſuæ Epiſcopalia Diœceſeos, ſolas urbicas cum vicinis cœmeteriis ac monaſteriis Eccleſias comprehendentis,

tis, Presbyteros ac Diaconos, ac verò innumerarum in Italia ac Sicilia civitatum Epiſcopos, à Ruffino dictos ſuburbicarios, Romanus Epiſcopus conſecraret. Sicilia urbis Vicario numquam paruit: Cur Romanæ metropoli adjecta fuerit, huc uſque ignoro.

Romanæ igitur Eccleſiæ volens pro viribus nocere Leo *Iſaurus* mutavit violenter hæc omnia; & non tantummodò Illyricianam Diœceſim, ſed & Siciliam ac omne hodie Regnum Neapolitanum tranſtulit in poteſtatem Patriarchicam ſui Anaſtaſii Epiſcopi Conſtantinopolitani. Vigeſimus octavus Canon Chalcedonenſis omnes Patriarchatui Conſtantinopolitano ſubjectos Metropolitas mandat conſecrandos ad Patriarchæ manus accedere; Hinc Syracuſanum in Sicilia, ac alios in dicta Italia Epiſcopos plures, quò Regiam urbem conſecrandi aut alia acturi frequenter accedere, ibidemque obedientiam profiteri coacti, à Romana Eccleſia pleniſſimè averterentur, ſuoſque Comprovinciales averterent, idem Leo erexit in Metropolitas. Quocircà Panormitani Archi-Epiſcopatus antiquitas eſt fumus & palea: Eſt opus Nortmannorum, qui ejectis Græcis Metropoliticam dignitatem Syracuſis Panormum tranſtulerunt.

CAPUT IX.

Exponuntur errores ac facinora Conſtantini Copronymi Imperatoris.

PEſtilentia, terræ motibus, fame, rebellionibus, cladibus infeliciſſimum fuit Leonis Iſauri Imperium. *Regnavit Leo*, inquit Theophanes, *ab octavo calendas Aprilis quintæ decimæ indictionis uſque ad quartum decimum calendas Julii nonæ indictionis, cùm regnaſſet annis viginti quatuor, menſibus duobus, diebus viginti*. Adeò non pertigit ad centum imperii annos, à veneficis Hebræis promiſſos. Falſos vates, Hulidum Saracenorum Principem imitatus, omninò debuerat de vita tollere ſucceſſor & filius: Verùm Copronymus ſeu Stercoreus, Caballinus, Manichæus, Judæus, Cayphas, Herodes, Nero, Syrus, Neſtorianus, Anti-Chriſti præcurſor meritò eſt ille dictus.

Prioris nominis cauſam edicit Theophanes ad quartum annum Leonis Iſauri. *Cùm* Sanctus *Germanus* Patriarcha Conſtantinopolitanus *Conſtantinum baptizaret, dirum quidquam & fœdum parvulus Conſtantinus exhibuit argumentum, ſtercus emittens in ſanctum lavacrum, ità ut Germanus prophetice diceret*: CONSTAT CHRISTIANIS ET ECCLESIÆ, MAXIMI PER EUM MALI EFFICIENDI HOC SIGNUM ESSE. Ità Caroli quarti Imperatoris Latini filius Wenceslaus, cujus ignava improbitas hæreſi Huſſitica, omnium hodiernorum malorum origine, fœdavit Germaniam, prodigiosè minxit in ſacroſanctum fontem. Etenim & apud Græcos olim & apud Latinos adulti intrabant, parvuli naturaliter nudi fonti eidem imponebantur.

Secundi nominis cauſam ediſſerit Theoſterictus in Niceta. *Conſtantinus tantoperè ſordium & impuriſſimæ cujuſque rei malo odore delectabatur, ut animalium brutorum ſtercoribus ſe illiniret, & eos, qui cum ipſo erant, id facere juberet, quos amabat, ob idque benignè excipiebat*. Theophanes ſpeciatim caballino ſtercore & lorio delectatum affirmat. Quare Michael Glycas, volens à Cabala civitate dictum Cabalinum, hallucinatur.

Nec ſine cauſa dictus eſt Syrus. Etenim Syros Monophyſitas, potentes impietatis ſuæ pugiles, induxit in Patriarchatum Conſtantinopolitanum. Quàm verè Neſtorianus dictus ſit, aperuit Pſeudo-Patriarcha Anaſtaſius, dum Artabaſdo, impii Principis Sororio, viro catholico, aſt imperii invaſori, favens, ac ſacroſancta Crucis ſigna tenens in manu dixit ex ambone ad Regiæ civitatis populum: *Dixit mihi Conſtantinus, ne exiſtimes filium Dei eſſe quem genuit Maria, quique dicitur Chriſtus, ſed purum hominem; Maria autem cum peperit, ſicut me peperit Maria*, ſic vocabatur, *mater mea*. Quare non ſolummodò Neſtorianus fuit, ſed inſuper Hebionita, & Saracenus: Haud dubiè fœditates iſtas edoctus à Patre Leone.

Inflicta per Artabaſdum calamitas non reddidit meliorem. Etenim de reſtituto in imperium pergit Theophanes. *Imperator, accerſito Conſtantino*, quem Anaſtaſio ob præſtitum Artabaſdo auxilium ejecto ſubintruſerat, *Patriarcha, dixit et: Modò qui vos læderet, ſi dixerimus Theotocon Chriſtotocon eſſe? At ille hunc complexus ait: Miſerere Domine, ne ad contagionem tuam veniat ſermo iſte. Nonnè vides, qualiter divulgetur & anathematizatur Neſtorius in tota Eccleſia? Qui reſpondens ait: Ego diſcere volens interrogavi; verùm uſque ad te ſermo*. Solus orthodoxi populi metus ſuſpendit illum ab impia prædicatione. Addit Georgius Cedrenus. *Conſtantinus certior factus, Patriarcham multis hominibus pro certo perſuaſiſſe, Imperatorem ſibi dixiſſe, ſe Chriſtum pro Deo, & proindè matrem ejus pro Deipara nequaquam habere, furore adversùs eum, ut qui ſecretum ipſius publicum traduxiſſet, incenſus eſt*. Eum juſſit verberari, in triumphum duci, raptari, conſpui, carcerari, errores Neſtorianos ac Iconoclaſticos profiteri, atque ità in anima mortuum etiam corpore trucidari mutilatum capite, ac projici in Pelagium, hoc eſt, in deſtructam Sanctæ Pelagiæ Eccleſiam, demutatam in ſepulchrum capite damnatorum.

Quid de Sanctorum Invocatione Conſtantinus ſenſerit, edicit laudatus Theoſterictus. *Conſtantinus habitu erat Chriſtianus, mente Judæus. Quam enim Chriſtus ſibi in domicilium delegit, glorioſiſſimam ſuam matrem, omnibus aliis rebus creatis ſuperiorem, omnium hominum ſalutem, mundi patrocinium, quæ propter virginitatis ſuæ præſtantiam propè*

Deum

Digitized by Google

Deum verſatur : Hujus , inquam , venerandum nomen multis modis ab Eccleſia pellere ſtuduit; ejus verò interceſſiones , per quas mundus conſiſtit, ut nominare quidem voluit , cùm diceret nimini eam opitulari . Conabatur autem , quod dicebat , hoc exemplo confirmare. Cùm enim aliquando marſupium , aureis nummis plenum , in manum ſumpſiſſet, & iis , qui cum ipſo verſabantur , oſtendiſſet , quærens : Quantinam marſupium hoc valet? Multùm , inquiunt illi. Cùm verò aurum ejeciſſet , rurſùm quæſivit , Quantinam marſupium eſſet? Cùm illi reſpondiſſent nihil valere; ità , inquit miſer ille , & Dei parens Maria , (neque enim ſanctam nominare dignabatur indignus ille) quo tempore Chriſtum in ſe habebat , valdè honoranda erat , ex quo autem tempore illum peperit , nihil differebat à reliquis. O blaſphemiam , ò ſuperbiam , ò immenſam Dei tolerantiam , ò ſummam patientiam ! Quomodò ipſius lingua non obmutuit , quæ adversùs Chriſti matrem tam ſuperbè iniquitatem locuta eſt? Quidnam à blaſphemis Judæis novus hic & Deo invisus Phariſæus differebat! Quod omnem precantem , *Dei genitrix adjuva me*, decreverit vocari *immemorandum*, Theophanes teſtatur. Eadem ſenſiſſe
F. 378. de omnibus Sanctis, adfirmat Cedrenus.

Quid de monachis, votis monaſticis, Sanctorum Baſiliciis ac Reliquiis voluerit , docent ejus ferina in iſtos barbaries, & in Sanctam Pelagiam ac Sanctam Euſemiam acta, in Canonum ſcholiis explanata. Et quidem de Sanctæ Euſemiæ corpore ſcribit Theophanes. *Venerandas Reliquias Conſtantinus cum ligneo loculo depoſuit in quadam domo oratoria ex iis , quæ erant in Regia. Quamobrem ejus ſorores & filiæ aromatibus , unguentis , & luminibus eas adorabant clanculùm propter inſignem gratiam & miraculorum magnitudinem.* Etenim Sanctam Anthuſam ejus filiam mirè laudat Menologium Græcorum. *Ex pretioſis Sanctæ Euſemiæ Reliquiis exibat ſanguis plenus bono odore*, medela quorumvis ægrorum. Et hìnc Conſtantinopolitana urbs , immò omnis mundus Chalcedonem confluebat. Quomodò eaſdem Reliquias olim ſub Heraclii imperio gentiles Perſæ exurere fruſtrà tentàrint, refert idem Scriptor, & addit. *Eas ignis omninò non tetigit , niſi ſolùm quod cùm ex arca forma globi reſiliiſſet , providit ut facilior daretur ingreſſus ad Reliquias iis , qui volunt haurire gratiam curationum, nempe per dictum foramen.* Sacrarum Reliquiarum arcæ paſſim habebant olim foramina, quò illis Brandea admovebantur. Et hæc erat ſecunda, per Hormiſdæ Pontificis Legatos laudata , cataracta. Porrò ſecreta illa ſororum ac filiarum pietate læſus Conſtantinus Sanctam Euſemiam in mare projecit.

Ejus item ſororius ac imperii invaſor Artabaſdus erat orthodoxus, omneſque reſtituit ſacras imagines. Hìnc de noſtro poſt receptum imperium, & adeptas in Oriente ad Eufratem de Saracenis victorias Imperatore Caballino ſcribit Georgius Cedrenus. *Copronymus* , Germaniciæ apud Eufratem poſitus , *matris ſuæ cognatos ſibi adſciſcit , & Byzantium transfert , multoſque cum his Syros , Chriſto unicam affingentes naturam , qui dicuntur Monophyſitæ*. Et infrà . *Cognatos ſuos Armenios , & Syros hæreticos ad ſe receptos Byzantii & in Thracia collocavit , qui in hunc uſque diem in hæreſi tyranni perſiſtunt*. Monophyſitas fuiſſe ſacrarum imaginum hoſtes ſuprà oſtendi : Eos Conſtantinus in adjutores adſumpſit.

Pergit Cedrenus : *Exegit ab omni imperio ſuo ſubjectis juramentum, quo confirmarent nulli ſe ſimulacro ſupplicaturos. Quos inter fecit ut Conſtantinus falsò Patriarcha dictus ſuggeſtum conſcenderet , elevatiſque venerandis Crucis lignis adoratorem ſimulacrorum ſe eſſe jurejurando interpoſito diffiteretur. Et perſuaſit ut pro monacho fieret Stephanita ; carne veſceretur , inque Regia menſa tibicines audire ſuſtineret*. Idem populi juramentum refert vita Sancti Stephani monachi Auxentiani. Anaſtaſii Patriarchæ nuperam apoſtaſiam, ac reſtitutas ab Artabaſdo ſacras imagines Judæus Imperator mente volvebat, ideòque ſuas in Deum machinationes ità voluit ſtabilitas. Porrò Stephanitam fieri eſt luxurioſorum in morem inter epulas coronari, quod nulli Epiſcopo licet, præſertim ex monachis adſumpto. Eiſdem non licet vinum cum muſica bibere, neque carnes apud Græcos comedere. Nam & Sanctum Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum dejecit Juſtinianus Auguſtus, quod ex monacho Epiſcopus aviculas, de quibus tamen an monacho liceant diſputatur, comediſſet. Et in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum tractatu Græci ſchiſmatici accuſant nos Latinos : *Si quis monachus in Epiſcopum promoveatur , carnes manducat intrepidè*. Suum itàque Patriarcham tyrannus voluit in omni entis genere prævaricatorem. Etiam ſplendidas ac luxurioſas Epiſcoporum & Clericorum veſtes ipſe induxit.

Aliam ejus temeritatem, à patre Leone non attentatam, qua in Mylii palatio ſex generales Synodos depictas deleri, & infames iſtic perſonas & res figurari juſſit, refert eadem vita Sancti Stephani Auxentiani. Ejus horrenda facinora, flagitia, pagana animalium ſacrificia, & aruſpicia, inter quæ tamen cœleſtis Chriſtianorum Propheta videri affectavit, nolim referre. Verùm omninò eſt verbum Sigeberti Gemblacenſis : *Sub*
nullius gentilis perſecutione plures , quam ſub hoc A. 770.
martyrizati ſunt. Notandum, quod Conſtantinum Patriarcham ad ſacroſancta Crucis ligna jurare coegerit : Crucis enim venerationem , quod mirum , non fuiſſe ab illo exufflatam , ſuprà in Canonum ſcholiis oſtendi. At Crucis ſine Crucifixo : Quod enim ſacroſanctam Crucifixi Domini effigiem conſpui & conculcari juſſerit teſtatur vita laudati Stephani Auxentiani.

CA-

CAPUT X.

Exponitur Conſtantini Copronymi contra ſacras imagines Pſeudo-Synodus.

LEoni Iſauro generalem Synodum poſtulanti reſpondit Pontifex Gregorius ſecundus: *Nobis inutilis ea res viſa eſt*. Quod nempe Chriſtianum de ſacris imaginibus dogma eſſet lucidum, ſynodali motu & diſcuſſione non habens opus: Et quod hæreticus ac Eccleſiæ hoſtis Epiſcopali Synodo tamquam Imperator non poſſet adeſſe. Hinc noſter Copronymus Caballina ſua auctoritate coegit Synodum trecentorum triginta octo, uti Cedrenus adfirmat, Epiſcoporum, cujus præſides fuere Conſtantinus Pſeudo-Patriarcha Conſtantinopolitanus, Theodoſius Epheſiorum Primas, ac Siſinnius Paſtillas Pergenſis Epiſcopus, Pamphyliæ Metropolita. Ejus acta integra exſtant in ſexta hujus Synodi Actione.

Singulos errores cognoſce ex anathematiſmis per præſentem Synodum oppoſitis. *Chriſtianorum calumniatoribus, id eſt, imaginum confractoribus anathema. His, qui affirmant eloquia, quæ à Divina Scriptura adversùm idola proferuntur, in venerabiles iconas, anathema. His, qui non ſalutant ſanctas & venerabiles imagines, anathema. His, qui ſacras iconas appellant ſimulacra, anathema. His, qui dicunt, quod præter Dominum noſtrum alius*, utpotè Leo Iſaurus, *nos ab idolis liberaverit, anathema. His, qui dicunt, quod ſicuti ad Deos, Chriſtiani ad imagines accedunt, anathema. His, qui ſpernunt magiſteria ſanctorum Patrum, & traditionem Catholicæ Eccleſiæ, prætendentes & adſumentes voces Arii, Neſtorii, Eutychetis, aut Dioſcori, atque perhibentes, quod niſi de veteri & novo teſtamento evidenter fuerimus edocti, non ſequemur doctrinas ſanctorum Patrum & traditionem Catholicæ Eccleſiæ, anathema. His, qui dicunt quod diabolicæ argumentationis inventio ſit factura imaginum, & non ſanctorum noſtrorum Patrum traditio, anathema. His, qui præſumunt dicere catholicam Eccleſiam aliquando idola ſuſcepiſſe, anathema*. Edini pro ſanctorum Patrum doctrina anathematiſmi cauſam edicit Georgius Cedrenus. *Lachanadraco*, Conſtantini Caballini miniſter, *libros Patrum, quotquot reperit, cremavit, unaque eos, penes quos invenerat, ut impios*. Etiam Leo Iſaurus non ſolùm duodecim monachos Auguſtæ Bibliothecæ cuſtodes, ſed & omnes Patrum libros unà exuſſit. Noſtrorum hodie Lutheranorum & Calviniſtarum more, Evangelicas atque Apoſtolicas traditiones non ſcriptas, earumque teſtes generales Synodos & Patres Eccleſiæ ſpernebant, vivere & credere volentes ex ſolo ſcripto Dei Verbo.

Alium fœdi conventus errorem continent hæc de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento verba: *Nulla alia ſpecies à Deo electa eſt ſub cœlo, vel forma, ejus incarnationem imaginari valens*. Uti in antiquo, ità & in novo teſtamento volunt nullam ſine ſpeciali, ac, uti Tertullianus loquitur, extraordinario Dei præcepto poſſe fieri imaginem, & unicam nobis Chriſtianis permiſſam ac præceptam eſſe ſacroſanctam Euchariſtiam. Verùm reſpondet orthodoxa Refutatio. *Nullus aliquando Sanctorum Apoſtolorum aut illuſtrium Patrum noſtrorum incruentum ſacrificium noſtrum dixit imaginem corporis Chriſti*. Multis oſtendit panem & vinum ad populi oblationem benedicta eſſe futuri Dominici corporis & ſanguinis figuram & typum; at verò myſticis Domini Verbis conſecrata, nullo modo: Eſſe ipſum ejus ſubſtantialem ſanguinem & corpus. Oppoſitum damnat de amentia, mendacio, indiſciplinationis impietate. Eos culpat, quod admirandum hoc Sacramentum modò Domini corpus, modo imaginem dicant, atque utroque pede claudicent, nec in vero nec in falſo firmi. Quare de iſthoc Calviniſtico errore impiiſſimè fuerunt ſolummodò ſuſpecti. Et hinc patet, quod poſtmodùm Franci calumnioſiſſimè dixerint ſacras imagines corpori & ſanguini Dominico per præſentem Synodum æquiparari.

Fœdiſſimus item error eſt in his Conventiculi verbis. *Si quis incircumſcriptam Dei Verbi eſſentiam atque ſubſiſtentiam, pro eo quod incarnatum ſit, ſtuduerit per materiales colores in imaginibus humana forma circumſcribere, & non potiùs Deum prædicat, illud nihilominùs poſt incarnationem incircumſcriptum eſt, anathema ſit*. Utramque Domini naturam cum Monophyſitis confundunt & fermentant in unam, atque ità ejus humanitatem delirant incircumſcriptam, ac eſſe ubique. Quod dogma, ut inſaniæ & blaſphemiæ plenum, variis Scripturæ locis, quæ utinam Ubiquetaria Lutheranorum hodie factio attendat, revincit.

De duobus tamen Leonis Iſauri & Conſtantini Caballini erroribus erubuit iſtud Conventiculum. *Definimus*, inquit, *non audere hominem quemlibet, qui Eccleſiæ Dei aut venerabili domui præeſt, ſub obtentu diminutionis imaginum erroris mittere manus ſuas in ſancta vaſa, quæ ſunt Deo deputata, cauſa transferendi ea in alios uſus, quod ſimulacris depicta ſunt. Sed nec in veſtes, aut alia vela, vel aliud quid conſecratum in ſacrum miniſterium, ne inutilitas in eo efficiatur. Si verò quis à Deo accepta virtute voluerit transferre eadem vaſa vel pallas, non audere eum abſque conſilio & notitia ſanctiſſimi univerſalis Patriarchæ, ac præceptione piiſſimorum Imperatorum: Ne hac occaſione diabolus Eccleſias humiliet. Sed nec quemquam Principum, vel eorum qui ipſis ſubſunt, id eſt, laicalis ordinis, hujuſmodi occaſione immittere manum in Divina templa, & hæc captivare, quemadmodùm à quibuſdam, qui inordinate ambulabant, antè jam talia facta ſunt*. In ſacris vaſis ac veſtibus ſacras imagines jam factas manere non mandant, attamen permittunt, eaque vetant aut ab Epiſcopis ſine Patriarchæ Conſtantinopolitani licentia frangi, aut à Principe redigi in fiſcum. Hinc eos Cayphæ Judæorum Pſeudo-Pontifici, Dominum & mundi ſalutem confitenti, & ſimul occidi ſuadenti, meritò

comparat

comparat orthodoxa Conventiculi Refutatio. Si namque ſacræ imagines ſint ſimulacra aut idola, nec in ſacris vaſis aut veſtibus potuere permitti.

Alter Leonis & Conſtantini articulus, de quo erubuit hæc Pſeudo-Synodus, fuit invocatio Sanctorum. *Si quis*, inquit, *non confitetur ſanctam ſemper Virginem Mariam, propriè ac verè Dei genitricem, ſublimiorem eſſe omni viſibili & inviſibili creatura, & cum ſyncera fide ipſius non expetit interceſſiones, tamquam fiduciam habentis apud Deum noſtrum, qui ex illa genitus eſt, anathema ſit.* Et infrà. *Si quis non confitetur omnes Sanctos, qui à ſæculo uſque nunc ſunt, quique ante legem, ac in lege, & in gratia Deo placuerunt, honorabiles coram ipſo eſſe anima & corpore, vel horum non poſtulat orationes, tamquam fiduciam habentium intercedere pro mundo ſecundùm Eccleſiaſticam traditionem, anathema ſit.* Et in ipſo exnrdin dicit ſe congregatam *in colendo templo ſanctæ ac intemeratæ Dominæ noſtræ Virginis Mariæ.* Voces, *Colendo templo*, & voces, *Anima & corpore*, innuunt eos etiam de Sanctorum Reliquiis ſenſiſſe recta, at impii Principis metu tacuiſſe.

Verùm his opponi poſſit auctoritas Sancti Stephani monachi Auxentiani, Baſilio Tricacabo & Conſtantino Nacnlienſi Epiſcopo, Pſeudo-Synodi Primatibus, dicentis in faciem. *An non cùm in Concilio veſtro ſederetis, libellus vobis à piis viris oblatus eſt, qui Epiſcopum quemdam eo nomine deferret, quod lancem ſanctam, in qua Chriſti ac Dei genitricis imagines ſculptæ erant, contriviſſet? Vos autem contritionis illius crimen imaginibus adſcribentes, ipſum quidem omni crimine ſolviſtis, pios autem viros ab Eccleſiæ cœtu proſcripſiſtis, idolorum vindices eos appellantes. An non ſacram ſupellectilem, ſanctis imaginibus exornatam, concerpſiſtis? An non adjectivum hunc,* SANCTUS, *ab omnibus juſtis, ab omnibus Apoſtolis, à Prophetis, à Martyribus, piiſque viris abjeciſtis? Sancitum enim à vobis eſt, ut cùm quiſpiam ad horum aliquem abiret, ex eoque quæreretur, Quò iret, reſponderet,* AD APOSTOLOS, AD QUADRAGINTA MARTYRES; *Si undè veniret, itidem reſponderet,* EX TEMPLO MARTYRIS THEODORI, EX TEMPLO MARTYRIS GEORGII. Conſonat incogniti Auctoris, qui nnno Chriſti Domini ſæculo videtur floruiſſe, apud Chriſtophorum Juſtellum libellus ſynodicus. *Conſtantinus* Copronymus, *conſpiratione inita cum Conſtantino Patriarcha & vaniſſimis Epiſcopis, impiam inſtituit Synodum, in qua Chriſti & omnium Sanctorum imagines nominavit idola, interceſſiones negavit, & Divitiùs honoratas Reliquias igni tradidit.*

Sancti Stephani auctoritatem profiteor eſſe irrefragabilem. Proindè aliud neſcio, quam Conventiculi iſtius tempora diſtinguere. Et ſanè non ſolos vaniſſimos ac Iconoclaſtas, ſed & quoſdam habuit mitiores Epiſcopos, opinantes, uti diſertè habet orthodoxa Refutatio, ſacras imagines eſſe utiles, ac ponendas in Eccleſiis, verùm ad ſolam imperiti populi *commemorationem* ſeu inſtructionem, *non etiam ad ſalutationem* ſeu venerationem. Fuere & quidam intra mentem ſecretò orthodoxi, qualem fuiſſe, qui poſt Conſtantinum Nicetæ ſucceſſit, Paulum Patriarcham infrà oſtendemus. Horum ergò gratia memoratos à Sancto Stephano & laudato libello ſynodico, quos priùs ſanciverat, errores temperavit Pſeudo-Synodus, & Cayphæ Judæorum Pſeudo-Pontifici ſeſe adſimilavit.

Adductos errores ex ſpuriis ac fictis libris, falſatiſque & truncatis ſanctorum Patrum teſtimoniis probavit Conventiculum: Eorum dicta, quibus Arianos, factum Dei Verbum & creatam Dei Patris imaginem pro Deo adorantes, inſectantur, ad viſibiles Sanctorum imagines detorſit, egitque omnia ſolennia hæreticorum. Et tamen voluit ſe vocari ſanctam, magnam, ac œcumenicam ſeptimam Synodum. At rectè reponit vita Sancti Stephani monachi Auxentiani. *Qui œcumenicum iſtud Concilium vocari queat, quod nec Romanus Antiſtes, citra cujus auctoritatem nullo modo fieri poteſt, ut res Eccleſiaſticæ ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobavit, nec Antiochenus, nec denique Hieroſolymitanus?* Quod ipſum dicit Georgius Cedrenus. Cayphaicum Concilium paſſim ac meritò vocatur. Factum fuit anno quarto decimo Conſtantini Caballini, Stephani tertii Pontificis tertio, Chriſti Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto. Etenim factum fuiſſe indictione ſeptima, & à quarto idus Februarias uſque ad tertium idus Auguſti duraſſe, Theophanes adſeverat, ideòque in celeberrima Baſilica Deiparæ Virginis in Blachernis, ſacris idcircò imaginibus ſpoliata, ornata autem variis avium picturis.

Verùm Divina Juſtitia non dormit. Quomodò ſœdæ Synodi dux Conſtantinus Pſeudo-Patriarcha vitam finierit, ſuprà eſt dictum. Ejus vitam incognitus apud Chriſtophorum Juſtellum in libro ſynodico Auctor compendio depingit. Cap. 141. De ejus Anteceſſore Anaſtaſio habet Georgius Cedrenus. *Impius ille ac profanus Pontifex Anaſtaſius, anima cum corpore pereunte, mortuus eſt ex miſerrimo morbo, qui chordapſus dicitur, merdam per os egerens. Dignas dedit pœnas ſuarum in Deum, & præceptorem,* Sanctum Germanum, *injuriarum.* Quod namque Sanctum Germanum, ac ejus Archi-Diaconum Anthymum Leo Iſaurus laqueo in Choræ monaſterio ſuffocarit, laudatus libellus ſynodicus adfirmat. Et de Conſtantino Caballino ſcribit Theophanes. *Anno trigeſimo quarto* Cap. 138. *ſui imperii, menſe Auguſto, tertia decima indictione, exivit contra Bulgaros Conſtantinus, qui Divinitùs eſt in cruribus plaga percuſſus, quæ græcè anthrax appellatur. Et hinc febre calidiſſima detentus Arcadiopolim rediit, à ſubjectis humeris in lecto delatus. Et veniens Selembriam, navem ingreſſus eſt, cùmque Strongyllum perveniſſet caſtellum, miſerabiliter in Chelandio moritur, clamans & dicens:* VIVUS ADHUC IGNI INESTINGUIBILI SUM TRADITUS; *ſanctamque Virginem Dei genitricem laudari expoſcens, cùm ſine fœdere ejus fuerit inimicus.* Ejus teſtamentum, quo nobiliores Regiæ urbis Eccleſias, injurioſiùs fœdatas, inſtaurari juſſit, refert Georgius Cedrenus.

More Regio ſepultus eſt in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum, at poſtmodùm per Michaelem Auguſtum, Theophili filium, ignominioſiſſimè exhumatus,

Digitized by Google

exhumatus, & publicè in foro Amaſtriano exuſtus, quod ſanctarum Reliquiarum oſores Iconoclaſtæ ipſum venerarentur ut magnum in cœlis patronum. Ità hodie Huſſitæ, in Sanctorum Reliquias & invocationem contumaciſſimi, fœtidam Joannis Huſſi braccam venerantur.

CAPUT XI.

Septimæ generalis Synodi convocatio, locus, tempus, Præſes, Epiſcopi.

CONſtantino Copronymo ſucceſſit filius Leo quartus, à matre Chazarorum Regis filia dictus Chazarenus, in imperii exordio propendere in clementiam & orthodoxam pietatem viſus; at in fine venenum in corde latens detexit. *Media hebdomada jejuniorum*, inquit ad ejus quintum ac noviſſimum annum Theophanes, *tentus eſt Jacobus Proto Spatharius, & Papias, & Strategius, & Theophanes, Cubicularii, unà cum aliis viris Religioſis, eò quod imagines adorarent.* Eos verberari, ſerviliter detonderi juſſit, ac in pompam duci. Addit Georgius Cedrenus. *Media jejuniorum ſeptimana Imperator duas imagines reperit in pulvinari uxoris ſuæ Irenes, quas cùm diligenter eſſet contemplatus, inquiſitione facta deprehendit eas à Papia Palatino, aliiſque nonnullis Primiceriorum fuiſſe illatas: Quos & cruciatibus ſuppliciiſque graviſſimis addixit. In uxorem quoque Irenem acriter eſt invectus, eamque nauci eſſe dixit, quæ ſuo Patri Imperatori horribilibus & intemeratis fidei myſteriis prolatis diverſum planè juraſſet. Conſtanter adſeverantem à ſe eas non eſſe viſas repulit, neque poſteà cum ea rem habuit.* Ex quo vides miſeram Irenem non niſi ejerata orthodoxa fide fuiſſe à Conſtantino Copronymo ad filii ſui nuptias admiſſam.

Leonem ſeduxit Nicetas Patriarcha, homo Sclavus, barbarus, Eunuchus, Conſtantino decollato Patriarchæ per Conſtantinum Caballinum ſuffectus, de quo idem Scriptor: *Nicetas titulo tenùs Patriarcha imagines, quæ in parvo domus Patriarchæ ſecreto erant lapillis ornatæ, raſit, aliaſque etiam omnes per totam Patriarchæ domum.* Pergit Cedrenus. *Leo*, à patre & avo doctus expilare Eccleſias, *cum inſano pretioſorum lapidum amore ageretur, coronam Heraclii in magna æde dedicatam adamavit, ablatamque geſtavit in publicum progreſſus; indè domum reverſi caput carbunculis graviter eſt affectum, vehementiſſimaque eum invaſit febris: Atque ità malam animam infeliciter exhalavit, juſtum ſacrilegii præmium conſecutus.*

Facta hæc eſſe menſe Septembri, indictione quarta, anno Domini ſeptingenteſimo octuageſimo Theophanes adfirmat, & addit: *Sextò idus Septembris Irene piiſſima cum filio ſuo Conſtantino,* puero decenni, *glorioſè imperium Divinitùs accepit.* Et ipſum Divina bonitas ſtatim honoravit inſigni miraculo, de quo idem Scriptor. *Hoc anno in longis Thraciæ muris quidam homo fodiens invenit arcam lapideam, quam cùm expurgaſſet & revelaſſet, virum jacentem reperit, & conglutinatas arcæ litteras hæc continentes:* CHRISTUS NASCETUR EX VIRGINE MARIA. CREDO IN EUM. SUB CONSTANTINO ET IRENE IMPERATORIBUS, O SOL, ITERUM ME VIDEBIS. Erat quis Sanctus, qualis & Beatus Job, Gentilium Propheta: Venturus enim Dominus ubique & ſemper habuit ſuos teſtes.

Eodem tempore defunctus eſt Nicetas Pſeudo-Patriarcha, ſucceſſitque Paulus quartus, genere Cyprius Salaminenſis, mente orthodoxus, ac Leonis Auguſti adhuc vivi metu hæreſim ſimulans, hæreticorum communione fœdatus, & Iconoclaſtiam in ſua conſecratione profeſſus. Hinc piiſſima Auguſta Irene, Anteceſſorum ſuorum impia Edicta ſuaviter dormire ſinens, orthodoxæ religionis, itemque monaſticæ profeſſionis mox dedit libertatem, quam quarto pòſt anno inſigniter promovit, Epiſcopatum deponens, & pœnitentiæ cauſa in monaſterio ſe claudens, Paulus Patriarcha, de quo laudata Princeps ac ejus filius Conſtantinus in litteris Divalibus ad præſentem Synodum. *Nobis interrogantibus, Quamobrem hoc fecerit, reſpondit: Quia ſi morte præoccupatus fuero in Epiſcopatu Regiæ urbis, anathema habebo à tota Catholica Eccleſia, quod ducit in tenebras exteriores.* Hæreſim Iconoclaſticam, ejus profanam Synodum, ſuam cum illis communionem ac Epiſcopatum deteſtatus, pœnitens, lamentans, de Divina miſericordia ſperans eſt piè defunctus in hæc noviſſima, à Theophane laudata, verba: *Niſi Synodus univerſalis fiat, & error, qui eſt in medio veſtri, corrigatur, ſalutem non habebitis.*

His territi & conſuſſi fuere Auguſti Principes, Senatus, ac populus, perguntque illi in litteris Divalibus. *Accerſentes viros negotiorum Eccleſiaſticorum expertos, & Chriſtum Deum noſtrum invocantes, & conſilium cum eis facientes, quiſnam dignus eſſet provehi ad Sacerdotii cathedram Regiæ civitatis, & unius conſilii omnibus factis in Tharaſium*, virum nobiliſſimum, primum à Principum ſecretis, à Paulo Patriarcha ad dignitatem hanc & fidem reparandam in extremis commendatum, fœdam, laceratam, à Sede Apoſtolica anathematizatam Eccleſiam ille, utpotè homo laicus & rerum Eccleſiaſticarum non plenè peritus, recuſavit admittere: Admiſit tandem coactus, ac generalem, cui Romanus præſideret Epiſcopus, Synodum ſtipulatus. Ejus germanè orthodoxum atque Epiſcopalem ſermonem Apologeticum ad omnem Regiæ civitatis populum adjunxit ſuæ ad Joannem octavum Pontificem in Synodum præſentem præfationi Anaſtaſius Bibliothecarius, & pergit. *Et libenter audierunt omnes quæ dicta ſunt, conſenſum præbentes ut fieret Synodus.* Quomodò ſtatim reſtituerit ſacras imagines, Baſilicas, monaſteria, clericorum diſciplinam, immò & novum monaſte-

rium exſtruxerit Sanctus Tharaſius, oſtendit in ejus vita Ignatius Metropolita Nicænus.

Hinc igitur anno Domini ſeptingenteſimo octuageſimo quarto, indictione ſeptima, imperii ſui anno quinto, ad Adrianum primum Pontificem, fungentem tertio decimo Epiſcopatus ſui anno, laudati Principes miſerunt Conſtantinum Leontinenſem in Sicilia, & Dorotheum in Campania Epiſcopum Neapolitanum, fidem orthodoxam profeſſuros, rogaturoſque Romanam communionem, Eccleſiarum pacem, generalem in Regia uthe Synodum, cui ipſe Dominus Papa dignaretur præſidere. Inſtantiſſimis precibus id expoſtularunt, & pergunt. *Certificetur & confirmetur à magno Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, & nobis ſervis ejus, quod huc adſcendentem Paternam veſtram ac ſacram Beatitudinem cum omni honore & gloria habemus ſuſcipere, & quæ opportuna ſunt impartiri; & iterùm expleto capitulo, quod beneplacito Dei Chriſti ſperamus fieri cum honore & magnitudine, præire illam habemus ad remeandum ad propria.* Rem ſummam à ſe poſtulari norant, hinc addunt. *Si non potuerit adſcendere huc (quod putamus non fieri, ſcimus enim eſſe ſtudioſum circa Divina) eligat viros honorabiles, habentes ſcientiam, & dirigat unà cum ſyllabis, ut inveniantur hic ex perſona ſacræ & paternæ Beatitudinis veſtræ.* Eos mitti rogant, non ad quærendum aut diſputandum cum hæreticis Iconoclaſtis, ſed ad confundendos & puniendos, & antiquam univerſalis Eccleſiæ, Conſtantinopoli ſacrilegè læſam, traditionem ſynodicè reparandam. Omninò ſperant adfuturum Pontificem, ideòque finiunt in hæc de Conſtantino Leontinenſi Epiſcopo verba. *Qui cùm venerit ad vos, continuè abſolve eum, ut remeet ad nos. Per ipſum ſciemus adventum tuum, quibus diebus habet moveri illinc, & proficiſci ad nos. Porrò Neapolitanum Epiſcopum omninò tenere habet, ut cum ipſo*, tamquam deductore, *adſcendat huc. Etenim iter veſtrum per Neapolim & Siciliam habet fieri. Et ſuper hoc Stratego Siciliæ juſſimus, ut omnis requiei & honoris veſtri curam habeat, quò veniat Paterna Veſtra Beatitudo ad nos.* Harum litterarum pietatem laudat, & partem ſuis ad Michaelem Auguſtum, ab avita
Epiſt. 9. in Sedem Apoſtolicam veneratione devium, litteris inſeruit Sanctus Pontifex Nicolaus primus.

Petiere aut latent Apoſtolica ad haſce litteras Reſcripta, ideòque ipſorum ſenſum ignoramus. Conjectuto Pontificem excuſaſſe ſe à perſonali præſentia. Hinc anno ſequenti novam legationem miſit Conſtantinus Auguſtus, videlicet Theodorum Catanenſem in Sicilia Epiſcopum, ac ejus Diaconum, Thomæ Calatitani Archi-Epiſcopi in Synodo præſenti Vicarium, Epiphanium, de quibus dixit in ſecunda Actione magnificentiſſimus Joannes, Principis Logotheta: *Ambo per juſſionem piorum Imperatorum noſtrorum profecti ſunt Romam cum reverendiſſimo Apocriſario ſanctiſſimi Patriarchæ.* Apocriſarium illum fuiſſe Leonem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyterum teſtatur in eadem Actione laudatus Epiſcopus Theodorus, edicitque ſucceſſum ſuæ legationis, alloquens Sanctum Tharaſium, *Beatiſſimus Papa audiens dixit*: QUIA SI IN DIEBUS IMPERII EORUM FACTUM FUERIT HOC, MAGNIFICARE HABET DEUS PIUM IMPERIUM EORUM SUPER PRIORA REGNA. *Hinc & ſuggeſtionem*, dogmaticam ad Principes Epiſtolam, *tranſmiſit unà cum litteris ad Sanctitatem veſtram, & Vicariis ſuis, qui hic Præſidentes adſunt.*

Quid ſecunda hæc Legatio poſtularit, habemus apud Theophanem: *Mittens & Imperatrix petiit ab Adriano Papa, ut mitteret litteras ſuas, & homines claros, qui invenirentur in Synodo.* Et iterùm. *Octavo calendas Januarias octavæ indictionis conſecratus eſt almus Pater noſter Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui miſſis ſynodicis Romam viris*, utique Leone Presbytero, *& libello fidei ſuæ, receptus eſt ab Adriano Papa.* Eaſdem litteras laudat in præſentis Synodi præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius. *Promotus Tharaſius ſcripſit ſynodicas litteras Patriarchis Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, & ſanctæ civitatis, quas invenies in ſecunda & tertia Actione cum Reſcriptis eorum.* Epiſcopatus confirmationem à Romana ſede mox petiit conſecratus Tharaſius, ſciens ſine illa futurum ſe, non Paſtorem aut Patriarcham, ſed lupum, furem, latronem. Ejus ad Adrianum Pontificem ſynodica ſpeciatim non exſtat in noſtra Synodo, ideòque fuit eadem cum litteris, in ipſa exſtantibus, ad alios Patriarchas. Hæc igitur ſecunda legatio, facta indictione octava in fine Decembris, Papalem de perſonali præſidentia excuſationem admiſit, plenam Romanæ fidei reparationem ſpopondit, Tharaſii Patriarchæ confirmationem petiit, unaque Synodum, & Apoſtolicas dogmaticas litteras, & Legatos. Quæ omnia, excepta Tharaſii definitiva confirmatione, Pontifex laudavit atque explevit.

Sua ad Synodum vice legavit Petrum Romanæ Eccleſiæ Archi-Presbyterum, & Petrum monachum, Romani ad Sanctum Sabbam monaſterii Presbyterum & Abbatem, inſtructos variis mandatis: Et hinc hæc Theophanis de Sancto Tharaſio verba, *Et receptus eſt ab Adriano Papa*, intelligi debent cum moderamine. Etenim ejus libellum, ſex generales Synodos & ſacras ſpeciatim imagines lucidè profitentem, probavit quàm maximè Pontifex; at hominem laicum eſſe turbatæ & languenti Eccleſiæ contra Sardicenſes Canones impoſitum Epiſcopum eſt graviſſimè indignatus. *Probatio dilectionis*, inquit Gregorius Magnus, *exhibitio eſt operis.* Hinc uſque ad viſam pro ſacris imaginibus perſeverantiam Adrianus Tharaſium à definitiva confirmatione ſuſpenſum quaſi dumtaxàt in Epiſcopatu toleravit.

Et de hac Apoſtolicarum litterarum in Græcam lingua tranſlatarum parte ſcribit in ſcholio marginali Anaſtaſius Bibliothecarius. *Ab hinc uſque ad finem hujus Epiſtolæ codex Græcus non habet. Græci namque, quia eodem tempore ex laicis fuerat Conſtantinopoli factus Patriarcha, ne publicè ab Apoſtolica Sede argui videretur, & adversùs eum, tamquam reprehenſione dignum, hæreticis repugnandi occaſio præberetur, ac per hoc Synodi, cui inte-*

ſtiterat, utilitas excluderetur, ea quæ ſive de non facienda laicorum promotione, ſive de cæterarum præſumptionum redargutionibus ſubſequuntur, in Synodo hac nec recitari, nec Actis inſeri paſſi ſunt. Ex diſpenſatorio pacis amore Legati Apoſtolici diſſimularunt.

Plura enim Græcorum in litterarum ſuarum fine Pontifex redarguit, & ante Synodum coram Legatorum ſuorum oculis, at certè in Synodo volnit corrigi & reparari. Ptimò, per univerſam Græciam plenè reſtitui ſacras imagines. Secundò, ſi id nb hæreticorum veſaniam foret ſine Synodi auctoritate impoſſibile, Cayphaicum contra ſacras imagines concilium, utpotè ſine Apoſtolicæ Sedis auctoritate factum, ſaltem anathematizari. Tertiò, invaſa Romanæ Eccleſiæ patrimonia ac diœceſes plene reſtitui. Quartò, Epiſcopum Conſtantinopolitanum deinceps non vocari Patriarcham œcumenicum ſeu univerſalem, nomine ſuperbo, profano, ſchiſmatico, per Joannem quartum, cognomento jejunatorem, adſumpto, & per Pelagium ſecundum ac Sanctum Gregorium Magnum, Romanos Pontifices, altiſſimè damnato. *Valdè*, inquit Adrianus Pontifex, *mirati ſumus, quod in veſtris imperialibus juſſis, pro Patriarcha Regiæ urbis Tharaſio directis*, UNIVERSALEM *eum reperimus exaratum: Sed utrùm per imperitiam, aut ſchiſma, vel hæreſim iniquorum ſcriptum ſit, ignoramus.* Nomen iſtud prævaricationis, hæreſeos, ſchiſmatis, adversùs Romanam Eccleſiam perduellionis denuò damnat. Et edicit cauſam. *Quia ſi Conſtantinopolitanus Epiſcopus univerſalis eſt, etiam Eccleſiæ noſtræ ſedis Primatum habere dignoſcitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Chriſtianis apparet.* Quintò denique, ab Auguſto, ejus matre, Patriarcha, & omni ſenatu voluit Pontifex præſtari corporale juramentum, *Quia non eſt apud vos partis cujuslibet favor aut defenſio, ſed æqualitatem utriſque partibus in Synodo conſervabitis; nullatenus neceſſitatem facientes in quocumque capitulo eis, qui à nobis diriguntur, ſed omni honore cum munificentia competenti & ſuſceptione dignos habebitis. Et ſi quidem ubique convenerint, ecce benè; ſi autem minimè convenerint, iterùm cum omni humanitate eos ad nos dirigere ſatagetis.* Eos metuebat Pontifex ab Iconoclaſtis, ſanctiſſimorum Epiſcoporum & monachorum ſanguinem profundere conſuetis & profeſſis, deportandos aut trucidandos.

Etiam Politianus Alexandrinus Thomam monachum, Ægyptii ad Sanctum Arſenium monaſterii Presbyterum ac Abbatem, ſuumque Syncellum, quem in Eccleſiaſtica hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius ait fuiſſe virum zelatorem, religioſiſſimum, ac poſteà factum Archi-Epiſcopum Theſſalonicenſem; Theodoretus Antiochenus & Elias Patriarcha Hieroſolymitanus Legatum ac ſuum Vicarium miſerunt Joannem monachum, laudati Theodoreti Presbyterum ac Syncellum, quem Theophanes fuiſſe dicit virum magnum, famoſum, verbo & opere potentem. Sancti Tharaſii ad dictos tres Patriarchas Legati, in eorumdem Patriarcharum ad eumdem Tharaſium litteris, eos vocant *ſanctifici ſilentii*, ſeu monaſticæ profeſſionis *amatores*, magnorum Patriarcharum Syncellos, ac orthodoxæ fidei zelo accenſos. Etenim Saracenicam legem, quæ omnem ad Romanos fines acceſſum ſub pœna capitali vetabat, & à qua Elias Hieroſolymæ Patriarcha *ad puſillam accuſationem* proſcriptus exulabat, ſpernentes, animam ſuam in manu Dei poſuerunt, acceſſeruntque ad Synodum.

Laudanda eſt & ipſorum Patriarcharum conſtantia. Nam *pacificatas ſuas Eccleſias*, & fidelem populum miſerabilis ſervitutis jugo, ac *importabilium tributorum illatione oppreſſum*, pro liberanda Conſtantinopolitana Eccleſia in grande periculum tradiderunt. Pacata erat Antiochena præſertim Eccleſia, de qua Theophanes. *Anno ſecundo imperii Conſtantini* Copronymi *mortuus eſt Evilid Arabum Princeps. Sic ſanctiſſima Eccleſia Antiochena per annos quadraginta viduata manens, prohibentibus Arabibus Patriarcham fieri in eadem, habens quemdam amantiſſimum monachum Syrum, nomine Stephanum, agreſtem quidem, ſed religioſum*, Epiſcopum accepit. *Jubet novus Princeps in Oriente poſitis Chriſtianis, ſi vellent ſibi permitti Patriarcham habere, ipſum eligerent Stephanum. Qui Divinitùs id fieri arbitrantes, conſecrant eum in ſede Theopoleos. Ex tunc uſque nunc diſcurrit ſine prohibitione fieri hujuſmodi.* Stephano enim ſucceſſit Theodorus, Theodoro præſens Theodoretus. Theodorum & Theodoretum, quos Photius in libro de Synodis, Nilus Rhodiorum Metropolita, ac Græci paſſim diſtinguunt, D. Cardinalis Cæſar Baronius perperàm in unum confundit. Etiam Abugiafar Haron Raſydus, Saracenorum in Ægypto Princeps, orthodoxis Chriſtianis volebat quam optimè. Quod enim non ità pridem pòſt Patriarchæ Alexandrino, qui Ægyptiacis medicamentis caram illi puellam à morbo ſanarat, gratificaturus, cunctas Baſilicas Jacobitis eripuerit, & nobis reddi mandarit, ſcribit in hiſtoria Saracenica Georgius Elmacinus. Laudati Patriarchæ hanc gentium ſuarum pacem pro Eccleſia Conſtantinopolitana periculo expoſuere. L. 2, c. 6.

Laudare cogor & duos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Clericos, Sancti Tharaſii Legatos ad eoſdem Patriarchas. Quomodò incogniti per omnem Ægyptum & Orientem ſub aſſiduo mille mortium à Saracenis periculo diſcurrerint, quantò in Deum & ejus Evangelicum dogma ſpiritu Patriarchas ad hanc periculoſiſſimam legationem induxerint, laudatæ eorumdem Patriarcharum litteræ exponunt. Eorum ignoramus nomina: Haud dubiè ſunt ſcripta in cœlis. Ipſorum unus videtur fuiſſe Leo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Lector, dicens ad quintam Actionem Synodi præſentis: *Ego indignus ſervus veſter, cùm deſcendiſſem ad Syriam cum Regiis Apocriſariis, fui Edeſſæ, & ſacram & non manufactam iconam vidi à fidelibus honorari pariter & adorari.* Nec ſine cauſa ſubierunt tantorum periculorum labores: Pertinaciſſimis Iconoclaſtis opponere voluerunt pleniſſimam Synodum, ideòque adeſſe omnes quinque Patriarchas. Et quidem laudati monachi Joannes & Thomas ſubſcribunt Synodo in hanc

formam : *Locum retinens trium Apoſtolicarum ſedium, Alexandrinæ, Antiochenæ & Hieroſolymitanæ.* Ità uterque ſubſcribit : Erat igitur uterque omnium trium in ſolidum Legatus.

Nilus Rhodiorum Metropolita Synodo præſenti adſuiſſe dicit Epiſcopos ſexcentos ſexaginta ſex, Photius & ab Henrico Caniſio editum Græcorum Menologium trecentos ſexaginta ſeptem, Georgius Cedreous trecentos quinquaginta. Quod ipſum dicit Sanctus Anſelmus Lucenſis
L. 5. Epiſcopus in Gregorii ſeptimi Pontificis adversùs Guibertum Anti-Papam apologia. Cardinalis Cæſar Baronius eſſe adfirmat ſententiam communem. Quarta Actio ſubſcriptos habet Epiſcopos circiter trecentos quadraginta, & centum triginta Abbates. Adeò pridem in generalibus Synodis Abbates habuere ſuffragium deciſivum. Addit in Sancti Tharaſii vita Ignatius Metropolita Nicæ-
Cap. 5. nus : *Unuſquiſque Epiſcopus in Sacerdotali gradu & habitu ſedebat in ſede ſua.* Ex quo vides antiquum eſſe Eccleſiæ morem, ut Synodum Epiſcopi celebrent induti ornatum Pontificalem.

Pergit Ignatius : *Primus loqui cœpit Tharaſius, & ſermonis oſtium aperuit Synodo.* Loquitur ex prima præſentis Synodi Actione, ubi Siciliæ Epiſcopi, annuente Synodo, petunt, ut Sanctus Tharaſius *proœmium faceret, & oſtium verbo aperiret, & quæ congrua ſunt pronunciaret.* Ità in prima Nicæna Synodo Sanctus Euſtatius Patriarcha Antiochenus ſermonem incœpit. Malè Photius in libro de Synodis, & incogniti auctoris apud Chriſtophorum Juſtellum Synodicus libellus ajunt Tharaſium præſediſſe. Etenim de Adriani Papæ Vicariis ac Legatis ad plenam Synodum dixit Theodorus Catanenſis in Sicilia Epiſcopus : *Hic Præſidentes adſunt.* Quod ipſum Acta ſynodalia demonſtrant aſſiduè, & adfirmat Nilus Metropolita Rhodiorum.

De hiſce itaque Legatis & Epiſcopis ſcribit ad ſextum Irenes & Conſtantini annum Georgius Cedrenus. *Concilium indictum Conſtantinopoli in æde Apoſtolorum. Eòdem convenerunt etiam Sathanæ adminiſtri, gladiiſque armati intrarunt. Quo perterriti alteri, re infecta, indè diſceſſerunt.* Et jam dictus incogniti Auctoris libellus ſynodicus : *Epiſcopi uſque ad quartam horam conſidentes anathemate notare imaginum impugnatores feſtinaverunt. Quod tamen ut fieret, Scholarii non permiſerunt.* Ignatius Metropolita Nicænus fuiſſe dicit examen veſparum, leonini animi viros ex Conſtantini Copronymi exercitu, ex malæ opinionis alveo emergentes, Baſilicam armis obſidentes, *clamanteſque non eſſe ferendum, infirmare & tranſgredi ea, quæ olim viſa fuerant Conſtantino. Non enim permittimus,* ajebant, *illius abrogari dogmata, & prædicari eſſe ſtatuendas imagines. Quod ſi quis hoc inceperit, ſanguine Sacerdotum terram reddemus purpuream.* Theophanes fuiſſe dicit Copronymi Scholares atque Excubitores. Ad præſeotem Synodum Sanctus Tharaſius addit :
Act. 1. *Habebant in auxilium quoſdam Epiſcopos, qui facilè numerari poſſunt, quorum nomina voluntariè prætermus, quoniam omnibus nota ſunt.* Etiam noteà ad impediendam Synodum fuiſſe tumultuatos adfirmat incogniti Auctoris ad Synodum Præfatio, & adjungit : *Imperium omni Synodo juſſit dicere ;* INTERIM ABSCEDITE, UT POPULI INORDINATUM IMPETUM EVADAMUS, ET POST HÆC DOMINI VOLUNTAS FIET. Egreſſi igitur ſunt per medias haſce turmas, Caypbaicum Conciliabulum ut ſeptimam generalem Synodum clamosè laudantes, ac multa pericula, Deo protegente, illæſi Epiſcopi, atque ità *ſeditionis commotio eſt ſopita.* Et hinc omnes manſerunt Conſtantioopoli, exceptis Legatis Apoſtolicis, de quibus Adrianus Pontifex In Reſponſo ad dubia Fraocorum : *In Siciliam reverſi ſunt, & demùm Imperatores poſt eos mittentes iterùm Conſtantinopolim adſcendere fecerant.*

Ad præſentem Synodum Sanctus Tharaſius dicit hæc facta fuiſſe calendis Auguſti, anno præterito, Chriſti Domini ſeptingeoteſimo octuageſimo ſexto, Adriani Pontificis quinto decimo, ſeptimo Conſtantini & Irenes. Etenim præſens Synodus inchoatam ſe dicit octavò calendas Octobres, indictione undecima, ad menſem Septembrem incboata, anno octavo laudatorum Principum, de quibus pergit idem Tharaſius : *Non dederunt ſomnum oculis ſuis, nec palpebris ſuis dormitationem, donec Eccleſiam Dei in unum reſtituerent.* Modum exponit laudata incogniti Auctoris præſatio, proſequens turbuleota Acta calendarum Auguſti. *Tunc Imperatores juſſerunt milites exire quaſi ſub prætextu hoſtilis aciei, dantes famam, quod gens Agarenorum hoſtiliter eſſet egreſſa. In veritate autem eos foras pellebant de Regia civitate. Ergò cùm feciſſent iſti viam uſque ad Malagenam, per juſſionem omnes expellebant pariter ac adſpernebantur, ne horum cura fieret, jubentes ſingulos abire in patriam ſuam.* Eos fuiſſe cingulo & armis ignominiosè ſpoliatos affirmant incogniti auctoris apud Chriſtophorum Juſtellum libellus Synodicus, & Ignatius Metropolita Nicænus.

Pergit eadem incogniti Auctoris præfatio. *Quibus ità peractis, manſit Eccleſia uno anno quieta, tantummodò Patriarcha verbum veritatis prædicante. Et mox anno tranſacto, denuò præcipiebant piiſſimi Imperatores, ut fieret Synodus in Nicænorum metropoli. Et præceptum deveniebat ad finem, Epiſcopis quaſi congregati in unum.* Etenim Romani Pontificis ac aliorum Patriarcharum Legatos Prioceps apud ſe detinuit, & factam Conſtantinopoli ſeſſionem voluit eſſe Synodi partem, & utriuſque loci Acta cogi in Synodum unam. Hinc dicit Canon Francofordienſis : *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ità ut Deificæ Trinitati, ſervitium atque adorationem non impenderent, anathema judicarentur.* Laurentius Surius, qui Conſtantinopolitaoam de imaginibus Synodum à Francofordienſi damnari dumtaxàt hinc indè legit, & iſtum Canonem non vidit, damnari exiſtimat Caypbaicum contra ſacras imagines conciliabulum. At nimis malè. Iſtud enim ſacras imagines nequaquam latricè adorandas definiit, ſed frangendas

ac

Digitized by Google

ac exſtirpandas proſcripſit ad idololatriam. Noſtram igitur Nicænam Synodum à primo ſuo apud Conſtantinopolim exordio Canon vocat Conſtantinopolitanam.

CAPUT XII.

Exponuntur Nicæna Acta Synodi præſentis.

NOſtra Synodus tandem inchoata fuit octavo calendas Octobris, indictione undecima, Conſtantini & Irenes anno octavo, Adriani Pontificis decimo ſexto, Chriſti Domini ſeptingenteſimo octuageſimo ſeptimo, in Metropolitana Nicænorum Baſilica Sanctæ Sophiæ, ſeu Divinæ Sapientiæ, ità appellari cœpta poſt æternam & conſubſtantialem Dei Patris ſapientiam à trecentis decem & octo ſanctis Patribus adversùm Arii blaſphemias ibidem ſynodaliter defenſam.

ACTIO PRIMA.

A Siciliæ Epiſcopis, ad Conſtantinopolitanum Patriarchatum ex Leonis Iſauri violentia tunc ſpectantibus, rogatus Sanctus Tharaſius, utpotè rerum Iconoclaſticarum peritus, fecit loquendi exordium, verbo oſtium aperuit, prioris anni Synodum & illius à militibus injuſias exponens, atque addidit. *Conveniant qui priori anno reſtitere veritati. Si quis eſt in illis ſermo vel contradictionis vel ratiocinationis, dicant: Ità omnis examinatio manifeſta fiet.* Et introducti ſunt Baſilius Ancyræ Epiſcopus, primæ Galatiæ Metropolita, Theodorus Myrenſis, Metropolita Lyciæ, & Theodoſius Epiſcopus Ammorienſis.

Exindè ad glorioſiſſimorum Judicum interlocutionem lecta eſt ſacra Conſtantini & Irenes ad Synodum Divalis, habens quatuor præſertim capita. Primò, oſtendit ſummam præſentis Synodi neceſſitatem, utpotè ſine qua pacificari & ad vitæ æternæ ſpem reſtitui Græcorum Eccleſias non poſſe Paulus Patriarcha pœnitens & moriens fuerat proteſtatus, & ſine cujus faciendæ Regio promiſſo Sanctus Tharaſius admittere conſtanter noluerat Epiſcopatum Conſtantinopolitanum. Deindè, juxta Adriani Pontificis preces & juſſa dat Epiſcopis plenam ſuffragii libertatem. *Damus*, inquit, *unicuique licentiam, ut ſine omni ſubſtractione loquatur quæ ſibi viſa fuerint, & diſtincta examinatio fiat, & magis fiducialiter veritas agatur.* Tertiò, dogmaticas Adriani Pontificis ad Synodum litteras mandat publicè in omnium audientiam cum reverentia & ſilentio legi *ſecundùm jus ſynodicum*. Quod namque Romanorum Epiſcopus in omni generali Synodo & definiendorum propoſitionem & primum ſuffragium habeat, quòd ejus litteræ ſint Synodi directrix Regula, quòd ob earum Epheſi intermiſſam lectionem Dioſcorus à Synodo Chalcedonenſi fuerit dejectus, quod hæc omnia ſint Apoſtolicus & Evangelicus Canon, eſt ſuo loco abundè oſtenſum. Quartò denique, Sacra Divalis mandat etiam recitari dogmaticas Alexandrini & Antiocheni Patriarchæ ad Synodum litteras, allatas à Joanne & Thoma monachis, eorumdem Syncellis, Vicariis, Legatis.

Synodalibus litteris & orthodoxis Auguſtis ſynodaliter acclamatum fuit, ac tres dicti Iconoclaſtæ Epiſcopi, ſtantes in medio ut rei, poſtularunt Dei omnipotentis, Adriani Pontificis, ac univerſæ Synodi communionem & gratiam, errorem ac indiſciplinationem ſuam cum lacrymis agnovere, Sanctorum invocationem, ſacrarum Reliquiarum ac imaginum venerabundam ſalutationem, ac omnem orthodoxam fidem ſcriptis libellis ſunt profeſſi, omnes Iconoclaſticos errores ac temeritates anathemate damnarunt, atque ità in Eccleſiæ communionem & gratiam ſunt recepti. Quia & in ſedes ſuas ſolemniter ſunt reſtituti. Rationem dant Joannes & Thomas monachi, ſedium Orientalium Vicarii & Legati: *Quemadmodùm ſuſceperunt ſanctæ & univerſales Synodi ex hæreſi converſos, & nos ſuſcipimus.* Hi namque tres neque erant erroris inventores, neque Duces aut Principes, nec aliquo graviori pro hæreſi facinore, aut alio crimine inſignes, quos ſolos in laicæ communionis humilitate perpetuùm detineri mandat antiquus Eccleſiæ Canon, à Sancto Athanaſio laudatus, à Synodo Nicæna in Meletianis ac Novatianenſibus inchoatus, à Romana Eccleſia confirmatus, & à cunctarum generalium Synodorum uſu receptus.

Poſtmodùm introducti ſunt Hypatius in Bithynia Nicænus, Leo Rhodiorum in inſularum Provincia, Gregorius Peſſinuntis in ſecunda Galatia, Leo Iconienſis in Lycaonia, Gregorius Antiochiæ in Piſidia, Nicolaus Hierapolitanus in Phrygia Pacatiana Epiſcopi Metropolitani, & Leo Carphati in Caria Epiſcopus, patratæ in prioris anni Synodum violentiæ Duces ac incentores, qui à Sancto Tharaſio Patriarcha durè increpati, rogati cauſas ſuæ turbulentiæ, ac nihil reponere valentes dixere per Leonem Metropolitam Rhodiorum. *Peccavimus in conſpectu Dei, & in conſpectu totius Eccleſiæ & ſanctæ Synodi hujus: Per inſipientiam cecidimus, & non habemus defenſionis noſtræ rationem.* Quæſiti, *Quæ vos ratio convertit ad veritatem*, repoſuere per Hypatium Nicænum: *Sanctorum Patrum & Apoſtolorum doctrina.* Ab Apoſtolis in Antiochena Synodo pro ſacris imaginibus editum Canonem laudarunt, & oſtenſis magnæ pœnitentiæ ſignis in Dei & Synodi gratiam ſperaverunt. Et hinc intelliges Georgium Cedrenum ſcribentem ad ſeptimum annum Conſtantini & Irenes: *Aperta eſt Nicæa*

Catholica.

Catholica. Quod nempe tunc Hypatius Epiſcopus hæreſi renuncians ſacras imagines Eccleſiis reddidiſſet.

Et quidem dictos pœnitentes Epiſcopos & in communionem & in ſedes recipere propendebat Synodus; verùm quod eſſent inſigniter famoſi hæreſeos Principes, Joannes monachus, Patriarcharum Orientalium Vicarius ac Legatus, interceſſit. *Flagitatur à multis, quomodò oporteat eos, qui ab hæreſi redeunt, ſuſcipi: Et obſecramus ſanctam & ſacram Synodum, ut veniant libri ſanctorum Patrum, & videamus & perſcrutemur, & indè ſumamus veram certitudinem, quomodò illos ſuſcipi oporteat. Hæſitamus enim nos*. Et mox à Sancto Tharaſio juſſus Conſtantinus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Notarius è Patriarchali Bibliotheca protulit codicem, Apoſtolicos, ſanctarum Synodorum, Sancti Baſilii & aliorum Patrum Canones continentem, nuper neſcio à quo compilatum ex præſcripto primi Canonis Trullani.

Laudatus Conſtantinus ex illo legit vulgarem Apoſtolicum, qui de lapſis laicis loquens ad rem præſentem non faciebat, quinquageſimum primum, & octavum Nicænum Canonem de recipiendis Novatianenſium Epiſcopis & Clericis, de quo rectè dixit Theodorus Catanenſis in Sicilia Epiſcopus: *Ad hæreſim hanc nihil habet Canon, qui lectus eſt*. Et quoniam Sancto Tharaſio reponenti, *Sed & de omni hæreſi eſt*, meritò acquieſcere noluit Epiphanius Eccleſiæ Catanenſis Diaconus, & Thomæ Calaritani Archi-Epiſcopi Vicarius ac Legatus, orta eſt quæſtio de hiſce Canonis verbis: *Impoſitionem manus accipientes ſic in Clero permaneant*. Orta eſt quæſtio, Quænam & qualis eſſet iſta manus impoſitio: Et ad Sanctum Tharaſium dixere Joannes & Thomas monachi, Patriarcharum Orientalium Vicarii & Legati; *Deprecamur Domine, ut doceas nos*. Repoſuit ille: *Fortè in benedictione tantùm hic manus impoſitionem dicit, & non conſecrationem*. Græcum Canonem non penitùs benè ob linguæ inopiam reddidit Latinum Dionyſius Exiguus. Græcè eſt, *Manus impoſitionem acceptam habentes*; Nos Latini, non habentes participii paſſivi tempus præteritum aut Aoriſtum, unica id voce effari nequimus, ideòque Dionyſius vertit: *Accipientes*. Hinc nata apud nos Latinos quæſtio, An Novatianenſes Epiſcopos & Clericos, ut in gradu ſuo manerent, oporteret, Paulianiſtarum more, reordinari. Quomodò in eamdem quæſtionem inciderit homo Græcus, Sanctus Tharaſius, eſt admiratione dignum. Erat Neophytus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ needùm plenè peritus. Quidquid ſit omnem χειροτονίαν ſeu χειροθεσίας iterationem, aut reordinationem improbans dixit Canonem forsàn de εὐλογίᾳ ſeu ſimplici benedictione loqui, ſtatuereque hæreticorum Epiſcopos & Clericos per ipſam in gradum recipiendos. At meritò id ut frivolum accipientes glorioſiſſimi Judices ſunt interlocuti: *Si aliud non eſt quod prohibeat, propter hanc pœnitentiam ſuſcipientur Epiſcopi* Iconoclaſtæ *ſecundùm Canones*.

Non erat ſolutus nodus. Hinc Stephanus monachus, ac Bibliothecæ Conſtantinopolitanæ cuſtos, legit & alios Canones, videlicet diverſas Sancti Baſilii Magni, Sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini, ac Epheſinæ Synodi litteras & Canones de recipiendis Encratitis, Arianis, Macedonianis, Neſtorianis Epiſcopis & Clericis, nec non & Sancti Athanaſii Epiſtolam ad Ruffinianum Epiſcopum, in qua laudatur ſuprà memoratus Canon, mandans ſolos hæreſeon Principes perpetuò detineri inter laicos, reliquos erroris dumtaxàt ſequaces, & alio crimine non inſignes Epiſcopos & Clericos gratiosè ac diſpenſatoriè permittens recipi in ſuum gradum. Eum laudatus Athanaſius adfirmat ab omni Græca ac Latina, etiam Romana Eccleſia receptum ac probatum.

At quoniam de ſolis Arianis definire videtur ille Canon, inciderunt duæ aliæ quæſtiones. Primam propoſuere Joannes ac Thomas monachi, Orientalium Patriarcharum Vicarii ac Legati: *Tractos ac vim perpeſſos Athanaſius*, ſeu laudatus ab illo Canon, *admittit* in ordinis ſui gradum; *dicant ergò* memorati Epiſcopi Iconoclaſtæ, *ſi tracti fuerint, & vim perpeſſi, & ideò receſſerint à veritate*. Rogant, An hujus hæreſeos ſint Principes, an meri ſequaces. Pro omnibus reſpondit Hypatius Nicænus: *Quia non neque vim ſuſtinuimus, neque abſtracti ſumus, ſed in hac noſtra hæreſi nati & educati ſumus, & crevimus*. Et ità quæſtioni poterat videri ſatisfactum. Etenim minor culpa & mitior pœna ſemper fuit natorum in hæreſi, quàm Apoſtatarum, licèt dumtaxàt ſequacium. Et laicorum, & Clericorum.

Alteram quæſtionem per Theodorum Catanenſem propoſuerunt omnes *Siciliæ* ac *Sardiniæ* Epiſcopi: *Quia Canones ſanctorum Patrum, qui lecti ſunt, tam de Novatianis & Encratitis, quàm Arianis dicti ſunt, hujus hæreſeos cenſores cum quibus taxabimus?* Certum habuere Canones ab una hæreſi ad aliam, niſi forsàn manifeſtè mitiorem, non poſſe extendi. Et hinc Epiphanius Eccleſiæ Catanenſis Diaconus, ac Thomæ Calaritani Archi-Epiſcopi Legatus, addidit: *Minor eſt prioribus hæreſibus præſens hæc novitas, an major?* Sanctus Tharaſius repoſuit eſſe Marcionis, Manichæi, Petri Cnaphei, Severi Antiocheni, Xenajæ ſeu Philoxeni Herapolitani ad Eufratem Epiſcopi, & cunctæ Dominicas naturas confundentis factionis ſurculum: Quare Joannes Monachus, Patriarcharum Orientalium Legatus, intulit ipſam eſſe omnium peſſimam, utpotè per quam Divina incarnatio ſubvertatur. Hinc in lapſos Epiſcopos clementer propendens Sanctus Tharaſius adſumpſit aliud, penitùs falſum, principium, nempè omnes hæreſes eſſe pares, ideòque gratiam uni per Canones factam eſſe extendendam ad omnes, præſertim cùm laudatus à Sancto Athanaſio Canon excludat ſolos Principes erroris. Eum adjuvit Conſtantinus illius Diaconus & Notarius, legens Acta Chalcedonenſis Synodi, quæ etiam Juvenalem Hieroſolymitanum, Baſilium Seleucienſem, Thalaſſium in Cappadocia Cæſareenſem, ac Euſtatium Berytenſem Epiſcopos, Epheſini Latrocinii Primates ac Duces, recepit in gradum Epiſcopalem. Ma-

cario

cario Patriarchæ Antiocheno, Monothelitarum Duci in ſexta Synodo, fuiſſe frequenter à Romana Eccleſia oblatam eamdem gratiam, atteſtati ſunt Apoſtolici Legati. Adjungi potuerant Celeſtinus & Sanctus Leo Magnus, Romani Pontifices, mandantes etiam Neſtorio ac Eutycheti, Hæreſiarchis, dummodò veraciter pœniterent, per primam ac ſecundam Epheſinas Synodos reformari integram ſui gradus communionem, atque ità laudatum à Sancto Athanaſio Canonem mitigantes ac mutilantes. Ab iſto tempore quoſvis Hæreſiarchas in largam iſtam gratiam Romana Eccleſia recepit.

Verùm Sabbas monachus, Studiani in Regia urbe monaſterii Abbas, Iconoclaſtarum rigidus vindex, interpoſuit tertiam quæſtionem: *Si placet ſanctæ Synodo, videamus ſi Ordinationes eorum, qui recepti ſunt, ab hæreticis fuerunt, an non*. Lectos huc uſque Canones de ſolis Epiſcopis & Clericis in Eccleſia Catholica conſecratis dixit ſtatuere, ideòque in hiſce Iconoclaſtis, ſeſe in hæreſi natos, educatos, baptizatos, & Ordinatos allegantibus, non habere locum. Et hinc edixit ſancta Synodus: *Quærite etiam de Ordinatione*. Et lecta ſunt Ruffini Aquilejenſis, Socratis, ac Theodori Lectoris Eccleſiaſtica hiſtoria, vita Sancti Sabbæ Abbatis, alia item Acta Eccleſiaſtica, atque Petrus Romanæ Eccleſiæ Archi-Presbyter ac Legatus eſt interlocutus: *Sanctus Meletius*, Patriarcha Antiochenus, *ab Arianis eſt ordinatus, & Ordinatio ejus non eſt repudiata*. Et per Theodorum Catanenſem omnes Epiſcopi Siculi: *Verum dicit Archi-Presbyter Apoſtolicæ Cathedræ*. Et Sanctus Tharaſius: *Quid dicitis de Anatolio*, Patriarcha Conſtantinopolitano? *Nonnè Primas ſanctæ* Chalcedonenſis *Synodi fuit? Et ecce à Dioſcoro impio ordinatus eſt*. Etenim *ex Deo eſt conſecratio*. Hinc illam ad Marciani Auguſti preces à vitiis purgavit Sanctus Leo Pontifex, & firmavit. Etiam à Sergio, Pyrrho, Petro, Paulo, Monothelitis Regiæ civitatis Patriarchis, ordinatos Epiſcopos fuiſſe ad ſuffragium & conſeſſum in ſexta Synodo admiſſos, adeòque ratam habitam eorum Ordinationem, oſtendit laudatus Tharaſius, & repoſuit ſancta Synodus: *Clarum eſt*. Etenim & octavus Nicænus, & laudatus à Sancto Athanaſio Canon palàm loquuntur de Epiſcopis & Clericis intra hæreſim ordinatis, quorum cauſa fuit ſemper mitior, aut certè minùs mala.

Etiam ille Sancti Athanaſii Canon fuit denuò lectus, ac repertus ſolos errorum Principes perpetuò inter laicos figere, ſequaces verò, niſi alio vitio ac exindè nata irregularitate teneantur, admittere ad gradum. Hinc edixit ſancta Synodus: *Sic ſe veritas habet*. Nihilominùs aliam remoram interjecit Conſtantinus Conſtantienſis Epiſcopus, Cypriorum Metropolita: *Sufficienter oſtenſum eſt, quia qui ab hæreticis accedunt, ſuſcipiendi ſunt; ſi quis autem ſtudio ad hæreticos ierit, & ſuſceperit Ordinationem, ſine receptione eſt*. Præſentes Iconoclaſtas Epiſcopos dixit non ſimpliciter aut ignoranter, ſed ſtudioſè & nequiter Ordinatos in hæreſi, ideòque in gradum iſtic acceptum nullo umquam modo aut tempore recipiendos. Aſſertionem hanc oſtendit ex Sancti Baſilii ad Nicopolitanos Epiſtola, eique Joannes & Thomas monachi, Patriarchalium Orientalium Legati, fuere adſtipulati.

Nodum eleganter ſolvit Sanctus Tharaſius. *Et ego execror eos, qui ob fidei deſtructionem ſunt ab hæreticis ordinati, & maximè ſi Epiſcopi orthodoxi præſentes fuerint, à quibus poterant conſecrari. Sic enim eſt paternus ſenſus*. Et infra: *Egregius Pater Baſilius per illud tempus, cum eſſent orthodoxi Epiſcopi plurimi, interdicebat alumnis Eccleſiæ uti Ordinatione Arianorum*. Acquievere laudati monachi Legati: *Congruè quæque diſſoluta ſunt*. Nihilominùs reorum Epiſcoporum reſtitutio eſt in aliam Actionem reſervata.

ACTIO II.

A Secunda, ſexto calendas Octobres facta, Actione audientiam & gratiam petiit Gregorius Neo-Cæſareenſis Epiſcopus, Ponti Polemoniaci Metropolitanus, Iconoclaſta, in hæc verba: *Peto veniam priorum malorum meorum, & volo cum omnibus illuminari, & doceri. Delicta enim & peccata mea immenſa ſunt*. Ejus converſionis cauſas, modum, veritatem diſcuſſit Sanctus Tharaſius, utpotè ejus Patriarcha, reconciliationem verò diſtulit in Actionem ſequentem.

Exindè Leontius Principi à Secretis poſtulavit ſolenniter recitari dogmaticas Adriani Pontificis ad Conſtantinum Auguſtum, ejus matrem Irenem, ac omnem ſanctam Synodum litteras: Legit verò Sanctus Nicephorus tunc item Principi à Secretis, poſt Sanctum autem Tharaſium Patriarcha Conſtantinopolitanus. Sic in hujus vita teſtatur Ignatius Metropolita Nicænus. Poſteriorem tamen litterarum partem, Tharaſii ex laico Patriarchalem promotionem, & ab illo adſumptum *Epiſcopi univerſalis* nomen redarguentem, ac Romanæ Eccleſiæ patrimonia & diœceſes repetentem, omitti diſſimularunt Legati Romani ob ſuprà adductas ex Anaſtaſio Bibliothecario rationes. Fuiſſe germanas ac in reliquis incorruptas litteras, & eidem Legati, & Theodorus Catanenſis Epiſcopus, nuper ad poſtulandam Synodum à Principe Romam miſſus, ac ejus Diaconus & in via ſocius Epiphanius fuere atteſtati. Cap. 5.

Lecta item eſt ejuſdem Pontificis ad Sanctum Tharaſium dogmatica Epiſtola, & à Legatis Apoſtolicis rogata omnis Synodus: *Dicat nobis, ſi admittit litteras ſanctiſſimi Papæ ſenioris Romæ, an non*? Reſpondit verò: *Sequimur, & ſuſcipimus, & admittimus*. Eaſdem inſigni profeſſionis elogio ſinguli Epiſcopi honorarunt. Agapetus Cæſareenſis in Cappadocia Archi-Epiſcopus, Diœceſeos Ponticæ Primas, eſſe dixit *Orthodoxiæ lamen*, Joannes Tauromeniæ in Sicilia Epiſcopus *terminum Orthodoxiæ*. Imitati ſunt Synodum Chalcedonenſem, à qua Sancti Leonis Magni

gni dogmaticus tomus etiam appellatus eſt *lumen & columna Orthodoxiæ*. Hunc fuiſſe proprium Sancti Petri Apoſtoli opus ex inſigni miraculo oſtendit in prato ſpirituali Sanctus Sophronius.

ACTIO III.

Actio tertia, tertio calendas Octobres facta, Epiſcopos Iconoclaſtas, prima Actione diſcuſſos, intromiſit, nec non & Gregorium Neo-Cæſareenſem, cujus diſcuſſio plenior fuerat à ſecunda Actione in præſentem dilata. Duo gravabant illum accuſationis capita. Primum edixit Joannes Magnificentiſſimus Logotheta: *Gregorius Neo-Cæſareæ Epiſcopus exſtitit auctor prætereuntis impiæ Synodi*. Cayphaicam ſub Conſtantino Copronymo Synodum non quidem Præſes direxerat, ſed in ſcriptum digeſſerat: Hinc Sabbas Studiani monaſterii Hegumenus aſſerebat eſſe hæreſeos Principem, ideòque ex antiquo Eccleſiæ Canone inter laicos irreparabiliter relinquendum.

Aliud accuſationis caput produxit Sanctus Tharaſius. *Sermo quidam rumoris obſtrepit, quod in tempore perſecutionis quidam Epiſcoporum intolerabiles perſecutiones piis viris intulerint: Quibus verbis injectis non uſquequaque ſine probatione credimus*. Conſtantinum Caballinum, Nerone, Domitiano, aut Diocletiano in orthodoxos Epiſcopos, Clericos, ac monachos ſæviorem, quidam Epiſcopi adjuverant, eorumque unus dicebatur eſſe præſens Gregorius Neo-Cæſareenſis.

Hinc quæſitum, An tales Epiſcopi reſtitui poſſent in gradum, an potiùs inter laicos forent perpetuùm relinquendi? Ità relinquendos cenſuit Sanctus Tharaſius ex vigeſimo octavo vulgari Apoſtolico Canone: *Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles iniquè agentes, & per hujuſmodi volentem timeri, dejici ab officio præcipimus*. Et diſertè Apoſtolus mandat Epiſcopum non eſſe percuſſorem. Per Theodorum Catanenſem Epiſcopi Siculi addiderunt auctoritatem Synodi Chalcedonenſis: *Quarta Synodus mox ut conſedit, in primordiis exclamavit*, DIOSCORUM FORAS MITTE, HOMICIDAM FORAS MITTE, EO QUOD IN SYNODO EPHESINA LATROCINALI MANUS INIECERIT SUPER VIROS INNOCENTES. Et hanc regulam omnis Synodus voluit ſervatam.

Porrò ſupplex ad hæc Gregorius reſpondit. *Non me homo accuſabit, quia percuſſi vel cecidi. Neque in Divinitùs cuſtodienda Regia urbe, neque in mea regione homo ex me ultionem paſſus eſt*. Hinc interlocuta eſt ſancta Synodus: *Si iſtud eſt, ſuſcipiatur in loco ſuo*. Verùm Joannes & Thomas monachi, Orientalium Patriarcharum Legati, Conſtantinus Cypriorum Metropolita, & Sabbas Studiani monaſterii Archi-Mandrita denuò intercesserunt de primo crimine, de Pſeudo-Synodi ac hæreſeos ducatu, *de antiquo Eccleſiæ* in iſtiuſmodi duces Canone. Eorum zelum laudavit Sanctus Tharaſius, addidit autem etiam Juvenalem Hieroſolymitanum ex Epheſini Latrocinii, & Euſtatium Sebaſtenum Metropolitam fuiſſe ex Macedonianæ Factionis Principibus, quos tamen Concilium Chalcedonenſe & Liberius Pontifex ſuis gradibus reddidere. Joannes Logotheta adjunxit non ità ſcrupuloſè urgendos antiquos Canones adversùm Epiſcopos pœnitentes, atque ità Tharaſio adclamavit omnis Synodus: *Omnes idipſum dicimus*. Hinc igitur Apoſtolicæ Sedis & aliorum Patriarcharum Legati definierunt: *Recipiant ſedes*. Et ſtatim omnes memorati Epiſcopi *adſcenderunt in competentes ſibi cathedras*.

Tùm ad Conſtantini Cypriorum Archi-Epiſcopi & univerſæ Synodi juſſum Stephanus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Notarius legit ſynodicas Sancti Tharaſii ad Politianum Alexandrinum, Theodoretum Antiochenum, & Eliam Hieroſolymitanum Patriarcham litteras, eorumque ſynodica Reſponſa, antiquam Eccleſiæ de ſacris imaginibus traditionem inſigniter elucidantia. Legit & æquè inſignem ſynodicam Theodori Hieroſolymitani ad Coſmam Alexandrinum & Theodorum Antiochenum, qui tres priores Patriarchas proximè anteceſſerant, ac in impiorum Saracenorum medio ſacras imagines fuerant ſtrenuè tutati. Etiam de ipſorum Anteceſſoribus ſcribit Theophanes: *Joannes Damaſcenus cum Orientis Epiſcopis* Leonem Iſaurum *anathemati ſubdidit*. Hac de cauſa Leo Joannem, quem propriis manibus lædere non poterat, per fictas Epiſtolas eſt apud Saracenos peſſimè calumniatus. Quomodò Coſmas etiam Monothelicam hæreſim abjurans, omnem Ægyptum Chriſto Domino reddiderit, refert idem Theophanes. Anaſtaſius Bibliothecarius teſtatur in hac Actione exſtare etiam Sancti Tharaſii ſynodicam ad Adrianum Pontificem: Eſt ipſa ad Orientales Patriarchas ſcripta. Nam eadem à novo Patriarcha ad alios quatuor paſſim ſcribebatur.

Haſce ſynodicas, earumque Auctores Patriarchas laudarunt Legati Apoſtolici, & confirmarunt hoc epiphonemate: *Qui non ità confitentur, Anathema ſint à ſanctis trecentis & octo Patribus, qui huc antè collecti ſunt*, & Arium ſub Sylveſtro Pontifice damnaverunt. Acclamavit univerſa Synodus: *Fiat, fiat, fiat*. Ubi omnes Epiſcopi eas ut orthodoxiæ titulos proprio ſingulatim ſuffragio roborarant, dixit Sanctus Tharaſius: *Contentio quievit, medius paries ſublatus eſt inimicitiæ, Oriens, Occidens, Septemtrio & Meridies ſub jugo uno & conſonantia facti ſumus*. Et univerſa Synodus: *Gloria tibi Domine, qui uniſti nos*. Rectè Tharaſius addidit Septemtrionem: Aderat enim Cyrillus monachus, Vicarius ac Legatus Nicetæ Epiſcopi Gothorum.

ACTIO

ACTIO IV.

ACtio quarta, facta calendis Octobris, orthodoxam fidem, ac indè natam Eccleſiarum pacem volens eſſe firmiſſimam, legi juſſit ſacrarum litterarum ac ſanctorum Patrum pro ſacrarum imaginum factura & cultu teſtimonia. Lecta ſunt vigeſimum quintum Exodi, ſeptimum Numerorum, quadrageſimum primum Sancti Ezechielis, & nonum caput Apoſtolicæ ad Hebræos Epiſtolæ de Cherubinis à Sancto Patriarcha Moyſe factis, & concluſum ſacras imagines omninò Deo placere. Lecta ſunt & varia ſanctorum Patrum teſtimonia lucidiſſima, ventumque ad Sanctum Nilum, de quo Romanum Martyrologium. *Ex Præfecto urbis* Conſtantinopolitanæ *factus monachus ſub Theodoſio juniori, doctrina & ſanctitate claruit*. Ab Olympiodoro Præfecto de Chriſtiano Eccleſiarum ac privatarum domorum ornatu rogatus reſpondit nequaquam variis beſtiarum ac venationum picturis, fidelium oculos & animos ſeducentibus, ornandas, ſed in Baſilicæ ad Orientem ſacrario figendam unicam imaginem Dominicæ Crucis. Et addidit: *In communi domo, diverſis domunculis inſignita, ſufficere unicuique manſiunculæ infixam pretioſam Crucem, & ſuperflua dimitti neceſſarium exiſtimo*. Hocce teſtimonium, quaſi ſolam ſanctæ Crucis imaginem probans, Cayphaica Synodus in palmare fundamentum adſumpſit.

Verùm enim verò mutilavit. Sanctus namque Nilus disertè addidit novi & veteris teſtamenti hiſtoriis ab optima pictoris manu replendas ex utroque latere Baſilicas, *quatenùs qui neſciunt litteras, neque poſſunt legere Divinas Scripturas; contemplatione picturæ memoriam ſumant fortis facti eorum, qui Deo ſervierunt*. Neque duntaxàt mutilavit ſancti Patris Epiſtolam, ſed & vitiavit. *Epiſtola hæc*, dixit Theodorus ex Iconoclaſta reſtitutus Myrenſium Epiſcopus, *cùm eſſet depravata, perdidit nos & ſeduxit. Putabamus ſimplicem eſſe & abſque inſidiis*. Et cæteri cum ipſo reſtituti Epiſcopi: *Nos ſi audiſſemus tunc quod dicit Pater*, QUIA HINC ET INDE PINGE DOMUM VETERIBUS ET NOVIS NARRATIONIBUS, *non in vanitatem verſi credidiſſemus; ipſi enim pro eo, quod dicit*, PINGE, DEALBA, *poſuerunt*, *Quod nos fortiter decipiebat*.

Obſtupuit Sanctus Tharaſius, quæſivitque à miſerabilibus iſtis Epiſcopis: *Si protulerunt libros tunc in Concilio?* Repoſuit Gregorius Neo-Cæſareenſis: *Nequaquam Domine, ſed pro libris pittacia nobis oſtenderunt, & ex eis decipiebant nos*. Et Euthymio Sardenſi Epiſcopo, Lydorum Metropolitæ, roganti, *Quomodò vos, cùm eſſetis ſummi Sacerdotes, non requiſiſtis integra teſtimonia ex codicibus?* Aliud referre nequiit, niſi hæc verba, idem Gregorius: *Obſcuratum eſt inſipiens cor noſtrum*. Et Theodorus Myrenſium Metropolita: *Planè nos illa pittacia perdiderunt; ſed nunc integrum Sancti Nili teſtimonium convertit & ſalvavit nos*. Lecta itaque ſunt Sancti Nili, vanas in Eccleſiis ac fidelium ædibus picturas improbantis, integra teſtimonia, & Conſtantinus Cypriorum Metropolita concluſit. *Oſtenſum eſt liquidò, quia ipſe ſanctus & egregius Pater Nilus ſanctas iconas ſuſcipiebat. Accuſatus eſt autem à Pſeudo-Syllogo illo, quod contra iconas locutus fuerit. Undè miſeri non ſolùm Chriſtianorum, ſed & Sanctorum calumniatores exiſtunt, & parricidæ, & accuſantes falsò ſanctos Patres*. Eiſdem hodie artibus etiam Lutherani & Calviniſtæ utuntur. Nempe impiorum Princeps diabolus nuſquam liberiùs in circuitu ambulat, quam in cerebro hæreticorum.

Poſt varia rursùm Patrum teſtimonia lectus eſt ex Sancti Sophronii prato ſpirituali fœdus lapſus neſcio cujus monachi, graviſſimè à fornicationis ſpiritu vexati, ideòque dubitantis de admittenda & juranda hac diaboli oblatione: *Ne adores* Deiparæ *imaginem, & te ampliùs non impugnabo*. Ad hoc, inquam, opportuniſſimum teſtimonium Joannes monachus, Patriarcharum Orientalium Legatus, eſt interlocutus. *Significat ſermo Patris noſtri Sophronii, quia expedit ei, qui juravit, magis perjurare, quam omninò ſervare jusjurandum in deſtructionem venerabilium imaginum. Hoc autem dicimus, quia hodie quidam excuſant ſe propter juramentum*. Quidam Iconoclaſtæ Epiſcopi ad Eccleſiam redire, ac ſacras imagines venerandas & Baſilicis reſtituendas promittere detrectarunt, quod earum damnationem atque exſtirpationem in ſua per pares Iconoclaſtas facta conſecratione fuiſſent cum juramento profeſſi. Herodianum iſtud juramentum timuerunt prævaricari. Neque id mireris. Etenim etiam ſuo tempore multos eidem errori inhæſiſſe teſtatur in novella ad Joannem Prætoriorum Præfectum lege Juſtinianus L. 51. c. 1. Auguſtus. Et ad Albericum Oſtienſem Epiſcopum ſcribit Sanctus Bernardus: Epiſt. 219. *Apud Francigenas probro ducitur juramentum ſolvere, quamlibet malè publicè juratum ſit, quamvis nemo ſapiens dubitet, illicita juramenta non eſſe tenenda*. Eumdem errorem notat Gregorius ſeptimus Pontifex in litteris L. 7. Epiſt. 9. ad Epiſcopos Aſtenſem ac Taurinenſem. Laudatus, inquam, monachus Joannes poſtulat, An iſto Herodiano juramento, ac præſertim ſacrilega ejus ſervandi ſuperſtitione polluti Epiſcopi eſſent perpetuò relinquendi inter laicos ſine quavis ſpe reparationis? Et in rigorem iſtum omninò propendebat. At Theodorus Subritenſis Epiſcopus interceſſit: *Princeps Apoſtolorum Petrus negavit*, utique cum juramento Herodiano, *ſed acta pœnitentia fuit* in Epiſcopatum *receptus*. Sanctus Tharaſius & omnis Synodus fuere adſtipulati, atque ità indeciſa manſit iſta quæſtio, rejectaque eſt in aliam occaſionem.

Ad alia rursùm lecta ſanctorum Patrum teſtimonia interlocutus eſt Leo Epiſcopus Phocienſis: *Scriptum eſt*, QUIA IN DUOBUS VEL TRIBUS TESTIBUS STABIT OMNE VERBUM; *& hodie exhibiti ſunt nobis plurimi ſacri libri, qui mentes noſtras rigaverunt, & ſatisfecerunt de reſtitutione ſanctarum imaginum*. Et Sanctus Tharaſius ſolennes egit gratias Domino Deo ac Filio ejus Jeſu Chriſto, qui *Pax noſtra fecerat utraque unum*, omnemque Eccleſiam pacificarat. Exclamarunt verò omnes,

præſertim in Cayphaica Synodo prævaricati, Epiſcopi: *Divinitùs ſonantium Patrum doctrinæ nos correxerunt. Ex ipſis haurientes veritatem potati ſumus. Eos ſequentes mendacium perſecuti ſumus. Ab eis edocti venerabiles imagines ſalutamus. Patres prædicant, filii obedientiæ ſumus, & congratulamur in facie matris, traditione Eccleſiæ Catholicæ. Credentes in unum Deum in Trinitate honorandum, honorabiles imagines ſalutamus. Qui ſic ſe non habent, anathema ſint. Nos antiquam Eccleſiæ Catholicæ legiſlationem ſequimur. Chriſtianos accuſantibus, id eſt, imagines confringentibus Anathema.* Adjungunt omnes ſuprà adductos Anathematiſmos.

Exindè Euthymius Sardenſis Epiſcopus, Lydiæ Metropolita, ſolenniter legit unionis decretum, quo univerſa Synodus humanum genus non per Regem aliquem, Synodum, aut quodvis hominis opus, ſed per ſolum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum fuiſſe à vetuſto & cæco idololatriæ vitio purgatum ac liberatum eſt profeſſa, ideòque ipſi ſoli detulit gratias, gloriam, laudem. Addidit. *Salutamus & Dominicas, & Apoſtolicas, & Propheticas voces, per quas honorare & magnificare didicimus primò quidem eam, quæ propriè & veraciter eſt Dei genitrix, & ſuperior cunctis cœleſtibus virtutibus; ſanctaſque & Angelicas Virtutes, atque beatos & laudabiliſſimos Apoſtolos, Prophetas, glorioſos Martyres, ſanctos & Deiferos Magiſtros, & omnes ſanctos viros: Et horum expetere interceſſiones, ut valentes nos familiares reddere Regi omnium Deo, & in virtutibus vivere promerentes. Inſuper ſalutamus figuram pretioſæ ac vivificæ Crucis, & ſancta Lypſana Sanctorum, & ſanctas ac venerabiles iconas recipimus ac ſalutamus, atque amplectimur ſecundùm antiquam traditionem Eccleſiæ Catholicæ.* Videlicet Iconas Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, *Sanctorum ac incorporalium Angelorum, ut homines enim juſtis apparuerant*, Sanctorum Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, ac omnium denique Sanctorum: Etenim *per picturam ſuam in memoriam adducere nos valent, & ad principale attrahere, atque participes facere alicujus ſanctificationis.* Quod unionis decretum Apoſtoli & Patriarchales Legati, Epiſcopi omnes, atque Abbates proprio ſuffragio ac manu firmarunt.

Glorioſam Dominam noſtram, Virginem Mariam, eſſe veraciter ac propriè Dei matrem profitentur adversùs Conſtantinum Caballinum, Anaſtaſio & Conſtantino Pſeudo-Patriarchis conatum perſuadere purum putum Neſtorianiſmum. Quod eam omnibus Sanctorum Angelorum hierarchiis atque ordinibus ſuperiorem, & Chriſto Domino in ſanctitate & gloria proximam definiant, non eſt dogma novum. Etenim & antiqua, Sancto Jacobo Apoſtolo adſcripta, liturgia eam profitetur *honorabiliorem quam Cherubim, & glorioſiorem quam Seraphim.* Ad eamdem clamat liturgia Sancti Joannis Chryſoſtomi: *Cherubim es præſtantior, & Seraphim ſine comparatione glorioſior.* Quod ipſum definivit Cayphaicum Concilium, utpotè lapidari timens ab avita pietate totius ſub cœlo populi Chriſtiani. Et omnis Latina jam pridem cantavit Eccleſia: *Exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna.*

Iſtud denique unionis decretum ſacris imaginibus non latriam, aut duliam, ſed ſolam honorariam ſalutationem decernit, adfirmans eſſe perpetuam Eccleſiæ traditionem. Quomodò igitur Sanctus Thomas, & alii paſſim Doctores ſcholaſtici illas latria aut dulia mandant honorari? Reſpondeo illos ab omni idololatriæ ſuſpicione eſſe remotiſſimos; rectum in mente ſenſiſſe, attamen malè, ex præſentis Synodi ignorantia, fuiſſe locutos. Quod ipſum adfirmat D. Cardinalis Baronius. Addit ignorantiam illam eſſe omninò reprehenſibilem, venia tamen dignam: Nam & Sanctus Auguſtinus in Epiſcopum electus Nicænos, & cum omni Africana Synodo Aurelius Carthaginenſium Primas ignoravit Canones Sardicenſes.

Hic Autor non ſenſum, ſed loquendi modum in Scholaſticis reprehendit. A. 787.

ACTIO V.

QUinta Actio, celebrata quarto nonas Octobres, Iconoclaſtiam non ſolummodò ſanctis Eccleſiæ Patribus adverſari, ſed inſuper eſſe antiquum hæreticorum, Judæorum, Samaritarum, ac Saracenorum dogma volens oſtendere, denuò ſibi legi juſſit teſtimonia varia & ſanctorum Patrum & ipſorum hæreticorum. Per Coſmam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconum, ac Notarium lecta eſt Sancti Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi in Regem Nabuchodonoſor, ſacras Judaici templi imagines demolientem, invectiva, & Sancti Symeonis Stylitæ ad Imperatorem Juſtinum ſecundum de Samaritis, qui Domini ac Deiparæ ſacras imagines propè civitatem Porphyrionenſem dejecerant, querimonia, atque hinc Joannes monachus, Patriarcharum Orientalium Legatus, eſt interlocutus: *Samaritæ pejores ſunt aliis hæreticis.* Utpotè Pagani. *Et* Sancti Symeonis *oratio demonſtravit, quoniam hi, qui imagines ſubvertunt, pejores ſunt iſtis. Dignum ergò eſt illos nominare Samaritas.* Addidit Conſtantinus Metropolita Cypriorum: *Ego imaginum infractores tantò pejores Samaritis arbitror, quantò illi ignoranter egerunt, cùm eſſent alieni à Chriſtianiſmo; iſti verò ſcienter fecerunt.*

Item ab Epiphanio Catanenſis Eccleſiæ Diacono, ac Thomæ Calaritani Archi-Epiſcopi Legato, lectum eſt Sanctorum Apoſtolorum itinerarium, Chriſto Domino carnis veritatem denegans, adſcribenſque ſolam phantaſticam ſpeciem, utpotè opus neſcio cujus impuriſſimi Marcionitæ aut Manichæi. Addebat Dominicæ crucifixionis tempore Sanctum Joannem Evangeliſtam in quapiam Olivetani montis ſpelunca latuiſſe. Item neſcio quem Lycomedem, quod ejuſdem Apoſtoli imaginem coronis ac lucernis ornaſſet, refert ab ipſo Apoſtolo fuiſſe tamquam adhuc gentiliter viventem graviter reprehenſum. Et hocce itinerarium fuit unum è Cayphaici conciliabuli

conciliabuli

eiſſabuli palmaribus argumentis. *Hic liber*, inquit Conſtantinus Cypriorum Archi-Epiſcopus, *conſtituit Pſeudo-Syllogum iſtud*. Et Sanctus Tharaſius Patriarcha: *Riſu digna ſunt iſta:* Et Theodorus Catanenſis Epiſcopus: *Ecce liber, qui deſtruxit venuſtatem Eccleſiæ*. Et univerſa Synodus: *Omnis hæreſis in hoc libro pendet*. Et Joannes monachus, Patriarcharum Orientalium Legatus: *Inducit Lycomedem coronantem imaginem Apoſtoli, quemadmodùm Pagani idola*. Addidit librum iſtum eſſe ſordes Manichæas, Chriſto Domino carnis veritatem, adeòque & ſacras imagines ab illo negari, atque ità Iconoclaſtas delirare cum Manichæis. Pati non potuit ſancta Synodus ſordes iſtas, quæ Sanctum Joannem Evangeliſtam Crucifixo Domino uſque ad finem adſtitiſſe negant, fuiſſe à tot Epiſcopis ſynodaliter probatas aut toleratas. Hinc Petronas magnificentiſſimus Patricius rogavit Iconoclaſtas Epiſcopos, num integrè fuiſſet in Cayphaico concilio lectus liber? reſponderunt verò Gregorius Neo-Cæſareenſis & Theodoſius Ammorienſis: *Illic liber non apparuit, ſed per falſa pittacia decipiebant nos*. Legi curarunt ſolam Lycomedis fabulam, atque ità ſacras imagines tamquam idola ab Apoſtolo damnari miſeris Epiſcopis perſuaſere. Quare fœdiſſimum librum, etiam à Sancto Amphilochio, Iconienſium Archi-Epiſcopo, jam pridem damnatum, deinceps à quoquam deſcribi vetuit, cuncta huc uſque ſcripta exemplaria damnavit ad ignes ſancta Synodus, & adversùs ulteriorem ejus lectionem interceſſit Nicephorus Dyrrachii Epiſcopus, novæ Epiri Metropolita: *Polluit aures noſtras*.

Quæſtio eſt, Quomodò Joannes monachus dicat de coronata per Lycomedem Apoſtoli imagine: *Quemadmodùm Pagani idola ſua?* An ergò ſacras imagines coronare eſt ritus idololatricus? Reſpondeo primis Eccleſiæ ſæculis omninò fuiſſe. Etenim plurimi fideles, quod in Romanorum Imperatorum die natali aut alio feſto domos ac januas ſuas coronare ſeu de coronata domo procedere nollent, ſubierunt crudelia martyria, eoſque non tantùm in ſuſpecto de militis corona, ſed & in orthodoxo de idololatria libro Tertullianus ſtrenuè defendit. Longè minùs fidelibus licuit homines vivos aut defunctos coronare. *Proprietatem*, inquit in priori libro, *iſtius habitus & ex originis cenſu, & ex ſuperſtitionis uſu idolis vindicamus. Ipſæ fores, ipſæ hoſtiæ & aræ, ipſi miniſtri & Sacerdotes gentilium coronantur.* Quod omne ipſius dogma apud Minutium Felicem confirmat adversùs Cæcilium gentilem Octavius Chriſtianus. Coronas fuiſſe propria idolorum ornamenta gentiles paſſim Scriptores adfirmant. Hinc igitur primis Eccleſiæ ſæculis ſacrarum imaginum, uti & domorum ac portarum, coronæ erant ſuſpectæ, ſcandaloſæ, piorum oculorum offenſivæ. Et huc tam iſtud Pſeudo-Itinerarium, quam Joannes monachus, quoniam de Lycomede Apoſtolis coævo loquuntur, reſpiciunt. Paganiſmi extinctio abſtulit offenſionem, & ſcandalum, atque ità coronandi ritus ex impio & gentili factus eſt pius, religioſus, Chriſtianus.

Etiam Euſebium Cæſareenſem Epiſcopum, primæ Palæſtinæ Metropolitam, adversùs ſacras imagines adduxit ut magnum Eccleſiæ Patrem Synodus Cayphaica. Hinc lecta ſunt & ejus quædam ſcripta, Origeniſticæ ac Arianæ impietatis plena, *habentiaque & alias blaſphemias, quas Synodus audire non perferens* eſt interlocuta: *Anathema & libris illis, & utentibus eis*.

Lecta etiam ſunt Theodori Lectoris & Joannis Diacrinomeni Eccleſiaſtica hiſtoria, vita Sancti Sabbæ Abbatis, Clericorum & Monachorum Antiochenſium ad Conſtantinopolitanam ſub Menna Patriarcha Synodum libellus, & Joannis Gabalenſis Epiſcopi de Severi Pſeudo-Patriarchæ Antiocheni vita liber, atque ità patuit Iconoclaſtiam fuiſſe jam pridem ab Eccleſia damnatam in dicto Severo, Petro Cnapheo, ac Philoxeno Hierapolitano, Domini naturas confundentibus hæreticis, ideòque abjicientibus omnes ſacras imagines, præſertim Spiritus Sancti in forma columbæ, & Sanctorum Angelorum. Angelos ſanè, quantumvis pingere liceret, non in purpureis, ſed duntaxàt in albis veſtibus eſſe pingendos Severus eſt inſuper nugatus.

Etiam Conſtantini Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ olim Diaconi & Chartophylacis lectus eſt in omnes Sanctos Martyres ſermo, laudans eorum cum gentilibus tyrannis, nos de pari ſectum imaginum ſeu idolorum cultu accuſantibus, diſputationes & Reſponſum: *Formam, in qua, Deus Verbum demonſtratus eſt, & cum hominibus converſatus, tabulis depingimus, recordationem ſalutis, quæ per eum facta eſt, Divina effigie facientes, & non ſecundùm vos vanas ipſius Divinitatis figuras, ſecundum quod placuerit, derivantes aut ſculpentes*. Reſponſum exponit ſanctus Tharaſius: *Nos non ſimulacra dæmonum facimus, ſed Dei Verbi, qui incarnatus eſt, & Sanctorum ejus iconas, non tamen Deificamus eas*.

Erat lucidiſſimum pro ſacrarum imaginum antiquitate teſtimonium, ideòque Iconoclaſtæ in Cayphaica Synodo fecerant, quod refert Theophilus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Scevophylax: *Quando promotus ſum, inveni librum Conſtantini Chartophylacis continentem de venerabilibus Iconis, & reciderunt folia, in quibus jacebant verba ſuper iconis; & ecce eumdem codicem præ manibus habens ſanctæ Synodo oſtendo*. Addidit Leontius devotus à Secretis. *Et aliud, Patres, mirandum eſt in codice hoc. Ut videtis enim, argenteas tabulas habet, & hinc indè imaginibus Sanctorum adornatur. Et rem ipſam dimittentes, id eſt, imagines, quæ ſcripta intùs de imaginibus erant reciderunt: Quod extremæ dementiæ eſt*. Et Leo Phocienſis Epiſcopus: *Hic quidem Codex folia perdidit; in civitate autem, in qua habito, ſupra triginta Codices combuſſerunt igni* Demonſtratæ ſunt plures eorum in orthodoxos Codices injuriæ, edixitque ſancta Synodus: *Anathema qui reciderunt, & inſidiati ſunt*.

Prodiens tum Stephanus monachus, Patriarchalis Bibliothecæ cuſtos, ſeu duodecim Doctorum, Bibliothecam iſtam à Conſtantino & Irene reſtitutam cuſtodientium unus, dixit: *Et alios codices habemus de cauſa ſacrarum imaginum uſque ad quindecim, & ut jubetis*. Repoſuit Sanctus

ctus Tharaſius: *Repleti ſumus, atque contenti. Satiati ſumus ex paternis teſtimoniis, & cognovimus quia priſca traditio eſt venerabilium imaginum erectio. Sectatores igitur ſumus ſanctorum Patrum.* Et univerſa Synodus: *Sectatores & concordes. Satis eſt.*

Exindè Joannes monachus, Patriarcharum Orientalium Legatus, oſtendit Iconoclaſtiam, priùs ab Ezido Saracenorum Principe & Conſtantino Nacolienſi Epiſcopo, deindè à Leone Iſauro & Conſtantino Copronymo in Eccleſias intruſam, fuiſſe opus & machinam impiorum Judæorum, ideòque Iconoclaſtas eſſe Judæos potiùs & Saracenos, quàm Chriſtianos. Hinc Sabbas Studiani monaſterii Præfectus Sancto Tharaſio Patriarchæ ſuo ſupplex ſuggeſſit: *Domine, nos indigni ſervi Sanctitatis Tuæ expetimus, ut ſacræ imagines reſtituantur in locis ſuis juxta priorem conſuetudinem; & ut Litanias celebrent pii Chriſtiani cum illis.* Placuit id omni ſanctæ Synodo, atque Apoſtolici Legati ſolenniter edixerunt: *Juſtum arbitramur, ut ſecundùm pronunciationem omnium noſtrum, immò juxta traditionem antiquam Catholicæ Eccleſiæ, ſicut omnes ſancti Patres edocent nos, veniat in medio noſtrum colenda imago, & hanc ſalutemus; & quemadmodùm placuerit vobis, Sacerdotes, pronunciate ſuper hoc.* Sancta Synodus reſpondit: *Veniat, fiat.* Perrexit Petrus Romanæ Eccleſiæ Archi-Presbyter ac Legatus: *Si jubet veſtra ſancta Synodus, ponatur craſtinò venerabilis imago, & omnes ſalutemus eam.* Et ſancta Synodus: *Fiat, fiat.*

Aliud item capitulum Apoſtolici Legati propoſuerunt: *Ut omnes conſcriptiones, quæ contra venerabiles imagines factæ ſunt, cum anathemate deleantur, & igni tradantur, & de hoc petimus pronunciari, ut videtur ſacræ Synodo.* Omninò, licèt id Actis inſertum non ſit, annuit ſancta Synodus: Etenim adverſùm conſcriptiones iſtas editus eſt Canon novus.

ACTIO VI.

ACtio ſexta, facta tertiò nonas Octobres, poſitas in medio ſacras Domini, Deiparæ Virginis, ac aliorùm Sanctórum imagines ſolenniter ſalutavit cum hiſce tertiò repetitis acclamationibus. *Divinitùs ſonantium Patrum doctrinæ nos correxerunt. Ex ipſis haurientes veritatem potati ſumus. Eos ſequentes mendacium perſecuti ſumus. Ab eis edocti venerabiles imagines ſalutamus. Ab eis ducti adorationem, quæ per honorem fit, impendimus. Qui ſic non habent, Anathema ſint. His, qui ſacras imagines appellant idola, Anathema.*

Exindè Gregorius Neo-Cæſareenſis Epiſcopus legit Cayphaici Concilii Acta, eorum autem orthodoxam ac doctiſſimam refutationem legere cœpit Joannes Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Cancellarius, perfecit verò Epiphanius Eccleſiæ Catanenſis Diaconus, ac Thomæ Archi-Epiſcopi Calaritani Vicarius & Legatus. Acta iſta Gregorius compilarat ac digeſſerat, ideòque ad eorum fidam lectionem nemo erat aptior. Quis refutationem compoſuerit, ignoratur. Eſt variæ eruditionis plena, ideòque omninò legenda.

ACTIO VII.

IN ſeptima Actione, facta tertiò idus Octobres, Theodorus Taurianenſis in Sicilia Epiſcopus ſolenniter legit, ac omnes Romani Pontificis & aliorum Patriarcharum Legati, atque Epiſcopi ſubſcripſere laudatum ſuprà atque explanatum fidei decretum. Additæ ſunt variæ acclamationes & Anathematiſmi, quorum fuit hic finis. *Frementi concilio contra venerabiles imagines Anathema. Theodoſio falſi nominis Epiſcopo Epheſino Anathema. Siſinnio cognomento Paſtillæ Anathema. Baſilio, qui obſcæna pronunciatione Tricacabus apellatus eſt, Anathema. Anaſtaſio, Conſtantino, & Nicetæ, qui per ſucceſſionem Throno Conſtantinopolitano præſederunt, ac ſi novo Ario, Neſtorio, & Dioſcoro, Anathema.* Joanni *Nicomediæ, & Conſtantino Nacoliæ Hæreſiarchis Anathema. Ad nihilum deduxerunt imaginem Domini & Sanctorum ejus: Ad nihilum deduxit eos Dominus. Si quis quemquam hæreſeos Chriſtianos accuſantis, vel in ea vitam ſuam tranſigentium defendit, Anathema. Si quis Chriſtum Deum circumſcriptum ſecundùm humanitatem non confitetur, Anathema. Si quis Evangelicas narrationes titulis picturiſque factas non admittit, Anathema. Si quis non oſculatur has, tamquam in nomine Domini & Sanctorum ejus factas, Anathema. Si quis omnem traditionem Eccleſiaſticam, ſive ſcriptam, ſive non ſcriptam, irritam facit, Anathema. Germani orthodoxi æterna memoria. Joannis & Gregorii æterna memoria. Prædicatorum veritatis æterna memoria. Trinitas hos tres glorificavit, quorum diſputationem ſequi mereamur miſerationibus & gratia primi & magni Pontificis Chriſti Dei noſtri; Intercedente intemerata Domina noſtra ſancta Dei genitrice, & omnibus Sanctis ejus, fiat, amen.*

Joannes ille eſt Sanctus Joannes Damaſcenus: à Saracenis per Leonem Iſaurum incitatis paſſus mille injurias; laudatum vero Gregorium quidam exiſtimant eſſe Gregorium ſecundum Pontificem Romanum, ab eodem Leone crudeliter vexatum. At veriùs eſt pro *Gregorii* legendum eſſe *Georgii*, ac intelligendum Georgium Cyprium, cujus pro ſacris imaginibus zelum, conſtantiam, paſſiones nervoſo compendio deſcribit ac prædicat orthodoxa Cayphaici concilii Refutatio. Ait fuiſſe à puero monachum: An Epiſcopus fuerit, ignoro. Forsàn eſt Antiochiæ in Piſidia Epiſco- April. 18.
pus Metropolita, de quo Græcorum Menologium à Baſilio Auguſto correctum: *Poſtquam diaboli conſilio fuit Iconomachorum hæreſis exorta, &*

omnes

omnes Epiſcopi juberentur ab Imperatore Conſtantinopolim petere, venit & ipſe Georgius, & cùm ſanctarum imaginum adorationem cogeretur negare, nec aſſentiretur, fuit in exilium miſſus.

Acclamationes has & Anathematiſmos ſancta Synodos oppoſuit impiis hiſce Cayphaici Concilii acclamationibus & Anathematiſmis. *Æterna memoria Conſtantino* Coptooymo, & ejus filio *Leoni* Chazareno. *Vas luminaria orthodoxia eſtis. Omnem idololatriam vox exterminaſtis. Magiſtros erroris vos publicaſtis. Germani, Georgii, & Manzur, malæ opinianis virorum, ſenſum vos diſſolviſtis. Germano duplici ſenſu, & ligni adoratori Anathema. Georgio canſentaneo ejus, & falſario paternorum magiſteriorum, Anathema. Manzur nequam nominis, & ſimilia Saracenis ſentienti Anathema. Imaginum ſervitori, & falſa ſcribenti Manzur Anathema. Contumelioſo in Chriſtum, & imperii inſidiatori Manzur Anathema. Impietatis Doctori, & mala Divinæ Scripturæ interpreti Manzur Anathema. Trinitas tres iſtos depoſuit.* Quis non horreat tantam in Epiſcopis mentis cæcitatem? Meritò dixit pœnitens Gregorius Neo-Cæſareenſis: *Obſcuratum fuit inſipiens cor noſtrum.* Porrò *Manzur* eſt vox Syriaca, ſignificans *Redemptum*, ac ipſam fuiſſe gentilitium Sancti Joannis Damaſceni cognomen teſtatur Theophanes: Eum Conſtantinus Copronymus vocarat *Manzeran*, id eſt, Eccleſiæ Novatorem, & quotannis Anathemati ſubdebat. Eum Cayphaica Synodus imitatur. Quod ille inter Saracenos degens ſacras imagines liberè defenderet, & Eccleſiaſtica dogmata ad laicos Principes non ſpectare palàm clamaret, vocatur imperii inſidiator, & adversùs Romaoum imperium eadem ſentiens cum Saracenis.

Exindè omnia ſua Acta Auguſtis Principibus ac Adriano Pontifici retulit ſancta Synodus, ſex priores generales Synodos ampliſſimè confirmans ac profitens, adjungenſque in litteris ad Papam: *Ex quibus*, utique Eccleſiaſticis traditionibus per ſex generales Synodos probatis, *etiam imaginum factio eſt, quas honoranter adoramus & ſalutamus.* Speciales ex nomine ſuo litteras addidit, ſtabilem ſui Epiſcopatus confirmationem ſopplicans, Sanctus Tharaſius, quarum eſt finis: *Orthodoxi & fortiſſimi Imperatores noſtri in omni loco venerabiles imagines erexerunt, tam ſcilicet in celeberrimis templis, quam in Regalibus palatiis.* A Principibus itaque diſcedendi licentiam, à Romano Epiſcopo Actorum ſuorum examen, probationem, ac firmitatem Synodus rogavit.

Quando & quomodò ſint editi Canones, ignoramus. Apoſtolicos Legatos fuiſſe quibuſdam cooperatos, liqoet ex Canone nono, per ipſos, ut ſuprà oſtenſum, expoſtulato. Quod item profanum *univerſalis Epiſcopi* nomen ab Epiſcopo Conſtantinopolitano deponendum, & patrimonia ac raptas Diœceſes Romanæ Eccleſiæ reſtituendas urſerint, & exauditi non fuerint iidem Legati, teſtatur Adrianus Pontifex in
L. 4. c. 25. Reſponſo ad dubia Francorum. *Et in hoc*, inquit, *oſtenditur, quia Græci in una capitulo ab errore reverſi, ex aliis duobus in eodem maneant errore. Si enim ubique Chriſtianorum Eccleſiæ intactas ſuas poſſident diœceſes, quantò ampliùs Sancta Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia ſuas diœceſes, immò & patrimonia, pro luminarium concinnatione atque alimoniis pauperum, irrefragabili jure & tenere & poſſidere modis omnibus debet? Sed de diœceſi ſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, ſeu de patrimoniis iterùm increpantes commonemus* Conſtantinum Auguſtum, *ut ſi noluerit ea reſtituere, hæreticum eum pro hujuſmodi erroris perſeverantia eſſe decernemus. Plus enim cupimus ſalutem animarum, & rectæ fidei ſtabilitatem conſervare, quam hujuſmodi habitum mundi poſſidere.* At neque Pontifex fuit exauditus.

ACTIO VIII.

OCtava Actio decimo caleodas Novembres facta eſt Conſtantinopoli in palatio Magnaura. Etenim Apoſtolicos Legatos ac omnes Epiſcopos ad Regiam urbem evocaverunt Auguſti Principes, ſingula Nicææ Acta ex ipſo illorum ore volentes audire. *Erecta eſt*, inquit Ignatius Metropolita Nicænus, *cathedra ipſorum Imperatorum, & ratius à Dea electæ Synadi in Magnauræ inſigni æde.* Irenem Auguſtam cum filio Conſtantioo præſediſſe, ac illis ab Epiphanio Catanenſis Eccleſiæ Diacono, ac Thomæ Caiaritani Metropolitæ Vicario ac Legato, ex more dictum fuiſſe ſermonem Proſphoneticum, teſtantur Acta ſynodalia. Et hinc Francorum Epiſcopi ſunt calumniati Synodum: *Quia mulier non debet in Synodo docere, ſicut Irene in iſta feciſſe legitur.* Reſpondet verò Adrianus Pontifex etiam Chalcedonenſi Synodo Pulcheriam Auguſtam adfuiſſe: Nequaquàm ad docendom, ſed, uti præſens Synodus aſſiduè dicit de magnificentiſſimis judicibus, *ad audiendum.* Vox, *Præſedit*, non eſt oiſi vacoum vocabulum Auguſti honoris. Et hæc octava Actio non eſt propriè ſynodalis, nec vera Synodi pars: Et Græci & Latini ſolas ſeptem Actiones agnoſcunt, & illi finem Synodi ad diem doodecimam Octobris colunt, uti liqnet ex Menologio per Baſilium Auguſtum reſtituto. Pergit Ignatius Nicænus de Conſtantino ac Irene: *Penna & manu Imperatoria* Nicææ Acta *comprobant & confirmant, & non vilibus donis Synodum proſecuti, unumquemque mittunt in ſuam civitatem, & ad greges rationis participes.*

Addit Patriarchalium ſedium Legatos aliquo tempore hæſiſſe Conſtantinopoli, quorum conſiliis & adſiſtentia fultus Sanctus Tharaſius cœperit Epiſcopos & Clericos Iconoclaſtas, etiam in hæreſi per ſimoniam ordinatos, ad pœnitentiam pellicere, in communionem & gradum recipere, atque ità plenè reſtaurare Eccleſiæ pacem. Et hac clementia offenſus Sabbas Studiani monaſterii Hegumenus ſeſe ab illius communione ſubtraxit, & non modicis denuò turbis Regiam urbem movit, nimiam illam in homines impios contra Canones indulgentiam adfirmans Apoſto-

licæ

licæ Romanorum Sedi nullo modo placere. Nec tantùm colludere Simoniacis, ſed & eſſe complex à multis eſt Tharaſius exiſtimatus. Hinc ſe expurgaturus, inſignia, per Ignatium Nicænum laudata, in ſimoniacos Edicta promulgavit. Verùm hæc non ſpectant ad Acta ſynodalia.

CAPUT XIII.

Exponitur exordium ac ſucceſſus quæſtionis de titulo, Epiſcopus univerſalis.

Titulum hunc fuiſſe ab Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo uſurpatum ſcribit In famoſa adversùs nepotem Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum Hincmarus Metropolita Remenſis, *Profani vocabuli præſumptio, rapina ſcilicet* Epiſt. 33. c. 17. *altitudinis, qualiter repulſa ſit à beato Leone, unà cum arrogantia appellationis indebitę à Conſtantinopolitano Epiſcopo uſurpatæ, ſuo loco invenies.* At certum eſt labi. Anatolius enim ſecundum in Eccleſia locum ex tertio Conſtantinopolitano, & Patriarchalem in tres autocephalas diœceſes poteſtatem ex vigeſimo octavo Chalcedonenſi Canone ambiit: Quod etiam profanum *univerſalis Epiſcopi* vocabulum ambierit, nullo authentico teſtimonio poſſit oſtendi.

Attamen ipſum omninò abominatus eſt Sanctus Pontifex Leo Magnus. Etenim in Chalcedonenſi Concilio Theodorus & Iſchyrion, Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconi, etiam Sophronius civis Alexandrinus, in exhibitis adversùs Epiſcopum ſuum Dioſcorum libellis, eum vocant *univerſalem Archi-Epiſcopum & Patriarcham*. Sanctus Paſchaſinus Lilybetanus in Sicilia, & Lucentius in Apulia Eſculanus Epiſcopus, Sedis Act. 3. 4 16. Apoſtolicæ Legati, vocant *Apoſtolicum univerſalis Eccleſię Papam*. Verùm in litteris ad Mauri- L. 4. Epiſt. 32. tium Auguſtum, ad Eulogium Alexandrinum Epiſt. 36. & Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum, & ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, addit Sanctus Gregorius: *Abſit à cordibus Chriſtianorum nomen illud blaſphemię, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dùm ab uno ſibi dementer arrogatur. Certè pro beati Petri Apoſtolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonenſem Synodum Romano Pontifici oblatum eſt. Sed nullus eorum unquam hoc ſingularitatis nomen adſumpſit, nec uti conſenſit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito Sacerdotes privarentur univerſi. Quid eſt ergò, quod nos hujus nominis gloriam & oblatam non quærimus, & alter ſibi hanc arripere etiam non oblatam præſumpſit? Si unus Patriarcha* UNIVERSALIS *dicitur, Patriarcharum nomen cęteris derogatur.*

Superbo iſto vocabulo omnes ſub cœlo Epiſcopos in ordinem redigi & degradari, unicumque induci Epiſcopum, Pontifex aſſiduè urget, addens etiam Sanctum Petrum numquam fuiſſe dictum *univerſalem Apoſtolum*, ſed ſolum Chriſtum Dominum eſſe *Epiſcopum univerſalem*. Cauſam dat Sanctus Cyprianus in litteris ad Sanctum Cornelium Papam: *Singulis Paſtoribus portio gregis* Epiſt. 55. *adſcripta eſt, quam regat unuſquiſque Epiſcopus & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus.* Loquitur ex Apoſtolico Paulo apud Sanctum Lucam in Actis hortante Epiſcopos Aſiaticos: *Attendite univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus* Cap. 20. *poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Romanum Pontificem eſſe Epiſcopum Epiſcoporum, & omnes ab illo, ut à ſole radios, pendere norat, & palàm docet laudatus Cyprianus, ideòque ejus Primatum nullo pacto inficiatur aut mutilat, ſed ſolummodò ſtabilit inſtitutam ab ipſo Domino & mandatam ſub Papa multitudinem Epiſcoporum.

Et hinc omnis etiam poſt Synodum Chalcedonenſem Eccleſia non deſiit Romanum Pontificem appellare *Epiſcopum & Patriarcham univerſalem*. Poſt Epiſt. 22. Etenim ſecundæ Syriæ Archimandritæ & monachi Hormiſdam Pontificem intitulant *univerſæ* Relat. 2. *terræ orbis Patriarcham*. Pampejus nobilis Conſtantinopolitanus *Archi-Epiſcopum Eccleſiæ univer-* Poſt Epiſt. 40. *ſalis*. Joannes Nicopolitanus Epiſcopus, veteris Epiri Metropolita, *Patrem Patrum ac Principem* Relat. 10. *omnium Epiſcoporum*. Eumdem titulum Sancto Epiſt. 2. Gelaſio primo etiam Dardaniæ Epiſcopi adſcribunt. Regiæ civitatis & diœceſeos Hieroſolymitanæ Archi-Mandritæ & monachi, in libellis apud Conſtantinopolitanam ſub Menna Patriarcha Synodum exſtantibus, Agapetum Pontifi- Act. 5. cem vocant *univerſalem Patriarcham*.

Eodem tempore cœperunt Græci Epiſcopo Conſtantinopolitano, trium vaſtiſſimarum autocephalarum diœceſeon Invaſori, per iſtum ipſum titulum adulari. Etenim in dicta Synodo ac Juſtiniani Auguſti legibus frequenter habes ità honoratos Joannem ſecundum, Epiphanium, ac Mennam Patriarchas. Quin immò ſecundæ Syriæ Epiſcopi, ad Antiochenum Patriarchatum ſpectantes, dictum Joannem vocant *Patrum Patrem, Archi-Epiſcopum, ac univerſalem Patriarcham*. Tandem Joannes quartus, cognomento Jejunator, profanum nomen non ſolummodò admiſit, ſed & ſedi ſuæ debitum ac perpetuò adſcribendum ſynodaliter decrevit. *Cognoſcat*, ſcribit ad Euſebium Theſſalonicenſem & alios L. 7. ind. 2. Epiſt. 70. Illyrici Metropolitas Sanctus Gregorius Magnus, *Fraternitas veſtra Joannem quondam Conſtantinopolitanæ civitatis Antiſtitem contra Deum, contra pacem Eccleſiæ, in omnium deſpectu & injuria Sacerdotum, modeſtiæ & menſuræ ſuæ terminos exceſſiſſe, & illicitè in Synodo ſuperbum ac peſtiferum,* ŒCUMENICUM, *hoc eſt*, UNIVERSALIS *ſibi vocabulum uſurpaſſe. Quod beatæ recordationis Pelagius* ſecundus *Deceſſor noſter agnoſcens, omnia geſta ejuſdem Synodi, præter illa quæ illic de cauſa venerandæ memoriæ Gregorii Epiſcopi Antiocheni ſunt habita, valida omninò diſtrictione caſſavit, diſtrictiſſima illum increpatione corripiens, ut ſe à novo & temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet: Adeò ut ſuum Diaconum, niſi tantum nefas emendaret,*

Digitized by Google

ret, *procedere prohiberet*. De Gregorio Antio-
L. 6. c. 7. cheno Epiſcopo Acta ſynodalia exponit Evagrius Epiphanienſis. Joannes fuerat abuſus iſta Synodo, cujus partem paſſans Pelagii ſecundi Epiſtola etiamnùm exſtat.

Pergit Sanctus Gregorius in litteris ad Joan-
L. 4. Epiſt. 38. nem, profani nominis adſumptorem. *Scio, quia hæc veſtræ Sanctitati ab illis oriuntur, qui vobis deceptioſa familiaritate deſerviunt: Contra quos peto, ut veſtra Fraternitas ſolerter invigilet, nec ſe eorum verbis fallendum præbeat. Tantò enim majores hoſtes credendi ſunt, quantò magis laudibus adulantur*. Et in litteris ad Sabinianum ſuum Diaconum, ac in Regia civitate Apocriſarium.
Epiſt. 39. *Ad hoc uſque Joannes pervenit, ut litteras huc tranſmitteret, in quibus ſe penè per omnem verſum,* ŒCUMENICUM PATRIARCHAM *nominaret*. A nepote, juvene inſolentiſſimo, regente omnem Patriarchatum, fuit Joannes ad has temeritates circumſcriptus.

Quæſtio eſt, An ambierit eſſe primus totius Eccleſiæ Epiſcopus & dominatum habere etiam in Eccleſiam Romanam? Pro parte adfirmativa facit Edictum Phocæ Auguſti, de quo in vita Bonifacii tertii Pontificis Anaſtaſius Bibliothecarius. *Bonifacius obtinuit apud Phocam Principem, ut Sedes Apoſtolica caput eſſet omnium Eccleſiarum, id eſt, Eccleſia Romana, quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat*. Joannis & Cyriaci ſucceſſoris ejus ſuperbiam Mauritius Auguſtus potenter foverat, ideòque ejus ſucceſſori Phocæ per Diaconum legatum mox ſupplicavit Gregorius barbaros Longobardorum gladios Romæ, Conſtantinopoli ſuperbos Epiſcoporum animos frænari. Quod morte impediente non potuit ipſe, proximus poſt Sabinianum ſucceſſor Bonifacius à Principe impetravit: Atque ità liquet, quòd Joannes Jejunator ſeſe in Papam, ſeu univerſæ ſub cœlo Eccleſiæ Primatem ſit conatus ſublimare. Hinc de illo ad Mauritium Auguſtum ſcribit laudatus Gregorius:
Epiſt. 32. *Honori quoque imperii veſtri*, quod utique totius mundi univerſale non eſt, *ſe per privatum vocabulum* particularis Eccleſiæ Epiſcopus *ſuperponit*. Frequenter ait illum, qui univerſam ſibi velit ſubjugare Eccleſiam, eſſe Lucifero ſimilem aut Anti-Chriſto. Et in litteris ad Conſtantinam Auguſtam: *Etſi peccata Gregorii tanta ſint, ut pati talia debeat, Petri tamen Apoſtoli peccata nulla ſunt, ut veſtris temporibus pati iſta mereatur*. Lucidè adfirmare videtur Joannem in Sancti Petri Primatum ac Papalia privilegia involaſſe. Quod vox, *univerſalis Epiſcopus*, temeritatem iſtam omninò involvat, lucet ex ipſis ſyllabis, & ſuprà audivimus ex dogmaticis Adriani Pontificis litteris ad Conſtantinum Auguſtum ac matrem ejus Irenem.

Reſpondeo tamen Joannem Epiſcopum eò uſque non ſuperbuiſſe. Tradit id ipſe Sanctus Gre-
L. 7. indict. 2. Ep. 64. gorius in litteris ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum. *Conſtantinopolitanam Eccleſiam quis dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubjectam? Quod & piiſſimus Dominus Imperator, & frater Euſebius*, legendum eſt, *Cyriacus, ejuſdem civitatis Epiſcopus,*
L. 5. Ep. 14. *aſſiduè profitentur*. Et in litteris ad Marinianum Ravennæ Metropolitam. *Numquid non ipſe noſti, quia cauſa, quæ à Joanne Presbytero contra Joannem Conſtantinopolitanum fratrem & Coepiſcopum noſtrum orta eſt, & ſecundùm Canones ad Sedem Apoſtolicam recurrit, noſtra eſt ſententia definita? Si ergò de illa civitate, ubi eſt Princeps, ad noſtram cauſa cognitionem deducta eſt, quantò magis negotium, quod contra vos, hic eſt veritate cognita terminandum?* A Græcorum Imperatorum Exarchis inflati Ravennates Epiſcopi incipiebant Autocephaliam ambire, atque ità dicere ſuas ſententias eſſe inappellabiles, neque Romam poſſe per provocationem devolvi. Autocephalus namque Epiſcopus gaudet jure Patriarchæ, cujus ſententias concuti vetant leges Principis Juſtiniani. Reponit Gregorius, & verè, eſſe verba ſtultorum. Etenim Patriarcharum ſententiæ intra ſolam eorum diœceſim ſunt irrefragabiles: Ad Romanum Epiſcopum, non ut Patriarcham, ſed ut totius Eccleſiæ Papam, ſemper potuere deduci, & ità etiamnum à Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano ſervari laudatus Pontifex exemplis oſtendit. Et reverà Romanas appellationes pleniſſimæ ſuæ libertati reliquit Joannes, vacuum dumtaxàt titulum ambiens, nequaquam univerſæ Eccleſiæ Primatum.

Et illius & Succeſſorum mentem expouit in præſentis Synodi ad Joannem octavum Pontificem præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius. *In eo ſanè, quod frequenter in hac Synodo Græci* UNIVERSALEM *ſuum Patriarcham inconvenienter appellant, Apoſtolatus veſter adulationi veniam det, ſæpè Prælatis ſuis non ſine reprehenſione placere ſtudentium. Verùm cùm apud Conſtantinopolim poſitus frequenter Græcos ſuper hoc vocabulo reprehenderem, & faſtus vel arrogantiæ redarguerem, aſſerebant quòd non ideò* ŒCUMENICUM, *quem multi* UNIVERSALEM *interpretati ſunt, dicerent Patriarcham, quòd univerſi orbis teneat Præſulatum, ſed quòd cuidam parti præſit orbis, quæ à Chriſtianis inhabitatur. Nam quod* ŒCUMENICUM *vocant, à Latinis non ſolùm orbis, à cujus univerſalitate* UNIVERSALIS *appellatur; verùm etiam habitatio vel locus habitabilis appellatur*. Eodem ſenſu omnes quinque Patriarchas vocat
Thronos Catholicos Georgius Cedrenus. Item Ar- F. 381.
meniorum Patriarcha vocatur paſſim Catholicus, atque ità vocat etiam Otto Epiſcopus Friſingen- L. 7. c. 32.
ſis. Iberorum Primatem vocat *univerſalem Archi-*
Epiſcopum in Florentini Concilii hiſtoria Sylve- L. 2. c. 18.
ſter Sguropulus. Eſt antiqua vocis ſignificatio. Etenim Perſidis Epiſcopum, quod omnibus iſtic præſit Epiſcopis & Eccleſiis, pridem ſuo tempore fuiſſe vocatum *Catholicum*, adfirmat in libris de Perſico Juſtiniani Auguſti bello Procopius Rhetor Cæſareenſis. Et Rationalem *Catholicum* & *Catholicianos*, id eſt, generalem Principis in aliqua diœceſi aut provincia Procuratorem, Theſaurarium aut Receptorem hodie dictum, & ſubditos illi officiales, laudant antiquiſſimæ Leges Romanæ.

Et hinc Joannis Jejunatoris ambitum ſacris ſuis, & quidem iteratis, juſſionibus non ſolummodò adjuvit Mauritius Auguſtus, ſed & indignabundus indiſcretum dixit & ſcripſit Sanctum

Gregorium,

L. 6. Epiſt. 30. Gregorium, qui pro frivolo oomioe diſcordiarum ſcandala inter Eccleſias ſeminaret. Quin & Joanni favit Sanctus Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus, dicens hanc non eſſe cauſam, ex qua Pontifex ſuæ manſuetudinis & prudentiæ immemor & Principem offenderet, & omnes ubique Epiſcopos inquietaret. Ex Orientalibus Patriarchis unus Pontificem juvit Sanctus Eulogius Alexandrinus, laudatus ab ipſo in hæc verba: L. 7. Epiſt. 30. *Omnipotenti Deo gratias agimus, quia adhuc arcæ Dei tabulæ inſunt teſtati*. Iſtud, inquam, vocabulum Sanctus Gregorius eſt hoſtiliſſimè perſecutus. Dixit ſuperbum, pompaticum, profanum, Luciferi & Anti-Chriſti æmulum & præcurſorium, ſeditioſum, ſcandaloſum, Evangelio adverſum, damnatum à ſacris Canooibus, omnium io tota Eccleſia Epiſcoporum ac Epiſcopatuum everſivum, Divinis Sancti Petri ac ejus Apoſtolicæ Cathedræ privilegiis injurioſiſſimè adverſum. Nec ſolum Joanoem Patriarcham, ſed & ejus ſucceſſorem Cyriacum eſt inſectatus, ſuum Diaconum Apocriſarium cum illo ad ſacra Miſſarum ſolennia procedere vetaos, & hunc cogitans ab Epiſcopatus confirmatione ſuſpendere. Quin & in ambos duriùs vindicare paratum, ac in impiam iſtam vanitatem pugnare uſque ad mortem, ſola Eccleſiarum pax eſt diſpenſatoriè morata. Adverſùm memoratas Principis juſſiones ſcripſit ad Sabinianum, Diaconum ſuum atque Apocriſarium. L. 4. Epiſt. 39. *Poſtquam* per Græcos Imperatores *defendi ab inimicorum gladiis nullo modo poſſumus, poſtquam pro utilitate Reipublicæ argentum, aurum, mancipia, veſtes perdidimus, nimis ignominioſum eſt, ut per eos etiam fidem perdamus. In iſto enim ſceleſto vocabulo conſentire, nihil eſt aliud quam fidem perdere*. Pati non potuit à Joanne Patriarcha, aſſiduis jejuniis & vilibus monachi veſtibus profundam humilitatem profitente, Luciferianam hanc & Anti-Chriſtianam ſuperbiam prodire ac foveri.

Tanti ſui rigoris & zeli rationes eloquitur in L. 4. Epiſt. 38. variis Epiſtolis, *Multos Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in hæreſeos voraginem incidiſſe novimus Sacerdotes, & non ſolùm hæreticos, ſed & Hæreſiarchas factos*. Indè quippè eruperant Neſtorius, Macedonius, Endoxius, Euſebius Nicomedienſis, Acacius, Anthymus, ac eorum ſequaces. Et ipſum, *Epiſcopus univerſalis*, oomen erat æquivocum, & totius mundi Papam, & unius diœceſeos Patriarcham ſignificare aptum, aptiuſque ad primam ſignificationem quam ad ſecundam. Hinc Joannem doloſè loqui, & licèt non ab ipſo, certe à Succeſſoribus ejus poſſe ad arietandum Romanæ Eccleſiæ Primatum adſumi vocem metuentes Pelagius ſecundus Pontifex, ejuſque ſucceſſor Sanctus Gregorius, ut vario titulo impiam & ſcandaloſam damnaverunt. Eos ſecuti ſunt in dogmaticis ad Synodum præſentem litteris Adrianus primus, & in Bonifacii tertii vita Anaſtaſius Bibliothecarius, dicens de Eccleſia Conſtantinopolitana: *Primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat*. Nempe licèt non ex Joannis Jejunatoris intentione, tamen ex nativa vocabuli ſignificatione. Et hinc lucet Lutheranos & Calviniſtas, garrientes Romanæ Eccleſiæ Primatum eſſe Phocæ Imperatoris donum, imperitiſſimè hallucinari. Romanam namque Eccleſiam nulla nova donavit Phocas, ſed in avitam ſolummodò dignitatem reſtituit, aut veriùs adversùm furatas Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum præſumptiones munivit.

Titulum iſtum ſedi ſuæ à Concilio Chalcedonenſi oblatum uti non probavit Sanctus Leo Magnus; ità neque in ipſa damnavit. Primus damnavit ſeu circumſcripſit Sanctus Gregorius Magnus in litteris ad Sanctum Eulogium Patriarcham Alexandrinum. L. 7. Epiſt. 30. *Invenio veſtram Beatitudinem hoc ipſum, quod memoriæ veſtræ intuli, non perfectè retinere voluiſſe. Nam dixi nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale nomen adſcribere debere, & ecce in præfatione Epiſtolæ, quam ad meipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum,* UNIVERSALEM *me* PAPAM *dicentes, imprimere curaſtis, quod peto dulciſſima mihi Sanctitas veſtra ultrà non faciat: Quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plus, quàm ratio exigit, præbetur. Ego enim à vobis quæro proſperari, ſed moribus. Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt univerſalis Eccleſiæ: Meus honor eſt fratrum mecum ſolidus vigor. Tunc ego verè honoratus ſum, cum ſingulis quibuſque honor debitus non negatur. Si enim me* UNIVERSALEM PAPAM *Sanctitas veſtra dicit, negat ſe hoc eſſe quod me dicit univerſum. Sed abſit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, & vulnerant charitatem*. Addit in ejus vita Joannes Diaconus. L. 2. c. 1. *Gregorius mox ut ſummum Pontificium Romanæ urbis ſortitus eſt, ſuperſtitioſum* UNIVERSALIS *vocabulum, quod Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſuperſtitioſè uſurpabat, ſub diſtrictiſſimæ interminationis ſententia refutavit, & primus omnium in principio Epiſtolarum ſuarum* SERVUM SERVORUM DEI *ſcribi ſatis humiliter definivit, cunctiſque ſuis Succeſſoribus documentum humilitatis reliquit*.

Attamen legem iſtam non recepit Eccleſia: Romanum Epiſcopum non deſiit iſto titulo honorare. Etenim neſcio quis fidelis Conſtantinopolitanus in fidiſſimis ad Occidentalem Eccleſiam litteris Martinum primum Pontificem, cujus deſcribit paſſiones, vocat *Sacerdotum Principem & Apoſtolicum univerſalem Papam*. Maurus Ravennæ Archi-Epiſcopus in litteris à Lateranenſi contra Monothelitas Synodo lectis appellat *totius orbis Apoſtolicum ac univerſalem Pontificem*. Ibidem Theodorum Pontificem Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus dicit *Patrem Patrum, Archi-Epiſcopum, & Papam univerſalem*. Eodem titulo Leonem ſecundum ac Joannem quintum Conſtantinus Pogonatus, ac ejus filius & ſucceſſor Juſtinianus ſecundus honorarunt. Exſtant litteræ poſt Synodum ſextam.

Etiam Conſtantinopolitani Epiſcopi, rapinis ſemper adſueti, vanitatis vocabulum non depoſuere. Liquet ex variis Epiſtolis adversùs Cyriacum Joannis ſucceſſorem. Quod item dictus Sergius ac ejus ſucceſſor Pyrrhus ſeſe *Univerſales* ſcripſerint liquet ex laudata Synodo Lateranenſi. Scripſerunt in ſenſu vero & tolerabili, ſuperiùs adducto ex Anaſtaſio Bibliothecario præſante Synodum

nodum præſentem. Huc uſque enim nullus Conſtantinopolitanus Epiſcopus Romanum Primatum arietavit cum Euſebianis aut Acacianis; longè minùs negare præſumpſit. Et hinc Adrianus primus, & alii Romani Pontifices, licèt graviſſimè improbarent, diſpenſatorio tamen pacis amore ſuperbum in illis vocabulum diſſimularent.

Nihilominùs non vanè ab iſto vocabulo timuit Gregorius Magnus. Etenim de Photio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ invaſore adultero ſcribit ad Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopos Sanctus Pontifex Nicolaus primus. *Gloriantur* Photiani *atque perhibent, quando de Romana urbe Imperatores Conſtantinopolim ſunt translati, tunc & Primatum Romanæ ſedis ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus Regiis etiam Eccleſiæ Romanæ privilegia tranſlata fuiſſe, ità ut ejuſdem invaſor Eccleſiæ Photius etiam ipſe ſe in ſcriptis ſuis* ARCHI-EPISCOPUM ATQUE UNIVERSALEM PATRIARCHAM *appellet*. Eamdem rebellionem ac hæreſim fuiſſe à Michaele Cerulario Patriarcha inſtauratam teſtatur Sancti Leonis noni Pontificis ad Conſtantinum Monomachum Imperatorem Legatus, Cardinalis Humbertus. Et ipſe laudatus Pontifex in litteris
Epiſt. 6. ad eumdem Michaelem. *Nova ambitione Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, antiquis ſuæ dignitatis privilegiis privare contendens, contra omnes fas & jus tuo dominio ſubjugare conaris.* Utique per profanum *univerſalis Epiſcopi* vocabulum, de quo pergit Pontifex: *Qualis & quam deteſtabilis, atque lamentabilis eſt illa ſacrilega uſurpatio, qua te* UNIVERSALEM PATRIARCHAM *jactas ubique & ſcripto & verbo, cùm omnis Dei amicus hujuſmodi hactenùs horruerit honorari vocabulo?*

Proſequitur de Romana Eccleſia. *Quis poſt Chriſtum convenientiùs poſſet inſigniri hoc vocabulo, quam qui dicitur Divina voce,* TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM? *Veruntamen quia ille non invenitur* UNIVERSALIS APOSTOLUS *dictus, quamvis Princeps Apoſtolorum ſit conſtitutus, nullus Succeſſorum ejus tam prodigioſo pronomine conſenſit appellari penitùs, licèt magno Leoni Prædeceſſori noſtro & Succeſſoribus ipſius hoc ſancta decreverit Synodus Chalcedonenſis.* Ex Pelagio ſecundo & Gregorio Magno nomen iſtud variè notat, & damnat. Nihilominùs non ità dudùm pòſt Sanctus Pontifex Gregorius ſeptimus ſuo Conſtituto indidit hunc articulum: *Quod ſolus Romanus Pontifex jure dicatur* UNIVERSALIS. Et exindè Romani Pontifices humilitatis titulo per Sanctum Gregorium Magnum inducto cœperunt addere & hunc, *Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ*, id eſt, *univerſalis*.

Decreti ac novitatis cauſam habemus à Glabro
L. 4. c. 2. Rudolfo. *Circa annum Domini milleſimum vigeſimum quartum Conſtantinopolitanus Præſul* Euſtatius *cum ſuo Principe Baſilio* ſecundo, *aliique nonnulli Græcorum conſilium inière, quatenùs cum conſenſu Romani Pontificis liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo orbe, ſicut Roma in univerſo,* UNIVERSALEM *dici & haberi. Qui ſtatim miſerunt qui deferrent multa ac diverſa donorum Xenia tam Pontifici, quàm cæteris quos ſuæ parti favere conſpicerent.* Ab intruſis tunc, adeòque miſerabilibus Pontificibus, nempe Joanne decimo nono, Benedicti octavi ſucceſſore & germano fratre, tenebatur Romana Eccleſia, ideòque irreligioſis nimiùm terminis addit præfatus Glaber: *Max ut videre Romani Græcorum ſibi deferri fulgidas opes, verſum eſt cor illorum ad fraudulentiæ diverticula, pertentantes an fortè clanculò concedere quiverant quod petebatur.* Verùm Guilielmus Cluniacenſium Abbas doctus & ſanctus per validas litteras interceſſit, atque ità Græcorum *confutata undique tumida præſumptio conquievit.* Euſtatio Patriarchæ poſt medium Alexium ſucceſſit peſſimus Michael Cerularius, cujus in Romanam Eccleſiam temeritates retuli hinc indè, & nemo Eccleſiaſticarum rerum peritus ignorat. Ejus item ſucceſſores in profanum *Epiſcopi univerſalis* nomen non deſierunt adhinnire. Hinc igitur Hildebrandus monachus, Apoſtolico animo pro Dei domo plenus, ex dictorum Cluniacenſium Priore Sanctus Gregorius Papa ſeptimus, Conſtantinopolitanum ambitum volens radicitùs evulſum ac omni repullulandi ſpe privatum, edidit laudatum Decretum:

Ejus ſenſum in litteris ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Romanam Eccleſiam & *unam* & *univerſalem* à Latinis quaſi L. 1. Epiſt.
contradictoriè dici ridebat, edicit Innocentius 197.
tertius. *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod Eccleſia duabus de cauſis* UNIVERSALIS *vocatur. Dicitur univerſalis Eccleſia illa una, quæ de univerſis conſtat Eccleſiis, quæ græco vocabulo Catholica nominatur. Et ſecundùm hanc acceptionem vocabuli Eccleſia Romana non eſt univerſalis Eccleſia, ſed eſt pars univerſalis Eccleſiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore: Quoniam in ea plenitudo poteſtatis exiſtit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur univerſalis Eccleſia illa una, quæ ſub ſe continet Eccleſias univerſas. Et ſecundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Eccleſia univerſalis nuncupatur, quoniam ipſa ſola ſingularis privilegio dignitatis eſt cæteris prælata.* Romanus itàque Epiſcopus eſt & dicitur univerſalis, non quia omnium Eccleſiarum proprius ſeu immediatus Epiſcopus ſit, ſed quia eſt Pater Patrum, Princeps Sacerdotum, ac Epiſcopus omnium Epiſcoporum.

Et hinc meritò adversùm Francorum Epiſcopos, à quibus non *Pater & Papa*, ſed *Frater & Papa* appellatus fuerat, ſcribit in litteris apud Agobardum Lugdunenſem Archi-Epiſcopum ex- Epiſt. 20.
ſtantibus Pontifex Gregorius quartus: *Romano Pontifici ſcribentes, contrariis eum in præfatione nominibus appellaſtis,* FRATREM *videlicet &* PAPAM, *dum congruentius eſſet ſolam ei paternam reverentiam exhibere.* Neſcio quis Synopſeon auctor Francus Agobardum Pontifici faventem notat: *Veri Galli recalcitrant, citant Agobardum; recuſat. Habent conventum adversùs ipſius contumaciam pro confirmanda Gallicana libertate.* Antiquos Francos quis ignoret fuiſſe Romanæ Eccleſiæ devotiſſimos? Scribit enim eorum Apoſtolus, Sanctus Bonifacius Epiſcopus & Martyr Moguntinus,

Grat. Dict. 40. C. 6. cinus. *Tanta reverentia apicem Apoſtolicæ Sedis omnes ſuſpiciunt, ut nonullam ſanctorum Canonum diſciplinam, & antiquam Chriſtianæ religionis inſtitutionem magis ab ore Prædeceſſoris ejus, quam à ſacris paginis & Paternis traditionibus expetant. Illius velle, illius nolle tantùm explorant, ut ad ejus arbitrium ſuam converſationem & ipſi remittant aut intendant.* Hoſce parentes noſtros inter veros Francos habere, & ab eorum pietate devios ad ſpurios proſcribere numquam ceſſabo. Sorbonicæ ſcholæ Magiſtris, magnam nobis Patrum Bibliothecam vulgantibus, ſummas debemus & agimus gratias; at illi ſcabioſa ſcholia aut ſynopſes, peſſimum Euſebianæ factionis aut Marci Antonii de Dominis venenum redolentia, intrudi, ac ſub doloſo Gallicanæ libertatis melle propinari legentibus, non poſſimus non deplorare.

Ex quibus omnibus vides vocem, *Univerſalis Epiſcopus*, in vario apud Græcos fuiſſe ſtatu. Joannes Jejunator ac ejus uſque ad impium Photium Succeſſores uſurpavere in ſenſu tolerabili, ſed ſuſpecto ac periculoſo, Photius ac Michael Cerularius in ſenſu hæretico, Et [illegible] ejus ad primum ſenſum rediit, quem licèt [illegible] ad Anaſtaſium Bibliothecarium imitari [illegible] m ſuaderent, Guilielmus Cluniacenſis [illegible] Joanni decimonono damnandum perſua[illegible] tandem ipſam vocem, omnem ejus ſpem G[illegible] perpetuò adimens, Gregorius ſeptimus ſedi ſuæ privativè adſcripſit. Hinc Græci verterunt vela, & Joannes Patriarcha etiam in Romanis Pontificibus damnare cœpit titulum, atque ità Innocentium tertium coegit ad illius explanationem.

CAPUT XIV.

Elucidatur præſentis Synodi confirmatio & auctoritas.

PRæſentis Synodi de fide decretum fuiſſe à ſe confirmatum diſertè adfirmat in Reſponſo ad dubia Francorum Pontifex Adrianus primus. Quod ipſum aſſiduè Succeſſores ejus atteſtantur. Quod Leo quartus præſentem Synodum, ut plenè irrefragabilem & authenticam, aliis ſex generalibus appingi in Eccleſia Vaticana curarit, aſſerit in Benedicti tertii vita Anaſtaſius Bibliothecarius. Edicit cauſam in ejus ad Joannem octavum præfatione. *Quæ ſuper venerabilium imaginum adoratione præſens Synodus docet, hæc & Apoſtolica Sedes veſtra, ſicut nonnulla ſcripta innuunt, antiquitùs tenuit, & univerſalis Eccleſia ſemper venerata eſt, & hactenùs veneratur: Quibuſdam duntaxàt Gallorum exceptis, quibus utique horum utilitas necdùm eſt revelata.*

Pergit Adrianus Pontifex in laudato Reſponſo. *Nos adhuc pro eadem Synodo nullum Reſponſum hactenùs* Græcorum *Imperatori reddidimus*. Adjungit cauſam, agens de ablatis Romanæ Eccleſiæ patrimoniis & diœceſibus: *Quæ tunc abſtulerunt, quando ſacras imagines depoſuerunt, & nec Reſponſum quodlibet exindè dederunt.* Hac ergò de cauſa, ac item ob non relictum *Epiſcopi univerſalis* nomen indignatus Adrianus quidem confirmavit Synodi fidem & reſtitutas Sanctorum imagines, attamen Apoſtolicis litteris noluit Principes honorare.

Hinc etiam Canones non confirmavit. Et ſanè illis ineſſe nævos confirmatione indignos eſt in ſcholiis oſtenſum. Addit in laudata præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius: *Notandum eſt quædam in hac Synodo ex Apoſtolorum, & ſextæ univerſalis*, ideſt, *Trullanæ Synodi Canonibus & ſententiis inveniri, quæ penes nos interpretata nec habentur, nec admittuntur.* Quapropter nec ſingulas etiam hujus Synodi Actiones, nec quaſvis iſtic Epiſcoporum interlocutiones, aut ſententias, ſed commune duntaxàt fidei Decretum Romana Eccleſia confirmavit. Ex Canonibus Trullanis adductus in dictis interlocutionibus fuit ſolus octuageſimus ſecundus de pictura Chriſti Domini in forma Agni: Atque ità illum, licèt ſuis ad Sanctum Tharaſium litteris interſeruerit, nullo tamen modo Adrianus Pontifex probavit aut confirmavit. Sola ejus utili parte, ut ad hominem argumento, fuit uſus.

Pergit Anaſtaſius. *De Apoſtolorum Canonibus liquidò novimus, quoniam his quidam facilè non præbuere conſenſum. Sed & Prædeceſſor veſter Beatiſſimus Papa Stephanus non ex his plus quàm quinquaginta recipiendos ſynodicè promulgavit, licèt quædam Conſtituta Pontificum ex ipſis adſumpta eſſe videantur. Undè Apoſtolatu veſtro decernente, non ſolos illos quinquaginta Canones Eccleſia recipit, ſed & omnes eorum, utpotè Spiritus Sancti tubarum, quin & omnium omninò probabilium Patrum, & ſanctorum Conciliorum Regulas & inſtitutiones admittit: Illas duntaxàt, quæ nec rectæ fidei nec probis moribus obviant, ſed nec ſedis Romanæ Decretis ad modicum quid reſultant, ſed potiùs adverſarios, id eſt, hæreticos potenter impugnant.*

Pro vocibus, *Sed & omnes eorum*, alia lectio habet, *Sed omnes Romanorum Pontificum*. Et huic in Gregorii ſeptimi adversùs Guibertum Anti-Papam Apologia omninò favet Sanctus Anſelmus Epiſcopus Lucenſis: *Stephanus quartus, & Joannes ſeptimus*, paſſim octavus, *ut ait Anaſtaſius in prologo ſeptimæ Synodi, quinquaginta capitula Apoſtolicorum Canonum in pleniſſimum auctoritatis robur recipi conſueverunt*. Stephani quarti Decretum nuper publicavit illuſtriſſimus Lucas Holſtenius: *Non ampliùs ſuſcipiantur Apoſtolorum Canonum prolata per Sanctum Clementem, niſi quinquaginta capita, quæ ſuſcipit ſancta Dei Catholica Romana Eccleſia.* Sanctus Anſelmus Lucenſis aſſerere videtur iſtud ipſum à Joanne octavo fuiſſe ſtatutum. Quod ſi verum ſit, poſterior Anaſtaſii lectio eſt plenè genuina.

L. [illegible] F. 263.

Quidquid ſit, non ſolos iſtos Apoſtolis adſcriptos, ſed & quoſvis generalium aut provincialium Synodorum, atque ſanctorum Patrum, dummodò Romanorum Pontificum decretis non adverſos, Canones Joannes octavus firmavit.

Ratio-

Rationem haurio ex Agobardo Lugdunenſium Archi-Epiſcopo in litteris ad Ludovicum Pium Epiſt. 6. Auguſtum: *Accedit aliud, quod pia conſideratione dignum videtur, de Canonibus ſcilicet Gallicanis, qui quaſi ſuperflui atque inutiles à quibuſdam reſpuuntur, eò quod neoterici Romani eos non commendaverint, cùm antiqui religiosè eos venerati ſint, quoniam venerandi & ſancti viri eos ediderunt, quorum vitam & ſanctitatem, crebra miracula commendarunt.* Francos, Gothos, ac Burgundos Reges, gentiles & barbaros, dudùm toleravit Gallia: Eos Sancti & venerandi Epiſcopi, Patres noſtri, patientia & doctrina fecere Romanos & Chriſtianos. Hinc multa illis in Eccleſiaſticam libertatem diſpenſatoriò pacis amore & meliorum ſpe ad tempus indulſerunt, ac inſuper editis Canonibus firmarunt. Et hi ſunt veri natales falſæ libertatis ac veræ ſervitutis Eccleſiæ Gallicanæ. Eadem tolerantia ob reparandæ, per Regum Merovinginorum ignaviam penitùs collapſæ, Chriſtianitatis ſpem iſtorum Succeſſores etiam in Pippinum & Carolum Magnum Reges fuere uſi. Romana porrò Eccleſia hanc ſemper tenuit Propheticam Regulam: *Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Sub dicto Carolo ad Longobardorum Regnum & Romanum Occidentis imperium gratiosè evecto, ac ejus filio & ſucceſſore Ludovico accepit tempus iſtud, ideòque Gallicanos Canones, Eccleſiaſticæ libertati ac ſuorum Pontificum Decretis adverſos, cœpit palàm rodere & damnare. At quidam, vetuſtam ſub laica manu ſervitutem exiſtimantes libertatem, Gallicani Epiſcopi recalcitrarunt, eoſque interfuit Agobardus. Quare poſt multas contentiones diſcuſſit omnes Eccleſiarum Canones in Synodo Trecenſi Joannes octavus, fecitque quod ſuprà audivimus à Flodoardo & hìc ab Anaſtaſio Bibliothecario. Et hinc Sanctus Anſelmus Lucenſis, Sanctus Petrus Damiani, Sanctus Ivo Carnotenſis, aliique id genus probatiſſimi Doctores quibuſdam, quos Romanis Regulis viderunt non adverſos, præſentis Synodi Canonibus, tamquam authenticis, utuntur. Hos imitentur hodierni Franci: Antiquos ſuos Canones, quibus ſervilem ſuam ſub laico jugo libertatem aſſerunt, oſtendant à Romanæ Eccleſiæ Conſtitutis non deviare. Omnes deviantes jam pridem damnavit Trecenſis Synodus, per multa ſæcula acquievit Gallicana Reſpublica & Eccleſia, ſententia tranſivit in rem judicatam.

CAPUT XV.

Adducuntur hoſtes Synodi præſentis.

PRæſens Synodus hoſtes habuit & Latinos & Græcos. Græcorum unus fuiſſe exiſtimatur Theodorus Studiani monaſterii monachus in ſcriptis ad Arſenium litteris, eam arguens de exceſſibus variis, concludenſque non eſſe œcumenicam, ſed ſolummodò localem. Quomodò Chalcedonenſem, quod Ibam Edeſſenum, Thodoretum Cyrenſem, alioſque à Neſtorio leproſos aut ſuſpectos Epiſcopos, Acephali; ità hanc Synodum, quod plures Iconoclaſtas Epiſcopos ad ſuffragium & conſeſſum admiſiſſet, graviter arguit Theodorus. Quin & ſe viro tanto indigna mendacia adſuit: Adeò ut quidam litteras illas ut fictitias abjiciant, aſſerantque eſſe in virum ſanctum famoſos libellos. Ut ut ſit, in litteris ad Petrum Metropolitam Nicænum inſigniter ſe purgat Theodorus, ac Synodum eſſe germanè œcumenicam ſolenniter profitetur. Nihilominùs adversùs illam tumultuari non deſierunt pertinaces Iconoclaſtæ: Quin & Conſtantini in imperio ſucceſſores ad denuò damnandas ac eliminandas ſacras imagines ſeduxerunt.

Latini hoſtes fuere quidam Francorum Epiſcopi, de quibus in præfatione ad Joannem octavum Pontificem pergit Anaſtaſius Bibliothecarius. *Ajunt quod non ſit quodlibet opus manuum hominum adorandum, quaſi non ſit codex Evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidiè oſculantes adorant.* Rem omnem in litteris adversùs nepotem Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum exponit eorum ſequax Hincmarus Metropolita Epiſt. 33. Remenſis. c.20. *Septima apud Græcos vocata univerſalis Pſeudo Synodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu ſano definiens, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, non longè ante noſtra tempora Conſtantinopoli eſt à quamplurimis Epiſcopis habita, & Romam miſſa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Undè tempore Caroli Magni Imperatoris, juſſione Apoſtolicæ Sedis, generalis eſt Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata, & ſecundùm Scripturarum tramitem, traditionemque Majorum, ipſa Græcorum Pſeudo-Synodus deſtructa, & penitùs abdicata. De cujus deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum.* Damnarunt Francorum Epiſcopi & Cayphaicam, quæ conſtringendas, & Œcumenicam, quæ ſacras imagines ſalutatoriè adorandas decreverat, Synodum, & utramque vocarunt Conſtantinopolitanam, quod altera finita, altera apud Conſtantinopolim fuiſſet inchoata. Sacras imagines Cap. 18. voluere *nec confringendas, nec adorandas, ſed ad inſtruendas neſcientium mentes ſolummodò collocandas in Eccleſiis*, juxta Reſcripta Sancti Gregorii Magni in litteris ad Secundinum monachum, & ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem. Peſſimè errat Hincmarus Synodum noſtram ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate conveniſſe aut definiſſe.

Eumdem de ſacris imaginibus errorem edito ſpeciali opuſculo ſecutus eſt Agobardus Archi-Epiſcopus Lugdunenſium, probans ex Moſaica lege, omnem penitùs imaginem prohibente, & poſt adducta ſacri textus verba concludit. *In quibus verbis ſummoperè notandum eſt, quia ſi opera manuum Dei, Sol & reliqua aſtra, non ſunt adoranda*

randa & colenda, nec in honore Dei; quantò magis opera manuum hominum non ſunt adoranda & colenda, nec in honore eorum, quorum ſimilitudines eſſe dicuntur? Sancti Auguſtini, omnem creaturam latricè coli vetantis, plurima teſtimonia conglomerat, *ſola hiſtoriæ cauſa ad recordandum, non ad colendum* definit Chriſtianis licere imagines, longè minùs ab ipſis, *quia nec benè poſſunt facere nec malè, ſperandum auxilium*, & adjungit. *Nullus antiquorum Catholicorum unquam imagines colendas vel adorandas fortè exiſtimavit. Nunc autem error invaleſcende tam perſpicuus factus eſt, ut idololatriæ vel Antropomorphytarum hæreſi propinquum aut ſimile ſit adorare figmenta, & ſpem in eis habere. Atque hujus erroris cauſa, fides de corde ablata eſt, tota fiducia in rebus viſibilibus collocatur.* Et inferiùs. *Ob ejuſmodi evacuandam ſuperſtitionem ab orthodoxis Patribus definitum eſt, Picturas in Eccleſia fieri non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus pingatur.* Quibuſdam in locis baſilicas & altaria ſine Sanctorum Reliquiis conſecrari, & earum loco imagines ſupponi lamentatur, ac laudans priora Eccleſiæ tempora pergit: *Necdùm error emerſerat, quo nunc de carbonibus, minioque, vel ſinopide figuratæ effigies, ſanctæ imagines vocarentur, & adorandæ prædicarentur. Nec iterùm ad ſua fraudulenta latibula recurrat aſtutia, ut dicat ſe non imagines Sanctorum adorare, ſed Sanctos.*

Elucidare conatur errorem. *Dicet forsàn aliquis ſe non putare imagini, quam adorat, ineſſe aliquid Divinum, ſed tantummodò pro honore ejus, cujus effigies eſt; tali eam veneratione donare. Cui facilè reſpondetur, Quia ſi imago, quam adorat, Deus non eſt, nequaquam veneranda eſt quaſi pro honore Sanctorum, quia ſibi nequaquam Divinos arrogant honores. Nemo ſe fallat: Quicumque aliquam picturam vel ſtatuam adorat; non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos vel homines ſanctos, ſed ſimulacra veneratur. Si enim Sanctorum imagines hi, qui dæmonum cultum relinquunt, venerari juberentur; puto quod videretur eis non tam idola reliquiſſe, quam ſimulacra mutaſſe.* Sacras imagines eſſe pravas idolorum reliquias probat ex ſuperiùs adducta auctoritate Euſebii Cæſareenſis Epiſcopi, additque de Conſtantino Magno prolatas à Sancto Sylveſtro Apoſtolorum imagines adorant: *Magis hoc ex conſuetudine idololatriæ peſtifera fecit, quam ex conſideratione veriſſimæ rationis, quam necdùm cognoverat.* Concludit omnes Sanctorum imagines frangendas potiùs, quàm permittendum earum cultum, *cùm illas fieri non Deus juſſerit, ſed humanus ſenſus excogitaverit.*

Agobarde, quod dicamus à nobis non ipſas imagines, ſed in ipſis aut potiùs coram ipſis adorari repræſentatos Sanctos; non eſt fraudulentum aſtutiæ latibulum, ſed antiquiſſimum ac probatiſſimum univerſæ ſub cœlo Eccleſiæ dogma. Sed neque te juvat Sanctus Auguſtinus: Agit adverſum Paganos & Manichæorum in Eccleſiam calumnias, ſupraque eſt abundè explanatus. Non item juvat adductus Canon Eliberinus: Firmat antiquam ſub Paganorum perſecutionibus gementis Eccleſiæ diſciplinam, à qua in publicis Baſilicis non fuiſſe admiſſas Sanctorum imagines eſt ſuprà affatim oſtenſum, ac etiam Minutius Felix lucidiſſimè adfirmat. Etenim Cæcilio gentili roganti, *Cur Chriſtiani nulla habent ſimulacra*, reſpondet apud ipſum Octavius Chriſtianus: *Non habemus.* Utique nullas ipſius Divinæ Majeſtatis imagines ob rationes ſuprà laudatas. Quin Eliberinus Canon Sanctorum imagines diſertè affirmat adorandas: Solummodò vetat in Eccleſiis exponi. Euſebius Cæſareenſis indignus eſt, à cujus auctoritate Agobardus in tantas blaſphemias circumſcribatur.

Eodem in luto hæſit Jonas Epiſcopus Aurelianenſis. Etenim Claudio Taurinenſi Epiſcopo, omnem Eccleſiam de idololatria ob imaginum cultum accuſanti, aſſiduè reſpondet Gallos, Germanos, ac Italos, utique Longobardos ad Francorum monarchiam ſpectantes, eſſe ab hac colendarum imaginum ſuperſtitione immunes. Quomodò Agobardus, ità & ipſe damnat haſce Eccleſiæ voces: *Non putamus imagini, quam adoramus, aliquid ineſſe Divinum, ſed tantummodò pro honore, cujus eſt effigies, tali eam veneratione adoramus.* Nos eſſe dicit magis exindè reprehenſibiles ac deteſtabiles, quod *ſcientes imaginibus nihil ineſſe Divinum, honorem Divinitati debitum infirmo ac egeno ſimulacro impendamus.* Eas non ad idololatricum cultum, ſed ad ſolam populi memoriam aut inſtructionem habendas affirmat, laudat, & adjungit. *Nam & illi, qui nimio & indiſcreto amore ob honorem Sanctorum, eorum imaginibus ſupplicant, neſcio an temerè idololatræ ſint vocandi. Videntur ſanè potiùs ab hac ſuperſtitione, adhibito rationis moderamine, revocandi, quàm idololatræ, cùm utique ſanctæ Trinitatis fidem veraciter credant & prædicent, nuncupandi.* Hæc ſibi non cohærent. Etenim ſi egeno ac infirmo ſimulacro impendamus Divinitati debitum honorem, quis dubitet non eſſe idololatras? Sanctam unam Trinitatem credentes & colentes erimus ſimiles antiquis Samaritanis, venerantibus & Deum vivum ac verum, atque unà falſos Deos Aſſyriorum. Rectè dicit Anaſtaſius Bibliothecarius Eccleſiæ veritatem ab hiſce Francis non fuiſſe intellectam: Latricam adorationem à ſimplici honoraria ſalutatione neſcierunt aut veriùs noluerunt diſtinguere, ideòque quaſi Andabatæ in tenebris miſerabiliter ceſpitarunt. L. 1.

Adversùs dictum Claudium, etiam ſacroſanctæ Crucis imagines adorari vetantem, pergit Jonas. *Quod ob recordationem redemptionis ſuæ ſancta Eccleſia ex ſanctorum Patrum traditione Crucem Chriſti veneretur, adoret, colat, non cultu & adoratione, quæ ſolius Divinitatis eſt, ſed eo, de quo ſuprà dictum eſt, nemo, niſi qui ab Eccleſiaſtica traditione diſſentit, ignorat. Undè ob recordationem ſalutiferæ Dominicæ paſſionis annuatim in ſanctiſſimo die Paraſceve, ſecundùm traditionem Eccleſiaſticam, Crucem Chriſti adorat, id eſt, ſupplicando ſalutat.* Hìc latricam adorationem & honorariam ſalutationem lucidè diſtinguit: Quare noluit aut nequiit diſtinctionem ad ſacras imagines applicare? An eadem fuerit Agobardi mens, non poſſum adſeverare. Priſcos gentiles, cum Chriſtiana fide vivificam Dominicæ Crucis imaginem recipere conſuetos, laudat, & addit: *O quam ſyncera religio! Crucis vexillum ubique pingebatur, non*

aliquæ vultus humani ſimilitudo. Velit ipſe, ſi quidem auderet, iſtud ipſum in cunctis Francorum Eccleſiis fieri; attamen an Crucis imagines dumtaxàt pingi, an etiam adorari permiſerit, palàm non effatur. Crediderim ipſum hoc in puncto à Collegis non diſſonaſſe. Ut ut ſit, eos inconſequentiæ meritò arguit Anaſtaſius Bibliothecarius: Etenim Domini crucifixi, quam Crucis imagines ſunt magis venerabiles, ac ſalutari digniores.

F. 405. Harum quæſtionum meminit etiam in hiſtoria ſua Anglicana Rogerus Hovedenſis: *Anno ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo Carolus Francorum Rex miſit ſynodalem librum in Britannia, ſibi à Conſtantinopoli directum, in quo libro, heu proh dolor, multa inconvenientia, & veræ fidei contraria reperiebantur, maximè quod penè omnium Orientalium Doctorum, non minùs quam trecentorum vel eò ampliùs Epiſcoporum unanimi aſſertione confirmatum fuerit, imagines adorari debere, quod omninò Dei Eccleſia execratur. Contra quod ſcripſit Albinus Epiſtolam ex auctoritate Divinarum Scripturarum mirabiliter adfirmatam, illamque cum eodem libro ex perſona Epiſcoporum & Principum noſtrorum Regi Francorum attulit*. Quod ipſum eiſdem verbis & ad eumdem annum ſcribit in opere de Anglorum Regibus Symeon monachus Dunelmenſis. Ex quibus liquet etiam Anglicanos Epiſcopos cum Francis adversùm ſacras imagines & Synodum noſtram præſentem conſpiraſſe. Amborum error erat ex cauſſis utcumque tolerabilis: Dicti Rogerus & Symeon, quod multis poſt exſtinctas quæſtiones ſæculis Synodum de hæreſi notare non metuant, ſunt graviſſimè de imperitia arguendi.

Porrò Epiſtola illa ab Albino ſeu Alcuino Flacco adversùs Synodum ad Caroli Magni preces compoſita eſt illud ipſum non modicum volumen, quod Hincmarus Remenſis adhuc adoleſcentulus in Palatio legit. Sunt varia adversùs Synodum noſtram argumenta, à Carolo Magno ad Adrianum Pontificem miſſa, ac per eumdem Pontificem refutata. Epiſtola periit, Refutatio, licèt mutila, etiamnùm exſtat: De quorum omnium fide vanum eſt dubitare. Ad petendam Epiſtolam fuit à ſuis Epiſcopis quaſi compulſus Carolus: Neque enim unus aut alter, ſed penè omnes ſuæ Monarchiæ Epiſcopi & Doctores ceciderunt in haſce tenebras: Etiam Amalarius Treverenſis ac Hincmarus Remenſis, Belgarum Metropolitæ, nec non cum aliis Halitgarius Epiſcopus Cameracenſis.

Inter ipſos ac præſentem, cui Romana favebat Eccleſia, Synodum, quaſi inter malleum & incudem hæſit laudatus Rex, ideòque ſcripſit ad Pontificem Adrianum. *Sciat Domnus Apoſtolicus; & Pater noſter, & cuncta ſimul Romanorum Eccleſia, ut ſecundùm quod continetur in Epiſtola Beatiſſimi Gregorii, quam ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum direxit, permittimus imagines Sanctorum, quicumque eas formare voluerint, tam in Eccleſiam, quàm extra Eccleſiam, propter amorem Dei & Sanctorum ejus. Adorare verò eas nequaquam cogimus, qui noluerint. Frangere vel deſtruere eas, etiamſi quis voluerit, non permittimus. Et quia ſenſum ſanctiſſimi Gregorii ſequi in hac Epiſtola, univerſalem Catholicam Eccleſiam liberè profitemur*. Unicum Francorum Epiſcoporum fundamentum fuit Sanctus Gregorius Magnus, ſacras imagines uti non frangendas, ità nec adorandas, ſed ad ſolam populi inſtructionem & parietum ornatum ponendas in Eccleſiis docere exiſtimatus. Ejus ad Secundinum monachum & Serenum Maſſilienſem Epiſcopum litteras, ut immobilem fidei columnam, profitebatur ac tuebatur Carolus, ideòque imagines deſtrui nullatenùs permittens hærebat de ipſarum adoratione. Romana Eccleſia & per ipſam confirmata præſens Synodus affirmabant, plurimi per Franciam ac Longobardiam Epiſcopi negabant adorandas, ideòque hujus quæſtionis libertatem dedit orthodoxus Princeps, Sedem Apoſtolicam conſulens, ejus judicium omninò ſecuturus.

CAPUT XVI.

Exordium & ſucceſſus hujus Francici erroris.

MAli exordium edicit Regino Abbas Prumienſis ad annum Domini ſeptingenteſimum ſexageſimum ſeptimum. *Pippinus Rex Synodum magnam habuit inter Romanos & Græcos, de Sancta Trinitate, & Sanctorum imaginibus*. Eamdem Synodum laudant Sigebertus Gemblacenſis, Anonymi Francorum Annales apud Franciſcum du Cheſne, in ſuis Annalibus Eginardus, & incognitus Ludovici Pii Auguſti A. 767.
Aſtronomus. *Orta quæſtione de ſancta Trinitate & Sanctorum imaginibus inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam, id eſt, Romanos & Græcos, Rex Pippinus, conventu in Gentiliaco villa congregato, Synodum de ipſa quæſtione habuit*. Græcos Epiſcopos adfuiſſe teſtatur Radulfus de Diceto. De A. 766.
Sancta Trinitate quæſtionem edicit laudatus Aſtronomus in Carolo Magno. *Imperator menſe Novembri concilium Aquiſgrani habuit de proceſſione Spiritus Sancti, quam quæſtionem Joannes quidam* A. 809.
monachus Hieroſolymis primus concitavit. Quod ipſum in chronico teſtatur Ado Archi-Epiſcopus A 809.
Viennenſis.

Quo anno iſte ſolo ſcelere notus Joannes coeperit blaterare, ignoro. Eumdem nihilominùs omninò imperit in ſynodicis ſuis ad tres Patriarchas Orientales litteris Sanctus Tharaſius, profitens Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere. Eſt phraſis Græca, etiam à Sancto Joanne Damaſceno ac aliis orthodoxis Græcorum Doctoribus paſſim uſitata; apud Latinos autem, Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere profitentes, peregrina, adeòque à Francorum Epiſcopis in ſuis adversùs præſentem Synodum dubiis reprehenſa. Verùm ſine cauſa. Utrumque

enim

enim loquendi modum eſſe legitimum, ac ejuſdem per omnia ſenſus, eleganter oſtendunt in oratione ad gentem ſuam Florentiæ habita Cardinalis Beſſarion, & in Florentini Concilii Apologia Gennadius ſecundus, qui iſtic Gregorius Proto-Syncellus fuerat, Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Adverſùs eumdem Joannem monachum noſtra Synodus fidei ſuæ decreto indidit de Spiritu Sancto: *Qui ex Patre Filioque procedit*. Ità diſertè habet & Latinus & Græcus textus Anaſtaſii Bibliothecarii. Eodem modo habuiſſe antiquiſſimos Romanæ Eccleſiæ codices teſtatus eſt in quinta Florentini Concilii ſeſſione Julianus Cardinalis Cæſarinus, & Marcus Epheſiorum Primas nihil apponere ſcivit, niſi cavillationes. Romani Legati effecere, ut potiùs *Ex Patre & Filio*; quàm *Ex Patre per Filium* ſcriberetur. Adverſùs eamdem hæreſim Palatina Caroli Magni Capella, & cunctæ pedetentim Francorum Eccleſiæ cœperunt ad Miſſarum ſolennia cantare Symbolum Conſtantinopolitanum, & quidem cum additamento per Romanam Eccleſiam tunc improbato: *Ex Filioque*. Attamen primi non addiderunt. Etenim Symbolo à catechumenis exacto aut ad Miſſam cantando dudum anteà addiderant Severus Patriarcha Alexandrinus & Æthiopum liturgia. Addidiſſe pridem & Hiſpaniæ Eccleſias liquet ex Symbolo, cujus recitatione ſeſe adverſùm Elipandi Archi-Epiſcopi Toletani calumnias tutantur Etherius Uxamenſis Epiſcopus, ac ejus Presbyter Beatus.

Gentiliacenſis in Francia Synodi, & harum quæſtionum occaſionem habemus in ſupplemento
Cap. 119 Sancti Gregorii Epiſcopi Turonenſis. *Eo tempore bis à Roma, Sede beati Petri Apoſtoli, beatus Papa Gregorius* ſecundus *claves venerandi ſepulchri, cum vinculis ſancti Petri & muneribus magnis & infinitis, legatione, quod anteà nullis auditis vel viſis temporibus fuit, Carolo Martello deſtinavit. Eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum Conſulatum præfato Principi ſanciret*. Ad frænandas Leonis Iſauri in Romanam Eccleſiam violentias invocavit & Longobardos & Francos Pontifex Gregorius, eoſdemque frequentibus legationibus ſollicitavit Leo Auguſtus. Hinc & de Spiritus Sancti proceſſione & de Sanctorum imaginibus lites Francis innotuere; & quoſdam ſeduxerunt in errorem ſue hæſitationem, atque ità Pippinus Rex, Caroli Martelli filius, laudatam Synodum celebravit.

Quidnam ipſa definierit, diſtinctè ignoramus. Ex Agobardi Lugdunenſis, Hincmari Remenſis, Jonæ Aurelianenſis, aliorumque tunc Francorum Epiſcoporum poſteriori errore conjecturo, quod ſacras imagines neque frangendas, neque adorandas definierit, ſed ad ſolam inſtructionem populi in Eccleſiis figendas. Definiit ex duobus fundamentis. Primùm fuerunt laudatæ Sancti Gregorii Magni ad Secundinum monachum & Serenum Epiſcopum litteræ, perperàm intellectæ. Aliud adducit in litteris adverſùs Claudium Taurinenſem Jonas Epiſcopus Aurelianenſis:
L. 1. *Crucis imagini oſcula infigimus*. Et infrà; *Sacræ religionis uſus in ſancta Eccleſia adhuc ſervatur, ut perlecta ſacri Evangelii lectione, ab Epiſcopo vel Presbyteris, cæteriſque ſacri Ordinis* Præf. l. 3.
Religioſis, Codex, in quo Evangelii lectio recitata eſt, multiplicibus oſculis veneretur. Sacras imagines oſculari olim non conſuevit Latina Eccleſia. Hinc Francorum Epiſcopi etiam non ſalutandas ſeu adorandas exiſtimarunt.

Errori ac novis ex ipſo turbis fomenta ac incrementa præbuit præſens noſtra Synodus ab Adriano Pontifice miſſa ad Carolum Magnum, publicanda per Franciam. Et quidem Alcuinus Flaccus, magnum iſtius ſæculi lumen, omneſque Anglorum Epiſcopi Francis adſtipulabantur. Acceſſerunt & motus hæreſis Felicianæ, id eſt, purus putus Neſtorianiſmus per Felicem Urgelitanum Epiſcopum ac Elipandum Archi-Epiſcopum Toletanum reſuſcitatus, ac etiam per Galliam ac Germaniam ſeminatus. Hinc igitur ab Adriano Pontifice Carolus Rex poſtulavit Legationem Apoſtolicam, & Synodum Francofordienſem, à qua prodiit hic infeliciſſimus Canon. *Allata eſt in medium quæſtio de nova Synodo* Cap. 2.
Græcorum, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ità ut Deificæ Trinitati, ſervitutem atque adorationem non impenderent, Anathema judicarentur. Qui ſuprà ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.

Damnat Canon hocce, quod in dubiorum libro ad Adrianum Pontificem miſſo Alcuinus Flaccus inſauſtum, præceps, ac inſipiens vocat, ſuffragium Conſtantini Cypriorum Metropolitæ: *Suſcipio & amplector honorabiliter ſanctas ac venerandas imagines, & quæ ſecundùm ſervitium adorationis, quæ ſubſtantiali & vivificatrici Trinitati emitto. Et qui ſic non ſentiunt, neque glorificant, à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſegrego, & anathemati ſubmitto*. Francis viſus eſt Conſtantinus eam ipſam, quæ Divinæ Trinitati debetur, ſervitutem ſeu latriam adorationem ſacris imaginibus ſub anathemate adſcribere. Et hoc adverſùs Synodum noſtram fuit palmare ipſorum argumentum.

Etiam culparunt ſuffragium Euthymii Sardenſis Epiſcopi, Lydorum Metropolitæ: *Certiſſimè* Cap. 10.
ſcio traditionem ſanctorum Apoſtolorum; propter quod ex tota corde ſuſcipio venerandas imagines cum condecenti honore & amplectibili adoratione. Culparunt verba, *Traditionem Apoſtolorum*: Quod *numquam ab Apoſtolis, exemplis aut verbis, imagines adorare ſit inſtitutum*. Notarunt item pœnitentiæ libellum Baſilii Metropolitæ Ancyrani, poſt ſanctiſſimam Trinitatem profitentis ſacrarum imaginum ac Reliquiarum oſcula & adorationem, de remiſſione autem peccatorum, carnis reſurrectione, ac vita æterna omninò tacentis. Theodoſium Ammorienſem Epiſcopum arguerunt, quod ipſam etiam ſacroſanctam Trinitatem omittat, & ſolarum imaginum cultum profiteatur. Ab his ex ſuperſtitioſo imaginum amore dixerunt fidei Symbolum inhonoratum ac mutilatum.

Peſſimè acceperunt cunctis ſacras imagines non

non adorantibus dictum anathema à præſenti Synodo: Seſe cum tota Eccleſia queſti ſunt anathematizatos. *Priùs*, inquiunt, *debuerant ſcrutari* Græci, *quid uniuſcujuſque partis* ſeu regionis *Eccleſia de hac cauſa ſentire vellet*. Quibus ex verbis non vanè colliges ab eorum Synodo Gentiliacenſi ſacrarum imaginum adorationem fuiſſe proſcriptam. Æquè indignati ſunt in hoc Synodi dogma:
Cap. 57. *Quod ſit contra religionem Chriſtianam non colere & non adorare imagines*.

Hinc Sanctum Tharaſium ſacris vaſis, ſalutatoria adoratione dignis, Sanctorum imagines
Cap. 39. comparantem, ſuggillant imperitiæ ac præſumptionis. Etiam arcæ teſtamenti, Sanctorum Reliquiis, Crucis ſigno, aut Divinæ Scripturæ libris noluerunt adæquari imagines, quas neque novum aut vetus Dei Teſtamentum, neque ſex generales Synodi fieri jubeant, aut factas adorari. Joannem item monachum, Orientalium Patriarcharum Legatum, Sanctos in imaginibus ad inſtar Imperatorum in ſuis laureatis adorari docentem, ut dementiſſima locutum, deriſerunt. Inſanire addunt hoc ejus dictum: *Qui adorat imaginem, & dicit*, QUONIAM HIC EST CHRISTUS FILIUS DEI, *non peccat*. Ex his & aliis ſimilibus concludunt Synodum noſtram eſſe Synodi nomine penitùs indignam.

Harum contentionum radicem aperit in præfatione Synodi præfantis Anaſtaſius Bibliothecarius, agens de antiqua hujus è Græco in idioma Latinum translatione. *Interpres penè per ſingula, relicto utriuſque linguæ idiomate, adeò fuit verbum è verbo ſecutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut numquam poſſit adverti, in faſtidiumque verſa legentium penè ab omnibus pro hac cauſa contemnatur*. Peſſimè translatum erat præſertim Conſtantini Cypriorum Metropolitæ ad dogmaticas Adriani Pontificis litteras datum ſuffragium, quod legitimè tandem tranſtulit laudatus Anaſtaſius: *In nulla ſenſu commutatas litteras inveniens, & ego indignus his conſentio & conſors efficior, ſuſcipiens & amplectens honorabiliter ſanctas & venerabiles imagines, atque adorationem, quæ per latriam, id eſt, Deo debitam ſervitutem efficitur, ſoli ſuperſubſtantiali & vivificæ Trinitati impendo*. Latriam ſoli Divinæ Trinitati, ſacris imaginibus ſolam ſalutationem decernit: Quo nihil eſſe poſſit magis orthodoxum.

Et demus Conſtantinum, aut alium quemvis Epiſcopum ſuffragio exorbitaſſe. Non ideò omnem Synodum aut ſynodale de fide Decretum oportuit abjectum. Attẽdenda erat veriſſima Theodori Cæſareenſis in Cappadocia Archi-Epiſcopi ad
Collat. 6. quintam Synodum dicta Regula: *In Conciliis non unius aut ſecundi* Epiſcopi *interlocutionem attendere oportet, ſed hæc quæ communiter ab omnibus vel*
Collat. 6. *amplioribus definiuntur*. Eamdem etiam à Synodo Chalcedonenſi fuiſſe probatam oſtendit infrà omnis Synodus:
Collat. 8. *Synodus Chalcedonenſis pro nullo habuit ea, quæ ab uno vel duobus dicta ſunt*. Denuò confirmat quinta Synodus in ipſo fidei Decreto, & in Edicto ſuo latè Juſtinianus Auguſtus. At verò à noſtra ſeptima Synodo editum fidei Decretum eſt pleniſſimè orthodoxum ac Apoſtolicum, ideòque ipſum ſolum, non neſcio quæ unius aut alterius Epiſcopi interlocutio, fuerat à Francorum Epiſcopis attendendum. Hocce ſolùm Adrianus Pontifex confirmarat.

Alcuini Flacci librum, ſeu memoratas ac plures alias adversùs noſtram Synodum criminationes Romam miſit Carolus Magnus per Angilbertum Sancti Richarii Abbatem, de quo Adrianus Pontifex. *Fidelem familiarem veſtrum Engilbertum Abbatem, & Capellæ Miniſtrum, qui penè ab ipſis infantiæ rudimentis in Palatio veſtro enutritus eſt, & in omnibus conſiliis veſtris receptus*. Omni ipſum honore excepit Pontifex, & pergit. *Per unumquodque Capitulum reddidimus Reſponſum, non quemlibet, abſit, hominem defendentes, ſed Orthodoxam ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ tenentes, priſcam Prædeceſſorum noſtrorum ſanctorum Pontificum ſequimur doctrinam, rectæ fidei traditionem modis omnibus vindicantes*. Singulas calumnias inſigniter revicit, nihil in libro iſto cenſens tolerabile, niſi Caroli Regis ſuprà adductam profeſſionem: *Hoc ſacrum & venerandum capitulum multùm diſtat à totis ſupradictis Capitulis, & idcircò illud agnovimus veſtræ orthodoxæ & Regali Excellentiæ eſſe proprium*. Addit de noſtra Synodo: *Ipſam ſuſcepimus*. Gregorium Magnum in adductis frequenter litteris oſtendit non diſſentire à noſtra Synodo, & Carolum inſtantiſſimè rogat, ut & ipſe acquieſcat definitis, & omnes ſuos Epiſcopos ad iſtud ipſum compellat.

Quid de Francofordienſi Canone laudatus Pontifex ſenſerit, edicit in adductis adversùs Nepotem Epiſcopum Laudunenſem litteris Hinc- Cap. 20.
marus Remenſis. *Auctoritate hujus* Francofordienſis *Synodi non nihil repreſſa eſt imaginum veneratio, ſed tamen Adrianus & alii Pontifices in ſua opinione perſeverarunt, & mortuo Carolo ſuarum Pupparum cultum vehementiùs promoverunt, adeò ut Ludovicus Caroli filius librò longè acriori infectatus ſit imaginum cultum, quàm Carolus*. Francorum inſolentia in tales tandem blaſphemias profecit, ideòque in illos Romana Eccleſia non ceſſavit facere Synodos, quarum unam Stephani quarti publicavit illuſtriſſimus Lucas Holſtenius, mandantem in ſummo honore & veneratione haberi Sanctorum omnia; corporum ac veſtimentorum Reliquias, Baſilicas, imagines, depictos vultus. Adjungit adversùm Francos: *Pavendum eſt, ne ſub iconum occaſione ad pejora ſeſe ſtatus malæ adſertionis erigat, & Reliquias Martyrum adorari tamquam membra Domini & venerari prohibeat*. Etenim eorum adversùs ſacras imagines lurida argumenta etiam in Sanctorum Reliquias omninò tendebant. Pergit Synodus: *Si quis ſanctas imagines Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejus genitricis, atque omnium Sanctorum ſecundùm ſanctorum Patrum ſtatuta venerari noluerit, Anathema ſit*. Synodum noſtram, tamquam immobilem orthodoxiæ columnam, fuiſſe à Leone quarto depictam in Eccleſia Vaticana, ſuperiùs dixi.

Etiam Franci ſuis partibus non defuerunt. Etenim acriorem illum, ab Hincmaro memoratum, Ludovici Pii Imperatoris librum prædicat in opere de rebus Eccleſiaſticis etiam Walafridus Strabo: *Græcorum querela, temporibus Ludovici Im-* Cap. 8.
peratoris in Franciam perlata, ejuſdem Principis pro-

Digitized by Google

providentia ſcriptis ſynodalibus eſt confutata. Reverà enim fuere ſcripta non ipſius Principis, ſed errabundi conventus, de cujus initiis habet ejuſdem Principis Aſtrologus ad annum Domini octingenteſimum vigeſimum quartum. *Ludovicus Michaelis* Balbi *Græcorum Imperatoris Legatos Rhotomagum ſibi occurrere juſſit, qui inter cætera ad legationem ſuam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ ſe Romam ire, atque Apoſtolicæ Sedis Præſulem conſulere debere dixerunt*. Dictus Michael & ipſi conregnans filius Theophilus Iconoclaſtiam reſtauraverant Conſtantinopoli, ſcribuntque ad laudatum Imperatorem Ludovicum. *Dilectioni veſtræ manifeſtamus, quia multi de Eccleſiaſticis & laicis viris, alieni ab Apoſtolicis traditionibus facti, & neque paternos terminos cuſtodientes, facti ſunt inventores malorum rerum. Primùm quidem honorificas ac vivificas Cruces de ſacris templis expellebant; & ad eadem loca imagines ſtatuebant, ponebantque lucernas coram eis, ſimul & incenſum adolebant, atque eas in tali honore habebant, ſicut honorificum & vivificum lignum, in quo Chriſtus verus Deus noſter crucifigi dignatus eſt propter noſtram ſalutem. Pſallebant & adorabant, atque ab eiſdem imaginibus auxilium petebant; plèrique autem linteaminibus eaſdem imagines circumdabant, & filiorum ſuorum de baptiſmatis fonte ſuſceptrices faciebant. Alii religioſum habitum ſumere volentes, religioſiores perſonas poſtponebant, qui priùs comam capitis eorum ſuſcipere ſolebant, adhibitis imaginibus quaſi in ſinum earum decidere capillos illorum ſinebant. Quidam verò Sacerdotum & Clericorum colores de imaginibus radentes, immiſcuerunt oblationibus & vino, & ex hac oblatione poſt Miſſarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii corpus Domini in manus imaginum ponebant, undè communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli, ſpreta Eccleſia, in communibus domibus, tabulis imaginum pro altaribus utebantur, & ſuper eas ſacrum myſterium celebrabant. Et alia multa his ſimilia illicita, & noſtræ religioni contraria in Eccleſiis fiebant, quæ à doctioribus & ſapientioribus viris ſatis indigna eſſe videbantur*. Pergit de facta Synodo per Leonem Iſaurum. *Talia ubique communi conſilio fieri prohibuerunt, & imagines de humilioribus locis efferri fecerunt, & eas, quæ in ſublimioribus locis poſitæ erant, ut ipſa pictura pro ſcriptura haberetur, in ſuis locis conſiſtere permiſerunt, ne ab indoctioribus ac infirmioribus adorarentur; neque eis lucernas accenderent, neque incenſum adolerent, prohibuerunt. Quemadmodùm & nos nunc ſentimus & tenemus, abjicientes de Chriſti Eccleſia eos, qui hujuſmodi malignis inventionibus ſtudent*. Laudat Michael ſolam Leonis Iſauri Synodum, quod Conſtantini Caballini memoria apud ipſos etiam Iconoclaſtas peſſimè fœteret. Quò ſeſe ad iſtius impietatem quaſi piè rediiſſe perſuadeat, orthodoxum Regiæ civitatis populum de varia circa ſacras imagines ſuperſtitione falsò calumniatur. Poſſit & legitima pietas quid iſtius vitii in infima plebe habuiſſe admixtum: At iſtud ſolum, non ipſæ ſacræ imagines erant eliminandæ.

Hac de cauſa Michael ad Ludovicum legavit Theodorum Proto-Spatharium, Nicetam Myrenſem in Lycia Metropolitam, Fortunatum Venetiæ Archi-Epiſcopum, Theodorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconum & Œconomum, ac Leonem candidatum. Eoſdem cum ſimilibus litteris & magnis muneribus miſit ad Romanum Pontificem, edicitque cauſam. *Quidam, orthodoxi ſacrarum imaginum defenſores, fugerunt hinc, & venerunt ad antiquam Romam, injuriam & calumnias Eccleſiæ inferentes, & veræ religioni detrahentes*. Adversùm illos profitetur ſex generalium Synodorum fidem, additque cauſam, cur Legatos ſuos non rectà Romam, ſed priùs in Franciam deſtinarit. *Ordinet veſtra Dilectio, ut cum omni honore & illæſione* ad Romanum Pontificem *veniant, auxilium eis ferentes in his, quæ Deo placeant, & ad honorem ejus pertineant, in ſatisfactionem charitatis, quæ inter nos eſt, jubentes ei, ut ſi amodò manifeſti fuerint quidam ſeductores, Pſeudo-Chriſtiani, Eccleſiæ calumniatores, eos illinc expellere*. Etiam Francorum Epiſcopos adversùm ſacras imagines cum Romana Eccleſia ſibi offenſiſſima certare audierat, Legatoſque ſuos ut hæreticos à Romano potiùs populo quam Pontifice malè tractandos metuebat, ideò ipſos ab adjunctis Ludovici Legatis Romam deducendos, ac ab injuriis protegendos miſit in Franciam. Et quoniam Occidentali imperio exutus Romano Pontifici jubere non poterat, juberi rogat per eumdem Ludovicum, quatenùs orthodoxi Conſtantinopolitani, qui à Nicephoro & Leone Armenio Auguſtis reſuſcitatam, ac à ſeſe continuatam Iconoclaſtiam accuſaturi Sedem Apoſtolicam acceſſerant, tamquam ſeductores, Pſeudo-Chriſtiani, Eccleſiæ calumniatores, ac imperii turbatores Roma expellerentur, & Conſtantinopolim venirent Legati Apoſtolici, Iconoclaſtiam adjuturi. Ab hiſce Græcorum Legatis in Franciam adductos primùm fuiſſe libros Sancto Dionyſio Areopagitæ paſſim adſcriptos, teſtatur in litteris ad Ludovicum Auguſtum Hilduinus Abbas Sancto-Dionyſianus. Adversùm Britones bellabat tunc Ludovicus, ideòque Legatos Rhotomagi excepit.

Et omnia cum illis Acta mox Romam retulit. Litteræ latent aut perierunt. Earum compendium habemus in poſterioribus ejus ad Eugenium ſecundum Pontificem litteris, exſtantibus apud Cardinalem Baronium ac Jacobum Sirmondum. *Quia veraciter nos debitores eſſe cognovimus, ut his, quibus regimen Eccleſiarum & ovium Dominicarum cura commiſſa eſt, in omnibus cauſis ad Divinum cultum pertinentibus opem atque auxilium, pro qualitate virium noſtrarum & intellectus noſtri capacitate feramus; idcircò prætermittere nequivimus, quin tunc, quando Legati Græcorum nobis manifeſtarunt, qualem ad vos deberent perferre legationem, ſumma cura & ſolicitudine tractaremus, quale vobis adjutorium in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuiſſemus. Et ob hoc à veſtra Sanctitate petivimus, ut Sacerdotibus noſtris liceret de libris ſanctorum Patrum ſententias quærere atque colligere, quæ ad eamdem rem, pro qua eidem Legati vos conſulturi erant, veraciter definiendam convenire potuiſſent*. Dogma ab Œcumenica, ac per Sedem Apoſtolicam confirmata Synodo definitum ſine ejuſdem Sedis li-

centia

centia non poſſe retractari Ludovicus norat, ideòque licentiam iſtam humiliter petiit, & Paſchalis primus Pontifex ex cauſis indulſit. Verùm ea lege, qua Synodum Chalcedonanſem retractari permiſit, & iſtum in finem Legatos ad Leonem
Epiſt. 88. c. 3. 4. Auguſtum deſtinavit Sanctus Pontifex Leo Magnus. *Prænoſcat Pietas veſtra, venerabilis Imperator, hos, quos ſpondeo dirigendos, non ad confligendum cum hoſtibus fidei, nec ad certandum contra illos à Sede Apoſtolica profectaros: Quia de rebus apud Nicæam & apad Chalcedonem defiaitis nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia & infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas. Inſtructioni autem parvulorum noſtrorum, qui poſt lactis alimoniam cibo deſiderant ſolidiori ſatiari, miniſterii noſtri præſidium non negamus: Et ſicut ſimpliciores non ſpernimus, ità à rebellibus hæreticis abſtinemus.*

Hac ità temperata licentia fuit uſus Ludovicus Imperator, pergitque in laudatis litteris. *Quas* Patrum ſententias cùm Epiſcopi noſtri *juxtà conceſſam à vobis licentiam ſolerter inquirerent, & Divina opitulante gratia, quidquid invenire tam brevi temporis ſpacio potuerunt, collegiſſent, nobis perlegenda direxerunt.* Et in Commonitorio Epiſcopis Romam Legatis dato: *Venerunt ad præſentiam noſtram Halitgarius* Cameracenſis, *& Amalarius* Treverenſis *Epiſcopi octavo idus Decembres, deferentes collectiones de libris ſanctorum Patrum, quas in conventu apud Pariſios habito ſimul poſiti collegiſtis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus. Et quia placuerunt, & ad id, ad quod collectæ ſunt, neceſſariæ atque utiles à nobis judicantur, ſub omni celeritate cenſuimus* Romam *dirigendas*. Quantumcumque optimo Principi placuerit, ineptiſſima tamen fuit iſta collectio, Amalario & Halitgario penitùs indigna, damnata per Romanam Eccleſiam, atque ità inter ſordidos bibliothecarum pulveres ubique projecta. Uſque ad tempora noſtra latuit: Eam nuper neſcio quis Francofordiæ vulgavit typis Lutheranis, & ſuis Annalibus Cardinalis Cæſar Baronius inſeruit. Optimo jure fuit Romæ damnata: Apoſtolicam enim, ex qua facta, licentiam prævaricata eſt, & Romanam noſtræ Synodi fidem non explanare & firmare adversùm Iconoclaſtas conata, ſed ſubvertere atque annihilare. Porrò Pariſienſis illa ſeu Synodus, ſeu conventus contigit calendis Novembris, anno Domini octingenteſimo, vigeſimo quarto, Eugenii ſecundi Pontificis primo, undecimo Ludovici Auguſti.

Cum dicta Paternorum teſtimoniorum collectione & Michaelis Auguſti Legatis laudatus Ludovicus Romam miſit Hieremiam Archi-Epiſcopum Senonenſem, & Jonam Aurelianenſem Epiſcopum, ac ad Eugenium Pontificem ſcripſit. *Eos non ob hoc ad veſtræ Almitatis præſentiam miſimus, ut aliquo velut magiſterii officio fungerentur, aut huc docendi gratia directi putarentur; quia jam commemorati ſumus nos debitores exiſtere, ut huic ſacratiſſimæ Sedi in quibuſcumque negotiis auxilium ferre debeamus. Ideò & hos Miſſos, & quas deferant litteras, ſi quid vobis adjutorii conferre potuiſſent, mittere dignum duximus.* Eos ſupplicat benignè ſuſcipi, patienter & plenè audiri, Græcorum de imaginibus lites integrè tandem componi, ideòque Conſtantinopolim mitti Legatos prudentes, moderatos, irreprehenſibiles, quales à Sede Sancti Petri decet proficiſci.

Quocircà Ludovicus Auguſtus & ejus Epiſcopi non conſonabant. Etenim ipſe tamquam ſubjectus Canonum executor Romanæ Eccleſiæ ſatagebat adſiſtere, iſti Romanam de ſacris imaginibus fidem expugnare. Nam & Pariſiis ſactam Paternorum teſtimoniorum collectionem videntur voluiſſe celare Pontificem, & ſolis Conſtantinopoli Græcis communicare. Hinc Hieremiæ & Jonæ Epiſcopis Legatis optimus Princeps dedit hæc mandata. *Quia nos à Pontifice petere voluimus licentiam, quatenùs has collectiones à Sacerdotibus noſtris fieri permitteret, ideò non poterit prætermitti, quin oſtendatur quod ex ipſius permiſſione collectum eſt. Illud tamen ſummoperè prævidete, ut ea illi de his oſtendatis, quæ rationi de imaginibus habendæ per omnia conveniant, & quod ipſe vel ſui rejicere minimè valeant. Sed & vos ipſi tam patienter ac modeſtè cum eo de hac cauſa diſputationem habeatis, ut ſummoperè caveatis, ne nimis ei reſiſtendo eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam*, id eſt, imperiti ſæculi locutione, *conſtantiam, incidere compellatis, ſed paulatim verbis ejus quaſi obſequendo, magis quam apertè reſiſtendo, ad menſuram, quæ de imaginibus retinenda eſt, eum deducere valeatis. Et ideò potiùs efficere contendatis, ut negotium, de quo agitur, ad meliorem, quam ad pejorem ſtatum cum Dei adjutorio perducatis.* Verùm hæc optima optimi Principis vota non ſucceſſerunt. Quid Hieremias & Jonas Epiſcopi Romæ cum Eugenio Papa, quid Conſtantinopoli cum Michaele Auguſto ac ejus Epiſcopis agerint, diſtinctè non ſcimus; eos tamen nec cum his, nec cum illo conveniſſe demonſtrat eventus: Etenim Michael Balbus ac ejus filius Theophilus, Anteceſſores ſuos Nicephorum ac Leonem Armenium imitati, manſerunt Iconoclaſtæ, ac uſque ad Conſtantini Caballini facinora profecerunt; Francorum autem Epiſcopi etiam non deſierunt circa imaginum cultum hallucinari. Adversùm ambos Leo quartus Pontifex Synodum noſtram depinxit in Eccleſia Vaticana.

Neque vanè Stephanus quartus de Francorum Epiſcopis timuit, ne à Sanctorum Imaginibus ad Reliquias traducerent errorem. Etenim ex ipſis tandem ſurrexit Claudius Taurinenſis Epiſcopus, Felicis Urgelitani hæretici diſcipulus, qui à ſacris imaginibus etiam ad ſanctæ Crucis ſignum & laudatas Reliquias proceſſit, omnemque illis exhibitum cultum proſcripſit ad idololatriam. Etiam ſacras peregrinationes & Sanctorum invocationem damnavit. Imagines, Cruces, Reliquias ubique abjecit, ut novus apud Latinos Conſtantinus Caballinus. Franciam diviſit in tres partes: Iconoclaſtas, retentas imagines ſalutare nolentes, ac orthodoxos. Malum Taurino tranſivit uſque in Belgium: Tunc enim Gandenſes ad Sanctum Petrum monachi fuere pro imaginibus paſſi ab Claudianiſtis martyria, laudata in Annalibus Jacobi Mejeri. Legendi ſunt Dungalus ac Jonas Epiſcopus Aurelianenſis.

Quæſtio eſt, Qua fronte hi Epiſcopi præſumpſerint Synodum à Sede Apoſtolica confirmatam damnare? Reſpondet in Sacerdotii ac Imperii concordia Petrua à Marca Archi-Epiſcopus Pariſienſis. [L.2.c.17. n. 2.] *Diſcuſſa occaſione, quæ Gallicanos Epiſcopos & Carolum Magnum Regem ad repudiandam Synodum Nicænam per errorem facti movit, id tantùm ex eo colligi velim, Reges Francorum cum Gallicana Eccleſia eam facultatem ſibi arrogaſſe, ut de Synodis recipiendis vel rejiciendis diſceptatio ſibi libera eſſet, præſertim ſi per Legatos ſuos rebus gerendis non interfuiſſent. Qua ratione uſus eſt Anaſtaſius Bibliothecarius cùm de Synodi Trullanæ Canonibus loquitur, quos à cæteris Patriarchalibus ſedibus repudiatos fuiſſe docet; Nimirùm quia nulla earum, cùm ederentur, aut promulgans, aut conſentiens, aut ſaltem præſens int[illegible]nta eſt.*

Doctiſſimus Epiſcopus miſerandè titubat & cadit. Primò etenim falſum eſt Francorum Epiſcopos ex ſolo facti errore in noſtram Synodum inſurrexiſſe. Errarunt in facto circa Conſtantini Cypriorum Metropolitæ ſuffragium; at ipſam fidei definitionem, ſacras imaginea non latricè aut dulicè adorari, ſed ſalutatoriè dumtaxàt honorari mandantem, intellexerunt quam optimè, & pertinaciſſimè refutarunt tamquam Sancto Gregorio Magno adverſam & Patrum ſuorum Synodo Gentiliacenſi. Sacras imaginea nec Prototyporum cauſa voluerunt ſalutari. Et hinc Jonaa Aurelianenſis ac Walafridua Strabo dixere noa non eſſe idololatras, ſed ſolummodò ſuperſtitioſoa. Secundò falſum eſt, quod Francorum [L.1. c.8.] Regea cum Gallicana Eccleſia ſibi olim facultatem arrogarint liberæ diſceptationia de generalibus Synodis, quibua præſertim per Legatos non adfuerant, recipiendis aut rejiciendis. Etenim ſe nihil ejuſmodi poſſe ſine ſpeciali Sedia Apoſtolicæ licentia, ſibi ſolùm Auguſti brachii ſubjectum auxilium competere, & à ſuia Epiſcopis Romanam Eccleſiam doceri non poſſe, in ſupernia adducta ad Eugenium ſecundum Pontificem Epiſtola Ludovicus Piua palàm profeſſua fuit ac proteſtatus. Norat piiſſimum Marciani Auguſti pro Synodo Chalcedonenſi Edictum: *Verè impius & ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam opinioni ſuæ aliquid tractandum reliquit.* A Facundo Hermianenſi Epiſcopo didicerat *condemnationem æternæ mortis effugere* ſe non poſſe, *ſi de Chriſtiana fide vel nova decerneret, vel jam decreta diſcuteret.* [L.12.c.3.] Et hæc eſt vera libertaa non Gallicanæ tantummodò, ſed totiua ſub cœlo Eccleſiæ Chriſtianæ.

Anaſtaſii Bibliothecarii adducta auctoritas Pariſini Archi-Epiſcopi cogitationes penitùa evertit. Quinque Patriarcharum legationem aut præſentiam vult ad plenariam totiua Eccleſiæ Synodum & requiri, & ſufficere pro omni ipſorum diœceſi: At verò Francorum Patriarcha fuit ſemper Romanus Epiſcopus, adeòque & ejus Legatio ſemper fuit Legatio etiam Eccleſiæ Gallicanæ. Specialem Eccleſiæ Gallicanæ Legatum nulla umquam vidit Synodus generalis.

Ad propoſitam igitur quæſtionem reſpondet Thegani chronicon, dicena iſtorum temporum [Cap. 44.] Epiſcopos Francoa fuiſſe paſſim imperitos, ruſticoa, inquietos, ſervili genere natos, ſuperbiſſimos, intolerabiles. Ex hiſce virtutibus didicerunt rebellare in ſeptimam Synodum ac Sedem Apoſtolicam, & poſtmodùm in Regem atque Imperatorem ſuum Ludovicum Pium, nec non & Pontificem Gregorium quartum attentare pejora. Frivolum ac mendacio plenum rebellionis pallium adducit in Epiſtola adversùs Nepotem [Cap. 50.] Laudunenſem Hincmarua Metropolita Remenſis, garriens Synodum noſtram ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate conveniſſe.

C A-

CANONES
SYNODI OCTAVÆ GENERALIS.

CANON PRIMUS.

PEr æquam & regiam Divinæ Juſtitiæ viam inoffenſè incedere volentes, veluti quaſdam lampades ſemper lucentes, & illuminantes greſſus noſtros, qui ſecundùm Deum ſunt, ſanctorum Patrum definitiones & ſenſus retinere debemus. Quapropter & has, ut ſecunda eloquia ſecundùm magnum & ſapientiſſimum Dionyſium arbitrantes & exiſtimantes, etiam de eis cum divino David promptiſſimè canimus: *Mandatum Domini lucidum illuminans oculos*, &, *Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen ſemitis meis*. Et cum Proverbiatore dicimus: *Mandatum tuum lucidum, & lex tua lux*. Et cum magna voce cum Iſaia clamans ad Dominum Deum, *Quia lux præcepta tua ſunt ſuper terram*. Luci enim veraciter aſſimilatæ ſunt divinorum Canonum hortationes & dehortationes, ſecundùm quod diſcernitur meliùs à pejori, & expediens atque proficuum ab eo, quod non expedire, ſed obeſſe dignoſcitur. Igitur regulas, quæ ſanctæ Catholicæ ac Apoſtolicæ Eccleſiæ tam à ſanctis famoſiſſimis Apoſtolis, quàm ab orthodoxorum univerſalibus, nec non & localibus Conciliis, vel etiam à quolibet Deiloquo Patre, ac magiſtro Eccleſiæ traditæ ſunt, ſervare ac cuſtodire profitemur; his & propriam vitam, & mores regentes, & omnem Sacerdotii catalogum, ſed & omnes, qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, pœnis & damnationibus, & è diverſo receptionibus ac juſtificationibus, quæ per illas prolatæ ſunt & definitæ, ſubjici canonicè decernentes; tenere quippè traditiones, quas accepimus, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam Sanctorum, qui anteà fulſerunt, Paulus admonet aperte magnus Apoſtolus.

SCHOLION.

MAgnis encomiis ſacros Eccleſiæ Canones Canon exornat, ex Sancto Dionyſio Areopagita vocans *ſecunda* Dei *eloquia*. Anaſtaſii Bibliothecarii ſcholion marginale dat cauſam: *Secunda eloquia Patrum dicit, quia Divina prima ſunt.* Fundat ſe Canon in laudato Dionyſio, quod ei adſcripti libri per Michaelis Auguſti Legatos nuper in Franciam delati eſſent per omnem etiam Latinam Eccleſiam jam famoſiſſimi. Eoſdem nuper Joannes Erigena, Caroli Calvi Francorum Regis Theologaſter infelix, in Latinum verſos adſperſerat varia ſcabie, acriter exindè redargutus à Sancto Pontifice Nicolao primo. Et in bibliothecæ ſuæ capite habet Photius: (L. 1.) *Lectus eſt Theodori Presbyteri liber, quo docet germ[...]m eſſe Sancti Dionyſii opus.* Dolendum eſt T[...]ori librum periiſſe. Ab illo enim illuſtrati libros, quos hodie paſſim ſuppoſititios opinamur, forſàn ut legitimos Dionyſii fœtus amplecteremur. Cujuſcumque ſint, ſunt eruditiſſimi, & apud Synodum præſentem fuerunt ſummæ auctoritatis.

Præſens, inquam, Canon, Trullanæ ac ſeptimæ Synodi primum imitatus, confirmat omnes vulgares Apoſtolorum, generalium ac probatarum provincialium Synodorum, & omnium ſanctorum Patrum Canones, atque ità in Stephani quarti Pontificis, ſolos quinquaginta priores Apoſtolorum Canones probantis, nuperum Decretum omninò impegit: Item in alios Pontifices, à quibus Conſtantinopolitanos, Chalcedonenſes, Epheſinos, ac præſertim Trullanos Canones fuiſſe rejectos, eſt ſuo loco oſtenſum. Hinc fomentum acceperunt illæ de Canonum auctoritate quæſtiones, quas in Trecenſi Synodo decidit Pontifex Joannes octavus.

Addit Canon non ſcriptas Eccleſiæ traditiones etiam ab Apoſtolo commendari, ideòque omninò ſervandas. Addit adversùm reſuſcitatos in Græcia ac denuò acriter graſſantes Iconoclaſtas, de quibus in duodecim pro ſacris imaginibus argumentorum libello Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus: (Cap. 1.) *Traditionem, quam à principio ſancta Dei Eccleſia Catholica & omnes Chriſtiani ſervaverunt, hi improbaverunt, & rejecerunt.* Sacras namque imagines nulla novi teſtamenti canonica ſcriptura, ſed ſola Apoſtolica ac omnium Patrum traditio firmat. Hinc adversùm eoſdem Iconoclaſtas in prima ſeptimæ Synodi Actione dixit Baſilius Ancyræ Epiſcopus, primæ Galatiæ Metropolita: *His, qui ſpernunt magiſteria ſanctorum Patrum & traditionem Catholicæ Eccleſiæ, perhibentes quod niſi de veteri ac novo teſtamento evidenter fuerimus edocti, non ſequemur doctrinas Patrum, neque ſanctarum Synodorum, neque traditionem Catholicæ Eccleſiæ, Anathema.* Ex ipſa ſeptima Synodus in factis poſt editum fidei Decretum acclamationibus: (Act. 7.) *Si quis omnem traditionem Eccleſiaſticam, ſive ſcriptam ſive non ſcriptam, irritam facit, Anathema ſit.*

Anathematis cauſam dat in laudato libello idem Sanctus Nicephorus: *Omnibus liquet, quod vetuſta & priſca Eccleſiæ traditio ſit valentiſſima, & omni demonſtratione evidentior ac firmior, ut ſancti Patres noſtri docent, Apoſtolica oracula ſecuti. Magnus enim Apoſtolus traditiones tenere jubet,* QUAS ACCEPISTIS, *inquit*, SCRIPTO ET SINE SCRIPTO. Apoſtolos enim partim ſolo verbo, partim ſcripto docuiſſe, & utramque doctrinam eſſe paris per omnia auctoritatis ac germanè Apoſtolicam, ſcribit in præſcriptionum libro Tertullianus. Varios Chriſtianæ vitæ ritus laudat in libro de corona militis, & addit. *Harum & aliarum hujuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* (Cap. 3. 4.) Eis omninò ineſſe dicit *Apoſtoli auctoritatem.* Quod ipſum in libris adversùm hæreſes Sanctus Irenæus, in libro de Spiritu Sancto Sanctus Baſilius Magnus, in libro adversùm Luciferianos Sanctus Hieronymus, (Cap. 15.) in Pſalmorum prologo Sanctus Hilarius Pictavienſis adfirmant, (Cap. 4.) ac frequentiſſimè Sanctus Auguſtinus, ex cujus unius teſtimoniis exurgere poſſit grande volumen. Ejus famoſiſſimum dictum eſt: *Ego Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ moveret auctoritas*, utique ſine ſcripto tradentis ipſum eſſe Sancti Matthæi aut Sancti Joannis opus, ideòque purum Dei Verbum. Et Sanctum Cyprianum, de hæreticorum baptiſmo errantem, Sanctus Stephanus Papa compeſcuit hoc unico verbo: *Traditio*, utique non ſcripta, *ſervetur*. Sine traditionibus nec unius oppidi aut pagi poſſit ſtare Reſpublica: Quantò minùs toto orbe diffuſa Eccleſia Chriſtiana? Pulchrè enim ait laudatus Sanctus Irenæus: (L. 3. c. 4.) *Si Apoſtoli Scripturas non reliquiſſent nobis, nonnè oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus tradebant Eccleſias?* Fuit id omninò poſſibile. Etenim & à Domino nihil fuiſſe ſcriptum & Apoſtolos ab ipſo non juſſos ſcribere, & ſolùm quædam myſteriorum ac dogmatum pauca ab ipſis per occaſiones ſcripta teſtatur in libris de Evangeliſtarum conſenſu Sanctus Auguſtinus.

Porrò ſeptima Synodus Eccleſiaſticis traditionibus rectè adjungit Eccleſiæ Patres: Quod ſint teſtes & quaſi Scriniarii, quibus in Sancto Timotheo ſcripſit Apoſtolus, *Depoſitum cuſtodi*, utique Evangelicas, Apoſtolicas, ac Paternas traditiones. Iſtud namque depoſitum habet varios loculos: Traditiones diſparis & variæ auctoritatis.

CA-

CANON II.

O*Bedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete illis, ipſi enim pervigilant pro animabus veſtris, tamquam rationem reddituri*, Paulus magnus præcipit. Itàque beatiſſimum Papam Nicolaum tamquam organum Sancti Spiritus habentes, necnon & ſanctiſſimum Adrianum Papam ſucceſſorem ejus, definimus atque ſancimus etiam omnia, quæ ab eis ſynodicè per diverſa tempora expoſita ſunt & promulgata, tam pro defenſione & ſtatu Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ, & ſummi Sacerdotis ejus, Ignatii videlicet ſanctiſſimi Patriarchæ, quam etiam pro Photii Neophyti & invaſoris expulſione ac condemnatione, ſervari ſemper & cuſtodiri cum expoſitis capitulis immutilata pariter & illæſa, & nullum Epiſcoporum, aut Presbyterorum, vel Diaconorum, aut quempiam de Catalogo Clericorum evertere vel reprobare aliquid horum audere. Quiſquis autem poſt hanc definitionem noſtram comprehenſus fuerit ſpernens quidquam capitulorum & decretorum, quæ ab illis expoſita ſunt, ſi quidem Sacerdos fuerit aut Clericus, à proprio decidat honore ſimul & ordine; monachus autem vel laicus, cujuſcumque ſit dignitatis, ſegregetur, donec pœnitens profiteatur ſe conſervaturum prædictorum editionem.

SCHOLION.

CAnonis cauſam edicit in vita Adriani ſecundi Pontificis Guilielmus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius. *Adrianus Nicolai, proximi ſui Prædeceſſoris, exempla ſic ſolertiſſimè ſequebatur, ut ab illius hoſtibus, qui ejus Acta infringere penitùs nitebantur*, NICOLAITANUS *& ſcriberetur, & publicè diceretur. Quorum hoſtium quia nonnullos parturientes injuſtitiam, conceptum dolorem effuſuros eſſe cognoſcens, penès ſe veluti zizania inter frumenta, uſque ad maturitatis tempus diſpenſatoriè retinebat, rumore fallaciter exurgente creditum eſt, quod omnia Prædeceſſoris ſui Acta, quæ ille zelo Divino ſanxerat, hoſtes verò ad proprios libitus infamabant, voluiſſet infringere.* Hac de cauſa Occidentales honorandam Sancti Nicolai memoriam expoſtularunt per litteras, Orientales verò Romæ tunc morantes Epiſcopi & monachi orthodoxi ſeſe ab Adriani, ut Apoſtatici, & non Apoſtolici Epiſcopi, communione retraxerunt. Ex quo ille perplexus omnes Nicolai hoſtes, familia ſua ejecit, illi tamquam novo Eccleſiæ Joſue publicè acclamavit, atque ità meruit & ipſe has acclamationes. *Deo gratias, Deo gratias, qui in Sede ſui Apoſtoli non poſuit Apoſtaticum Papam, qui te ſuccedere fecit ſanctiſſimo Papæ Nicolao, nec ab ejus Decretis abſcedere: Eja ceſſet invidia, mendax fama recedat, Domino noſtro Adriano, à Deo decreto ſummo Pontifici, & univerſali Papæ vita.* Etiam defuncto Sancto Nicolao adclamata fuit *ſempiterna memoria, novo Eliæ vita perennis & immarceſcibilis gloria, novo Phinees æterni Sacerdotii infulas, ſequacibus ejus pax & gratia.* Adclamata hæc ſunt à Græcorum Epiſcopis & quatuor Orientalium Patriarcharum Legatis, cum gaudio ad Adriani communionem reverſis.

Et ad Gallicanos Epiſcopos, Trecis ſynodaliter congregatos, ſcribit idem Adrianus. *Apoſtolicæ recordationis Papam Nicolaum in codicibus vel dypticbis Eccleſiarum veſtrarum ſcribi, & nomen ejus inter ſacra Miſſarum ſolemnia inprætermiſsè recitari faciatis. Nihilominùs tradere Dilectioni veſtræ curamus & admonemus, ut tam Græcis Principibus, quam omnibus omninò clericali fungentibus Ordine, contra perſonam vel Acta, ſeu decreta ipſius agere vel decernere quidquam tentantibus, tam ſcripto vel verbo viriliter obvietis, ac validiſſimè reſiſtatis. Scientes præterea, quia quæcumque hic adversùs ejus perſonam vel Decreta gererentur, nobis nunquam præbiturum fore conſenſum. Quamquam ſi quilibet Apoſtolicæ Sedis miſericordiam humiliter poſtulaverint, circa hos, præmiſſa ſatisfactione, mitiùs agere nullo modo velimus inflexibiles apparere. Tantùm ne hujuſmodi homines ſic innocentiam ſuam adſerere ſtudeant, ut in accuſationem tanti Pontificis quoquo modo prorumpere audeant: Præcipuè cùm illum, dum advixit, nemo impetere præſumpſerit, vel de injuſto judicio arguere vel temutter fuerit auſus.* Epiſt. 9.

San-

Sanctus itàque Pontifex Nicolaus primus, ac
ejus ſanctiſſima Decreta habuere duos præſertim
Epiſt. 6. hoſtes. Primus fuit Photius, Eccleſiæ Conſtan-
tinopolitanæ invaſor, ad quem ſcribit ipſe lau-
datus Pontifex: *Decretalia, quæ à ſanctis Ponti-
ficibus primæ ſedis Romanæ Eccleſiæ ſunt inſtituta,
cur vos non habere vel obſervare dicitis?* Photii
mentem effatur in præſenti Synodo Zacharias
Act. 6. ſchiſmaticus Metropolita Chalcedonenſis: *Et
Papæ Nicolai & cæterorum Patriarcharum Canon
princeps eſt, & ſecundùm illum agentes non faciunt
id quod extra docetur. Cùm ergo extra hunc faciunt,
ſive Papa Nicolaus, ſive alius quis, non acquieſci-
mus.* Alia verſio eſt lucidior. *Canones ſupra Pa-
triarchas etiam ſunt: Quando ergò hi in Canones
peccant, eos non ſequimur.* Conſonat Euſchemo
Cæſareenſis in Cappadocia Archi-Epiſcopus
Act. 7. Schiſmaticus: *Ego iis, quæ per rationem non ſunt
acta, & qui non ſectantur Canones ſanctorum Apo-
ſtolorum, & ſanctarum univerſalium Synodorum,
non tantùm ſit Romanus aut Hieroſolymitanus ſit,
ſed etſi Angelus de cœlo veniat, & non conveniat ſa-
no verbo, neque pareo, neque ſequor.* Et Baani
Patricio, Baſilii Imperatoris apud præſentem
Synodum Vicario & Legato, roganti, Quis à
quinque ſimul Patriarchis damnatos Photianos
Epiſcopos poſſit abſolvere, reſponderunt illi:
*Canones Apoſtolici; Sedis autem Apoſtolicæ Legatos
Judices non recipimus.*

Photium omneſque ejus complices damnarat,
ac Sanctum Ignatium Eccleſiæ Conſtantinopoli-
tanæ Patriarcham, iniquiſſimè ab illis extruſum,
ad ſeſe appellantem, in Patriarchalem ſedem re-
ſtituerat Sanctus Nicolaus, atque ejus judicium
Patriarchæ omnes & eorum Eccleſiæ compro-
barant. Nihilominùs repoſuit Photius ipſum
impegiſſe in Canones, ac Romana Canonibus
adverſa Decreta eſſe nullius ponderis, non cura-
ti à reliquis Eccleſiis, præſertim Conſtantinopo-
litana: Quod Romanus Epiſcopus non ſit niſi
Canonum executor & cuſtos, adeòque novos
non poſſit condere, longè minùs antiquos, Spi-
ritu Dei conditos ac totius mundi reverentia con-
ſecratos, ſuis decretis aut mandatis vulnerare.
Ab iſtiuſmodi Decretis, licèt per omnes Patriar-
chas confirmatis, ad Canones appellavit Pho-
tius, & ipſa poſt Nicolai mortem voluit ab
Adriano ſucceſſore reſcindi, aut potiùs irrita ac
nulla declarari. Et quia in Pontificatus exordio
Adrianus, diſpenſatorio componendæ pacis amo-
re Photianos proſequens, hiſce peſſimis Euſebia-
næ ac Acacianæ factionum Principiis videbatur
colludere, orthodoxi Græcorum Epiſcopi &
monachi ab ejus ſeſe communionn ſuſpende-
runt.

Pontificis ſanctiſſimi alter hoſtis fuit Hincma-
rus Remenſium Metropolita, cujus ille iniquiſ-
ſimas in Rhotaldum Sveſſionenſem Epiſcopum,
& Remenſes Clericos ab Ebbone Archi-Epiſcopo
ordinatos ſententias, per appellationem ad ſe
devolutas, ac alia ejus Acta reformarat, & pro-
pter obſtinatiſſimam ac unà verſatilem in Sedis
Apoſtolicæ mandata perduellinnem vocaverat
chamalcontem, novum Dinſcorum, ac alterum
Pharaonem. Etiam circa Divinam gratiam ac
prædeſtinationem Cariſiaca Hincmari Capitula
damnarat, & Sancti Remigii Lugdunenſis Ar-
chi-Epiſcopi Valentinam Synodum confirmarat
idem Pontifex, & ullum deinceps Provincialem
Epiſcopum ſine prævia ſuæ ſedis licentia vetuerat
à quovis Metropolita aut ejus Synodo deponi.
Antiquis hocce Canonibus adverſari exiſtimavit
Hincmari turbatus ab ira oculus, atque ità Pon-
tifici objecit Sancti Leonis Magni ad Italiæ Epi-
ſcopos Epiſtolam, mandantem ſub anathemate Epiſt. 1.
recipi ac ſervari omnia Romanorum Pontificum c. 5.
Decretalia conſtituta, *quæ de Canonum promulga-* Epiſt. 33.
ta ſunt diſciplinis. Hinc in litteris adversùs nepo- c. 10.
tem Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum intu-
lit à Romano Pontifice edi non poſſe novos Ca-
nones, Leges, Edicta, Decreta, mandata,
niſi ex generalibus Eccleſiæ Canonibus hauſta,
ac virtute in ipſis contenta. Et in Epiſtola ad Epiſt. 14.
Regni Proceres de inſtitutione Carolomanni Re-
gis, & in litteris ad Nicolaum Pontificem de
variis Regni negotiis, talia eſſe dicit omnia San-
cti Gregorii Magni decreta, & adſeveranter con-
cludit nulla cujuſvis Pontificis alia recipienda:
Majori id poſtmodùm fiducia ad Adrianum ſe-
cundum Pontificem ſcripſit ab ipſo inſtructus
Rex Carolus Calvus, ajens ejus ſola iſta decreta Epiſt. 36.
eſſe verè Apoſtolica, promulgata ex privilegio
Sancti Petri Apoſtoli, cui ſoli non poſſit contra-
veniri. Ab eodem Hincmaro docta & ducta Sy-
nodus Pontigonenſis Anſegiſo Senonenſi Archi-
Epiſcopo datas à Joanne octavo per Galliam ac
Germaniam Apoſtolicas vices revereri noluit,
quod Metropolitarum dignitati, per generales
Eccleſiæ Canones datæ, diceret adverſas.

Et Hincmaro varia favebant. Etenim Arela-
tenſis Eccleſiæ Primatum, ac ejus Epiſcopo Pa-
troclo datas à Zozymo Papa per omnem Galliam
Apoſtolicas vices extinxit ſucceſſor Bonifacius
primus, quod adverſarentur ſexto Nicæno Ca-
noni: *Suis privilegia ſerventur Eccleſiis*. Eidem
adverſos Conſtantinopolitanos & Chalcedonen-
ſes de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ privilegiis
Canones Romana ſedes dudùm inſecuta eſt &
proſcripſit. Et ſynodale decretum, quo eligendi
ſucceſſoris licentiam ſibi fecerat, *Ante confeſſio-* L. Pontif.
*nem beati Apoſtoli Petri in præſentia omnium Sacer-
dotum, & Cleri, & Senatus, incendio conſumpſit
Bonifacius ſecundus, quia contra Canones fuerat
factum*. Et ad Juſtinianum Auguſtum ſcribit
Facundus Epiſcopus Hermianenſis: *Novos*, in L. 12 c. 3.
prioribus non contentos, *conſtituere Canones non
licet, niſi multis & in unum congregatis primi Ordi-
nis Sacerdotibus*. Cauſam dat Synodus Carpento- Cap. 1.
ratenſis: *Licèt omnia, quæ Eccleſiaſtica Regula
præcipit obſervari, in multis Canonibus contineantur
inſerta, naſcuntur tamen cauſæ, pro quibus neceſ-
ſe habent Sacerdotes Domini, quod ad juſtitiam per-
tinet, ſecundùm diſciplinam Eccleſiaſticam ordinare.*
Ex malis quotidie moribus naſci in dies debent
& bonæ provincialium Synodorum aut Romani
Epiſcopi leges: Verùm hauſtæ ex antiquis, ple-
nè ſufficientibus, Apoſtolorum aut generalium
Synodorum Canonibus, quibus non niſi per
aliam generalem Synodum poſſit addi vel demi.

Et hinc adversùs Gregorium quartum Pontifi-
cem,

Digitized by Google

cem, ad Ludovici Pii Imperatoris ac filiorum
lites dirimendas, ac earum incentores Epiſcopos
puniendos venientem in Gallias, dixere iidem
A. 833. apud Aſtronomi Annales Epiſcopi: *Si excommu-
nicaturus adveniret, excommunicatus abiret, quum*
circa res ab illo geri paratas *aliter ſe haberet anti-*
L. 2. c. 12. *quorum Canonum auctoritas*. Et in antiquis Eccle-
ſiæ Gallicanæ apud Jacobum Sirmondum formu-
laribus Epiſcopi in ſua conſecratione profitentur
A. 878. recipere atque ſervare omnia Sedis Apoſtolicæ
decreta hauſta ex antiquis Canonibus ac Regu-
lis. Et apud Bertinianos Francorum Annales
Synodi Trecenſis Epiſcopi latam à Joanne octavo
Pontifice in Lambertum ac Adelbertum Italiæ
Comites excommunicationem probant, *quod
prolata eſſet ex privilegio Sancti Petri juxta ſacros
Canones*. Et Gerbertus, poſtmodùm in Roma-
na Cathedra Sylveſter ſecundus, Remenſis Ar-
chi-Epiſcopus, contra Sancto-Dionyſiani mona-
ſterii exemptionem & privilegia pugnans, re-
L. 2. Epiſt. 32. ſpondit *ſe privilegiis auctoritate Canonum promulga-
tis aſſenſurum, nec ullum contra leges Eccleſiaſticas
decretum pro lege recepturum*. Eodem modo adver-
sùs monachorum exemptionem ſcripſit ad Ale-
xandrum ſecundum Gervaſius Remenſis Archi-
Epiſcopus, ad Eugenium tertium Sanctus Ber-
nardus, & ad Alexandrum tertium Petrus Ble-
ſenſis.

Erroris fundamentum fuit Canonum à genera-
libus Synodis editorum ſuprema auctoritas, &
Romani Pontificis erga illos debitum. Etenim
ad Viennenſis ac ſecundæ Narbonenſis provinciæ
Epiſt. 3. Epiſcopos ſcribit Zozymus Papa. *Contra ſtatuta
Patrum concedere vel mutare ne hujus quidem ſedis
poſſit auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus
vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reve-
rentiam*. Romanum Epiſcopum eſſe Canonum
cuſtodem & executorem, ideòque ad eos ſervan-
dos obligatum præ cæteris, profitetur in litteris
ad Dardaniæ Epiſcopos Gelaſius primus, oſten-
ditque antiqua iſtius profeſſio, qua Eccleſiam
non ſuo arbitrio, ſed juxta Canones à ſe guber-
nandam juratus ſpondebat. Et ad Illyrici Epiſco-
pos, in litteris apud Bonifacii ſecundi Synodum
à Luca Holſtenio publicatam exſtantibus, ſcribit
Epiſt. 13. Sanctus Celeſtinus primus. *Dominentur nobis Re-
gulæ, non Regulis dominemur: Simus ſubjecti Ca-
nonibus, dum Canonum præcepta ſervamus.*

Et in hoc cardine pendet totum ſchiſma Græ-
corum. Epheſinum quippè de non faciendo
Symboli additamento Canonem ajunt à Romano
Pontifice violatum, ideòque illum cum omni
Latina Eccleſia ſordere ſub anathemate. Et Eu-
genium quartum, quod Canones Conſtantienſes
non ſervaſſe diceretur, dejecit Synodus Baſileen-
ſis. Et apud Joachimum Camerarium Lutherani
prætendunt ſeſe legitimè ſeparatos à Romana Ec-
cleſia, quod pietatis Canones jam pridem tranſ-
greſſa eſſet. Eodem ſpiritu Hincmarus nihil niſi
ex antiquis Canonibus deſumptum voluit poſſe
ſtatui, edici, decerni, mandari, judicari à
Romano Pontifice: Hiſce Euſebianæ & Aca-
cianæ factionum artibus admodùm fatigavit vi-
vum Nicolaum Pontificem, & omnia jam defun-
cti decreta ac judicata conatus eſt exſuflare.

Adversùm eaſdem nugas, etiam à Lothario
Rege adultero ac ejus fautoribus Theutgaudo
Treverenſi ac Gunthario Colonienſi Metropolitis
uſitata, in Romana per Fuldenſes ac Bertinia-
nos Francorum Annales adducta Synodo ſtatuit
laudatus Pontifex Nicolaus: *Si quis dogmata,
mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro
Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro cor-
rectione fidelium, pro emendatione ſceleratorum,
pro interdictione imminentium aut futurorum malo-
rum, à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promul-
gata contempſerit, Anathema ſit*. Et hunc Cano-
nem in litteris ad Hugonem Lugdunenſis Eccle- Epiſt. 60.
ſiæ Primatem laudat Sanctus Ivo Carnotenſis Epi-
ſcopus. *Nos interdicta ſeu mandata pro fidei de-
fenſione, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione
fidelium, pro emendatione ſceleratorum, pro inter-
dictione imminentium vel futurorum malorum, pro-
mulgata à Sede Apoſtolica ſic volumus obſervare, ut
parati ſimus, Deo cooperante, quælibet adverſa pro
eorum defenſione tolerare. Cùm verò ea, quæ indif-
ferenter ſe habent, & quibus non obſervatis minimè
ſalus periclitatur, vel obſervatis minimè juvatur,
tam obnixè ſervanda ſancitis, vel cum ea, quæ an-
tiquitas ſanxit, conſuetudo firmavit, & venerabi-
lium auctoritas Patrum ſacrata firmavit, prout vul-
tis, minuitis aut mutatis, attendere debet Pru-
dentia veſtra, quid ſaluti eorum, quibus per omnia
prodeſſe debetis, conferatis, vel quorum inſtitutio
ſit potiùs tenenda, vel quibus obedientia ſit potiùs
exhibenda, an illis ſanctis Patribus, qui adhuc
nobis in ſcriptis ſuis loquuntur, an vobis, quibus
nihil eſt aliud propoſitum, niſi priorum ſequi & ho-
norare veſtigia*. Diſtinguit duplicia Sedis Apoſto-
licæ mandata. Prima de Eccleſiaſtico dogmate
aut Chriſtianis moribus ſtatuunt: Et pro horum,
undecumque hauſtorum, obſervantia profitetur
certandum uſque ad mortem. Alia ſunt de Ec-
cleſiarum privilegiis aut dignitatibus, aliiſque
rebus ad vitam æternam indifferentibus, qualis
erat nuper à Gregorio ſeptimo erectus Primatus
Eccleſiæ Lugdunenſis: Etiam illa, undecumque
ſumpta, fatetur reverenda, aliundè tamen
quam ex antiquis Canonibus non facilè produ-
cenda.

Hincmari quæſtio rursùm mota fuit adversùm
Gregorii ſeptimi in ſimoniacos & conjugatos
Presbyteros decreta, ideòque illius incognitus,
at doctus Apologus ante omnia oſtendit *eadem* Præfat.
nullatenùs à ſacratiſſimis Canonibus deviare. Et ad
Sanctum Annonem Colonienſem Metropolitam
ſcribit ipſe laudatus Pontifex. *Novit Fraternitas* L. 2. Epiſt.
veſtra, quia præcepta hæc non de noſtro ſenſu ex- 67.
*ſculpimus, ſed antiquorum Patrum ſanctiones, Spi-
ritu Sancto prædicante prolatas, officii noſtri neceſſi-
tate in medium propalamus: Ne pigri ſervi ſubeamus
periculum, ſi Dominicam pecuniam, quæ cum fæ-
nore repoſcitur, ſub ſilentio abſcondamus. Quam-
quam huic ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper licuit,
ſemperque licebit contra noviter increſcentes exceſſus
nova quoque decreta atque remedia procurare, quæ
rationis & auctoritatis edita judicio, nulli homi-
num ſit fas ut irrita refutare*. Et ſuo Dictatui in-
didit hunc articulum: *Soli Romano Pontifici licet
pro temporis neceſſitate novas leges condere*. Scribit
item

Digitized by Google

item Stephanus Epiſcopus Tornacenſis : *Solus*
Epiſt. 190. *Romanus Pontifex poteſtatem habet & condendi no-*
vos Canones, & veteres exponendi.

Cap. 3. Rationem dat laudatus Gregorii ſeptimi Apo-
logus : *Reverentiam ſive obedientiam, quam ſa-*
cratiſſimis quatuor conciliis juxta Sancti Gregorii,
ea ut quatuor Dei Evangelia honorari jubentis,
mandatum meritò exhibemus, decretis Apoſtolicæ
Sedis nullatenùs denegare, immò, ſi poſſibile eſt,
ſtudioſiùs impendere debemus, cùm ſine eorum aucto-
ritate nec ipſa Concilia fas eſſet recipere. Quo fun-
damento etiam in præſentis Synodi præfatione
Epiſt. 6. Anaſtaſius Bibliothecarius, in litteris ad Pho-
Epiſt. 13. tium Nicolaus primus Pontifex, & in litteris ad
Dardaniæ Epiſcopos Sanctus Gelaſius utuntur.
Quis enim quoſdam Conſtantinopolitanos &
Chalcedonenſes, quibus omnis Græcorum Eccle-
ſia ac Reſpublica potentiſſimè favebat, Canones
per plura ſæcula ſuſpendit, niſi contradictio ſo-
lius Eccleſiæ Romanæ?

Hoc noſtrum dogma eſt longè antiquiſſimum.
Etenim de Zephyrino Pontifice ſcribit in libro de
Cap. 1. pudicitia Tertullianus. *Audio* Romæ *Edictum eſſe*
propoſitum, & quidem peremptorium; Pontifex
ſcilicet maximus, quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum
edicit: EGO ET MŒCHIÆ ET FORNI-
CATIONIS DELICTA PŒNITENTIA
FUNCTIS DIMITTO. Ex prioribus illud
Canonibus non deſumptum fuit, ſed vetuſtiſſi-
mum Eccleſiæ Canonem corrigebat, fuitque ab
omni ſub cœlo Eccleſia promptè ſuſceptum. An-
tiquæ item regulæ correctorium, qui in perſecu-
tione lapſos ad Eccleſiæ communionem in vitæ
ſaltem exitu admiſit, Canonem fuiſſe ſolius San-
cti Cornelii Pontificis opus docet Euſebius Cæſa-
reenſis, & liquet ex variis Epiſtolis Sancti Cy-
priani. Quod omnem prædicandæ fidei, aut de
Epiſt. 62. c. 6. ipſa diſputandi licentiam adversùs priorem Eccle-
Epiſt. 63. c. 6. ſiæ morem interdixerit monachis Sanctus Leo
Magnus, docent ejus litteræ ad Maximum Pa-
triarcham Antiochenum, & ad Theodoretum
Epiſcopum Cyrenſem. Omnia Sancti Gregorii
Magni decreta fuiſſe ex antiquis Canonibus hau-
ſta Hincmarùs errat. Etenim unicam ille Baptiſ-
mi merſionem in Hiſpania, Subdiaconorum cœ-
libatum in Sicilia, Orationem Dominicam non
ampliùs in Miſſa ante conſecrationem, ſed ſupra
Dominicum corpus dici in univerſa Latina Ec-
cleſia aut poſuit aut firmavit, quorum quis an-
tiquus ac generalis Canon ſit fons, ignoro.
Solæ Euſebiana ac Acaciana factiones iſtam Ro-
mani Pontificis poteſtatem arietarunt. Rectè igi-
tur Nicolai primi in Photium & Hincmarum de-
creta Adrianus ſecundus & præſens Canon con-
firmarunt. Pleraque enim erant primi ordinis,
pro quibus certandum uſque ad mortem audivi-
mus jam à Sancto Ivone.

Adducta Photii & Hincmari argumenta aliud
non evincunt, quàm Romanum Epiſcopum ad
Canones uti exequendos, ità & obſervandos
obligari. Quod ipſum nos profitemur. Profite-
mur omnem hominem legiſlatorem adſtringi ſuis
legibus. Etenim ad Imperatorem Valentinianum
ſecundum ſcribit Sanctus Ambroſius: *Quod præ-*
Epiſt. 13. *ſcripſiſti aliis, præſcripſiſti & tibi; leges enim fert*
Imperator, quas primus ipſe cuſtodiat. Et in edi-
cta, quam ſuo codici Juſtinianus inſeruit, ad
Voluſianum Prætorio Præfectum lege Theodo-
ſius ſecundus ac Valentinianus tertius: *Digna* L. 1. tit. 14.
vox majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Prin- c. 4.
cipem profiteri. Adeò de auctoritate juris noſtra pen-
det auctoritas. Et reverà majus imperio eſt ſubmit-
tere legibus Principatum. Ad quæ poſtrema verba
ſcribit Dionyſius Gothofredus: *Non eſt Princeps*
ſupra legem, ſed leges ſupra Principem. Nihilo-
minùs Princeps legem ſuam ex cauſis poteſt in-
terpretari, diſpenſare, moderari, mutare, mu-
tilare, abrogare: Eodem modo ad generales
Eccleſiæ Canones habet ſe Epiſcopus Romanus.

Non deſiit tamen Hincmarus Canoni noſtro
recalcitrare uſque ad Joannis octavi Pontificis Sy-
nodum Trecenſem, de qua illius Encomiaſtes
Flodoardus in hiſtoria Eccleſiæ Remenſis. *Hinc-* L. 3. c. 19.
marus ſcribit Apologiam pro ſe contra eos, qui ca-
lumniati ſunt illum apud Joannem Papam, qui Sy-
nodum Trecis habuit, aſſerens ſe decretales Epiſto-
las Romanorum Pontificum venerabiliter ſuſcipere
atque tenere; cùm calumniarentur inimici hac eum
nolle ad auctoritatem recipere. Scio hæc præſertim
intelligi de Romanorum, prima Nicæna Syno-
do priorum, Pontificum Epiſtolis, inter ipſum
& Hincmarum Laudunenſem, cui Nicolaus
Pontifex favebat, controverſis: Addo tamen
intelligi etiam de decretis laudati Nicolai, Adria-
ni ſecundi, ac ipſius Joannis octavi. Nam &
in ipſa Hincmarianus per Carolum Calvum Re-
gem impetus non ignoramus.

Et exindè quibuſvis Romanæ Eccleſiæ decretis
ac mandatis longè obedientiſſimam fuiſſe Galli-
canam Eccleſiam docent ſcripta Sancti Fulconis
proximi poſt Hincmarum Remenſis Archi-Epi-
ſcopi, Sancti Ivonis Carnotenſis, Goffredi Ab-
batis Vindocinenſis, Sancti Bernardi, Sugerii
Abbatis ad Sanctum Dionyſium, & Stephani
Epiſcopi Tornacenſis. Etiam mandatis ſecundi
ordinis, pro quibus laudatus Ivo ad mortem uſ-
que certare nolebat. Nolebat palàm damnare
Metropolitam ſuum Senonenſem, erecto per
Gregorium ſeptimum Eccleſiæ Lugdunenſis Pri-
matui omnibus nervis adverſum. At verò Hum-
bertus Lugdunenſis Archiepiſcopus, à laudato
Abbate Sugerio, Sedis Apoſtolicæ Delegato,
ad cauſam hanc cum Guilielmo Senonenſi Archi-
epiſcopo finiendam evocatus Carnutum, adeſſe
noluit, addiditque cauſam: *Sciat Charitas ve-* Epiſt. 134.
ſtra, quod donec Senonenſis Archi-Epiſcopus Apoſto-
licis mandatis contumax ac rebellis exiſtit, pudor
nobis eſt ad illas partes progredi, ubi Domino Papæ
contradicitur. Archi-Epiſcopi inobedientia o-
mnem provinciam reddebat infamem. Et apud
Joannem Bromptonum Abbatem Jornalenſem
ſcribit iſte Guilielmus Archi-Epiſcopus Senonen-
ſis: *Vitium Paganitatis incurrit, quiſquis manda-*
tis Apoſtolicis obedire contemnit. Per omnem tunc
Galliam vigebat hæc Gregorii ſeptimi Regula:
Qui Romanæ Eccleſiæ non concordat, Catholicus
non habeatur. Ità fuit uſque ad regnum Philippi
pulchri, & ab ipſo tractam in Gallias Romani
Pontificis perſonam: Hinc enim prodierunt
ſchiſma Clementinum adversùs Urbanum ſextum

Pon-

Pontificem, Concilium Baſileenſe, Sanctio pragmatica, & aliæ cauſæ miſeriarum ac dolorum.

At nunquid Romanus Epiſcopus in condendis legibus aut mandatis omninò debet antiquos ac generales Eccleſiæ Canones attendere, & illa ex his haurire? Reſpondet apud Gratianum Pon-
25. q. 1. c. 6. tifex Urbanus ſecundus. *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges, quod & nos non ſolùm non negamus, ſed etiam valdè affirmamus. Sciendum verò ſummoperè eſt, quod indè novas leges condere poteſt, undè Evangeliſtæ & Prophetæ aliquid nequaquam dixerunt. Ubi verò apertè Dominus vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres ſententialiter aliquid definiverunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs quod prædicatum eſt uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet.* Loquitur adversùm Gregorii ſeptimi & ſanctiſſimorum ejus decretorum calumniatores. Et ad Britonum Epiſcopos, Canonum contemptores Semi-Chriſtianos, Leo quartus ſcribit omnia Eccleſiaſtica negotia ex Ca-
nonibus decidenda: *At ſi tale emerſerit inuſitatum* Diſt. 20.
negotium, quod minimè poſſit per iſtos definiri, tunc ad ſanctos Patres recurrendum eſt, *vel ad Sedem Apoſtolicam referatur.* Quoſdam fundamentales, quorum ſolvendorum cauſa competens nunquam poſſit occurrere, Canones ab Apoſtolis accepit Eccleſia, & poſt Canonicas Scripturas ac traditiones ex his ſolis novas leges aut decreta Romanus Epiſcopus obligatur haurire.

CANON III.

SAcram imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnium Liberatoris & Salvatoris æquo honore cum libro ſanctorum Evangeliorum adorari decernimus: Sicut enim per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem conſequuntur omnes, ità per colorum imaginariam operationem & ſapientes & idiotæ cuncti ex eo, quod in promptu eſt, perfruuntur utilitate. Quæ enim in ſyllabis ſermo, hæc & pictura, quæ in coloribus eſt, ut ſecundùm congruentiam rationis & antiquiſſimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipſa referuntur, etiam derivativè iconæ honorentur & adorentur æquè ut ſanctorum ſacer Evangeliorum liber, atque typus pretioſæ Crucis. Si quis ergò non adorat iconam Salvatoris Chriſti, non videat formam ejus, quando veniet in gloria paterna glorificari & glorificare Sanctos ſuos; ſed alienus ſit à communione ipſius & claritate. Similiter autem et imaginem intemeratæ matris ejus, et Dei genitricis Mariæ, inſuper et iconas Sanctorum Angelorum depingimus, quemadmodum eos figurat verbis Divina Scriptura; ſed & laudabiliſſimorum Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, & Sanctorum virorum, ſimul & omnium Sanctorum & honoramus, & adoramus. Et qui ſic ſe non habent, anathema ſint à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.

Scholion.

STatuit Canon adversùm Iconoclaſtas in civitate Conſtantinopolitana ac omni Orientali Eccleſia reſuſcitatos, adversùm Claudii Taurinenſis Epiſcopi blaſphemias, ac adversùs errorem Agobardi Lugdunenſis, Jonæ Aurelianenſis, Hincmari Remenſis, ac aliorum Francorum Epiſcoporum, averſantium ſeptimam Synodum, volentiumque ſacrum quidem Evangeliorum codicem & Dominicæ Crucis figuras, ipſius autem Domini ac ejus Sanctorum imagines nullatenùs eſſe honorandas, adorandas, aut ſalutandas. Sacræ namque imagines ſunt fidelium indoctorum libri: Cur igitur omni ſacro libro debitus honor illis denegetur? Et Domini Crucifixi, quam nudæ Crucis, imagines eſſe veneratu digniores, eſt ſuprà abundè oſtenſum. Solas Chriſti Domini, & ſanctorum hominum & Angelorum, non Dei Patris imagines Canon laudat.

CANON IV.

AMorem principatus, utpotè quamdam malam radicem exortorum in Eccleſia ſcandalorum, radicitus excidentes, eum, qui temerè, & prævaricatoriè, ac irregulariter, veluti quidam gravis lupus, in Chriſti ovile inſiliit, Photium ſcilicet, qui mille tumultibus & turbationibus orbem terræ replevit, juſto decreto damnamus, promulgantes numquam fuiſſe prius, aut nunc eſſe Epiſcopum, nec eos, qui in aliquo ſacerdotali gradu ab eo conſecrati, vel promoti ſunt, manere in eo ad quod provecti ſunt: Inſuper & eos, qui ab illo conſuetas orationes ad præpoſituræ promotionem ſuſceperunt, ab hujuſmodi patrocinio coercemus. Sed & Eccleſias, quas ut putatur tam Photius, quàm ii, qui ab ipſo conſecrati ſunt, dedicaverunt, vel ſi commotas menſas ſtabilierunt, rursùs dedicari & inthronizari, atque ſtabiliri decernimus; omnibus maximè, quæ in ipſo, & ab ipſo ad ſacerdotalis gradus acceptionem vel damnationem acta ſunt, in irritum ductis. Dicit enim univerſorum Deus per Prophetam: *Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*. Et, *Oblitus es Legem Dei tui, & ego obliviſcar filiorum tuorum. Si ſecundùm multitudinem eorum ſic peccaverunt mihi, gloriam ipſorum in inhonorantiam ponam; peccata populi comedent, & in injuſtitiis ſuis accipient animas ſuas*. Et iterùm dicit: *Quia multiplicavit Ephrem altaria in peccatum, facta ſunt ei altaria delicta: ſcribam in ea multitudinem*.

Scholion.

OMnia tumultibus implere eſt proprium ambitionis. Præſertim ambitionis Epiſcopalis. Etenim à Thebuli, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Clerico, quod per martyrium defuncto Sancto
L.4. c.41. Jacobo Apoſtolo, *in Epiſcopatus petitione repulſam tulerit* Sancto Symeoni poſtlatus, natam fuiſſe primam in Eccleſia hæreſim ſcribit Euſebius Epiſcopus Cæſareenſis. Ex eadem matre Simon magus, Valentinus, Novatianus, Collutus, Arius, & plerique alii hæreticam iniquitatem operati prodierunt. Et hinc in Sancti Oſeæ Prophetæ commentariis ſcribit Sanctus
Cap. 9. Hieronymus: *Veteres ſcrutans hiſtorias, invenire non poſſum ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo Domini populos ſeduxiſſe, præter eos qui Sacerdotes à Deo poſiti fuerant & Prophetæ*: Quis ignoret Eccleſiæ Alexandrinæ poſt Chalcedonenſem Synodum ab
Epiſt.75. Eutychianiſtis barbaricas calamitates? Eas in
Epiſt.23. litteris ad Leonem Auguſtum Sanctus Leo Papa Magnus, & in litteris ad eumdem Principem, poſt laudatam Synodum exſtantibus, diœceſeos Ægyptiacæ Epiſcopi latè exponunt, adduntque cauſam fuiſſe Timotheum Ælurum Presbyterum, *detentum deſiderio Alexandrini Pontificatus*. Lamentabile Græcorum à nobis ſchiſma, ac indè natam Turcorum potentiam uni ambitioſo Photio debemus.

Erat ſimilis Maximo Cynico, Conſtantinopolitani olim etiam Epiſcopatus contra Sanctum Gregorium Nazianzenum invaſori, ideòque uti hunc prima Conſtantinopolitana, ità illum præſens Synodus tractavit: Et ipſum & omnes ab illo ordinatos Epiſcopos & Clericos dejecit irreparabiliter ad laicos, aut certè ad gradum anteà in Clero habitum, cunctis illius immediatis aut mediatis Ordinationibus caſſatis. Pœna dura, à Sancto Nicolao Pontifice jam pridem inflicta, ideoque per Synodum præſentem confirmata. Etenim Photius, uti ad Sanctum Ignatium Patriarcham ſcribit Adrianus ſecundus Pontifex, in ſuo adversùs laudatum Ignatium conciliabulo edixerat: *Ab anathematizatis conſecratus non ſolum non accipit Spiritum Sanctum, ſed & quod anteà habuit flamen aufertur ab eo*. Sanctum Ignatium Act. 8. quaſi ab anathematizatis ordinatum Epiſcopum, unàque & omnes ab ipſo ordinatos damnavit ad laicos, ideòque ipſi, utpotè veraciter per anathematizatos, nempe per Gregorium Aſbeſtam Syracuſis Archi-Epiſcopum, non conſecrato, ſed

execrato

exſectato Nicolaus Pontifex reddidit juſtiſſimum talionem.

Verùm enim verò in Sancti Ignatii vita ſcribit Nicetas Paphlago, *Hoc tantùm in hac octava Synodo non laudo, non quod, ut aliqui cenſent, graviùs commota duriùs in reos decreverit, ſed contra potiùs reprehendenda forſitan ſit apud æquum arbitrum, quod multò clementiùs, quàm oportebat judicaris, habita nempe perſonarum aliqua ratione, non ex lege Apoſtolica ſincerè lata ſententia.* Ex trigeſimo primo, quo actum fuerat in Sanctum Ignatium, Apoſtolico Canone agi voluit & in Photium, atque ità plenè canonicam eſſe vindictam. *Si quis*, inquit ille Canon, *Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes, qui illi communicant.* Omnem cum duce Photio ſchiſmaticum gregem voluit Nicetas non ſolo Epiſcopali aut Clericali malè adepto, ſed omni penitùs gradu exui, ipſoque etiam nomine Chriſtiano: Reverà enim Photius non Cleri ac populi electione, ſed Regia violentia intrarat Epiſcopatum. Et laudatus Nicetas non tacet cauſas ſuæ querimoniæ: *Quemadmodùm antè Divino Tharaſio Patriarcha in Synodo contra Iconomachos celebrata, cùm indulgentiùs, quàm ex præſcripto juſtitiæ hæreticos tractaſſent, illi arrepta occaſione impietatem ſuam multò magis confirmarunt; ità nunc Synodo hac remiſſiùs agente, nec ſine affectu, neque ex Apoſtolico Canone damnationis ſententiam ferente, malitia rursùs contra Eccleſiam invenit locum.* Etenim poſt Synodum nequiſſimi Photiani, matris Eccleſiæ clementia abuſi, fecerunt longè pejora.

Clementiæ cauſa fuit Baſilius Auguſtus, de quo pergit Nicetas. *Ipſa Synodus non tantoperè volebat iis, qui cum Photio, quamvis inviti & coacti communicarant, indulgere, quantoperè ſimplicitas, ne dicam levitas Imperatoris, victa nempe hominum precibus, & laudibus inflata humanis, & clementiæ nomine perfecta Dei æquitate penitùs deſtituta.* Etiam Apoſtolicæ Sedis Legatos penitùs non excuſat. *Hæc*, inquit, *Patriarchæ Ignatii gloriæ labem nullam adſpergunt, quod non eſſe illi auctoritas agendi quæ vellet: Romanis enim pro Eccleſiaſtica antiqua traditione judicandi poteſtatem permittebat.* Romana Eccleſia Deum ter optimum maximum, cujus vox, *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat*, ſemper eſt imitata, ideòque per clementiæ viam à Photianis ſperabat meliora. Agimus Nicetæ gratias de laude ac memoria antiquæ Eccleſiaſticæ traditionis, ex qua Sedis Apoſtolicæ Legati in Synodis generalibus ſemper habuere agendorum propoſitionem, primum ſuffragium, ac pœnarum Epiſcopis aut Clericis reis infligendarum definitionem. Ejus duriores de Synodo voces ſcholio marginali moderatur Anaſtaſius Bibliothecarius. *Non damnat Nicetas Œcumenicum concilium, quaſi Apoſtolicos Canones violarit; ſed ex iis rebus, quæ poſt concilium evenere, majorem ſeveritatem deſiderat. Quippe cùm clementiùs egiſſe videatur, quam per Canones ipſos agere licuiſſet, ſi ſummo jure agere cum Photio, Photianiſque voluiſſet.*

Hæc Canonis verba, *Eos qui ab illo conſuetas orationes ad Præpoſituræ promotionem ſuſceperunt, ab hujuſmodi patrocinio coercens*, agunt de creatis per Photium aut Photianos Archi-Preſbyteris, Archi-Diaconis, Œconomis, Chartophylacibus, Defenſoribus, quos non ordinari aut ſigillari, ſed ſimplici dumtaxat benedictione aut etiam codicillo promoveri, oſtenſum eſt ſuprà ad Canones Trullanos. *Promotio*, inquit ad ſecundum Canonem Chalcedonenſem Theodorus Balſamon, *ſine ſigillo*, ibidem à nobis expoſito, *perficitur.* Nullum penitùs à Photio aut Photianis peractum Sacerdotale miniſterium vult Canon validum haberi.

Hinc etiam caſſat factas ab illis Eccleſiarum dedicationes, atque motarum menſarum ſeu altarium ſtabilitiones. Mandat denuò dedicari aut ſtabiliri. Cauſam dat laudatus Nicetas, agens de quodam altari, à barbaris ac gentilibus Roſſis dejecto, & per Sanctum Ignatium repoſito. *Photius Amphilochium Cyzici, & Theodorum Patrarum Archi-Epiſcopos, quin & Pantaleonem Senatorem, cognomento Bothrum, legat qui ſacrilegis manibus ſanctam illam arulam diſturbent. Mandarat inſuper, ut ara ad litus maris deportata quadrageſies unda tingeretur, atque ità demùm reducta reponeretur.* Sic enim hæreticorum ac ſchiſmaticorum altaria fuiſſe olim tractata eſt alibi oſtenſum. Et hoc igitur in puncto Synodus reddidit Photio juſtum talionem.

Quanti olim momenti fuerit Altaris in Baſilica ſeu oratorio motio aut ſtabilitio, oſtendit in litteris ad Archi-Epiſcopum & Capitulum Byzuntinum, per Franciſcum Boſquettum Montis Peſſuli Epiſcopum publicatis, Innocentius tertius Pontifex. *Ligneis ædificiis Eccleſiæ veſtræ caſu quodam igne conſumptis, parietibus tamen illæſis, ac menſa principalis altaris in ſui extremitate modicam paſſa fracturam, quæſiviſtis per Sedem Apoſtolicam edoceri, ſi propter hoc ipſius altaris vel etiam totius Eccleſiæ deberet conſecratio innovari. Ad quod ſic duximus reſpondendum: Quod cùm parietes in ſua integritate permanſerint, & altaris tabula mota, vel enormiter læſa non fuerit, nec Eccleſia nec altare debet denuò conſecrari.* L. 3. Epiſt. 164.

Lucidiùs in litteris ad Guilielmum Fiſcanenſis monaſterii Abbatem loquitur S. Ivo Epiſcopus Carnotenſis. *De motione altaris vel parietum Eccleſiæ, utrùm iteranda ſit conſecratio vel non iteranda, nihil ſcriptum in antiquis Regulis reperi. In collectionibus autem Burchardi VVormatienſis Epiſcopi ex Concilio Meldenſi, capitulo quinto, ità ſcriptum reperitur*: ALTARE SI MOTUM FUERIT, ECCLESIA DENUO CONSECRETUR; PARIETES VERO SI MOTI FUERINT, ET NON ALTARE, SALIBUS TANTUM EXORCIZENTUR. Etenim ſaxea baſilica eſt fidelis animæ, per Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguinem, & tam viſibile quàm inviſibile chriſma in verum Dei vivi ac veri templum conſecratæ, figura ac Sacramentum, atque illius ſummum altare fidem, parietes bona opera, tectum ſignificat ſpem Chriſtianam, bonis operibus ſubnixam. At verò fides, uti rerum ſperandarum, ità totius humanæ juſtificationis eſt fundamentum, ideòque *ſi evellatur, tota ædificatio ſpiritualis procul dubio deſtruitur*, & Epiſt. 80.

homo in perfidiam lapſus eſt denuò quaſi gentilis, licèt non per novum baptiſma, tamen per manuum impoſitionem, ac alia initialia Chriſtianitatis rudimenta in Divinam Jeſu Chriſti formam iterum parturiendus. Quin immò fidelibus ad Saracenos Apoſtatis Sanctus Methodius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſtatuit hunc Canonem: *Propitiatorias preces ſeptem diebus accipiant, & octavo die laventur, & à lavacro linteo accincti chriſmate inungantur, ut ſolent inungi qui baptizantur, & ferant veſtes novas ſecundùm ordinem eorum, qui illuminantur.* Lavatio iſta non fuit Rebaptiſmus: Abſit: Fuit quædam Baptiſmi quaſi per apoſtaſiam deleti ritus pœnitentialis ac reſuſcitativus, qualem etiam hodie apud Abyſſinos Æthiopes in Epiphaniæ feſto vigere quidam ajunt, & Hipponenſi ſuo populo fuiſſe in feſto Sancti Joannis Baptiſtæ refert ac damnat in ſermone de diverſis Sanctus Auguſtinus. Et hinc item vides chriſmationem, quam quibuſdam ab hæreſi ad matrem Catholicam accedentibus impenderunt olim Græca, Gallicana, ac Hiſpaniarum Eccleſiæ, fuiſſe merum cœremoniam, non Confirmationis Sacramentum. Pergit Sanctus Ivo. *Reliqua verò ædificatio, ſi aliqua vetuſtate atteritur, aliqua læſione minuitur, Sacramenta fidei nequaquam iterantur, ſed tantùm quod maculatum eſt aſperitate pœnitentiæ & compunctionis lacrymis emundatur. Secundùm ergò hanc ſimilitudinem moto altari, quod figuram gerit fidei, tota Eccleſia conſecranda eſt, quæ corrupta fide tota destructa eſt. Motis verò parietibus, ſola aqua & ſalibus, tamquam pœnitentiæ Sacramentis reformanda eſt. Novit enim Prudentia veſtra, quia ſic orat Eccleſia, ut quod in templis manufactis agitur, hoc in nobis ſpiritualiter impleatur, quatenùs per cultum viſibilium Sacramentorum provocemur ad agnitionem & amorem inviſibilium ædificiorum.*

Serm. 59. c. 4.

Hæc de ſolo principali Baſilicæ altari eſſe intelligenda rectè in adductis litteris expreſſit Innocentius tertius. Attamen ob ſolius tabulæ motionem aut notabilem fracturam quodvis altare eſt omninò rursùs conſecrandum. Cauſam ſcribit idem Sanctus Ivo in litteris ad Girardum Sancti Guandregeſili Abbatem. *Conſuluit Parvitatem meam Dilectio veſtra, utrùm tabulæ altarium aliquando conſecratæ, cùm translatæ fuerint, ſuper novam ſtruem lapidum poſitæ denuò ſint conſecrandæ. Quod nobis ex auctoritate & ratione faciendum videtur, cùm Canon dicat:* ALTARE SI MOTUM FUERIT, ECCLESIA DENUO CONSECRETUR. *Quod ſi Eccleſia propter motionem ſolius Altaris denuò eſt conſecranda, quantò magis ipſum altare, quod motum eſt.* Etiam ſolvit quorumdam objectionem: *Nec ſatis ſimilis ratio eſt, quam quidam fratres vobis objiciunt, quod altaria portatilia, licèt de loco ad locum moveantur, non tamen denuò conſecrantur. Hæc enim altaria non aliter conſecramus, niſi vel in tabulis ligneis, vel aliquo competenti ſubſtratorio compacta, & firmiter ſint affixa. Undè licèt de loco ad locum portentur, non tamen de loco, in quo conſecrata ſunt, moventur. A quo ſi evulſa fuerint, ſicut cætera altaria, denuò ſunt conſecranda.* Epiſt. 72.

A Burchardo Wormatienſi Epiſcopo adductum Canonem quidam Sancto Hygino, quidam Julio primo Pontifici adſcribunt. Ego malim eſſe à Sancto Sylveſtro, de quo Romanum Breviarium: *Sancivit, ne deinceps altaria, niſi ex lapide fierent.* Cujuſcumque ſit, eſt antiquus, eumque reſpiciunt verba præſentis Canonis: *Eccleſias dedicaverunt, vel commotas menſas ſtabilierunt.* Quod nempe principalis menſæ motæ ſtabilitio fieri nequeat ſine nova conſecratione. Quæ tamen de portatilibus altaribus Sanctus Ivo ſcribit, apud Græcos non habent locum, eorum vice habentes Antimenſia, ſuo loco exponenda. Et in novis ad Sancti Ivonis Epiſtolas annotationibus ſcribit Joannes Baptiſta Sonehetus, Canonicus Eccleſiæ Carnutenſis: *Quæ de Altarium reconſecratione hic ſcribit Ivo, jam exoleverunt, neque ampliùs ſervantur, ſive ex conſuetudine, ſive ex ignorantia.*

Novemb. 18.

Epiſt. 72.

CANON V.

Omnem Canonicam ſtabilitatem in Eccleſiis ſemper manere in Chriſto providere cupientes, renovamus & confirmamus terminos & vacationes, quæ olim à Sanctis Apoſtolis & beatis Patribus noſtris editæ legem in Eccleſia poſuerunt, non oportere Antiſtitem promovere quemquam, qui eſt vel ſecundùm fidem, vel ſecundùm ſacerdotalem ſortem Neophytus, *Ne inflatus in judicium incidat, & laqueum Diaboli*, ſicut dicit Apoſtolus. Prioribus ergò Canonibus concordantes, definimus neminem de ſenatoria dignitate, vel mundana converſatione nuper tonſum ſuper intentione vel expectatione Pontificatus vel Patriarchatus honoris Clericum aut monachum factum

ad hu-

ad hujuſmodi ſcandere gradum, licet ſingulos ordines Divini Sacerdotii plurimum temporis feciſſe probetur: Neque enim propter religionem, vel amorem Dei, aut propter expectationem tranſeundi viam virtutum, ſed ob amorem gloriæ ac principatus tonſus hujuſmodi reperitur. Magis autem coercemus hujuſmodi, ſi ab Imperatoria dignitate ad hoc compellatur. Si verò qui per nullam ſuſpicionem prædictæ concupiſcentiæ expectationis, ſed propter ipſum bonum humilitatis, quæ eſt circa Chriſtum Jeſum, abrenuntians mundo fiat Clericus aut monachus, & omnem gradum Eccleſiaſticum tranſigens per definita nunc tempora irreprehenſibilis inventus extiterit & probatus, ità ut in gradu Lectoris annum compleat, in Subdiaconi verò duos, ſitque Diaconus tribus, & Presbyter quatuor annis, benè placuit huic ſanctæ & univerſali Synodo eligi hunc & admitti. Circa hos autem, qui religiosè morati in ordine Clericorum & monachorum, digni judicati ſunt Pontificatus dignitate pariter & honore, prædictum tempus abbreviamus, nimirùm ſecundùm quod Epiſcoporum Prælati probaverint, qui per tempora fuerint. Si verò præter hanc definitionem noſtram quiſquam ad jam fatum ſupremum honorem provectus extiterit, reprobetur, et ab omni ſacerdotali operatione prorſus abjiciatur, utpotè qui extra ſacros Canones ſit promotus.

SCHOLION.

SEcundum Nicænum de quoad fidem Chriſtianam, ac decimum Sardicenſem de quoad clericalem ſortem neophytis Canonem innovat noſtra Synodus; idque adversùs Photium, ſubitò factum ex laico Epiſcopum, garrientemque Sardicenſes Canones nunquam obtinuiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana. Sardicenſis, inquam, Canon innovatur adversùs peſſimam Græcorum conſuetudinem, de qua in præſentis Synodi præfatione Anaſtaſius Biblinthecarius. *Tantùm hujus ambitionis pullulavit longè latèque temeritas, ut mox Hieroſolymis quidam laicus, nomine Salomon, extemplò Clericus factus, ſit ordinatus Antiſtes, quod numquam factum eſt etiam ab ipſo Jacobo, qui primus illic Epiſcopus extitit, niſi poſtquam Photius noviter in clero plantatus, & confeſtim Præſul factus auditus eſt. Apud Conſtantinopolim autem nonnulli ex tunc laici etiam virtutibus operam dabant, tantùm ut ad hanc ſacram poſſent pertingere dignitatem: At ubi pertingere nequiverunt, mox continentiæ frænis laxatis, in ſuis voluptatibus ire cœperunt, & quod non ſanctitatis, ſed avaritiæ cultores extiterint, protinus oſtenderunt, adeò ut diverſis modis à Romanis Miſſis horum quidam obtinere tentaverint, ne Regula promulgaretur, quæ tunc de non repentè ſæcularibus in Sacerdotium provehendis in hac Synodo promulgata eſt. Prætereà penes Alexandriam & Antiochiam in tantùm radix hujus peſtis excrevit, ut à tempore promotionis dicti Photii hactenùs expelli non poſſit.*

Quin immò Zacharias Chalcedonenſium Metropolita Photianus ad Baſilium Auguſtum & omnem præſentem Synodum non erubuit adversùs Sanctum Nicolaum Pontificem blaterare: *In eo, quod dicit non debuiſſe Photium ex laicis provehi, conſecrantes quidem cautos reddit, conſecratum autem non damnat; conſuetudo Canonem illam temperavit*. Oſtendere conatur Tharaſii, Nicephori, Nectarii, Thalaſſii Cæſareenſis in Cappadocia, ac Sancti Ambroſii exemplo, & addit; *Atque alii mille*. Peſſimæ apud Græcos conſuetudinis cauſam aperit in litteris ad diœceſeos Conſtantinopolitanæ Archi-Epiſcopos ac Epiſcopos laudatus Pontifex Nicolaus, quod Neophytis Epiſcopis, è palatio præſertim adſumi conſuetis, Græcorum Auguſti deſpoticè imperarant, Eccleſiaſticam poteſtatem tenerent ſub pedibus, & cum Leone Iſauro dicerent: *Rex ſum & Sacerdos*. Et hìnc non præſentem ſolummodò Canonem edidit noſtra Synodus, ſed & omnes Phntianos Epiſcopos adegit ad ejerandas Neophytorum promotiones. Act. 5.

Malum in Eccleſia Conſtantinopolitana à Nectario olim ſine ſequela cœptum revixit in Paulo tertio Patriarcha, quem ex Auguſti ſecretis adſumptum Sanctus Nicephorus in chronico teſtatur. Quin & idem ipſe Sanctus Nicephorus, ac ejus proximus Anteceſſor Sanctus Tharaſius fuere ex eiſdem ſecretis promoti, & Adriani primi Pontificis ad ſeptimam Synodum querimoniæ non fuerunt auditæ, de quibus pergit Anaſtaſius Bibliothecarins. *In ſeptimæ Synodi codice, quia ſæpè contra Canones Conſtantinopoli ex Neophytis Antiſtites provehuntur, & eo tempore Tharaſius ex laicis Patriarcha fuerat ordinatus, ità Epiſtolam beatæ recordationis Adriani Papæ exiſtimant tranſcribendam, ut nihil in ea ex his, quæ ad prædi-*

ctum

dum Præſulem contra Neophytos idem Pontifex ſanctiſſimus ſcripſerat, vel ſcriptum vel tranſlatam græcè reperiatur. Quod nempe Græci generalium Synodorum Acta ſint adſueti minuere, addere, mutare. Quod adversùm Tharaſii & omnium generaliter Neophytorum promotionem Pontifex ſcripſerat, Legati ejus diſpenſatorio reparandæ fidei amore permiſerunt ad ſeptimam Synodum non legi, quod nempe ſponderent Græci nullum deinceps Epiſcopum è laicis ordinandum.

Porrò Canon noſter, licèt ſolas Epiſcopales è laicis promotiones damnare videatur, omninò tamen damnat etiam Presbyterales ac Diaconales. Liquet ex Adriani ſecundi Pontificis ad Sanctum Ignatium Patriarcham litteris, exſtantibus poſt Synodum præſentem: *Intelleximus & alia multa à vobis contra Patrum decreta fieri, inter quæ & hic eſt, nuper quoſdam contra ſtatuta Patrum priſcorum & Synodi Oecumenicæ proximè celebratæ ex laicis repentè Diaconos creatos, cùm ſciatis Photii cauſam inde originem traxiſſe*. Patriarcha Ignatius erat vir ſanctiſſimus, attamen homo Græcus, de quibus ad Baſilium Auguſtum, ejuſque filios Conſtantinum ac Leonem ſcribit idem Adrianus: *Nobis moris non eſt, ut pro libitu proprio Paternis ſanctionibus abutamur, quemadmodùm quibuſdam, qui apud vos ſumma rerum Eccleſiaſticarum gubernacula moderantes, tunc Synodorum ſtatuta, vel etiam Apoſtolicæ Sedis decreta proferant, cùm vel alios lædere vel juvare cupiunt; & hæc tunc ſub ſilentio tegunt, quando fortaſsè contra ſe vel pro aliis proponerentur*. Octavam Synodum difficultatibus pleniſſimam, & immenſos ante ipſam labores pro ſolo ferè Sancto Ignatio fecerat ac ſubierat Romana Eccleſia: Et ecce immemor ille ſeu ingratus ſpernebat hunc capitalem Canonem, ſimilis quibuſdam hodie orthodoxis Germanis, pro quibus ſacroſanctam Tridentinam Synodum ineffabilibus labore ſe impenſis coegit ac perfecit eadem Romana Eccleſia, doletque ejus ſanctiſſimos ac penitùs neceſſarios morum Canones ab illis minimè ſervari.

Eadem Neophytorum, Palatinorum præſertim, promotio graſſabatur in Francia. Etenim pro Berno, Caroli Calvi Regis conſanguineo, ad Auguſtodunenſis Eccleſiæ Epiſcopatum nominato, apud Sanctum Lupum Ferrarienſis monaſterii Abbatem ſcribit ad Lugdunenſem Archi-Epiſcopum, qui illum conſecrare recuſabat, Sanctum Amulum Wenilo Archi-Epiſcopus Senonenſis. [Epiſt. 81.] *Veſtræ Prudentiæ dominus Rex noſter nobis juſſit ſuggerere, non eſſe novitiam aut temerarium, quod ex palatio honorabilioribus maximè Eccleſiis procurat Antiſtites. Nam Pippinus, à quo per maximum Carolum & religioſiſſimum Ludovicum Imperatores Rex noſter ducit originem, expoſita neceſſitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum ejus conſiliariorum decedentibus Epiſcopis mederetur*. Rogat Wenilo, ut hocce Apoſtolicum privilegium & Regiam dignitatem, cui ab omnibus hucuſque Metropolitis fuerat delatum, Amulus dignetur non exſufflare. Sancti Bonifacii Apoſtoli noſtri & Pippini Regis temporibus in milites, ſcortatores, ac omnigenam facinorum & flagitiorum voraginem ad uſque amiſſam Chriſtianitatem demerſus erat omnis Franciæ Clerus: Hinc iſtiuſmodi indultum poſſit Zacharias Pontifex uſque ad meliora tempora feciſſe. Attamen non tam Palatinos nobiles, quàm fiſcales ſervos tunc paſſim fuiſſe Epiſcopatibus impoſitos audivimus ſuprà à chronico Thegani. Ceſſabat jam iſta miſeria, ideòque Amulus meritò cenſuit non eſſe deinceps indulto locum: Præſertim quod Carolus Calvus imperitos ac variè indignos Neophytos non raro nominaret. Verùm Caroli, quam Amuli erat major potentia. Et hinc hujus ſucceſſor Sanctus Remigius, & cum ipſo omnis tertia Valentina Synodus eidem Regi ſupplicavit, quatenùs liberam Epiſcoporum electionem Clero ac populo ſemper permitteret, [Cap. 7.] & addidit. *Si à ſervitio pii Principis aliquis Clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Epiſcopus*, ſolicitè per Metropolitam & Comprovinciales collegas de ſcientia & moribus examinetur, nec niſi plenè capax ac dignus admittatur, de quo Metropolita tenetur etiam Principi reſiſtere in faciem, & Deo ac hominibus reddere rationes. Non laicum, ſed ſolum Palatinum Clericum, utique Presbyterum aut Diaconum, permittit à Rege ad Epiſcopatum adſumi: Et hocce ſtatutum præſens Canon confirmat. Confidenter hoc in puncto jubebat Romana Eccleſia. Cauſam dat incogniti Auctoris de Photii Pſeudo-Synodo admonitio: *Quod in Romana Eccleſia laicus aliquando ſit Pontifex electus, falſum omninò eſt*. Lucet ex Stephani quinti & Romani populi adversùs Conſtantinum è laico intruſum in Sedem Apoſtolicam Actis, videndis in libro Pontificali apud Anaſtaſium Bibliothecarium, & apud Auxilium Presbyterum in Apologia pro Ordinationibus Pontificis Formoſi. [L. 2. [illegible]]

Addit Canon nullum Palatinum, cui obtinendi quandoque Epiſcopatus ſpes aut promiſſio facta ſit à Principe, ſeu ſubitò ſeu gradatim per canonica in quovis Ordine interſtitia poſſe ad dignitatem iſtam promoveri, ſed perpetuò ac indiſpenſabiliter eſſe illius incapacem atque irregularem. Quomodò Neophytorum promotiones, ità Palatinis à Principe factas Epiſcopatuum promiſſiones voluit penitùs ab Eccleſia proſcriptas. Cauſam dat in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem Sanctus Petrus Damiani: *Nunquam* [L. 5. Epiſt. 13.] *Clementia veſtra vel fieri vel eſſe patiatur Epiſcopum, quem ad honoris culmen conſtiterit adſcendiſſe per præmium, vel etiam, quod damnabilius eſt, per curialis obſequii famulatum. Abſit enim, ut qui Prælationis ambitu ſæcularem colait Principem, ſpiritualem Eccleſiaſtici culminis obtineat dignitatem*. Et Prophetam omne munus accipi viro juſto interdicentem exponens ſcribit ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales Epiſcopos. *Planè Prophetica* [L. 1. Epiſt. 1.] *illa ſententia ſic exponitur, ut tria dicantur eſſe munerum genera: Scilicet munus à manu, munus ab obſequio, munus à lingua. Munus à manu pecunia, munus ab obſequio ſubjectionis obedientia, munus à lingua eſt favor adulationis*. Munus ab obſequio dari ait præſertim ab illis, qui naciſcendæ dignitatis ambitu Principis comitatum ſequuntur.

Quæ

Quæ omnia repetit in litteris ad Bonifacium Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, & in litteris ad Aripandum monachum, conſtanter adſeverans à munerum iſtorum quovis committi plenam ſimoniam. Præſertim per munus ab obſequio. Nam qui Principi ſive in palatio, ſive in aliis negotiis ſervit, non poſſit non & adulationibus vacare, & magnas in ejus gratiam impenſas ſubire, atque ità hæc ex Eccleſiaſticæ dignitatis deſiderio agens, non unicam, ſed triplicem incurrit ſimoniam. Et qui nummos aut lenocinantem linguam donat, donat quid extraneum; at qui obſequium impendit, donat Principi ſemetipſum. Et in his non requiri explicitum, ſed omninò ſufficere pactum implicitum, laudatus Petrus ſolidè oſtendit. Ab hac igitur quantò doloſiori, tantò pejori ſimonia expurgans Eccleſiam noſter Canon, quemvis Regia Epiſcopatus promiſſione donatum Palatinum facit dignitatis iſtius, etiam per legitima tempora ac interſtitia accipiendæ, omnimodis incapacem. Ejuſmodi namque promiſſio, licèt & ſimoniæ & ambitus poſſit eſſe expers, utriuſque tamen vitii laborat ſuſpicione, quam Canon eſſe facit præſumptionem juris ac de jure. Ex ipſo deſumpſit Reſcriptum ſuum Innocentius tertius, quò apud Gregorium nonum caſſavit Abbatialem Electionem neſcio cujus, *qui ſpem vel promiſſionem habens, ut Abbas fiat, fuerat monachatus*. Qui pro Abbatia adipiſcenda ſemetipſum monaſterio dederat, manifeſta ſimonia laborabat.

Epiſt. 3. L. 6. Epiſt. 17.

L. 2. Epiſt. 2.

L. 1. tit. 6. c. 37.

Pergit Canon: *Magis coercemus hujuſmodi, ſi ab Imperatoria dignitate ad hoc compellatur*. Cauſam dat prima Actio ſynodalis. *Photius malignitate ac nequam opere plenum interiorem hominem habens, qui propter ambitum & amorem gloriæ, & ut vocaretur Rabbi, bonum ſe eſſe fingebat, & habitum & formam pietatis habere ſimulabat. In quibus & tunc imperantes traduxit, & per humanam machinationem & Regiam poteſtatem atque potentiam, Eccleſiam Conſtantinopolitanam obtinuit, legitimo Paſtore illius ſanctiſſimo Patriarcha Ignatio iniquè dejecto.* Imitatus fuerat Photius Arianos in Synodo Mediolanenſi Epiſcopos, de quibus ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Sanctus Sulpitius Severus Archi-Epiſcopus Bituricenſis: *Epiſtolam ſub Conſtantis Imperatoris nomine emittunt omni pravitate refertam, eo nimirùm conſilio, ut ſi ea æquis auribus populus recepiſſet, publica authoritate cupita proferrent; ſin aliter fuiſſet excepta, invidia eſſet in Rege, & ipſa venialis.* Omnem Regum in res Eccleſiaſticas violentiam fuiſſe paſſim inſtigantium Epiſcoporum doloſas machinas poſſit exemplis plurimis oſtendi. Et ſacras Principum juſſiones jam pridem in Leone Iſauro excuſſerat Romana Eccleſia: Hanc libertatem Canon firmat.

Statuit inſuper nova ſingulorum Eccleſiaſticorum Ordinum interſtitia, præſertim pro Palatinis recta via citra Epiſcopatus promiſſionem aut ſpem in Clerum aut monaſticam ſanctitatem adſcendentibus, ob nullam in ipſis cauſam diſpenſanda. In Subdiaconatu maneri mandat per biennium. Ex quo patet morem, à Symeone Theſſalonicenſi Archi-Epiſcopo in opere de ſacris Ordinationibus memoratum, quo Græci Lectori in Diaconum electo dant ſimul Subdiaconatum ac Diaconatum, eſſe novum ac noſtra Synodo poſteriore.

CANON VI.

Quoniam quidem apparuit Photius poſt prolatam contra ſe juſtiſſimam ſententiam, et damnationem à ſanctiſſimo Papa Nicolao propter nequiſſimam invaſionem Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ cum aliis malis operibus ſuis, etiam quoſdam nequam et adulatores de plateis et vicis inveniſſe, et Vicarios hos ſanctiſſimarum trium Patriarchalium ſedium Orientis nominaſſe ac propoſuiſſe, atque cum his Eccleſiam malignantium et Concilium vanitatis colligens, depoſitarias accuſationes et crimina contra beatiſſimum Papam Nicolaum commoviſſe, et anathema procaciter et audacter contra eum, et cunctos communicantes ei ſæpè promulgaſſe, quorum quaſi monumentorum libros nos quoque vidimus, ab ipſo maligno opere ac fallaci dictatione conſutos, qui etiam ſynodicè ab igne conſumpti ſunt: Hujus rei gratia pro cautela Eccleſiaſtici ordinis anathematizamus quidam primitùs prædictum Photium etiam propter hujuſcemodi cauſam; deinde verò et omnem, qui à modo in calliditate fraudulenter egerit, et verbum veritatis adulteraverit, et falſos

Vicarios

Vicarios ſimulaverit, vel libros dictatus mendacis finxerit, et ad propriorum favorem votorum commentatus fuerit, quemadmodùm et fortiſſimus pietatis athleta Martinus, ſanctiſſimus Papa Romanus, tales ſynodicè pepulit.

SCHOLION.

A Canone damnatam Photii nequitiam exponit in Sancti Patriarchæ Ignatii vita Nicetas Paphlago, agens de duabus iſtius fictis ac imaginariis Synodis, altera in laudatum Ignatium, altera in Sanctum Pontificem Nicolaum. *Alter ſynodicus liber in Nicolaum pontificem Romanum tela torquebat, omniſque generis calumnias & atrocia maledicta in illius Sancti exauctorationem & damnationem complectebatur, miro & tragico propè modo concinnatus. Sanè dictantis Stygii Doctoris magiſterio & Photii miniſterio dignus.* Et in litteris ad Manuelem Patricium Dromi Logotheta, exſtantibus poſt præſentem Synodum. Metrophanes orthodoxus Metropolita Smyrnenſis. *Photius cùm intellexiſſet Legatos Pontificis Romani in Bulgariam miſſos Confirmationem ejus reprobaſſe, omneſque Bulgariæ Principes & ſubjectos Chriſmate iterùm inunxiſſe, velut œſtro percitus Œcumenicam Synodum confinxit, cui, qui tunc imperabant, Michaelem & Baſilium noſtrum Præſides induxit: Orientis etiam trium Patriarcharum Vicarios, ac totum Senatum Palatinum, & Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopos. Nec non accuſatores inſtituit, qui Nicolai Papæ ſcelera exponerent, & declararent, judiciumque Synodi publicum implorarent, teſteſque adhibuit, qui accuſantium calumnias confirmarent. Atque ipſe quidem ficta erga Papam pietate reſpondebat non eſſe abſentem judicandum, interimque orationes contra Papam adſidentium ſibi Antiſtitum, quaſi repugnantium ſibi inferebat, quibus ſcilicet victus accuſationes admiſerit, cauſamque cognoſcere cœperit. Itàque tandem ſexcentis obrutum falſis criminibus Nicolaum damnat, atque anathema in illum ac cum illo communicantes conjicit, confictis omnium, qui per ejus ſomnia erant in conciliabulo, ſubſcriptionibus, nempe duorum Imperatorum, & trium Vicariorum Orientis, totius Senatus, & Hegumenorum & Clericorum.* Et in præſentis Synodi præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius. *Photius Conciliabulum Præſidente Michaele Auguſto colligit, falſos homines quaſi Vicarios Orientalium ſedium format, accuſatores muneribus armat, & mendaciis conſtruit, teſtes eos adſciſcit quos & accuſatores opponit. Judices nonnumquam & in accuſati perſonam admittit, exceſſus quoſvis quaſi præfati ſummi Pontificis fingit, impingit, & ſicut putabat, damnatione ſimul & anathemate punit: Cunctis, qui aderant, exceptis perpaucis, & his fautoribus impietatis, clamantibus non eſſe juſtum in ſummum & primum Pontificem, & præſertim ab inferiori quomodolibet, ſententiam proferendi, cùm id nec Canon quiſquam admittat, nec aliqua Eccleſiæ conſuetudo fieri doceat. Verùm iſte falſarius falſorum exceſſuum adversùs inſontem abſentem & invictum, mendacem codicem compilat, mille circiter Antiſtitum ſubſcriptiones interſerit, ſibi nemine prorsùs conſentiente vel conſcribente ex numeroſa illa Epiſcoporum multitudine, niſi uno & viginti Præſulibus. Undè jam profuſiùs ſancti habitus viri eum fugiunt, & quaſi ſqualorem quemdam declinant, alterum Dioſcorum hunc appellantes & præcurſorem Anti-Chriſti, immò ipſum Anti-Chriſtum exiſtimantes.* Et Synodi præſentis Epiſtola Encyclica. *Photius linguam exacuit adversùs beatiſſimum Papam Nicolaum, & quemadmodùm fabulæ Hippocentauros & tragelaphos fingunt & formant, ità quoque & ipſe ſtercorales quoſque & ſubulcos à plateis conductos viros, & Vicarios eos aliarum trium ſedium appellans atque proponens, præſumpſit ſynodale imaginari judicium, perſonas accuſantium, & accuſatorum, & teſtium, & Imperatorum, & Magnatum, & Metropolitanorum, quaſi inſuſpectas fingens & ſimulans & hujuſmodi, ut putabat, depoſuit inverecundè, & anathemati ſubmiſit beatiſſimum Papam Nicolaum, & omnes illi communicantes, neque ſummitati ejus, neque Eccleſiæ parcens, quæ illi magno Pontifici communicabat.* Realis Synodus Romani Pontificis damnationem, ut Euſebianæ factionis ac Dioſcori facinus à Sardicenſi & Chalcedonenſi Synodo damnatum, fuerat deteſtata; hinc imaginariam Photius finxit, & nonniſi viginti & unum Pſeudo-Epiſcopos potuit inducere ad illi ſubſcribendum.

Michaelis Patriarchæ Alexandrini fictus Vicarius fuerat quidam Leontius, homo Græcus, qui neſcio qua captivitate ſolutus, Alexandriam primò, ac indè Conſtantinopolim acceſſerat mendicaturus, Antiochenæ quidam Georgius, ſedis Hieroſolymitanæ Vicarius fuerat quidam Sergius, à Conſtantino Antiochenæ Eccleſiæ Œconomo ad Michaelem Auguſtum miſſi ob poſtulandas benedictiones, ſeu eleemoſynas pro miſerandis iſtarum regionum fidelibus, gementibus in extrema inopia ſub Saracenis. Erant laici, imperiti, ruſtici, ſtercorales, bubulci, de plateis & mendicorum medio adſumpti: At quia à Patriarchalibus civitatibus venerant, eos auro emptos angariavit Photius, ac ipſorum ut Patriarchalium Vicariorum nomina imaginariæ ſuæ Synodo ſubſcripſit. Rectè in Actione nona ad Joſephum Eccleſiæ Alexandrinæ Archi-Diaconum & Legatum dixere Legati Romani: *Ecce, cariſſime frater noſter, agnoviſti Photii maligna opera & verſutias, & quia doloſus erat, & veritas non erat in eo.*

Eoſdem ſtercorales Vicarios cum imaginaria Synodo Romam ad Clerum & populum, nec non ad Ludovicum ſecundum Imperatorem, Ludovici Pii ex Lothario filio nepotem Photius miſit in Longobardiam, de quo facinore pergit laudatus Metrophanes. *Hunc in modum compoſitis*

cunctorum

Digitized by Google

tunctorum ſubſcriptionibus , *Imperatorem Ludovicum & Ingilbertam* ejus uxorem *adclamavit Auguſtam*, *ad eamque litteras laudum pleniſſimas dedit*, *quibus oſtendebat illam non minus*, *quam Pulcheriam dignam fuiſſe*, *cujus præconium in Œcumenica Synodo proclamaretur*. *Obſecrabat etiam & conabatur efficere*, *ut conjugi Ludovico auctor eſſet Nicolai Papæ Romani*, *velut ab Œcumenico & Catholico Concilio depoſiti*, *ab urbe pellendi*. Françis à Leone tertio Pontifice delatum Occidentis Imperium agnoſcere huc uſque detrectarant Imperatores Conſtantinopolitani : Hinc verſipellis adulator Photius Ludovicum in nugatoria hac Synodo per imaginarias acclamationes agnovit Auguſtum, effuſo hoc peccatoris oleo conatus juvenem Principem circumſctibere ad phantaſmata ſua in Nicolaum Poatificem exequenda. Et quomodò in paradiſo Adamum diabolus per Hevam cepit, ità Phntius per Ingilbertam, ſexum humani diei appetentiorem, tentavit deludere Ludovicum. Addit Nicetas Paphlago. *Regem Franciæ Ludovicum & Ingilbertam Reginam conjugem ſollicitat Photius*, *& Imperatores Conſtantinopoli creatum iri pollicetur*, *ſi operam navarent ad impium ſuum conatum exequendum*, *& virum juſtum Nicolaum Pontificem eu Eccleſia ſua exigendum*. *Eis verò dicto citiùs pollicentibus*, *fruſtrà ſtultitiam ſuam oſtentabat*. Ità non ſuam ſolummodò nequitiam, ſed & Ludovici impiam vanitatem ac fœdam ingratitudinem in Sedem Apoſtolicam detexit. Michael Auguſtus Conſtantinnpolitanus, nomine & re ebrioſus, erat improlis ac in ſurias actus: Hìnc Ludovico ſpes de nugivendi Photii ptomiſſis.

Verùm quomodò tres Orientales ruſtici ac mendici has momentoſas ſtrophas apud Francorum Auguſtum exequerentur? Exponit Nicetas Paphlago. *Hos libros cùm impudens Photius deſcribendos curaſſet*, *Zachariæ* Copho, Chalcedonenſium in Bythinia, *ac Theodoro* Laodicenſi in Phtygia Pacatiana Trimitaria Epiſcopis Metropolitanis, *cum ſingularibus laudum encomiis*, *multiſque ac ſplendidis muneribus ad Ludovicum Franciæ Regem deferendos dedit*, *ut is Nicolaum Pontificem velut exautboratum throno extruderet*. Quocircà fictos Vicatios videtur dumtaxàt Romam miſiſſe, ſparſuros iſtic fictæ Synodi Acta, atque ità Romanum populum à Pontificis communione abſtracturos. Rei modum in octava præſentis Synodi Actione confeſſus eſt Leontius, fictus Vicarius Alexandrinus. *Photius miſit me Romam*, *ut quidquid dicerent* duo jam memorati Pſeudo-Metropolitæ *facerem* ; *Deus autem novit*, *quia ſicut pecus deſcendebam*, *nihil ſciens*. Et Georgius ac Sergius, ficti Antiochiæ ac Hieroſolymæ Vicarii. *Coacti & inviti deſcendebamus Romam*. *Dixit enim nobis Photius* : *Quia apparuerunt Romæ capitula contra Papam Nicolaum*, *ite & certificamini ſi ſint veracia*. *Nos verò diximus* : *Homines ruſtice ſumus*, *ſi pervenerimus Romam*, *quam dabimus rationem? Ille dixit nobis* : *Quia docent vos Epiſcopi quæ debeatis dicere*.

Ob hos igitur in ſanctum Pontificem nequiſſimos dolos Photium præſeas Canon anathematizat, id eſt, non ſolo invaſo Epiſcopatu privat, ſed & ipſo nomine Chriſtiano. Nempe perduellis & adversùs Synodum ac Romanam Eccleſiam ad Cannnes appellans permanſit Photius, atque ità antiqui, ex Sancto Athanaſio frequentet laudati Canonis, qui hæreſeon aut ſchiſmatum primis auctoribus laicam communionem indulget, gratia ſuit omnimodè indignus. Ipſi tamen ficti Vicarii nnn fuere anathematizati. Cauſam dant in Actione nona Legati Apoſtolici : *Hos homines*, *cùm ſint pauperes & peregrini*, *judicamus venia dignos propter violentiam*, *quam ſe pertuliſſe confeſſi ſunt*. Etiam præſentem Synodum profeſſi, Photium & omnia ejus impia Acta anathemate damnarunt. Hæc omnia Canon damnat ex Sancti Martini primi Pontificis Canone, damnante varium falſi genus, ac exſtante in Actione octava. Nempe ſimiles ille nequitias paſſus fuerat à Monothelitis.

Hæc noſtri Canonis de imaginaria Synodo verba, *Qui etiam ſynodicè ab igne conſumpti ſunt*, exponit Nicetas Paphlago. *Hæc volumina Imperator Baſilius Photio erepta priùs ad Senatum & totam Eccleſiam palàm detulit*, *atque ità omnes illius machinationes & impiam conſcientiam omnium oculis & toti reipublicæ ſpectandam propoſuit*. *Quibus viſis & auditis attoniti omnes obſtupuere non ſolùm propter perverſam Sophiſtæ mentem*, *verſutamque verboſitatem*, *ſed etiam ob incredibilem Dei patientiam & diuturnam vindictæ dilationem*. *Hoſce libros ad Œcumenicam poſteà Synodum delatos*, *auctorique præſenti cum probro ob os obtruſos igni tradiderunt*. Factum id fuit in Actinne octava, ex mandato Adriani ſecundi Ponrificis, qui ejuſdem figmenti exemplatia jam pridem damnatat & exuſſerat in Romana ſua Synodo, exſtante in præſentis ſeptima Actione, omnemque Clericum aut laicum, eadem figmenta detinentem, occultantem, non tradentem aut exurentem, ſubjecerat anathemati aut perpetuæ depoſitioni.

CANON VII.

QUod juſtum eſt, & juſtè exequendum Deiloquus Moyſes evidenter lege promulgat : Cùm bonum non ſit bonum, niſi ſecundùm rationem efficiatur. Bonum ergo profectò & valdè profi-

cuum eſt, ſanctas & venerabiles iconas pingere, ſed & proximos diſciplinas Divinæ ac humanæ ſapientiæ docere, non autem bonum eſt, nec omninò proficuum, ab indignis horum aliquid fieri. Hujus rei gratia nequaquam iconas operari in ſacris templis, ſed neque in quovis loco docere anathematizatos ab hac ſancta & univerſali Synodo, definimus & promulgamus, uſque quo à propria ſeductione ac malitia convertantur. Quiſquis ergo poſt hanc definitionem noſtram ad picturæ ſanctarum imaginum in Eccleſiis, aut doctrinæ actionem quoquo modo eos admiſerit, ſi quidem Clericus fuerit, proprio gradu periclitetur; ſi verò laicus, ſeparetur, & Divinorum myſteriorum communione privetur.

SCHOLION.

SAnctorum imagines eſſe indocti præſertim populi libros dixi jam frequenter, idenque ipſas pingere eſt eumdem populum omninò docere. Hinc à Photianis, quos docendi auctoritate privat, vetat eaſdem Canon fieri, atque ità avitam Eccleſiæ in ipſas reverentiam manifeſtat. Etiam Anaſtaſium Auguſtum, quod ſacras imagines à neſcio quo Perſa Presbytero Maniehæo pingi permiſiſſer, ſuiſſe ab Epiſcopis correptum ſcribit Georgius Cedrenus.

CANON VIII.

OMnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant, dicit alicubi Paulus magnus Apoſtolus. Igitur quoniam omnia ad utilitatem & profectionem ſanctæ Dei Eccleſiæ, & nihil omninò per contentionem vel inanem gloriam facere debemus; & quoniam auditibus noſtris fama ſonuit, quod non ſolùm hæretici, & ii, qui ſanctæ Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ Sacerdotium ſunt ſortiti, ſed & orthodoxi ac legitimi Patriarchæ à Sacerdotali catalogo propriæ manus ſcripta facere ad propriam tutelam, ſavoremque ſuum, & quaſi ſtabilitatem exigant & compellant; viſum eſt ſanctæ huic & univerſali Synodo, nequaquam id ex hoc à quopiam fieri, excepto eo, quod ſecundùm formam & conſuetudinem pro ſincera fide noſtra tempore conſecrationis Epiſcoporum exigitur: Quod enim aliter fit, omninò non expedit, ſed neque ad ædificationem Eccleſiæ pertinet. Quiſquis ergo auſus fuerit ſolvere hanc definitionem noſtram, aut expetierit, aut paruerit expetentibus, honore proprio decidat.

CANON

CANON IX.

VAriam & diverſam malitiam antiquitùs in Eccleſia Conſtantinopolitana infelix operatus eſt Photiius . Didicimus enim , quod & multum ante tyrannicum Præſidatum propriæ manus ſubſcriptionibus muniebat adhærentes ſibi clientes ad diſcendam ſapientiam , quæ à Deo ſtulta facta eſt , cùm manifeſtè nova eſſet inventio , & ſanctis Patribus noſtris & magiſtris Eccleſiæ penitùs aliena . Igitur quoniam omnem colligationem iniquitatis ſolvere , & chirographa violentorum contractuum dirumpere præcipimus , definivit ſancta & univerſalis Synodus , neminem ex his omnibus à nunc tale tenere vel ſervare chirographum , ſed abſque quolibet offendiculo indubitanter & intrepidè tam docere, quàm diſcere omnes, qui ad utrumque conſiſtunt idonei , præter eos , qui erroris inveniuntur et hæreticæ impietatis ſervituti redacti: Hujuſmodi enim certiſſimè et docere et diſcere interdicimus . Si quis autem deprehenſus fuerit hanc definitionem noſtram ſpernens atque prævaricans , ſi quidem Clericus eſt , à proprio gradu decidat ; laicus verò ſequeſtretur , utpotè qui non credit Dominico verbo perhibenti : *Quodcumque ligaveris ſuper terram , erit ligatum & in cælis , & quodcumque ſolveris ſuper terram , erit ſolutum & in cælis .*

SCHOLION.

HErodianis juramentis ſimplicem præſertim plebem in ſuam factionem circumſcribere eſt vetuſtiſſima nequitia hæreticorum ac ſchiſmaticorum . Etenim de Novatiano , primo Romanæ Eccleſiæ Anti-Papa , apud Euſebium Cæſareenſem Epiſcopum ſcribit ad Fabium Patriarcham
L. 6. c. 35. Antiochenum Sanctus Cornelius Papa . *Cùm feciſſet oblationem , ſingulis partem Sacramenti diſtribuiſſet , miſeros homines pro benedictione & gratiarum actione jusjurandum dare coegit , atque ſuis utriſque manibus manus accipientis prehendens non priùs dimiſit , quàm hoc jurejurando eum adſtrinxiſſet : Jura mihi per corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti te numquam nec me deſerturum , nec ad Cornelium reverſurum . Atque miſer homo non antè deguſtavit , quam ità illi ſe devoviſſet . Et qui illud acceperat , pro* AMEN, *quod dicere debuerat , hoc dixit :* NON DEINCEPS AD CORNELIUM REVERTAR . Similes conjurationes etiam apud Arianos , Donatiſtas , Iconoclaſtas , alioſque hæreticos viguiſſe eſt in ſuperioribus oſtenſum . Porrò de Photio ſcribit in præſentis Synodi præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius . *Præterea & aliud iniquitatis ſuæ retiaculum , quo mentes ſimplicium caperet , tenens , quotquot ad exteriorem ab eo diſciplinam inſtruendi veniebant , proprio ſcripto ſpondere cogebat ſe ſecundùm Photii fidem deinceps credituros , quaſi duæ eſſent fides , una ſcilicet Chriſti & altera Photii . Et hoc nihilominùs callidè molitus , ut communionis ſuæ quoſcumque vel quomodocumque laqueis irretiret , & eſſet impoſſibile unquam evelli , quem nimirùm conſtaret tot fixis hærere radicibus , dùm his nec aliam fidem , niſi quam ipſe teneret , habere quoquo modo licuiſſet . Quod maximum ſcandalum hominibus excitavit , dicentibus : Itàne ſi Photius hæreſiarcha fuerit , debent filii noſtri aut fidei Catholicæ deſertores eſſe , aut juramenti vel ſui chirographi tranſgreſſores ? Erant enim inter eos nonnulli clariſſimis natalibus oriundi .*

Harum exigendarum in ſcriptis profeſſionum radicem oſtendit Nicetas Paphlago , dicens Photium fuiſſe *Michaelis Auguſti Protoſpatharium , primum à ſecretis , minimè obſcurum & ignobilem , ſed claris ac illuſtribus oriundum natalibus , rerum civilium & politicarum uſu , prudentiaque & ſcientia clariſſimum* , & adjungens . *Grammaticæ litteraturæ , & carminis pangendi , dicendique laude , quin & Philoſophiæ & Medicinæ , & omnium propè liberalium diſciplinarum externarum ſtudio & cognitione tantoperè florebat , ut ævi ſui facilè Princeps haberetur , immò & cum veteribus jam certare poſſet . Omnia quippè in illo concurrerant , aptitudo quædam , & naturæ vis ac felicitas , ſtudium , opes quibus ſibi omnium librorum maximam copiam comparabat , & quod præ cunctis , gloriæ laudiſque cupido , qua incenſus totas noctes , ut lectioni aſſiduè*

diu vacaret, ducebat inſomnes. Addit noſtræ Synodi Epiſtola Encyclica. *Photius multa & varia ab ætate impubi contra pietatem adinvenit molimina, ſtolidis & nequam ſchiſmaticis concordans, & perſuaſoriis verbis multos ab ea ſequeſtrans, & in laqueum perditionis attrahens. Vocari autem Rabbi præter ætatem tota virtute tentans, quibuſdam propriis ſcriptis & chirographis, ſicut ſe, ſimpliciores quoque, quin potiùs leviores ſub prætextu quaſi diſcendæ diſciplinæ dialecticæ vinciebat.* Et infrà. *Cùm eſſet laicus, didaſcalicum ſibi nomen imponebat.* Ingenii ac generis opulentia inflatus Photius ab impubi ætate, laicus contra Canonem, liberalium artium Profeſſorem egit, illuſtres præſertim pueros in diſciplinam adlegit, & ad alium magiſtrum non declinare juramentis & chirographis adſtrinxit. Poſtmodùm etiam ad fidem & ſuam communionem cœpit cogere, præſertim ubi Gregorius Asbeſta Syracuſanus, Petrus Miſer Sardenſis, & Eulampius Apameenſis Epiſcopus ſeſe à Sancti Patriachæ Ignatii communione ſequeſtrarunt. Eis ſe adjungens Photius memorata chirographa non ſolummodò à pueris aut adoleſcentibus, ſed & ab Epiſcopis, Senatoribus, Palatio, nobilibus, ac omni plebe exegit, turbans omnem Conſtantinopolitanam Eccleſiam, atque ità ſibi grados fabricavit ad invadendum Patriarchatum.

Herodianum juramentum fuiſſe apud Iconoclaſtas, & varios item orthodoxos in erronea ac impia reverentia, eſt ſuprà oſtenſum. Errorem uſque ad Photii tempora in Regia civitate perſeveraſſe, liquet ex adductis verbis Anaſtaſii Bibliothecarii. Hinc in præſenti Synodo ad Epiſcopos Photianos chirographis polluros dixit Patricius Baanes. *Sanctus Imperator noſter jubet dicere ad*
Act. 8. *vos Epiſcopos, qui feciſtis injuſta chirographa, Quis infirmatur, & ego non infirmor? Languor & dolor veſter eſt meus. Et ideò conſilium do, ut quæ malè à vobis & vi acta ſunt, incendantur & exterminentur, non ſolùm ſenſibiliter, ſed providentia Dei etiam intelligibiliter.* Hoc eſt, non ſolummodò exuratur juramenti charta, ſed & omnis de ipſius obligatione error è cordibus & conſcientiis veſtris eradicetur. Exclamarunt doctiores Epiſcopi. *Hodie completur Divinæ Scripturæ ſermo, qui dicit:* DISSOLVE OMNEM COLLIGATIONEM INIQUITATIS, ET OBLIGATIONES VIOLENTORUM CONTRACTUUM, ET EVELLE OMNEM SCRIPTURAM INJUSTAM. Pergunt Acta ſynodalia. *Et jubente Baſilio, Chriſti amante & magno Imperatore, poſitum eſt in medio Synodi vas æneum ad id aptum, plenum igne: Et delata ſunt in marſupio à Theophylacto reverendiſſimo* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *Diacono & Referendario omnes tomi chirographorum, qui enacti ſunt à Photio, ab omni ſacrato catalogo & ordine Clericorum, tam magnæ Eccleſiæ, quam earum quæ foris ſunt, quamque etiam à magnis & parvis, & omnibus ſenatoriæ dignitatis, & cunctis aliis, tam illuſtribus quam ignobilibus, atque iis qui in omni arte ac diſciplina, & diverſo ſtudio eſſe videbantur, uſque ad bellarios & piſces vendentes, & lignarios, & acus facientes. Et accipiens Georgius Orphanotrophus reverendiſſimus ſingulos libellos & tomos, tribuit hominibus utrorumque ſanctiſſimorum Vicariorum, qui miſerunt omnia in ignem, & cremata ſunt, & redacta in nihilum.* Et hæc omnia à præſentibus Canonibus firmantur.

Hæc octavi Canonis verba, *Non ſolùm hæretici, ſed & ii, &c.* tendunt in Sanctum Patriarcham Ignatium, à Baſilio Auguſto, Nicolai Pontificis decreta exequente, reſtitutum in ſedem Patriarchalem. A ſubjectis ſibi Epiſcopis fuerat barbaricè damnatus, ejectus, & per violentiam coactus ad hanc ſcriptam profeſſionem: *Ignatius indignus Conſtantinopolitanus confiteor me non lege & ſuffragiis creatum Eccleſiæ thronum invaſiſſe, neque his annis Eccleſiam ſanctè & ritè rexiſſe, ſed tyrannidem exercuiſſe.* Hinc in ſedem repoſitus reddidit talionem, omneſque ſuos Epiſcopos chirographis adegit ad ſimile & præteritum & futurum attentatum ejerandum. Hoc fuit *propriæ manus ſcripta ad propriam tutelam, favorem, & ſtabilitatem exigere.* Nec aliæ Ignatio defuerunt rationes: Etenim non ità pridem Sanctus Nicephorus, & noviſſimè Sanctus Methodius păſſi ab Iconoclaſtis fuerant eamdem violentiam. Verùm enim verò erat cautela ab avitis Eccleſiæ moribus aliena, & in Photianam nequitiam facilè vertibilis, ideòque illam & à Patriarchis exigi, & ab Epiſcopis præſtari Canon vetat, idque ſub pœna perdendi Epiſcopalis honoris, ſola fidei & obedientiæ, quam ab avitis temporibus in ſua conſecratione Epiſcopi faciunt, profeſſione volens Patriarchas eſſe contentos.

Hæc noni Canonis verba, *Tam docere quam diſcere omnes, &c.* Regiæ civitatis juventutem Photianis chirographorum laqueis ſolvunt, donant pleniſſima alterius ſcholæ & magiſtri eligendi libertate, nec non Photii ſequacibus ac omnibus generaliter hæreticis auferunt non ſolam docendi, ſed & diſcendi facultatem: Eamque vetuſtiſſimam & probatiſſimam Regulam etiamnùm hodie in hæreticorum medio conſtantiſſimè ſervat noſtra Lovanienſis Academia, neminem penitùs, licèt natalibus illuſtriſſimum, ad publicè aut pivatim diſcendum admittens, niſi Romanam fidem atque obedientiam ex Pii quarti Pontificis formula ſolenniter profeſſum.

Photiana chirographa fuiſſe à multis per vim extorta dixit veriſſimè Patricius Baanes. Etiam per tormenta, de quibus in præſentis Synodi præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius. *Photius alios privatione honorum & dignitatum, alios proſcriptione facultatum damnat, hos exilio longo & carceribus relegat, illos tormentis diverſis afflixit, atque ut breviter omnia comprehendantur, nulla profeſſio, ſexus, vel ætas ab eo impunita deſeritur, niſi conſors ſuæ communionis inventa, adeò ut communionem ejus declinantium monachorum nonnullos, quibuſdam exceptis, qui contemplationi operam dantes clauſi habebantur, abſtraxerit, alios in monte Olympo Eremiticam ducentes vitam fugaverit, eorumque tuguria ſeu ſpeluncas igni perdiderit, quemdam autem ſibi communicare renuentem etiam vivum ex inferiori parte uſque ad dimidium corporis ſepelierit.* Quid poſt Synodum noſtram & Sancti Ignatii mortem patrarit, audiamus à Niceta Paphlagone. *Ad Joannem Papam octavum ſcripſit ſe per*

vim

olim à tota Eccleſia & tota Republica coactum, tribunal ſacrum denuò perinvitum conſcendiſſe. Atque ut mendacium in Epiſtola ſcriptum ſtabiliret, per Petrum à Secretis omnium Metropolitarum ſigna furatur, adeòque ipſos ſibi Metropolitas ſuſfuratur ignaros, ſe libello ſubſcripſiſſe, cùm arcanum fundi emptionem prætendiſſet. Tantum ille & tam inſignis fraudum omnium & nequitiarum artifex erat.

CANON X.

DIvina manifeſtò clamante Scriptura, *Ante examinationem, ne vituperes; Et intellige primùm, & tunc increpa: Et numquid lex noſtra judicat hominem, niſi priùs audierit ab eo & cognoverit, quid faciat?* Juſtè & congruenter & hæc ſancta & univerſalis Synodus definit & ſtatuit, quod nullus laicorum vel monachorum, aut aliquis ex catalogo Clericorum ante diligentem examinationem & ſynodicam ſententiam à communione ſe ſeparet proprii Patriarchæ, licet criminalem quamlibet cauſam ejus ſe noſſe prætendat; ſed neque recuſet nomen ipſius referre inter Divina myſteria vel officia: Similiter autem Epiſcopos & Presbyteros, qui in exterioribus civitatibus & regionibus ſunt, erga proprios Metropolitas affectare mandamus: Quod etiam circa Patriarcham ſuum facere Metropolitas oportet. Si verò quis adversùs hanc ſanctam Synodum deprehenſus fuerit agere, ſi quidem Epiſcopus aut Clericus eſt, ab omni ſacerdotali operatione decidat & honore; monachus autem aut laicus ſegregetur ab omni Eccleſiaſtica communione atque collegio, quouſque converſus per pœnitentiam recipiatur.

SCHOLION.

EPiſcopum à propriis ſubditis judicari, damnari, poniri vetat ipſa naturæ lex: Antiqua Romanæ Eccleſiæ Regula prohibet item accuſari. Etiam ab aliena Synodo, utpotè judicio peregrino, judicari interdicit Canon Apoſtolicus, innovatus & confirmatus à ſexto Nicæno. At quid ſi extra Synodi ſuæ tempus aut legitimi ſuperioris oculos Epiſcopus, Metropolita, Primas, aut Patriarcha palàm impingat in Regulas, patrans opera ſcabioſa, de quibus dici queat: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea?* Tum & proprius & alienus ſeu Clerus ſeu populus nomen ejus ad Divina non recitabat officia, & ſeſe ſeparabat ab ejus & Eccleſiaſtica & civili communione. Ex Regula Apoſtolica: *Cum ejuſmodi nec cibum ſumere*. Ità diœceſeos ſuæ Africanæ fidelibus frequenter Primatiali auctoritate inculcat Sanctus Cyprianus, ne ſuis in idololatriam aut hæreſim lapſis Epiſcopis in humanis aut Divinis communicent, quod eorum omnia, etiam ſacrificia, ſint ſcabioſa & contagioſa, ac offerentis vitia in omnes illis adſiſtentes aut participantes traducant. Et ipſi Sancto Cypriano, ut neophyto contra Canones Epiſcopo, quinque Presbyteri Carthaginenſes, Feliciſſimo Diacono adhærentes, communicare noluerunt. Et apud Sanctum Epiſt.46. Ambroſium populus Veronenſis Syagrio Epiſcopos, niſi de lapſu ſuſpectam ſacram Virginem aut purget aut puniat, minatur ſcindere communionem. Etiam quibuſdam Hieroſolymæ monachis fuiſſe cum Joanne ſuo Epiſcopo communionis diſcordiam ſcribit Sanctus Hieronymus, Epiſt.61. c. 2. 3. eamque, quod ſe ille ab Origeniſtico dogmate non demonſtraret innoxium, legitimam L.2. c.24. adfirmat: Et apud Hermiam Zozomenum Callinicus Peluſii Metropolita Sancto Athanaſio Patriarchæ ſuo communicare recuſat, quouſque ille fracti altaris & calicis famam diluiſſet. Addit de Euſebio Cæſareenſium in Cappadocia Archi-Epiſcopo, cujus odia fugiens Sanctus Baſilius Magnus, ejuſdem Eccleſiæ adhuc Presbyter, in Pontum ad monachos ſeceſſerat: *Populus Cæſareenſis Euſebium penitùs deſerere, & conventus ſeparatim agere conſtituit* L.6. c.15.. Quomodò Cappadociæ monachi ſeſe à Patris ſui Gregorii Nazianzeni Epiſcopi communione ſecreverint ob neſcio quas Arianiſmi ſuſpiciones, refert in orationibus de pace filius ejus Sanctus Gregorius Nazianzenus. Et de Neſtorio Conſtantinopolitano Epiſcopo,

qui

qui per blaſphemam Dorothei Marcianopolirani
Epiſcopi linguam in Eccleſia hlaterarat, *Si quis
Mariam Deiparam dixerit, anathema ſit*, ſcribit
in litteris, apud primam Epheſini Concilii par-
tem exſtantibus, ad Celeſtinum Pontificem San-
Epiſt. 14. ctus Cyrillus Patriarcba Alexandrinus. *Mox in-
gens univerſi populi clamor & diſceſſio conſecuta eſt.
Nolebant eum diutiùs cum eo communionem habere,
qui tali mente prædiius eſſet. Quin & hoc ipſo quo-
que tempore plebs Conſtantinopolitana à Synaxi abſti-
net. Abſtinent ab eadem omnia penè monaſteria,
Epiſt 21. eorum Archimandritæ: Abſtinet & major quoque
pars Senatus*. Quod ipſum ſcribit io litteris ad
Joannem Patriarcham Antiochenum, & Baſi-
Epiſt. 30. lius Eccleſiæ Conſtantioopolitanæ Diaconus &
Archi-Mandrira in precibus exhibitis Theodoſio
& Valentiniano Auguſtis confirmat. Et huc in
litteris ad ipſum Neſtorium reſpicit Celeſtinus
Epiſt. 28. Pontifex: *Tanto nunc horrore vitaris*. Et Edeſſe-
næ Eccleſiæ Cletici ia precibus pro Iba ſuo Epi-
ſcopo, de hac Neſtoriana blaſphemia, *Non invi-
deo Chriſto facto Deo*, accuſato, exhibitis Syno-
Act. 10. do Berytenſi, & in Chalcedonenſi lectis, prote-
ſtantur. *Anathematizamus noſmetipſos, & terribi-
li gehennæ obnoxios facimus, ſi novimus aliquid tale
dictum ab eo, aut aliud aliquid contrarium Catho-
licæ fidei. Si enim aliquo tali dicto acquieſceremus
aut communicare ei qui dixit, aut comminiſtrare in
ſacrificio, ultimo ſupplicio fuiſſemus obnoxii, tam-
quam communicantes tali execrationi*. Et ex hac
Regula ſuis io Regia civitate Apocriſariis Diaco-
nis, ne cum Joanne aut Cyriaco, Epiſcopis
Conſtantinopolitaois, profani, *univerſalis Pa-
triarcha*, vocabuli adſumptoribus, procederent
ſeu io ſacrificio mioiſtrarent, Pelagius ſecundus
& Saoctus Gregorius Magnus, Romaoi Ponti-
fices, prohibueruot. Ex eadem item ſtatuit Gre-
gorius ſeptimus, ne quis fidelis Presbyteri ſui,
notoriè ſimoniaci aut conjugati, audiret Miſ-
ſam, aot illi io ullo communicaret Sacramento.

Et hinc intelliges famoſam Arcadii, Hooo-
rii, ac Valentiniani tertii Auguſtorum, exſtan-
tem io Codice Theodoſiano, legem ad Euty-
L. 16 tit. 4. c. 6. chianum Prætorio Præfectum. *Rectores Provin-
ciarum moneantur, ut conventus eorum arceantur
illiciti, qui orthodoxorum religione ſuffulti, ſpretis
ſacroſanctis Eccleſiis, aliò convenire conantur: His,
qui ab Arſacii, Theophili, Porphyrii, reverendiſſi-
morum ſacræ legis Antiſtitum, communione diſſen-
tiunt, ab Eccleſia procul repellendis*. Theophilo
Alexandrino, qui Sanctum Joannem Chryſo-
ſtomum in Synodo ad Quercum damnarat, Por-
phyrio Antiocheoo, qui barbariem probabat,
& Arſacio Cooſtantinopolitano Patriarchæ, qui
expulſi Joaonis ſedem intruſus occuparat, com-
municare oolebat, & duras contentionum tur-
bas agebat fidelis populus, ideòque publica lege,
ſecundi & quinti Aotiocheni Caoonis executri-
ce, compeſcendum & reducendum Principes
judicarunt. Innumera hujus praxeos exempla
poſſunt adduci.

Neque ſolummodò erga Epiſcopos, Metropo-
litas, Primates, ac Patriarchas, ſed & erga
ipſum Romanum Pontificem ità olim fuit actum.
Etenim apud Sanctum Cyprianum Antoniaous,
neſcio cujus in Africa civitatis Epiſcopus, com-
monicare detrectabat Sancto Cornelio Papæ, qui
communicaſſe lapſis, & Trophymum Epiſco-
pum lapſum diceretur in Epiſcopalem gradum
contra Canones reſtituiſſe. Et de Anaſtaſio ſe-
cundo Pontifice ſcribit liber Pontificalis. *Multi
Clerici & Presbyteri ſe à communione ipſius erexe-
runt, eò quod communicaſſet ſine conſilio Epiſcopo-
rum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Eccleſiæ
Catholicæ, Diacono Theſſalonicenſi nomine Photino,
qui communis erat Acacio, & quia occultè voluit re-
vocare Acacium, & non potuit*. Quod Acacium
Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Sedi Apo-
ſtolicæ rebellem, ac Eutychiana commonione
pollutum, aut ejus oomen tecipere pararit, vel
ejus ſchiſma ſequentibus communicarit Aoaſta-
ſius, palàm errat liber Pontificalis; attamen in
præſenti puncto oſtendit vetuſtum Eccleſiæ mo-
rem, de quo pergit io vita Pelagii primi. *Multi-
tudo Religioſorum, Sapientum, & nobilium, ſub-
duxerant ſe à communione ejus, dicentes, Quia in
morte Vigilii Papæ ſe immiſcuit, ut tantis pœnis
affligeretur*. Et de Joanne ſecuodo Pontifice, ad
Juſtioiani Auguſti preces probante hanc propoſi-
tiooem. *Unus è ſancta Trinitate eſt crucifixus*, ſcri-
bit in Neſtorianæ ac Eutychianæ hæreſis Brevia-
rio Liberatus Diaconus Eccleſiæ Carthagioenſis. Cap. 20.
*Ab ejus communione diſcedentes Romæ quidam mona-
chi, Acœmetarum legatos ſecuti ſunt, & uſque nunc
hanc de Chriſto confeſſionem non recipiunt*. Idem
fuiſſe factum Symmacho Pontifici ac Adriano
ſecundo teſtantur tertia iſtius Romana Synodus,
& io hujus vita Guilielmus Bibliothecarius Ec-
cleſiæ Romanæ. Quod etiam Hugo Lugdunen-
ſis Eccleſiæ Primas à Victoris tertii communione
ſeceſſerit, habemus in hujus Synodo Beneveo-
tana.

Etiam Imperatorum ac Regum, quos ex cau-
ſis excommunicationis gladio ferire nolebant,
crimioa ſancti olim Epiſcopi ac fideles populi ità
vindicarunt aut compeſcuerunt. Etenim de Sao-
cto Martino Turonenſium Archi-Epiſcopo ſcri-
bit in ejus vita Sanctus Sulpitius Severus Archi-
Epiſcopus Bituricenſis. *Cùm ad Imperatorem Ma-
ximum plures ex diverſis partibus Epiſcopi conveniſ-* Cap. 22.
*ſent, & fœda circa Principem omnium adulatio no-
taretur, ſeque degeneri inconſtantia Regiæ clientelæ
Sacerdotalis dignitas ſubdidiſſet, in ſolo Martino Apo-
ſtolica auctoritas permanebat. Nam à convivio Ma-
ximi frequenter rogatus abſtinuit, dicens ſe menſæ
ejus participem eſſe non poſſe, qui duos Imperatores*,
utique Gratianum ac ejus fratrem Valeotinia-
num, *unum regno, alterum vita expuliſſet*. Et
Hincmaro Remenſi Archi-Epiſcopo, ut Caro-
lum Calvum Francorum Regem à Lotharienſi
regno, ad Ludovicum ſecundum Imperatorem,
Lotharii defuncti Regis germanum fratrem ac
hæredem ſpectante, iavadendo compeſceret, aut
ab ejus communiooe ſe ſepararet, mandavit
Pootifex Adrianus ſecundus. Quod ipſum Heo- Epiſt. 20.
rico primo Anglorum Regi, laicas Antiſtitum
inveſtituras dimittere nolenti, fieri à Sancto An-
ſelmo Cantuarienſi Archi-Epiſcopo juſſit Ponti-
fex Paſchalis ſecundus. Et apud Lambertum
monachum Schafnaburgenſem Epiſcopi ac Pro- A. 1073.
ceres

ceres Saxonum Henricum quartum Imperatorem
rogant, ut vitam ſuam ac Rempoblicam conj-
gat: *Si ità faceret, ſe promptiſſimo animo ei, ſicut
hactenùs, ſervituros; ſin autem, Chriſtianos ſe*
L. 1. Epiſt. *eſſe, nec velle hominis, qui fidem Chriſtianam ca-*
42 *pitalibus flagitiis prodidiſſet, communione maculari.*
Quod ipſum Philippo Francorum Regi fieri ab
ejus Epiſcopis Gregorius ſeptimus Pontifex man-
davit.

Porrò de Photio ad Synodum ſuam Roma-
nam, lectam in præſentis ſeptima Actione, di-
xit Adrianus ſecundus Pontifex. *Photius ſemeti-
pſum ab Ignatii beatiſſimi Præſulis communione fecit
extraneum, & per hoc ab univerſali Eccleſia, quæ
ipſi beatiſſimo Patriarchæ communicabat, ſe reddidit
prorsùs exortem, atque inter ſchiſmaticos proculdu-
bio conſtituit.* Factum id fuit in ipſa Sancti Ignatii
conſecratione, dum Gregorio Syracuſano, Pe-
tro Sardenſi, ac Eulampio Apameenſi Epiſco-
pis, adversùs laudatam conſecrationem prote-
ſtantibus, adhæſit. Hæc Adriani Pontificis ver-
ba, *Inter ſchiſmaticos ſe conſtituit*, exponit in Sy-
nodo Beneventana Victor tertius, agens adver-
sùs ſimilem temeritatem Hugonis Primatis Lug-
dunenſis: *Eccleſiæ communione ſe ſponte privavit.*

Ejuſmodi homines in prima ad Sanctum Am-
philochium Metropolitam Iconienſem canonica
Cap. 1. Epiſtola Sanctus Baſilius Magnus vocat *Paraſy-
nagogas*, id eſt, *congregationes, quæ fiunt ab
inſolentibus Epiſcopis aut Presbyteris. Ut ſi quis
peccaviſſe convictus ſit, à ſacra obeundi miniſterio
prohibitus, & is Canonibus ſe non ſubmiſit, ſed
ſibi Præſulatum & ſacrum Miniſterium attribuit, &
quidam unà cum eo receſſerint, relicta Eccleſia Ca-
tholica, id eſt Paraſynagoga.* Eccleſia, inquit
glorioſus Martyr Ignatius, *eſt populus ſub Epiſco-
po adunatus:* Ergò ſine legitima cauſa diviſus ab
Epiſcopo populus eſt Paraſynagoga. Eoſdem
homines vulgaris Apoſtolicus Canon vocat Epi-
ſcopi ſui contemptores, altaris contra altare ere-
ctores, tyrannos, Pontificatus amatores: Cle-
ricos ſine competenti fundamento id attentantes
deponi, laicos mandat ab Eccleſia ſegregari.
Attamen poſt tertiam Epiſcopi ad commune al-
tare revocantis obſecrationem. Ab eis confundi
Eccleſiæ Regulam affirmant, ideòque ad obſe-
crantem Epiſcopum reverti nolentes Regia pote-
Cap. 2. 5. ſtate opprimi & cogi mandant Antiochena Sy-
Cap. 8. nodus, & ſecunda Carthaginenſis.

Hoſce Canones in ſcripta ad Euſignium Præ-
torio Præfectum lege, exſtante in codice Theo-
doſiano, confirmant Auguſti Valentinianus ſe-
cundus, Theodoſius primus, & Arcadius. *His,*
L. 16. tit. 4. *qui ſibi tantummodò exiſtimant colligendi copiam con-*
c. 1. *tributam, ſi turbulentum quidpiam contra noſtræ
Tranquillitatis præceptum faciendum eſſe temptave-
rint, ut ſeditionis auctores, paciſque turbatæ, Ec-
cleſiæ, Majeſtatis, capite & ſanguine ſupplicia ſint
luituri.* Et quoniam par ſervos præſertim fieri
ſolebant ejuſmodi turbulentiæ, addunt in lege
ad Anthemium Officiorum Magiſtrum Arcadius,
Honorius, ac Theodoſius ſecundus de ſervi do-
Cap. 5. mino: *Sciat ſe pro ſingulis ſervis, qui intereſſe con-
ventibus interdictis fuerint comprehenſi, trium li-
brarum auri diſpendio feriendum.* Lex adversùm
Joannitas, id eſt, fidelem Conſtantinopolita-
num populum, Arſacio Epiſcopo in Sancti Joan-
nis Chryſoſtomi iniquiſſimè ejecti ſedem intruſo
communicare nolentem, fuit lata, ideòque par-
vi eſt ponderis: Attamen oſtendit priſcam Ec-
cleſiæ ac imperii diſciplinam. Iſta communionis
diſcordia eſt primus gradus ad ſchiſma & hære-
ſim: Nam Novatiani à Sancti Cornelii Pontifi-
cis, Donatiſtarum à Ceciliani Carthaginenſis
Archi-Epiſcopi, & Arii prima prævaricatio fuit
à Sancti Alexandri Patriarchæ Alexandrini com-
munione ſeceſſus, atque ità primùm in Paraſy-
nagogas, exindè in ſchiſmata, ſeparata altaria,
novas Baſilicas à Sancto Optato Milevitano Epi-
ſcopo graviter reprehenſas, & tandem in hæreſes
profecerunt.

Hinc igitur Canon noſter meritò ſtatuit, ut
nullus ob quamlibet criminalem cauſam, niſi
ſynodaliter diſcuſſam ac probatam, ſemetipſum
ſeparare præſumat à communione ſui Epiſcopi,
Metropolitæ, Primatis aut Patriarchæ. Eſt an-
tiquus Eccleſiæ Canon, de quo in libro Symma-
chi Pontificis Apologetico ſcribit Sanctus Enno-
dius, Eccleſiæ Romanæ tunc Diaconus, poſt-
modùm Epiſcopus Ticinenſis: *Nonnè directa
ſunt verba Canonum*, QUICUMQUE CLERI-
CORUM AB EPISCOPO SUO ANTE SEN-
TENTIÆ TEMPUS PRO DUBIA SUSPI- 8. q. 4. c. 1.
CIONE DISCESSERIT, *manifeſtam eum ma-
nere cenſuram?* Auguſtinus Caravita in ſuis ad
Gratiani Decretum ſcholiis exiſtimat Ennodium
reſpicere ad octavum Canonem ſecundæ Synodi
Carthaginenſis. Nec malè. Disertè etenim ille
habet. *Si quis Presbyter à Præpoſito ſuo excommu-
nicatus vel correptus fuerit, debet apud vicinos Epi-
ſcopos conqueri, ut ab ipſis ejus cauſa poſſit audiri,
ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari. Quod niſi fece-
rit, ſed ſuperbia inflatus ſecernendum ſe à ſui Epi-
ſcopi communione duxerit, anathema ſit.* Et infrà.
*Si querimoniam juſtam adversùs Epiſcopum habuerit,
inquirendum erit.* Donatiſtarum ſchiſma, à ſimi-
li diſcordia inchoatum, ad ejuſmodi Canonem
compulit Eccleſiam Africanam. Et dudùm an-
teà Florentium Puppianum, qui ſe ab ejus com-
munione ſegregarat, Sanctus Cyprianus arguit,
quod ſeſe *Epiſcopi Epiſcopum & Judicis ſui Judi-
cem* faceret, adeòque lucidè cenſet ſine ſynodico
judicio ſegregationem à nullo poſſe attentari.

Eumdem morem apud Græcos olim viguiſſe
oſtendit Canon ſextus Conſtantinopolitanus, ab
Epiſcopi & Clerici accuſatione repellens non
ſolummodò hæreticos aut ſchiſmaticos, ſed &
eos, *qui ſe ſanam quidem fidem profiteri præſefe-
runt, avulſi autem ſunt & abſciſſi, & adversùm
noſtros canonicos Epiſcopos congregationem faciunt.*
Ab ejuſmodi ſegregatis factam accuſationem red-
dit irritam, ideòque Epiſcopum, ſi fortè de-
liquerit, non niſi ante ſegregationem permittit
ab illis accuſari apud ejus Synodum, & non niſi à
ſynodaliter judicato quempiam ſegregari. Quod
ipſum palàm innuunt adducti Canones Antioche-
ni & Apoſtolicus vulgaris.

Excipe caſum, in quo Epiſcopi crimen fuerit
notoria hæreſis, aut publicum Eccleſiæ ſcanda-
lum. Etenim plebibus, ne Epiſcopis palàm in
perſe-

perſecutione lapſis ullatenùs communicarent, ſuprà audivimus rigidè vetantem Sanctum Cyprianum. Et populum Conſtantinopolitanum, ſeſe à Neſtorii Epiſcopi ſui hæretica publicè blaterantis communione ſeparantem, laudarunt & Sanctus Cyrillus & Sanctus Pontifex Celeſtinus. Et Clerici Edeſſeni apud Berytenſem Synodum fuere profeſſi, ſi quidem Ibæ Epiſcopo ſuo Neſtoriana prædicanti communicaſſent, ſeſe futuros fuiſſe obnoxius gehennæ. Et decretum ſuum, quo vetuit ſimoniaco aut conjugato palàm Presbytero communicari in Divinis, eſſe ex antiquis Canonibus hauſtum Gregorius ſeptimus Pontifex eſt teſtatus. Et Conſtantienſis Eccleſiæ Clerum, à Catoli Epiſcopi ſui ſimoniacè ingreſſi & Eccleſiaſticam ſubſtantiam diſſipantis communione recedentem, fuiſſe ab eodem Pontifice laudatum
A. 1069. ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis. Attamen & hìc diſcretionis ſpiritus eſt opus: Ne vitandæ maculoſæ communionis prætextu ſeriamus Eccleſiam, & pacifici Domini agrum ſchiſmaticis contentionum zizaniis vitiemus. Nam & à Neſtorii, hæretica prædicantis, communione non niſi poſt Apoſtolicæ Sedis ſententiam retrocedere voluit, qui populi Conſtantinopolitani receſſum laudabat, Sanctus Cyrillus Alexandrinus.

Ex hiſce Canonibus ſuum in Synodo Lugdunenſi decretum, exſtans apud ſextum librum
L. 1. tit. 16. c. 2. Bonifacii octavi, fundavit Gregorius decimus. *Si Canonici à Divinis ceſſare voluerint, prout in Eccleſiis aliquibus ſibi ex conſuetudine, ſeu conceſſione vel privilegio Papæ, vel alias vindicant, antequam ad ceſſationem hujuſmodi quoquo modo procedant, inſtrumento publico ceſſationis ipſius cauſam exprimant, & illud ei, contra quem ceſſare intendunt, aſſignent*. Aliter ceſſantes graviter punit. Addit Bonifacius octavus ceſſationem hanc non poſſe indici, niſi vocatis omnibus vocalibus. Rectè ait Gregorius ab ipſis Canonicis indici ex
Cap. 8. conſuetudine aut Apoſtolico privilegio: Ceſſatio enim eſt quædam Epiſcopo aut alteri potenti perſonæ ſubtracta communio, ideòque juxta noſtrum præſentem Canonem indici non poſſit niſi per aut poſt ſententiam ſynodalem. Et hìnc quidam poſt dicti Bonifacii tempora Epiſcopi videntur ad eumdem noſtrum Canonem provocaſſe; verùm in Viennenſi Synodo reſpondit Clemens
L. 5. tit. 10. c. 1. quintus: *Sæcularium aut Regularium Eccleſiarum conventus hoc unico lumine ad repellendas injurias ei factas privare nolumus, nec debemus*. Et hìnc patet ceſſationem iſtam non eſſe Eccleſiaſticam cenſuram, utpotè quæ non per Eccleſiæ claves, ſed paſſim à ſubditis ſoleat indici.

Pergit laudatus Gregorius decimus. *Deteſtabilem abuſum horrendæ indevotionis illorum, qui Crucis, beatæ Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum imagines irreverenti auſu tractantes, eas in aggravationem ceſſationis proſternunt in terram, & urticis ſpiniſque ſupponunt, penitùs reprobantes, aliquid tale fieri de cætero diſtrictiùs prohibemus: Statuentes ut in eos, qui contrà fecerint, ultrix procedat dura ſententia, quæ delinquentes ſic puniat graviter, quod alios à ſimilium præſumptione compeſcat*. Loqui videtur ex decima tertia Synodo Toletana. *Væ his, qui opus Dei faciunt fraudulenter ac deſidiosè. Si væ illi incurrant, qui negligenter opus Dei faciunt, quod ſupplicium merebuntur, qui Divinæ ſervitutis cultum, malitia intercedente, ab Altaribus Chriſti ſubducunt? Illos dicimus, qui obſtinatæ mentis doloſitate confuſi, cùm aliqua eos malitia fraternorum jurgiorum pupugerit, inſana illicò temeritate abrepti, altaria denudantes ſacris veſtibus exuunt, luminaria ſubtrahunt, ac Divinorum ſacrificiorum cultum ſubducunt*. Cap. 7. Canon præſertim damnat eos, qui *altaria veſte lugubri induerent*, ac in Eccleſiam inducerent neſcio quæ alia ſigna *lugubritatis*.

Aſt dices hæc vetuſtis ac probatis Eccleſiæ moribus repugnare. Etenim de Radulfo Ciceſtrenſi Epiſcopo, Eccleſiaſticam libertatem & caſtitatem adversùs Guilielmum Ruſum ac Henricum primum, Anglorum Reges, defendente, encomiaſticè ſcribit Guilielmus monachus Malmesbetienſis: *Per totam Diœceſim Divina vacare officia*, F. 257. *& Eccleſiarum januas ſpinis obſirui præcepit*. Et trucidato Sancto Thoma Archi-Epiſcopo, Eccleſiæ Cantuarienſis fuiſſe nudata altaria & cruces tectas, quomodò in Paraſceve ſolet, ejuſdem Eccleſiæ monachus Gervaſius teſtatur. Quod Joannes octavus Pontifex, à Comitibus Lamberto & Adelberto captus, & ad Carolomanno tamquam Imperatori profitendum compulſus, Eccleſiam Vaticanam clauſerit, & Sancti Petri Altare cilicio texerit, leges apud Annales Francorum Fuldenſes. Et apud Rogerum Hovedenſem. Joannes Dublinienſis Archi-Epiſcopus, à Joanne Moretonii Comite, poſtmodùm Anglorum Rege, dura paſſus & ejectus, *interdicti ſen-* F. 773. *tentiam dedit in Archi-Epiſcopatum ſuum, & abiit. Præcepit Cruces & imagines Cathedralis Eccleſiæ in terram deponi, & ſpinis circumdari, ut ſic malefactores terrerentur, & à voluntate ſæviendi in Eccleſiæ bona revocarentur*. Et Deus miraculo confirmavit. *Erat ſiquidem in Cathedrali Eccleſia quædam Crux, in qua imago Crucifixi expreſſiùs erat inciſa, quam omnes in maxima veneratione habebant. Cùm autem hæc eſſet humi proſtrata, & ſpinis circumſepta, feria ſexta facta eſt in agone, & apparuit facies ejus ſuffuſa rubore vehementi, velut eſſet in camino ardenti, & ſudor magnus exivit à facie ejus, & ab oculis ejus cadebant guttulæ, ac ſi fleret. Hora autem diei illius ſexta à dextro ipſius latere & à dextra illius mamilla exivit ſanguis & aqua*. Et apud Theodori Lectoris Collectanea Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Baſiliſci Imperatoris in Synodum Chalcedonenſem violentias frænaturus, *ſeipſum*, *ſedem* Epiſcopalem, *ac Altare nigris amicuit*. Ex quo patet ritum etiam apud Græcos obtinuiſſe.

Reſpondeo tamen hæc, licèt adverſa, in ſeſe mutuò non pugnare. Urticæ iſtæ & ſpinæ ſunt ritus indifferens, qui diverſis temporibus ac ex diverſis cauſis poſſit eſſe utilis, inutilis, ſcandaloſus, ædificativus, ideòque & hodie probari ab Eccleſia, & poſtmodùm improbari. Eum ſine legitima cauſa factum videtur dumtaxàt improbare tertia decima Synodus Toletana.

CA-

Digitized by Google

CANON XI.

VEteri & novo teſtamento unam animam rationabilem & intellectualem habere hominem docente, & omnibus Deiloquis Patribus & magiſtris Eccleſiæ eamdem opinionem aſſeverantibus, in tantum impietatis, quidam malorum inventionibus dantes operam, devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare, & quibuſdam irrationabilibus conatibus per ſapientiam, quæ ſtulta facta eſt, propriam hæreſim confirmare pertentent. Itàque ſancta hæc & univerſalis Synodus, veluti quoddam peſſimum zizanium, nunc germinantem nequam opinionem evellere feſtinans, immò verò ventilabrum in manu veritatis portans, & igni inextinguibili tranſmittere omnem paleam, & aream Chriſti mundam exhibere volens, talis impietatis inventores & patratores, & his ſimilia ſentientes, magna voce anathematizat, et definit, atque promulgat, neminem prorsùs, habere, vel ſervare quoquo modo ſtatuta hujus impietatis auctorum. Si autem quis contraria gerere præſumpſerit huic ſanctæ et magnæ Synodo, anathema ſit, et à fide atque cultura Chriſtianorum alienus.

SCHOLION.

ETiam hic Canon agit in Photium, de quo in Synodi præſentis præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius. *Photius duarum unumquemque hominem animarum conſiſtere prædicabat. Qui cùm à Conſtantino Philoſopho, magnæ ſanctitatis viro fortiſſimo, ejus amico, increpatus fuiſſet, dicente: Cur tantum errorem in populum ſpargens tot animas interfeciſti? Reſpondit: Non ſtudio quemquam lædendi talia dicta propoſui, ſed probandi quid Patriarcha Ignatius ageret, ſi ſuo tempore qualibet hæreſis per ſyllogiſmos Philoſophorum exorta pateſceret, qui ſcilicet viros exterioris ſapientiæ repuliſſet; verùm ignoravi me ſub hujus fomite propoſitionis tot animas fore læſurum. Ad quod ille. O ſapientia mundi, quæ infatuatur & deſtruitur. Jactaſti ſagittas in multitudinem coploſæ turbæ, & ignoraſti quemlibet ex his omnibus vulnerandum. Certè omnibus liquet, quia ſicut oculi, quamtumlibet ſint aperti, ſi fumus palearum interiacuerit, videre ultrà non poſſunt; ità oculi ſapientiæ tuæ, quamtumlibet ſint magni & patuli, avaritiæ tamen & invidiæ fumo penitùs obcæcati, tramitem juſtitiæ videre non poſſunt, ac per id verum eſt, quod neminem ictu tuo putaſti eſſe lædendum, cùm ſic obcæcatum ſenſum prædictis adversùs Patriarcham paſſionibus habens nec quid emiſeris prævidiſti.*

Et hic de duabus animabus error meritò hæreſeos damnatur. Eſt Apollinarii Laodicenſis Epiſcopi jam pridem anathemate proſcriptum dogma, de quo in litteris ad Conſtantinopolitanos monachos ſcribit Theodoretus Epiſcopus Cyrenſis: *Apollinarius animæ mentiſque diſtinctionem ab externis didicit Philoſophis, cùm Divina Scriptura ex anima & corpore conſtare hominem doceat.* Epiſt. 145. Et in ſecundo adversùm Eutychianiſtas Dialogo. *Apollinarius ex tribus dicit compoſitum eſſe hominem: Ex corpore, ex anima vitali, & ex rationali rursùs, quam mentem appellat.* Et in prima oratione de Divina Providentia. *Apollinariſtæ carnem, quæ à* Verbo *adſumpta eſt, animatam vocant, interim verò rationalem in eo animam fuiſſe negant: Suam fortaſsè propriam inſaniam hujus opinionis ſuæ argumentum habentes. Nos verò hominis animam nullam præter eam, quæ eſt rationalis, novimus.*

Quem errorem etiam in tractatibus ſuprà Sancti Joannis Evangelium impugnat Sanctus Auguſtinus. Tract. 23. *Fuerunt quidam hæretici, & pulſi ſunt ab Eccleſia, qui putarent non habere mentem rationalem corpus Chriſti, ſed quaſi animam belluinam: Excepta quippè rationali mente, vita belluina eſt. Sed quia repulſi ſunt, & veritate expulſi ſunt, accipe totum Chriſtum: Verbum, mentem rationalem, & carnem.* Et in alio tractatu. Tract. 47. *Apollinariſtæ hæretici dicti ſunt, qui auſi ſunt dogmatizare, quia Chriſtus non ſit niſi verbum & caro: Animam humanam non eum adſumpſiſſe contendunt. Nam & aliqui eorum fuiſſe in Chriſto animam negare non potuerunt. Videte abſurditatem ac inſaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt: Dederunt ei animam pecoris, ſubtraxerunt animam hominis.* Et in octuaginta trium quæſtionum libro adſerit ab illis ſatendum eſſe, Q. 80. *Ut belluam quamdam cum figura humani corporis Dominus ſuſcepiſſe credatur.* Erroris fundamentum erat ſenſitivæ ac rationalis in nobis

animæ realis diſtinctio: Hinc iſtam dumtaxàt, non hanc ajebat Apollinarius à Domino adſumptam. Et ex laudatis Auguſtini teſtimoniis lucet omnem irrationalem animam eſſe brutalem, adeòque humanum embryonem, ſi quando ſolam ſenſitivam, licèt ſolummodò vialem, habeat, eſſe omninò beſtiam ac brutum.

Rectè Theodoretus Apollinarii errorem adfirmat hauſtum à gentilibus Philoſophis: Hæreticorum enim Patriarchæ ſemper Philoſophi. Quomodò eorum quidam animam & ſpiritum, quidam animam & animum ſeu mentem realiter diſtinxerint, refert, variè refutat, ac indè Gnoſticos ac Valentinianos pullulaſſe aſſerit in libro de anima Tertullianus. C. 10. 11. 22. 18.
Spiritus & carnis pugnam exiſtimabant ab eodem principio non poſſe provenire. Hinc & Manichæi aliam bonam, aliam natura pravam in eodem homine animam delirarunt, refutati à Sancto Auguſtino in libro de duabus animabus, doctiſſimo ac omninò legendo. Legendi ſunt & libri, quartus præſertim, adversùs Vincentium Victorem, errore animam & ſpiritum realiter diſtinguente etiam maculoſum.

CANON XII.

APoſtolicis et Synodicis Canonibus promotiones et conſecrationes Epiſcoporum et potentia et præceptione Principum factas penitùs interdicentibus concordantes, definimus et ſententiam nos quoque proferimus, ut ſi quis Epiſcopus per verſutiam vel tyrannidem Principum hujuſmodi dignitatis conſecrationem ſuſceperit, deponatur omnimodis, utpotè qui non ex voluntate Dei, & ritu ac decreto Eccleſiaſtico, ſed ex voluntate carnalis ſenſus ex hominibus & per homines Dei donum poſſidere voluit, vel conſenſit.

SCHOLION.

HUnc Canonem reſpicit in litteris ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ Primatem Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis.
Epiſt. 60. *Quid ſuper Epiſcoporum electione à Principibus facta dicat octava Synodus, non eſt meum veſtram docere Prudentiam.* Damnat, inquam, Canon Regias Epiſcoporum nominationes, nuper à Leone Iſauro attentatas, damnatas à ſeptima Synodo, à Græcorum Auguſtis frequenter reſumptas, ac noviſſimè à Michaele intrudente Photium in Thronum Conſtantinopolitanum. Addit Petrus à Marca Ar-
L. 2. c. 17. n. 3. chi-Epiſcopus Pariſinus. *Octava Synodus mores in Gallia receptos & jura Regia videtur variis Canonibus petiviſſe. Etenim Principum ſuffragia ab electionibus Epiſcoporum arcet Canone duodecimo.* Errat in numero. Etenim Principum ſuffragia vigeſimus ſecundus, duodecimus Canon proſcribit Regias Epiſcoporum nominationes graſſantes etiam in Gallia. Etenim ſupra Wenilonem Senonenſem audivimus ſcribentem ad Amulum Archi-Epiſcopum Lugdunenſem.
Apud S. Lup. Epiſt. 81. *Pippinus, à quo per maximum Carolum & religioſiſſimum Ludovicum Imperatores Rex noſter* Carolus Calvus *ducit originem, expoſita neceſſitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum* Palatinorum *decedentibus Epiſcopis mederetur.* Conceſſionis tabulas huc uſque non vidimus, & ad Manaſſen Remenſium Metropolitam ſcribit laudatus Ivo. Epiſt. 102.
Francorum Reges Carolus & Ludovicus Epiſcoporum electiones Eccleſiis conceſſerunt, quod & in ſuis Capitularibus ſcriptum reliquerunt, & in conciliis Epiſcoporum Provincialibus ſanciri permiſerunt. Quocircà aut nullum tale indultum Pippinus à Zacharia habuit, aut illi mox Carolus Magnus & Ludovicus Pius, uti & aliis ſacris juſſionibus, renuneiarunt.

Et hinc adversùm auditas jam à Wenilone, ac à parentum ejus pietate devias Caroli Calvi præſumptiones ſtatuit in tertia Valentina Synodo Sanctus Remigius Archi-Epiſcopus Lugdunenſis. *Quia indiſcuſſi & inexaminati, ſcientiæque litterarum pœnè ignari, minuſque præceptioni Apoſtolicæ appropinquantes, peccatis noſtris agentibus, per civitates Epiſcopi ordinantur, qua occaſione maximè vigor Eccleſiaſticus deperit, ut ſi quando alicujus civitatis Epiſcopus vocatione Domini deceſſerit, à glorioſiſſimo Principe ſupplicando poſtuletur, ut canonicam electionem Clero & populo ipſius civitatis permittere dignetur.* Haſce preces in rigidum mandatum vertit noſter Canon, volens Græcorum Auguſtos & Francorum Reges ad id deinceps obligari. Ità enim jubet non ſolummodò inter vulgares trigeſimus primus à noſtro laudatus, ſed & verus Apoſtolicus Canon, perpetua Eccleſiarum omnium conſuetudo, & quartus Canon Nicænus. Verùm neque apud Græcos neque apud Latinos obeditum plenè fuit à Regibus, quouſque inchoatam à Gregorio ſeptimo

Pon-

Pontifice pro Epiſcopalium atque Abbatialium electionum libertate pugnam perfecere Calixtus ſecundus Henrico quinto Imperatori laicas Antiſtitum inveſtituras, ac Innocentius ſecundus Lothario Auguſto efeſtucans eorumdem nominationes.

CANON XIII.

Quoniam quidem dicit alicubi Divinum eloquium ; *Dignus eſt operarius mercede ſua* ; hujus rei gratia et nos decernimus & promulgamus, ut magnæ Eccleſiæ Clerici, qui in ſubjectis ordinibus morati ſunt, ad majores gradus aſcendant, & ſi digni claruerint, melioribus perfrui mereantur honoribus ; cùm aliqui eorum, qui in ipſis ſunt, aut per incrementum ad ſuperiora miniſteria advocati fuerint, aut per communem naturæ terminum dormientes defuerint ; ſed non ex illis, qui foris ſunt, aliqui ſe his innectentes, debitas eis, qui multo tempore laboraverunt, dignitates vel honores recipiant ; ac per hoc inveniantur Eccleſiæ Clerici nullo modo poſſe proficere. Nullatenùs autem habeant poteſtatem, qui Principum domorum, ſeu ſuburbanarum rerum curam geſſerint, inter Clerum magnæ Eccleſiæ colligi, vel conſtitui : Nemo quippè Deo militans, ſæculi negotiis implicatur. Si verò quis præter definitionem, quam nunc protulimus, promotus fuerit in quocumque magnæ Eccleſiæ gradu, reprobetur omnimodis ab omni Eccleſiaſtico gradu, tamquam qui contra magnam Synodum provectus extiterit.

SCHOLION.

Domeſticos nobilium Clericos, eoſque imperitos ac vanos, non tantummodò in Græcia, ſed & in Francia abundaſſe ſcribit ad Bernardum Archi-Epiſcopum Viennenſem Agobardus Archi-Epiſcopus Lugdunenſis. Epiſt. 7. *Increbuit conſuetudo impia, ut pænè nullus inveniatur anhelans & quantulumcumque proficiens ad honores & gloriam temporalem, qui non domeſticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, ſed à quo inceſſanter exigat licitam atque illicitam obedientiam, non ſolùm in Divinis officiis, verùm etiam in humanis. Ità ut plerique inveniantur, qui aut ad menſas miniſtrent, aut ſaccata vina miſceant, aut canes ducant, aut caballos quibus fæminæ ſedent regant, aut agellos provideant. Et quia tales, de quibus hæc dicimus, bonos Sacerdotes in domibus ſuis habere non poſſunt : Nam quis eſſet bonus Clericus, qui cum talibus hominibus deboneſtari nomen & vitam ſuam ferret? Non curant omninò, quales Clerici illi ſint, quanta ignorantia ſeu quantis criminibus involuti ; tantùm ut habeant Presbyteros proprios, quorum occaſione deſerunt Eccleſias, Seniores, & officia publica. Quod autem non habeant eos propter religionis honorem, apparet in hoc, quod non habeant eos in honore, undè contumelioſè eos nominantes, quando volunt illos ordinari Presbyteros, rogant nos aut jubent dicentes : Habeo unum Clericionem, quem mihi nutrivi de ſervis meis propriis, aut beneficialibus, ſive Pagenſibus, aut obtinui ab illo vel illo homine, ſive de illo vel illo pago, volo ut ordines eum mihi in Presbyterum.* Hancce fæcem Canon vetat imponi Clero Eccleſiæ Cathedralis, præſertim Conſtantinopolitanæ. Cauſam dat in litteris ad Michaelem Auguſtum, lectis in quarta Actione præſentis Synodi, Sanctus Pontifex Nicolaus primus. *Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ hortamur ſtatum, ut tales alere omni religione eruditos ſtudeat viros, qui ad honorem cardinis ipſius ſanctæ Eccleſiæ, ſuis Præſulibus mortuis, vel quolibet caſu ac modo decedentibus valeant ſurrogari : Quod non ſolùm in tanto Patriarchatu obſervari omninò debet, verùm etiam in ſingulis quibuſque civitatibus ex conſuetudine canonica, magna cum cautela ſervatur & cuſtoditur.* Eamdem rationem adducit Joannes octavus Pontifex in litteris ad Baſilium Auguſtum, ejuſque filios Conſtantinum ac Alexandrum, Photium tandem ad malè invaſum Patriarchatum retinendum diſpenſans, & adjungens : *Eo tenore iſta decernimus, ut poſt hujus Patriarchæ obitum nullus de laicis vel curialibus in Patriarchatus eligatur aut conſecretur honore, niſi de*

Digitized by Google

Cardinalibus & Diaconibus Conſtantinopolitanæ ſe-cl/s, ſecundùm ſacros Canones. Abjectis itàque iſtis Clericis noſter Canon noluit aperire viam ad Eccleſiæ Epiſcopatum.

CANON XIV.

EOs, qui à divina gratia ad Epiſcopale advocantur officium, tamquam imaginem et figuram ferentes ſanctorum cœleſtium Hierarcharum, id eſt, Angelorum, ſecundùm hierarchicum planè gradum et morem, omni honore dignos ab omnibus Principibus et ſubditis ſancimus haberi. Et nequaquam Strategis, vel quibuslibet aliis Principibus obvios procul ab Eccleſiis ſuis occurrere, ſed neque ſemet à multo ſpacio de equis vel mulis ejicere, aut cum timore ac tremore procedere ac adorare; ſed nec cum ſæcularibus Principibus ad menſam intrare hora prandii, eoſdem, quos illi honores Strategis exhibentes, ſed ſecundùm congruentiam ſpiritalis dignitatis ac honoris ſui, reddere quidem omnibus debita, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem: Præferri autem et multam à Principibus amicorum Chriſti Imperatorum venerationem et reverentiam promereri confeſſores eorum et honoris ſimilis exiſtentes; ità ut fiduciam habeant Epiſcopi arguere Strategos multoties, et alios Principes, atque omnem ſæculi dignitatem, cùm injuſtum et irrationabile agere quid illos invenerint, et per hoc corrigere et reddere meliores. Si verò aliquis Epiſcopus poſt definitionem ſanctam Synodi, debitum et canonicè collatum ſibi contempſerit honorem, et quid ſecundùm veterem et inhumanam ac inordinatam conſuetudinem, præter quæ nunc definita ſunt, fieri permiſerit; ſequeſtretur anno uno, et Princeps ille non mereatur percipere myſteriorum nec ſanctificationum communionem.

SCHOLION.

DE Regum ac Regiorum Miniſtrorum in Epiſcopos irreverentia legimus varias ſanctorum Patrum querimonias. Etenim de Maximo Auguſto ad Auguſtum Valentinianum ſecundum
Epiſt. 56. ſcribit Sanctus Ambroſius. *Ubi ſedit in Conſiſtorio, ingreſſus ſum: Aſſurrexit, ut oſculum daret. Ego inter Conſiſtorianos ſteti.* Tres Comitum ordines Conſtantinus Magnus inſtituit, & omnes Comites Conſiſtorianos fuiſſe primi ordinis, liquet ex ipſorum creationis formula apud
L. 2. c. 12 Caſſiodorum: *Comitivam primi ordinis largimur, ut Conſiſtorium noſtrum ingrediaris.* Eos laudatus Ambroſius ſtetiſſe; at verò Vopiſcus, Valeriani Imperatoris Conſiſtorium ex Acholii Admiſſionum Magiſtri libris depingens, in Aureliani Auguſti vita adfirmat ſediſſe. Nempe inter ipſos etiam Conſiſtorianos Comites erant plures ordines dignitatis. Et quidem Auguſtum Conſiſtorium poſſe ingredi erat grandis honos, nihilominùs Sanctus Ambroſius queſtus fuit de duobus. Primùm ſcribit ad Valentinianum Auguſtum: *Dixi hunc non eſſe morem Sacerdotalem.* Alterum dixit Auguſto Maximo: *Non injuria, ſed verecundia commotus ſum, quod alieno conſiſto loco.* Dial. 2. c. 6.
Commotus fuit, quod Epiſcopus Conſiſtorium ingredi, & ingreſſus non cum Primatibus ſedere, ſed cum ſecundi Ordinis Comitibus ſtare cogeretur. Eſſe dixit *humilitatem* Epiſcopo indignam. Et de Sancto Martino Turonenſi Epiſcopo, Valentinianum primum Imperatorem accedente, ſcribit Sanctus Sulpitius Severus. *Valentinianus, cùm Martinum ea petere cognoviſſet, quæ præſtare nollet, juſſit eum palatii foribus arceri.* Verùm ab Angelo ad invitum introductus eſt Martinus, pergitque de illo laudatus Sulpitius. *Qui cùm venientem eminùs videret, infrendens cur fuiſſet admiſſus, nequaquam adſurgere eſt dignatus adſtanti,*

adſtanti, donec Regiam ſellam ignis operiret, ipſumque Regem ex parte corporis, qua ſedebat, adflaret incendium. Ità ſolio ſuo ſuperbus excutitur, & Martino invitus adſurgit, multùmque complexus, quem ſpernere antè decreverat, virtutem ſenſiſſe Divinam emendatior fatebatur: Nec exſpectans Martini precibus prius omnia conceſſit, quam rogaretur. Et ad populum ſuum declamat Sanctus Auguſti-
Serm.111. de diverſ. c.19. nus. *Veſtræ neceſſitates nos cogunt venire quò nolumus: Obſervare, ante oſtium ſtare, intrantibus dignis & indignis exſpectare, nunciari, vix aliquando admitti*, utique à Romani Imperii Magiſtratibus, *ferre humilitates* Epiſcopali majeſtati adverſas. Chilpericum item Francorum Regem fuiſſe Epiſcoporum contemptorem peſſimum queritur in Fraocorum hiſtoria Sanctus Gre-
L.6. c.47. gorius Epiſcopus Turonenſis. Etiam poſterioribus ſæculis Wazonem Leodienſem Epiſcopum ſtare coram ſe permiſit Henricus tertius Imperator, ſcribitque in hiſtoria ſua Anſelmus Canoni-
Cap. 107. cus Leodienſis. *VVazo Sacerdotalis reminiſcens auctoritatis publicè ferilo Principis beſtialem ſtoliditatem*, concludens in hæc verba: *Etſi VVazonis perſona forſitàn indigna eſt honorari, Sacerdotalis tamen gratia non deberet inter populares turbas tam inhoneſtè fatigari*. Italorum io ſuos Epiſcopos & Clericos irreverentiam notat apud Ottonem Friſingeoſem Epiſcopum & corrigit Fredericus pri-
L.2. c.67. mus Auguſtus. Sancium Portugalliæ Regem adeò in Clerum fuiſſe barbarum, *ut pro diro reputaret augurio, cùm ſibi videret Religioſum aliquem vel Clericum occurrentem*, habemus ab Innocentio
L.2. Ep.8. tertio in litteris publicatis per Franciſcum Boſquettum Epiſcopum montis Peſſulani. Idem Pontifex io litteris apud Gregorium nooom exſtantibus ſcribit ad Alexium Imperatorem Con-
L. 1. tit. 33. c.6. ſtantioopolitanom. *Hæc ſi prudenter attenderet Imperatoria Celſitudo, non faceret aut permitteret Conſtantinopolitanum Patriarcham, magnum & honorabile membrum Eccleſiæ, juxta ſcabellum pedum ſuorum in ſiniſtra parte ſedere, cum alii Reges & Principes Archiepiſcopis & Epiſcopis ſuis ſicut debent, reverenter adſurgant, & eis juxta ſe venerabilem ſed adſignent.* Eaſdem querelas habet in libro de ſacris Ordinationibus Symeon Archi-
Cap. 8. Epiſcopus Theſſalonicenſis, addens eam eſſe unam cauſarum, ob quas indignatus Dominus Deus Orientale imperium afflixit multis calamitatibus, & tranſtulit ad Flandros. Et de Georgianis ſcribit in Romanæ ac Armeniæ Eccleſiarum unione Clemens Galanus. *Iberiæ Principes Eccleſiaſticam libertatem nihili faciunt. Epiſcopos parvi pendunt, huc illucque ſecum pertrahentes. Sacerdotibus ut mancipiis utuntur. Et quod Princeps de omnibus Epiſcopis ac Sacerdotibus facit, hoc ipſum & nobiliores in ſua quiſque ditione de iiſdem faciunt.* Et de Græcis habet tractatus Conſtantinopoli repertus apud Patres Prædicatores. *Græci Sacerdotibus debitum honorem ſubtrahentes, eos inter convivia ſibi adſiſtere faciunt. Pro facili occaſione eos pœnis & flagellis inſtar Paganorum affligunt. Et ut habeant ridendi materiam, in capitibus eorum pileos pugnis conquaſſant.* Et omnes hoſce praviſſimos mores præſens Canon proſcribit & damnat, imitatus varias ſub Carolo Magno & Lodovico Pio Regibus Synodos Gallicanas, cum lapſa Chriſtianitate lapſam quoque Epiſcoporum ac totius Cleri reverentiam ſeriò reſtaurantes.

Primò, inquam, Caoon vetat Epiſcopos quaſi Capellanos adſtare Regiæ menſæ inter Strategos ac reliquos Palatinos, longèque minùs menſis ipſorum Strategorum. Etenim Carolo Ma- L.1. c.17.
gno, Francorum Regi, comedenti Epiſcopos quaſi famulos adſtitiſſe ſcribit io ejus vita Sancti Galli Mooachus: Inter Duces & Comites adſtitiſſe affirmat chronicoo Thegani. E ſervili genere erant tuoc paſſim Francorum Epiſcopi, ideòque illis ſufficiens honor videbatur parificari Ducibus & Comitibus, juxta Sancti Auguſtini de pauperibus ad monaſteria admiſſis Regulam: *Non erigant cervicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, ſed ſursùm cor habeant, & terrena ac vana non quærant.* Verùm L.1.c.35.
longè aliter Conſtantinus Magnus, de quo io vita ejus Euſebius Epiſcopus Cæſareenſis. *Imperator Epiſcopos, licèt homines fuerint ipſius formæ habitu ad ſpeciem abjecti, ab eo tamen non ejus generis exiſtimati ſunt; ſed quia non hominem, qui ſub adſpectum oculorum cadit, ſed Deum ipſum, qui in eorum animis inſidebat, conſiderare viſus eſt, illos ſuæ menſæ effecit participes.* Quod ipſum in L.1.c.11.
Eccleſiaſtica hiſtoria affirmat Theodoretus. Quomodò Maximus Auguſtus Sanctum Martinum in pari ſecum ſede ad menſam ſedere, & primùm illi ſcyphum offerri curaric, eumque ooo ipſi, ſed ſuo Presbytero Martinus propinarit, refert in ejus vita ac plurimùm laudat Sanctus Sulpitius Severus. Addit eodem modo à Cap. 22.
Valentiniano primo, per Angelum punito ac emendato, fuiſſe tractatum, & dicti Maximi Reginam ei ad menſam inſtar famulæ miniſtraſſe. Etiam à Gumtramno Francorum Rege fuiſſe Dial.5.c 6. c. 7.
ità exceptos Epiſcopos adſerit Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis. Et de Sancto Frederico, Trajecti ad Rhenum Epiſcopo, ſcribit Guilielmus Malmesberienſis. *Ludovicus Pius Imperator prima Ordinationis die novum Præſulem conſeſſu* L.9. c.50.
dexteræ in prandio dignatus eſt. Erat magnus, at noo immeritus honos. Etenim, teſte Hermia Zozomeno, *Dignitas Sacerdotalis imperii dignitati par eſt, immò in locis ſacris primas partes obtinet.* Eſſe dignitatem longè majorem oſtendit multis Sanctus Pontifex Gelaſius primus in Epiſtola ad Anaſtaſium Auguſtum. Epiſcopo, utpotè qui & Dei Patris & Chriſti Domini perſonam ac imaginem gerat, oihil eſſe in mundo ſublimius, aliquoties Sanctus Martyr Ignatius io ſuis Epiſtolis teſtatur. Quod ipſum in Nicænæ Synodi compendio ſcribit Gelaſius Cyzicenus. Et ex L.2. c.30.
hiſce principiis noſter Canon ait Epiſcopos oportere eſſe paris honoris cum ipſo Imperatore.

Hinc ſecundò mandat Epiſcopos Strategis aut aliis Imperii Poteſtatibus, Eccleſiam ingreſſuris, procul non occurrere. Eſt antiquiſſima Eccleſiæ diſciplina, de qua apud Hermiam Zozomenum ſcribit ad Arſacium Paganorum io Galatia Pontificem apoſtata Auguſtus Julianus. *Ingredienti-* L.5.c.15.
bus Præſidibus in urbem nemo Sacerdos obviam prodeat, niſi quando ad templa Deorum accedunt, ſolùm intra veſtibula. Eos intrantes nullus miles præcedat;

redat ; ſequatur autem qui vult. Nam ſimul ut ingreditur limen delubri, privati perſonam induit: Siquidem ipſe bis, qui intùs ſunt, præes, propterà quod Divina lex illud poſtulat. Uti Chriſtianorum fidem, ità & Eccleſiaſticos ritus eſſe ornatiſſimos, atque humani generis ad Chriſtum Dominum potentiſſimè attractivos videbat ac invidebat impius ac doloſus Apoſtata, ideòque ipſis etiam gentilem idololatriam veſtiri ſanxit, & Principem ac Reipublicæ Miniſtros recipi in delubra, quomodò recipiebantur in Baſilicas Chriſtianorum. Et huc in lege Eccleſiaſtici aſyli confirmativa, exſtante poſt Synodum Epheſinam, reſpicit etiam Theodoſius Auguſtus. *Nos, qui ſemper jure imperii armis circumdamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non convenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema deponimus: Et quò ſubmiſſioris imperii ſpeciem præferimus, eò magis nobis imperii majeſtas promittitur.* Quia nempe Eccleſiam ingrediens Princeps ſit privatus. Hinc item Conſtantinus Magnus Nicænam Synodum, factam in ſanctæ Sophiæ Eccleſia, ſine armata apparitura intravit: Hinc Eccleſias ad Epiſcopos, ad Auguſtos ſpectare ſola palatia dixit Valentiniano ſecundo Sanctus Ambroſius.

Notanda ſunt hæc noſtri Canonis verba: *Obvios procul ab Eccleſiis ſuis occurrere.* Et hæc Juliani Apoſtatæ: *Solùm intra veſtibula.* Exponit Svetonius Tranquillus, ajens de Germanico,
L. 4. c. 4. Caii Caligulæ Imperatoris Patre. *Quoties aliquò adveniret, vel ſecundè diſcederet, præ turba occurrentium proſequentiumve nonnumquam vitæ diſcrimen adiit. E Germania poſt compreſſam ſeditionem revertenti Prætorianæ cohortes univerſæ prodierunt obviam, quamvis pronunciatum eſſet, ut duæ tantummodò exirent: Populi autem Romani ſexus, ætas, ordo omnis uſque ad vigeſimum lapidem ſe effudit.* Civitatem quamcumque intrans Imperator ſuſcipi ſemper conſuevit cum ſolenni proceſ-
Decad. 3. ſione. Ità à Capuanis Hannibalem, ab Athe-
L. 3. c. 7. 2. nienſibus Attalum Aſiæ Regem, à Gallis Vien-
L. 15. c. 24. nenſibus Julianum Cæſarem fuiſſe ſuſceptum teſtantur Titus Livius, & Ammianus Marcellinus. Et hinc Cæſaria Auguſti, conſueti ſemper, ne populum inquietaret, de nocte ingredi aut egredi civitates, & Antonini Philoſophi, filiæ ſuæ nuptum proficiſcenti vetantis obviari, modeſtiam prædicant præfatus Svetonius, ac Ju-
L. 5. c. 53. Cap. 9. lius Capitolinus. Nec ſolis Imperatoribus aut Regibus, ſed & Provinciarum Rectoribus impenſum fuit iſtud officium, ideòque Sanctum Athanaſium, ab exilio redeuntem, fuiſſe ab Alexandrina in genera, ætates, ac artes diviſa civitate, quomodò Auguſtales Præfecti ac ipſi Auguſti ſolent, ſuſceptum adfirmat in funebri ejus encomio Sanctus Gregorius Nazianzenus.

Obviæ, inquam, proceſſionis honor etiam Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, Epiſcopis, quos ipſi Imperatori eſſe pares jam audivimus, fuit ſemper impenſus. Etiam Romæ in medio gentilium perſecutionum æſtu ante oculos ipſius Imperatoris. Etenim ad Lucium Pontificem ab exilio regredientem ſcribit Sanctus Cy-
Epiſt. 58. prianus. *Utinam facultas daretur, ut intereſſe illic nobis regredientibus poſſemus, ut adventus veſtri lætiſſimum fructum præſentes cum cæteris ipſi quoque caperemus. Quæ illic exultatio omnium fratrum? Quis concurſus atque complexus occurrentium ſingulorum? De adventus veſtri gaudio cognoſcere illic fraternitas cœpit, qualis & quanta ſit ſecutura Chriſto veniente lætitia.* Et de Joanne Patriarcha Antiocheno, Epheſinam civitatem ac Synodum intrante, ad populum Conſtantinopolitanum ſcribit Memnon Archi-Epiſcopus Epheſiorum. *Sancta Synodus honorem, & quam oportuit Sacerdoti obſervantiam impendens, quoſdam Epiſcopos cum nonnullis Clericis obviam miſit.* Et apud Hormiſ- poſt Epiſt. 4.
dam Pontificem de ſuo in Scampinam urbem ingreſſu ſcribunt ejus apud Juſtinum Auguſtum le- Relat. 1.
gati. *Trojus Epiſcopus cum ſuo Clero vel plebe in occurſum nobis egreſſus eſt. Propè omnes cum cereis viri cum mulieribus, milites cum crucibus nos in civitate ſuſceperunt.* Et de ſuo in Regiam civitatem introitu. *Vitalianus, Pompejus, & Juſtinianus,* Relat. 5.
tria tunc palatii lumina, *nobis occurrerunt in decem millibus. Tanta fuit etiam in plebe devotio, ut pars maxima populorum cum cereis ſimul & laudibus veſtris noſtrorum præſtolaretur adventum.* Plurima adduci poſſunt ejuſmodi exempla. Quin & de quodam Eccleſiæ Edeſſenæ Presbytero, ab iniquis carceribus regreſſo, ad Synodum Berytenſem in Chalcedonenſi lectam dixit Eulogius ejuſ- Act. 10.
dem Eccleſiæ Presbyter: *Omnis civitas ſuſcepit eum cum cereis & lucernis.* Et de ejuſdem civitatis orthodoxis laicis & Clericis, ad præſcriptum ſibi à Valente Imperatore Ariano exilium proficiſcentibus, ſcribit in Eccleſiaſtica hiſtoria Theodoretus: *Civitates & pagi proceſſere illis obviam, & maximum honorem deferunt.* Et de ſuis in Ægypto hoſpitibus monachis in Lauſiaca hiſtoria Palladius Epiſcopus Helenopolitanus: Cap. 52.
Properè accurrentes nobis venerunt obviam pſallentes, eſt enim hic mos apud omnes monachos.

Hunc proceſſionis honorem Romani Imperii non ſolummodò Strategis, ſed & ipſis Principipibus Auguſtis Canon mandat non longè ab Eccleſia, ſed dumtaxàt uſque ad veſtibulum exhiberi. Etiam provinciam ſuam noviter ingredientibus Præfectis gentiles ſacrificulos ità occurrere jubet ex vetuſta Chriſtianorum regula Julianus Auguſtus. Et ità Reges ſuos ſemper recepit Eccleſia Latina: Advenientem Imperatorem Romanus cum ſui Cleri proceſſione Pontifex ad Sancti Petri gradus ſolebat exſpectare. Variè ambierunt, quin & pecunia eumdem honorem emerunt quidam & Proceres & Epiſcopi, ideòque ſingulæ illius quæſtiones uno verbo non poſſunt enodari.

Tertiò mandat Canon, ne Epiſcopus Auguſto, Regi, aut alteri Principi in via occurrens deſcendat ex equo aut mulo, illum adoraturus. Eſt antiqua Eccleſiæ diſciplina, olim etiam per ſecundam Matiſconenſem Synodum innovata.
Statuimus, ut ſi quis ſæcularium quempiam Clerico- Cap. 15.
rum honoratorum in itinere obvium habuerit, uſque ad inferiorem gradum honoris veneranter, ſicut condecet Chriſtianum, illi colla ſubdat, per cujus officia & obſequia fideliſſima Chriſtianitatis jura promeruit. Et ſi quidem ille ſæcularis equo vehitur, Clericuſque

ſimiliter,

Digitized by Google

ſimiliter, ſæcularis galerum de capite auferat, &
Clerico ſinceræ ſalutationis munus exhibeat. Si verò
Clericus pedes graditur, & ſæcularis vehitur equo
ſublimis, illicò ad terram deſiliat, & debitum hono-
rem prædicto Clerico ſinceræ charitatis exhibeat, ut
Deus, qui vera charitas eſt, in utriſque lætetur,
& dilectioni ſuæ utrumque adſciſcat. Ità Sancto
Thomæ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo Henricum
ſecnndum Anglorum Regem, & illius ſucceſſo-
ri Huberto filium & ſucceſſorem hujus Richar-
A. 1070. dum feciſſe affirmat Gervaſius monachus Can-
1194. tuarienſis. Ejuſdem Richardi frequentem de
A. 1232. Epiſcopis vocem, *Si ſcirent, quantùm illos ti-*
F. 257. *meam, me pedibus conculcarent*, laudat Matthæus
Pariſienſis. Didicerat ab anteceſſore ac proavo
ſuo Guilielmo conqueſtore, cui omnibus mun-
di Principibus imperanti imperabat Aldredus Ar-
chi-Epiſcopus Eboracenſis, cogens erratorum
veniam petere flexis genibus, & Regem erigi
A. 1066. rogantibus reſpondens: *Sinite illum ad pedes ſui*
patris jacere. Ità refert Radulfus de Diceto.

Quartò mandat Canon, quatenùs Epiſcopi,
uti poteſtatem, ità & fiduciam habeant argue-
re Strategos, Principes, quamvis ſæculi digni-
tatem. Etenim ad Theodoſium Auguſtum ſcri-
Epiſt. 17. bit Sanctus Ambroſius. *Neque Imperiale eſt dicen-*
di libertatem denegare, neque Sacerdotale quod ſen-
tiat non dicere. Nihil in Sacerdote tam periculoſum
apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod
ſentiat non liberè pronunciare. Siquidem ſcriptum
eſt: LOQUEBAR DE TESTIMONIIS
TUIS IN CONSPECTU REGUM, ET
NON CONFUNDEBAR. Et Facundus Epi-
L. 4. c. 4. ſcopus Hermianenſis. *Quaſi verò propter hoc tan-*
tùm ſimus ordinati Epiſcopi, ut ditemur Principis
donis, & cum eis inter maximas poteſtates conſedea-
mus, tanquam Divini Sacerdotii privilegiis fulti.
Sicubi autem fallaciis malignorum, quæ nullis tem-
poribus defuerunt, aliquid eis inter tantas Reipubli-
cæ ſuæ curas ſubreptum fuerit, quod Eccleſiæ Dei
præjudicet, vel Eccleſiæ pacem turbet, non eis de-
beamus pro eorum ſalute quæ ſunt vera ſuggerere, &
ſi neceſſe fuerit, religionis auctoritate reſiſtere, ac
patienter quoque offenſionem illorum, ſi acciderit, ſu-
ſtinere. Et ubi erit illud Propheticum: LOQUE-
BAR DE TESTIMONIIS TUIS IN CON-
SPECTU REGUM, ET NON CON-
FUNDEBAR? *Niſi fortè Paſtor quidem ad lac*
& vellera, ad avertendas autem luporum inſidias &
tuenda ovilia Deſertores. Et ad Daimbertum Se-
nonenſem Archi-Epiſcopum ſcribit Sanctus Ivo
Epiſt. 111. Epiſcopus Caruntenſis. *Si Principes mundi plùs*
timemus, quàm Deum, manifeſtè jam portæ inferi
prævalebant: Et qui pro domo Iſrael ponere murum
debemus, ſecundùm Propheticam irriſionem canes mu-
ti non valentes latrare reputabimur. Ejuſmodi te-
ſtimonia Patrum habemus plurima: Legenda
ſunt Lucifer Calaritanus in libris adversùs Impe-
ratorem Conſtantium, & Sancti Hilarii Picta-
vienſis Epiſcopi ad eumdem apologiæ.

Quintò tandem Canon Epiſcopum aliquid ho-
rum prævaricantem mandat uno anno ſequeſtra-
ri. Et meritò. Etenim ad Rainaldum Andega-
venſem Epiſcopum ſcribit Goffredus Abbas Vin-
docinenſis. *Si Scripturæ ſacræ firmiter credimus,* L. 3. Epiſt. 2.
ſcimus veraciter Epiſcopum non eſſe, qui timet exi-
lium, dolorem, vel mortem, aut qui ea, quæ ſunt
his contraria, æquitati anteponit. Nolite igitur in
defenſione ſanctæ Eccleſiæ deficere. Imitandus eſt
Sanctus Hieronymus, Joanni Hieroſolymæ Epi-
ſcopo exilium intentanti reſpondens, à monacho-
rum gente non timeri exilia, quòd *Domini ſit*
terra, & plenitudo ejus. Imitandus eſt frater Ro-
bertus, ex ſacro Prædicatorum Ordine Archi-
Epiſcopus Cantuarienſis, qui omnibus per Re-
giæ manus immiſſionem ſpoliatus, cum fratre
laico per Diœceſis ſuæ pagos abiit concionatum
ac mendicatum, atque ità Regem confudit &
correxit. Hanc Epiſcopalem fiduciam eſſe legi-
timam martyrii cauſam docent Acta Sanctorum
Thomæ Cantuarienſis & Stanislai Epiſcopi Cra-
covienſis.

Et hæc omnia noviſſimè confirmavit atque
innovavit ſacroſanctum Concilium Tridentinum.
Non poteſt ſancta Synodus graviter non dolere, au- Seſſ. 25. c. 17.
diens Epiſcopos aliquos, ſui ſtatus oblitos, Pontifi-
ciam dignitatem non leviter dehoneſtare, qui cum
Regum Miniſtris, Regulis, & Baronibus in Eccle-
ſia & extra, indecenti quadam dimiſſione ſe gerunt,
& velut inferiores Miniſtri altaris nimis indignè non
ſolùm loco cedunt, ſed etiam perſonaliter illis inſer-
viunt. Quare hæc & ſimilia deteſtans ſancta Syno-
dus ſacros Canones omnes, Conciliaque generalia,
atque alias Apoſtolicas ſanctiones, ad dignitatis
Epiſcopalis decorem & gravitatem pertinentes, re-
novando præcipit, ut ab hujuſmodi impoſterùm Epi-
ſcopi ſe abſtineant, mandans eiſdem, ut tam in
Eccleſia quàm foris, ſuum gradum & Ordinem
præ oculis habentes, ubique ſe Patres & Paſtores
eſſe meminerint; reliquis verò tam Principibus,
quàm cæteris omnibus, ut eos paterno honore ac de-
bita reverentia ubique proſequantur. Tantum ho-
norem novi eſſe infirmis quorumdam Epiſcopo-
rum animis hoſtem periculoſiſſimum: Iſtis le-
genda eſt Sancti Petri Damiani Epiſtola ad The- L. 5. Epiſt. 12.
ſaurarium Eccleſiæ Ravennatis.

CANON XV.

APoſtolicos & paternos Canones renovans ſancta hæc & univerſa-
lis Synodus definivit, neminem prorsùs Epiſcopum vendere,
vel

Digitized by Google

vel utcumque alienare cimilia et vaſa ſacra , excepta cauſa olim ab antiquis Canonibus ordinata , videlicet quæ accipiuntur in redemptionem captivorum . Sed nec tradere ſalaria Eccleſiarum in emphyteotica pacta , nec alias ruſticas poſſeſſiones venundare , ac per hoc Eccleſiaſticos redditus lædere , quos ad propriam utilitatem, et ob eſcam pauperum , et peregrinorum ſuſtentationem eſſe decernimus . Omnem verò Eccleſiaſticarum rerum poteſtatem habentem et has meliorare , ac dilatare prout oportuerit Eccleſiaſtica loca , per quæ redditus fiunt; et inſuper propriarum rerum diſpoſitionem diſtribuere , ac committere ſeu conferre , quibuſcumque voluerit et judicaverit juxta propriam poteſtatem ac dominatum . Quiſquis autem apparuerit poſt hanc definitionem noſtram contrarium quid huic ſanctæ et univerſali Synodo agere , deponatur ut prævaricator Divinarum legum et præceptorum , caſſata videlicet omninò , quæ facta eſt in ſcriptis , vel ſine ſcriptis ab Epiſcopo , venditione , vel emphyteotica traditione , vel alia quavis alienatione , cimiliorum ſcilicet , et ſalariorum locorum . Qui verò emerit aut perceperit aliquid ex prædictis cimeliis vel ſalariis , et non reſtituerit Eccleſiæ iterùm quæ Eccleſiæ ſunt , vel non reddiderit ad incidendum chartam venditionis vel emphyteuſeos , ſit anathema uſque dum fecerit quod ab hac ſancta et univerſali Synodo confirmatum eſt . Si autem Epiſcopus convictus fuerit conſtruxiſſe monaſterium de redditibus Eccleſiaſticis , tradat ipſum eidem Eccleſiæ monaſterium ; ſi verò de propriis rebus, aut de aliis quibuſdam conventionibus , habeat id ſecundùm propriam poteſtatem et voluntatem omni vita ſua , et poſt finem vitæ dimittat et conferat hoc quibuſcumque voluerit , non tamen ſæculare diverſorium fiat.

SCHOLION.

Eccleſiaſtica bona non ſolummodò ad Clericos , ſed etiam ad captivos , peregrinos , orphanos , viduas , quoſvis pauperes ſtricto & æquo proportionis jure pertinere eſt lucidum dogma Apoſtolorum , omnium ſanctorum Patrum , cunctarum ſub cœlo Eccleſiarum . Etenim ad neſcio quem iſtorum bonorum dilapidatorem Epiſcopum ſcribit Sanctus Petrus Damiani . *An ignoras , quia ad hoc Eccleſiis prædia conferuntur , ut ex his pauperes ſuſtententur , indigentes alantur , viduis atque pupillis ſubſidium procuretur ? Eccleſiæ quippe naſcentis exordio hic mos inolevit , ut quilibet ad fidem venientes poſſeſſionum jura diſtraherent , atque ad Apoſtolorum pedes pretium adferrent .* Eo namque tempore Chriſtianorum Eccleſiæ & apud Judæos & apud Romanos erant damnata conventicula , quid immobile poſſidere prohibita : Hìnc data illis per Conſtantinum Auguſtum pace , *Sanctis ipſarum Rectoribus viſum eſt , ut ipſa potiùs prædia traderentur , undè non modò Clericos paſcerent , ſed & refrigerii ſtipem diverſis indigentibus miniſtrarent .* Quod patrimoniorum ſuorum pretia primi fideles Apoſtolis dederint diſtribuenda in pauperes , affirmat etiam in libro de Eccleſiæ unitate Sanctus Cyprianus . Ex Eccleſiæ bonis ferendam pauperibus opem non ſtatuit , ſed ſupponit Synodus Sardicenſis . Et ad Valentinianum Auguſtum ſcribit Sanctus Ambroſius . *Poſſeſſio Eccleſiæ , ſumptus eſt egenorum .* Ex ipſa viduas , pauperes , peregrinos alendos ſcribit in canonicis ad Ammonem Lycopolitanum Epiſcopum litteris Theophilus Patriarcha Alexandrinus . Et quarta Synodus Carthaginenſis : *Qui oblationes defunctorum aut negant Eccleſiis , aut cum difficultate reddunt , tamquam egentium necatores excommunicentur .* Et ſexta Toletana : *Res Eccleſiis collatæ ſunt propriè pauperum alimenta .* Et hìnc Joannis Patriarchæ Antiocheni Epheſina factio , in precibus Theodoſio Auguſto è Chalcedonenſi civitate miſſis , accuſat tamquam de ſummo crimine Sanctum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum , *Quod in pauperum uſus expendenda inſumpſiſſet in milites .* Et ad Gallicanos Epiſcopos ſcribit Hilarius Pontifex : *Ex Eccleſiæ prædiis plurimorum conſuevit neceſſitatibus ſubveniri .* Ea prædia eſſe *res , undè pauperes vivunt* , ait Synodus Agathenſis . Prima Aurelianenſis affirmat eſſe *Eccleſiarum reparationibus , Sacerdotum ac pauperum alimoniis , vel captivorum redem-*

L. 4. Epiſt. 12.

Cap. 12. Epiſt. 21. Cap. 10. Cap. 95. Cap. 15. F. 465. Epiſt. 6. c. 5. Cap. 7. Cap. 5.

Digitized by Google

redemptionibus deputata. Arvernenſis dicit eſſe Cap. 5. *Egentium ſubſtantiam*, in quam nulla ſit Regibus poteſtas. Plurima habemus & ſacrorum Canonum, & ſanctorum Patrum talia teſtimonia: Omnis antiqua Chriſtianitas uno ore clamat Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ raptores laicos, ac pravos diſpenſatores Epiſcopos eſſe fures, latrones, pauperum necatores, ſimiles Judæ Pſeudo-Apoſtolo, ac Judaicis Pontificibus, ſacra pecunia ementibus Romanos milites ad ſimplici populo de Domini noſtri Jeſu Chriſti Reſurrectione mentiendum. Uti ob aliter inſolubile Eccleſiarum alienum æs, ità etiam ob aliter inadjuvabiles pauperum neceſſitates vendi quamvis ſacram ſubſtantiam, ipſos quoque Dominici Sanguinis portitores calices, permiſit cum noſtro Canone omnis fidelis antiquitas, quod nempe ad pauperes æquo cum Clericis jure pertinerent. Hinc item Sanctus Proſper, vel quivis alius de vita contemplativa librorum doctus & antiquus auctor Clericos ſufficienti patrimonio inſtructos vetat vivere ex bonis Eccleſiæ: Ex Conſtantini Auguſti, ſolos pauperes in Clerum ſcribi mandantis, lege loquitur, putatque ab illa victum iſtum ſolis pauperibus permitti. Verùm hæc eſt ejus privata ſententia, in ſacris Canonibus non habens fundamentum.

Addit Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. Epiſt. 10. *Quia non ſolùm ignominioſum, ſed & periculoſum eſſe conſtat, ſtipendia Eccleſiaſtica, quæ ſunt tributa egentium animarum, in turpes & deteſtabiles uſus conſummari & conſumi, decrevimus communi conſilio Capituli noſtri domum mundari à pollutione ſordium, & immunditia lupanari*. Hanc immunditiam dicit eſſe luxurioſas ac ſuperfluas Clericorum veſtes, de quibus in Epiſtola ad Fulconem Lingonenſis Epiſt. 9. Eccleſiæ Archi-Diaconum Sanctus Bernardus. *Rectè, quia ſurgis ad Vigilias, vadis ad Miſſas, horis chorum nocturnis diurniſque frequentas. Benè facis, ſi Eccleſiæ Præbendam gratis non accipis. Dignum eſt, ut quia altario deſervit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut ſi benè deſervis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, non ut de altario ſuperbias, ut indè compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia griſeaque pellicea à collo & manibus ornatu purpureo diverſificata. Denique quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*. Multis oſtendit beneficiatum Clericum *neceſſario victu ac ſimplici veſtitu* debere eſſe omninò contentum.

Decreti ſui radicem detegit laudatus Stephanus in litteris ad Alexandrum tertium Pontificem. Epiſt. 85. *Oritur quædam plantatio ſingularium ſeu ſæcularium Canonicorum, quos utrùm Pater cœleſtis plantaverit, necdùm ſcimus*. Et in alia ad eumdem Epiſtola. Epiſt. 118. *Commutaverat dextera Excelſi in Bleſenſi oppido per æternæ recordationis Innocentium* ſecundum *Papam lubricos ſæcularium Canonicorum greſſus in Regularium diſciplinam, & ſingularitatem illam reſtrinxerat, ut tamquam Apoſtolorum diſcipuli de communi viverent in communi. Acutiùs intuentes & intelligentes aſtutiùs Pontifices & Principes temporis noſtri, plantationem, quam neſcio utrùm Pater cœleſtis approbet, inducunt, & Clericos hujus modernæ viæ viros arrogant, qui domos & vineolas ſuas ad informem Præbendarum formam conferant, qui quaſi altare contra altare erigunt, qui Sanctis in via Dei gradientibus objiciunt & offendiculum in verbo, & laqueum in exemplo*. Amiſſam apud nos Chriſtianitatem & fœdiſſimè deformatum Clerum reparaturus Carolus Magnus, omnes cathedrales & collegiatas Eccleſias vertit in clauſtra & Clericalia monaſteria, quod nuper ſub ejus avo Carolo Martello inchoarat Sanctus Rigobertus, ex ſacro Sancti Benedicti Ordine Archi-Epiſcopus Remenſis. Eum in Europa fuiſſe omninò primum iſtius vitæ auctorem teſtantur ejus apud Laurentium Surium authentica vita, & in litteris ad Remenſis Eccleſiæ Decanum idem Stephanus Epiſt. 160. Tornacenſis. In Lugdunenſem Sanctus Ledradus Archi-Epiſcopus, in Metenſem Sanctus Crodogangus, in alias Eccleſias alii ſancti Epiſcopi induxerunt. A Ludovico Pio rogata Aquiſgranenſis Synodus illi ex ſacris Canonibus ac defloratis ſanctorum Patrum dictis Regulam compilavit, cui poſtmodùm in quibuſdam punctis per Sanctum Petrum Damiani reprobatæ ſuffecta fuit monaſtica Regula Sancti Auguſtini. Erat ad Clericalem caſtitatem cuſtodiendam & frænandam avaritiam via longè optima: Longè ſanctiſſima ſub iſtis Regularibus ſeu Canonicis Clericis fuit Europæ Eccleſia, & Jeſu Chriſti patrimonium fideliſſimè adminiſtratum. At verò non ita pridem ante Alexandri tertii Pontificis tempora aurum iſtud, quomodò humana omnia, verti cœpit in ſcoriam, & optimum vinum miſceri lapſæ diſciplinæ aqua: Regularis Clericorum in clauſtro vitæ laxatus hìnc indè rigor viſus eſt non poſſe facilè ſanari, ideòque communia bona fuere iſtic in præbendas diviſa, ac inducti Canonici ſæculares. Præbendæ proventus unicuique dabantur in manus: Quare illi exiſtimarunt ſe eorum, quomodò proprii patrimonii, plenos ac liberos dominos, ac poſſe in luxum & profanas cauſas ſine ſcrupulo profundi. Adversùs hunc etiamnum hodie graſſantem errorem peſſimum nos quoque cum laudato Stephano, cujus tamen dentatos nimiùm in Canonicorum ſæcularium ſtatum aculeos non probamus, Sancto Bernardo, & aliis Eccleſiæ Doctoribus optimis pugnamus.

Et jure merito. Etenim prima Eccleſiæ diſciplina Eccleſiaſticam ſubſtantiam paſſim diviſit in quatuor portiones: Epiſcopo, Clericis, fabricæ, pauperibus. Poſt Caroli Magni tempora apud quoſdam Regulares Clericos illa manſit, apud quoſdam fuit exſtincta. Rationem dat in Reſponſis ad Sancti Auguſtini Anglorum Apoſtoli quæſtiones Sanctus Gregorius Magnus: Q. 2. *Communiter viventibus de faciendis portionibus quid erit loquendum, tùm omne quod ſupereſt neceſſitatibus in cauſis piis ac religioſis erogandum eſt? Domino ac magiſtro omnibus dicente*: QUOD SUPEREST, DATE ELEEMOSYNAM. Ad primam Eccleſiæ diſciplinam dixi, *Paſſim*. Etenim Hiſpaniarum Eccleſia tres ſolummodò habuit portiones: Epiſcopi, Fabricæ, Clericorum. Pauperum portionem dictis tribus incluſam Epiſcopo-

rum & Clericorum fidei credidit, omnia ſimplici ſuæ ſuſtentationi ſuperflua in pauperes ac alias pias cauſas impenſurorum. Et hanc formam tertia Eccleſiæ ſub ſæcularibus Canonicis diſciplina quaſi ubique recepit. Quocircà licèt illi Sacerdotiorum ſuorum proventus faciant ſuos, non tamen pleni & liberi, ſed quaſi fidei-commiſſarii ipſorum ſunt domini, rigido juſtitiæ jure obſtricti ad omne neceſſario victui & ſimplici veſtitui ſuperfluum in pauperes elargiendum. Res tranſit cum ſuo onere: Quarta ſua parte pauperes ſpoliare neque voluit, neque potuit Eccleſia: Abſit hoc à piiſſima matre. Servare illa vult & debet piam voluntatem fundatorum, de quibus prima

L.1.c.116. Synodus Aquiſgranenſis. *Fideles fidei ardore & Chriſti amore ſucceuſi, ob animarum ſuarum remedium & cœleſtis patriæ deſiderium, ſuis propriis facultatibus ſanctam locupletem fecerunt Eccleſiam, ut his & milites Chriſti alerentur, Eccleſiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur.* Idem inculcant ſecunda ejuſdem loci Synodus, & ſexta Pariſienſis. Abſit, ut piæ iſti menti non adverſetur quod de quibuſdam ſuorum temporum Epiſcopis ſcribit in ſermone de lapſis Sanctus Cyprianus: *Eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubvenire, habere argentum largiter velle.* Modica non eſt hæc res. Pauperum à Clericis aut Epiſcopis præſertim oppreſſio clamat in cœlum. Exindè fuiſſe in Eccleſia & Chriſtiano populo natas ſui temporis ſeditates omnes ſcribit ad Sicardum Aquileenſem

L.1.Epiſt. 42. Archi-Epiſcopum Gregorius ſeptimus Pontifex: Exindè Pſeudo-Prædicatio lutherana, licèt non primam originem, certè robuſtiſſima accepit fomenta.

Quomodò Epiſcopus ex Eccleſiæ ſuæ bonis poſſit fundare monaſterium, quod item monaſteria in ſæcularia diverſoria demutari nequeant, eſt ſuprà oſtenſum. Hæc Canonis verba de fundato ex propriis Epiſcopi bonis monaſterio, *Habeat illud omni vita ſua, &c.* oſtendunt eo tempore familiarem fuiſſe non laicum ſolummodò patronatum, ſed & Eccleſiarum ac monaſteriorum proprietatem, de qua Goffredus Abbas Vindocinenſis frequenter dicit ſuum monaſterium eſſe Sancti Petri Apoſtoli patrimonium & alodium Romanæ Eccleſiæ, ideòque illi, uti aliis ejuſdem Eccleſiæ bonis, nullum Epiſcopum poſſe miſceri. Ejuſmodi monaſteria etiam in Romana ſua per D. Lucam Holſtenium nuper publicata Synodo laudat Leo Papa quartus. Et de Sancto Leone nono, quod Sanctæ Crucis monaſterium in hæ- Cap. 41.
reditatis ſuæ terra fundarit, & in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium jus tradiderit, Gregorius ſeptimus ſcribit ad Guarnerium Argentinenſem L.2. Epiſt. 14.
& Burchardum Epiſcopum Baſileenſem. A Carolo Magno & ejus ſucceſſoribus fundata plura monaſteria, quorum, licet regiones in Duces & Comites alienarint, proprietatem ſemper re- A. 1184.
ſervarint, adfirmat Rigordus. Fundata à ſe monaſteria, tutelæ cauſa adversùs variorum Potentum injurias, pii fideles aut Sedi Apoſtolicæ aut Domino Regi dabant in alodium, atque hinc in ſuis Annalibus ſcribit Hermannus Contractus. *Imperator* Henricus tertius *cum Domino Papa* Leo- A. 1053.
ne nono, *multiſque Epiſcopis & Principibus, Natalem Domini VVormatiæ egit. Ubi cum Papa, ſicut dudùm cœperat, Fuldenſem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ Sancto Petro antiquitùs donata feruntur, ab Imperatore repoſcens exegiſſet, demùm Imperator pleraque in ultramontanis partibus ad ſuum jus pertinentia pro ciſalpinis illi quaſi in concambium tradidit.* Altarium ſeu parochialium Eccleſiarum etiam apud laicos proprietate, & varia donatione nihil per iſta tempora fuit frequentiùs: Malum à Carolo Martello inchoatum, cujus profani milites etiam Epiſcopia ac monaſteria verterunt in ſuum patrimonium, ac de illis, ut de re pleniſſimè ſua, tranſegerunt ac diſpoſuerunt. Pippinus filius reddidit Epiſcopia Clero, tandemque etiam altaria & decimas de militum manibus efeſtucavit Eccleſia, atque ità, quod milites Clericis reddere nollent, illa ad monachos devenerunt. Attamen penes Dominum Papam, Imperatores, Reges, ac pios fundatores laicos manſit præſertim monaſteriorum proprietas, & hanc apud dictos laicos præſens Canon tolerat potiùs, quam confirmet. Ex eadem regula Sanctus Franciſcus omnia ſui Ordinis præſentia & futura monaſteria, quin & omnem penitùs etiam ſui uſu conſumptibilem rem, voluit eſſe alodium Eccleſiæ Romanæ.

CANON XVI.

MAgnis ululatibus et multis lacrymis dignum opus à multis fidelibus ad noſtros pervenit auditus; ajunt enim fuiſſe quoſdam laicos ſub eo, qui nuper imperavit, in ordine ſenatorio, qui ſecundùm diverſam imperatoriam dignitatem videbantur capillorum comam circumplexam involvere atque reponere, et gradum quaſi Sacerdotalem per quædam induſia et veſtimenta ſacerdotalia ſumere, et ut putabatur, Epiſcopos conſtituere, ſuperhumeralibus,

id eſt,

id eſt, palliis circumamictos, et omnem aliam Pontificalem indutos ſtolam, qui etiam proprium Patriarcham adſcribentes eum, qui in adinventionibus riſum moventibus Prælatus et Princeps erat; et inſultabant et illudebant quibuſque divinis, modò quidem electiones, promotiones, et conſecrationes, modò autem acutè calumnias, damnationes, et depoſitiones Epiſcoporum, quaſi ab invicem et per invicem miſerabiliter et prævaricatoriè agentes et patientes. Talis autem actio nec apud gentes à ſæculo umquam audita eſt, ità ut pejores et miſerabiliores infidelibus nationibus exhibeat et demonſtret hos, quos nunc manifeſtos effecimus, qua de re ſancta et univerſalis Synodus definivit et promulgavit, illos quidem malitiæ nixus omninò ut ſceleſtos abominari, neminem autem fidelium, qui Chriſtiana cenſentur appellatione, deinceps conari tale quid faciendi vel admittendi, aut ſilentio tegendi quemquam eorum, qui hujuſmodi operantur impietatem. Si verò quiſpiam Imperator, vel Potentum, aut Magnatum taliter illudere Divinis, et talem ac tantam injuriam impiè in Divinum Sacerdotium facere vel admittere tentaverit, primò quidem arguatur à Patriarcha illius temporis, & Epiſcopis qui cum ipſo fuerint, & ſegregetur, & indignus Divinis myſteriis judicetur; deindè verò accipiat quoſdam alios in duram obſervationem labores & pœnas, quæ viſæ fuerint: Et niſi celeriter ſe pœniteat, etiam anathema ſit ab ſancta & univerſali Synodo, tamquam qui ſinceræ & immaculatæ fidei myſterium dehoneſtaverit. Si verò præſumentibus quibuſdam hujuſmodi nefas operari, Patriarcha Conſtantinopolitanus & ſuffraganei ejus Epiſcopi, quod factum fuerit, cognoſcentes, neglexerint debitum adversùs eos oſtendere zelum, deponantur, & à proprio ſacerdotio ac honore pellantur: Qui autem quoquo modo hujuſmodi miniſtraverunt, vel miniſtraturi ſunt impiiſſimæ actioni, & minimè confeſſi acceperint conveniens epitimium, definimus per triennium ſequeſtratos eſſe, anno quidem uno extra Eccleſiam flentes, alio verò anno intra Eccleſiam ſtare uſque ad catechumenos, porrò tertio conſiſtere cum fidelibus, & ità dignos fieri myſteriorum ſanctificationibus.

SCHOLION.

CAnonis cauſam ad nonam præſentis Synodi Actionem edixerunt per Thomam Subdiaconum ac Notarium Legati Romani. *In noviſſimis temporibus nova pravitas & valdè reprehenſibilis apparuit. Homines enim laici ad dedecus & confuſionem Chriſti Dei noſtri, & Eccleſiæ ipſius, & Sacerdotalis dignitatis, amicti Sacerdotalibus ſtolis & Epiſcopalibus ſuperhumeralibus, & accipientes orationem Sacerdotalem ab aliquo laico quaſi Patriarchalem formam habente, præſumpſerunt Sacerdotio fungi, & agere putativa, veluti digni ſummi Sacerdotes, Divinæ adminiſtrationis myſteria, in deriſionem ac vituperationem dati à Deo Principibus Sacerdotum honoris, & detractionem immaculatæ Chriſtianorum fidei.* Lucidiùs in Sancti Ignatii vita exponit Niceas Paphlago. *Michael Imperator animo juvenilibus deſideriis corrupto rem Divinam pro fabula ſeu ludibrio ducebat, ludibrium ipſe factus omnis fœditatis & peccati, ipſiuſque peccati patris. Etenim Homunciones quoſdam impuriſſimos ac profaniſſimos, & ſcurras Divini Spiritus cœleſtiſque gratiæ omninò expertes, peſſimiſque dæmonis artibus inſtructiſſimos, ſacrilegè impudenterque Sacerdotes & Antiſtites ad Eccleſiæ profanam imitationem dementiſſimus conſecravit, illiſque Theophilum quemdam Proto-Spatharium, ſcurram & mimum, interque profanos profaniſſimum, Patriarcham præfecit, riſum ſibi & cachinnum improbum deridendus ac deteſtandus quæritans: Per quæ*

oblationi ſanctæ fiebat injuria, nomen verò Dei contumeliis affectum inter gentes blaſphemabatur. Sed Michael tantoperè infamia hac gloriabatur, ut nec publicè quidem erubeſceret jactare: MIHI THEOPHILUS, BARDÆ CÆSARI PHOTIUS, CHRISTIANIS IGNATIUS EST PATRIARCHA. *In hoc amentiæ, ne dicam impietatis potiùs, tandem chaos eſt devolutus. Ità ſacrilegus ille ſcurra Theophilus, exerta ſua petulantia aulas lambens Regias, nefandis ſceleribus, laſcivia, & facetiis, turpiſſima imitatione per contemptum rerum Divinarum myſteria & Sacramenta traducebat ac illudebat: Quod ne gentes quidem, quamvis impiæ, auſæ ſunt aliquando. Quæ Photius cùm coram ſe geri cerneret, rem indigniſſimam nec reprehendit, nec reſtitit impietati, neque quòd res Divina ludibrio haberetur, verbum ullum contra vel grave vel leve edidit. Quod mirum videri non debet. Erat enim mercenarius opilio, non germanus Paſtor. Quocircà illi de pereunte grege nulla cura. Ad hæc duo tantùm toto pectore intentus: Alterum, ut iis, qui rerum potiri videbantur, blandiendo, modiſque omnibus gratificando & obſequendo, Patriarchatum ſibi firmaret; alterum, ut Ignatium, ſi qua ratione fieri poſſet, etiam vita exueret.*

Rectè dicit Nicetas: *Ne gentes quidem auſæ ſunt aliquando.* Ex iſtius enim blaſphemæ irriſionis metu Sacra noſtra coram gentilibus ſtudioſiſſimè occultari mandat Apoſtolicus, immò Evangelicus Canon, vetans ſanctum dari canibus, aut margaritas projici ante porcos. A nullo umquam gentili, niſi à quibuſdam fœdiſſimis mimis, Divinæ paſſim vindicta percuſſis, aut admiranda gratia converſis, myſteria noſtra iſtam injuriam pertulerunt. Hæc Canonis noſtri verba, *Capillorum comam circumplexam involvere, &c.* exponit Anaſtaſii Bibliothecarii ſcholion marginale: *Ità à cervice uſque ad capitis contorquebant, ut Clericali more in rotundum tonſi viderentur.*

Hos inter ſcurras erant Marinus, Baſilius, & Georgius Spatharii, id eſt, Principis Protectores Domeſtici, à Gordiano Imperatore inſtituti, quos à poſterioribus Græcorum Auguſtis appellatos fuiſſe Spatharios teſtatur Georgius Cedrenus. Hi, inquam, tres apud nonam præſentis Synodi Actionem fuere confeſſi: *Ludum faciebat Michael Imperator, mittens nobis Pontificalem ſtolam; verùm non ſolùm nobis, ſed & pluribus aliis Spathariis.* Et à Romanis legatis rogati, *Veraciter mittebatis Sacerdotalem ſtolam?* Reſponderunt: *Mittebamus eam.* Rursùm rogati, *Et ſuper capita veſtra poſuerunt ſancta Evangelia?* Faſſi ſunt: *Veraciter poſuerunt ea.* Etenim Epiſcoporum, dum conſecrantur, capiti ſanctum Evangelii codicem ſuperponere eſt antiquiſſimus & Græcæ & Latinæ Eccleſiæ ritus. Rogati denuò, *Et faciebat quis aliquam orationem,* ſeu verbalem Epiſcopalis conſecrationis formam *in vos?* Repoſuerunt: *Etiam*, utique *Theophilus Proto-Spatharius.* Addidere illum jam eſſe mortuum, perrexeruntque Apoſtolici Legati: *Verè mortuus eſt, & abiit in infernum. Vos ſciebatis, quòd malum eſſet; ut quid hoc feciſtis?* Dixerunt: *Et quid poteramus adverſus Imperatorem dicere, fœminas & pueros, & ſæculum habentes?* Rursùm legati: *Et ſi obtuliſſet vobis idolum, adorare illud habuiſtis?* Et illi: *Abſit.* Exindè eorum baptiſmum, ſi fortè ſimili blaſphemo modo datum, diſcuſſerunt Legati, & comperto legitimo ſunt proſecuti: *Et cur ſi Sacerdotes induxerunt vos in Eccleſiam & in communionem, vos depravaſtis Divina ac terribilia myſteria, & illuſiſtis, & feciſtis ridiculum Sacerdotium?* Et illi: *Diximus, & iterum dicimus, per diem illam quidquid faciebat Imperator & præcipiebat, nos faciebamus. Si enim loqueremur & reſiſteremus, moreremur. Et quidam ex noſtris reſiſtentes cæſi ſunt. Homines ſumus infirmi, & non toleraſſemus mortem. Verùmtamen Epitimium accepimus, confitentes ſanctiſſimo Domino noſtro Ignatio Patriarchæ.* Addiderunt impoſita Epitimia ſeſe expleſſe. Hinc iterùm legati: *Quando hanc pompam, & injuriam, & ridiculum faciebatis in Sacerdotium, videbat vos Photius?* Et ipſi: *Neſcimus ſi videbat, an ſi non videbat; teſtis autem eſt Deus, quia totus mundus id ſciebat.* Adſtitiſſe & vidiſſe Photium Nicetas Paphlago eſt ſuprà teſtatus. Hos itàque homines pœnitentes novis Epitimiis ſubmiſere Legati Apoſtolici, ac dimiſerunt.

CANON XVII.

Sancta & univerſalis Nicæna prima Synodus antiquam conſuetudinem jubet ſervari per Ægyptum, & provincias, quæ ſub ipſa ſunt, ità ut horum omnium Alexandrinus Epiſcopus habeat poteſtatem, dicens: *Quia & in Romanorum civitate hujuſmodi mos prævaluit.* Qua pro cauſa & hæc magna & ſancta Synodus tam in ſeniori & nova Roma, quam in ſede Antiochiæ, ac Hieroſolymorum priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſervari, ità ut earum

Præſules

Præſules univerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promoventur, & ſive per manus impoſitionem, ſive per pallii dationem Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem, videlicet ad convocandum eos, urgente neceſſitate, ad Synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos & corrigendum, cùm fama eos ſuper quibuſdam delictis forſitan accuſaverit. Sed quoniam ſunt quidam Metropolitanorum, qui ne ſecundùm vocationem Apoſtolici Præſulis occurrant, à mundi Principibus ſe detineri ſine ratione cauſantur, placuit talem excuſationem omnimodis eſſe invalidam. Cùm enim Princeps pro ſuis cauſis conventus frequenter agat, impium eſt ut ſummos Præſules ad Synodos pro Eccleſiaſticis negotiis celebrandum impediant, vel quoſdam à Conciliis eorum prohibeant, licèt tale impedimentum & fictam prohibitionem Metropolitanorum ſuggeſtione diverſis modis fieri didicerimus. Conſueverunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideòque ſicut dicunt ad Patriarchale penitùs non poſſe concurrere caput. Sed ſancta hæc & univerſalis Synodus, nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens, multò magis illa novit rationabiliora eſſe, ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ à Patriarchali ſede congregantur; & idcircò hæc fieri exigit: À Metropolita quippè unius quidem Provinciæ diſpoſitio efficitur, à Patriarcha verò ſæpè totius cauſa diœceſeos diſpenſatur. Ac per hoc communis utilitas providetur, propter quòd & ſpeciale lucrum propter generale bonum poſtponi convenit, cùm à Majoribus ſuper hæc facta fuerit advocatio. Quamvis apud quoſdam Metropolitanorum antiqua conſuetudo, & canonica traditio per contemptum ipſorum poſtpoſita videantur, non currentibus eis ad communem profectum, quos leges Eccleſiæ ſeverè condemnantes, omni excuſatione remota, ſubjacere vocationibus proprii Patriarchæ, ſive cum communiter, ſive cùm ſigillatim factæ fuerint, exigunt. Illud autem, tamquam peroſum quiddam, ab auribus noſtris repulimus, quod à quibuſdam imperitis dicitur, non poſſe Synodum abſque Principali præſentia celebrari, cùm nuſquam ſacri Canones convenire ſæculares Principes in Conciliis ſanxerint, ſed ſolos Antiſtites. Undè nec interfuiſſe illos Synodis, exceptis Conciliis univerſalibus, invenimus: Neque enim fas eſt, ſæculares Principes ſpectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnumquam eveniunt. Quiſquis ergò Metropolitanorum proprium Patriarcham contempſerit, & vocationem ejus, quæ ſive ad unum ſolum, ſive ad plures, ſive ad omnes fit, abſque validiſſima ægrotatione, vel paganorum incurſu, non obedierit, & per totos duos menſes poſt notitiam vocationis ad proprium venire Patriarcham minimè feſtinaverit, vel ſi quocumque modo latitare, aut non cognoſcere nuntium ab illo miſſum tentaverit, ſegregetur; ſi verò intra unum annum eamdem contumaciam & inobedientiam demonſtraverit, deponatur omnibus modis, & ab omni Sacerdotali operatione decidat, atque à dignitate & honore, qui Metropolitanis convenit, propellatur. Is autem, qui huic definitioni non obedierit etiam, & anathema ſit.

SCHO-

SCHOLION.

VAria ad Gallieanam præſertim Eccleſiam ſpectantia definit Canon. Primò, ex ſexto Canone Nicæno & Apoſtolica inſtitutione ait omnes cujuſque Diœceſeos Metropolitas ſpectare ad immediatam, plenamque poteſtatem ac primtm inſtantiam Patriarchæ. Definit adversùs Hincmarum Metropolitam Remenſem, Epiſt. 1. inflatum hoc privilegio Benedicti tertii Pontificis: *Promulgamus atque ſtatuimus te, qui Provinciæ tuæ Primas eſſe diceris, nullius umquam infeſtatione ante audientiam Romani Pontificis à quocumque damnari*. Primatum Bituricenſem non ità pridem ad Caroli Magni preces erexerat Adrianus primus, & Drogoni Metenſium Epiſcopo Apoſtolieas per omnem Franciam vices Sergius ſecundus dederat: Ejuſmodi jugum perpetuis futuris temporibus à Remenſi ſede avertere conatus Hincmarus obtinuit landatum privilegium, de quo ad Manaſſen Remenſem Archi-Epiſcopum L. 6. Epiſt. 2. ſcribit Gregorius ſeptimus: *Ab Apoſtolica Sede fatemini vas habere privilegium, quo cogamini niſi ſoli mihi aut Romanis Legatis ſuper objectis quibuslibet reſpondere.* Romanos iſtns Legatos Manaſſes volebat eſſe Romanæ Eccleſiæ Dominos Cardinales, Roma ab ipſo Pontificis latere miſſos, ideòque uti Hincmarus Anſegiſo Senonenſi Joannis octavi, ità ille Hugonl Dienſi Epiſcopo laudati Gregorii per omnem Galliam Apoſtolieo Vicario detrectabat obedire. Verùm repoſnit Pontifex etiam iſtos Vicarios eſſe veraciter Legatos, ideòque plena obedientia ab omni Metropolita honorandos. Oſtendit exemplo Epiſcoporum Atelatenſium, qnibus varii Pontifices, & exemplo Syagtii Auguſtodnnenſis Epiſcopi, cui Sanctus Gregorius Magnus ſuas per Franciam vices delegavit, & omnes Metropolitas ſubjecit. Adducere potuerat & exemplum Vicarii Theſſalonicenſis.

Privilegium iſtud Hincmarus extenderat multò largiùs. Provinciæ ſuæ Primatem ſe dixit, ideòque Archi-Epiſcopum Autocephalum, etiam à Patriarchica Romani Pontificis poreſtate exemptum, ſubjectumque ſoli, à qua exemptus eſſe nemo poſſit, poteſtati Papali. Hìnc ſcribit in Epiſtola adversùs nepotem ſunm Hincmarum Epiſcopum Laudunenſem. Epiſt. 33. c. 17. *Rebellantes Epiſcopi adversùm Metropolitanos vel Archi-Epiſcopos, his enim duobus nominibus hujus excellentiæ dignitas deſignatur; itemque Metropolitani vel Archi-Epiſcopi adversùm Primates vel Patriarchas, qui in his duobus nominibus uno Prioratu funguntur*. Primatem ae Patriarcham vult eſſe penitùs idem: At grande dubium reſtabat. Etenim uti Metropolita plures Epiſcopos, ità Patriarcha ant Primas plnres ſub ſe habere debet Metropolitas. Hìnc pergit verſatile Hincmari ingeninm. *Quidam Archi-Epiſcopi vel Metropolitani, Primates Provinciarum multoties in ſacris Canonibus inveniuntur: Illi videlicet, qui loco defunctorum Archi-Epiſcoporum vel Metropolitanorum ab Epiſcopis uniuſcujuſque Provinciæ ſine interrogatione alterius Primatis prævalent ordinari, & ex antiquæ conſuetudinis lege à Sede Apoſtolica ſolent Pallii genio inſigniri, & in loco decedentium Epiſcoporum ſine conſultu vel licentia Primatis alterius in ſua Provincia quique poſſunt novos Epiſcopos ordinare*. Et infrà. *Quod de Galliarum, Belgicorum, ac Germaniarum Primatibus eſt intelligendum*. Autocephalia conſiſtit præſertim in quatuor. Primò, quòd quis ſit non ſolò nomine & vacuo honore, ſed omninò poteſtate Metropolita. Secundò, quòd à Clero & populo ſuo electus præviam conſecrationis licentiam ac electionis confirmationem à nullo Patriarcha aut Primate petere, nullinſque manum accedere aut exſpectare conſecrandus debeat, ſed ſtatim à ſua Synodo in propria ſede conſecretur. Tertiò, qnòd legitimè electos ſuæ provinciæ aut diœceſis Epiſcopos ipſe confirmet, nullius Superioris confirmationem aut licentiam præſtolari conſecratnrus teneatur, ſed eos conſecret ſuo arbitratu. Quartò, quòd inthronizandus neminem agnoſcere debeat, niſi, non ut Patriarcham, ſed ut Papam, Romanum Epiſcopum, à quo Pallium jam conſecratus, & acceptæ conſecrationis firmitarem petat, atque ità incipiat à propria Synodo inductns in ſuo throno ſedere. Patriarchica quippè poteſtas in Metropolitarum ac Provincialinm Epiſcoporum confirmandorum & conſecrandorum jute præſertim ſita eſt, atque ità ab utroque illo liber eſt antocephalus, à Patriarchico jugo plenè exemptus. Tales Hincmarus eſſe opinatur omnes Galliæ, Belgii, ac Germaniæ Metropolitas: Tacet Aqnitanos & Narbonenſes, quòd illos nnper Adrianus primus Pontifex & Rex Carolus Magnus Primati Bituricenſi ſuppoſuiſſent.

Haſce nugas damnat præſens Canon. Et jure meritò. Etenim in omni Latina Eccleſia nullus umquam unicæ provinciæ Metropolita, niſi ſolus à Græcorum Exarchis inflatus, atque ideò à Romana Eccleſia frequenter damnatus, Ravennas ſomniavit de autocephalia. Omnes Galliæ ac Germaniæ Metropolitas Romano Pontifici ſemper ut Patriarchæ ſubfuiſſe, ipſa meridie eſt magis elarum. Antocephaliam in ſolis Romano, Alexandriuo, ac Antiocheno Patriarchis, nec non Heracleenſi, Epheſino, ac Cæſareenſi in Cappadocia Primatibns agnovit ex Apoſtolico inſtituto antiqua Eccleſia: Poſtmodùm acceſſerunt Hieroſolymitanus & Conſtantinopolitanus, qui dictos tres Primates exuit dignitate, ac in ordinem redegit. Acceſſit & Conſtantienſis Cypriorum Archi-Epiſcopus, in toto orbe unius ſolummodò provinciæ autocephalns Primas. Item Metropolita & Archi-Epiſcopus, item Patriarcha & Primas apud antiqnam Eccleſiam nequaquam fuere idem. Liquet ex Eccleſiæ Africanæ Primatibns, Carthaginenſi Archi-Epiſcopo ſubjectis. Quin immò Hilarus Papa ſeniorem Epiſt. 4. provinciæ ſuffraganeum vocat Primatem.

Secundò dicit Canon qnoſdam Metropolitas per manns impoſitionem, quoſdam per ſolam Pallii dationem promoveri, & Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipere à Patriarchis. Quod omnium Metropolitarum prævia confirmatio & conſecratio ad Patriarcham ex Apoſtolico Canone

ne

ne pertineat, liquet ex ſexto Nicæno Canone, Epiſt. 18. ac ex Innocentii primi Pontificis Epiſtola ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum. At verò Romanns Pontifex, qni ſuæ Patriarchalis poteſtatis vaſtiſſimaa diœceſes habet, innumerorum ſuorum Comprovincialium Epiſcoporum conſecratione contentua, ejuſdem conſectationis jus in Ravennæ Metropolitam ex cauſia retinnit, ob nimiam locorum diſtanriam ac itinerum moleſtias cæteris omnibua remiſit: In plurimis retinuit jua præviæ confirmationis. Etenim Salonitanum ac Mediolanenſem, ex Sancto Gregorio Magno; Gallicanos atque Illyricianos illa ſemper indiguiſſe, lucet ex antiqua poteſtate Vicatii Theſſalonicenſis ac Primatis Arelatenſis. Primatum iſtum Sanctua Leo Magnus extinxit, atque ità Galli & Germani Metropolitæ pedetentim invaſere privilegium, de quo in Reſponſia ad Bulgarorum Cap. 73. conſulta Sanctus Pontifex Nicolaua primus. *A Sedis Apoſtolicæ Præſule eſt nunc vobis Epiſcopus conſecrandus, qui, ſi Chriſti plebs ipſo præſtante creſcet, Archi-Epiſcopatus privilegia per nos accipiat, & ità demùm Epiſcopos ſibi conſtituat, qui ei decedenti ſucceſſorem eligant, & propter longitudinem itineris non jam huc conſecrandus, qui electus eſt, veniat, ſed hunc Epiſcopi, qui ab obeunte Archi-Epiſcopo conſecrati ſunt, ſimul congregati conſtituant: Sanè interim in throno non ſedentem, & præter corpus Chriſti non conſecrantem, priuſquam Pallium à ſede Romana percipiat, ſicuti Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archi-Epiſcopi agere comprobantur.* Primum Neophytarum gentium Archi-Epiſcopum ſemper nominavit, præviè confirmavit, & conſecravit Romanua Pontifex, atqne ità omnium Succeſſorum conſecrationem & præviam confirmationem, nimiæ diſtantiæ ergò gratioſè remiſſam, ac provinciæ Synodo delegatam, pleno ad ſe jure ſpectare demonſtravit. Peſſimè igitur Hincmarus gratiam iſtam conatus eſt demutare in autocephaliam. De gravioti Francorum Metropolitarum attentato queritur in litteria ad Arelatenſem Archi-Epiſcopum Epiſt. 93. 95. Pontifex Joannea octavua. *Proh dolor! cùm in Galliæ partibus eſſemus, inter cætera unum valdè prohibendum invenimus: Metropolitæ, antequam Pallium à Sede Apoſtolica ſuſcipiant, conſecrationem facere præſumunt, quod Anteceſſores noſtri, & nos canonico decreto, ne fieret, interdiximus.* Adversùm dictas Hincmari nugaa definit Canon etiam iſtoa Metropolitas, qui quoad ſolam Pallii dationem à Romano Pontifice dependent, dependere ut à Patriarcha, non eſſe autocephalos, eſſe juri Patriarchico plenè ſubjectoa.

Hinc inferens tertiò definit Canon ejuſmodi Metropolitas poſſe à ſuo Patriarcha ad ſedem & civitatem Patriarchalem, adeóque & à Domino Papa Romam evocari, ex duabus præſertim cauſis. Primò, *ad ſynodalem conventum*, id eſt, ad totius diœceſeoa Synodum Patriarchalem. Definit adversùs eumdem Hincmarum, qui Nicolao primo Pontifici, qnoſdam nuper Gallicanoa Epi- Epiſt. 27. ſcopos ad iſtiuſmodi ſuam Synodum evocanti, per Caroli Calvi Regis calamum reſponderat *majorem partem omnium Epiſcoporum die noctuque cum aliis fidelibus contra piratas maritimos*, graſſantes tunc Normannoa, *involare, ob idque Epiſcopi impediantur venire.* Eo tempore ex inducto per Carolum Martellum peſſimo more Epiſcopi Francorum & Clerici propriis adhuc manibus pugnabant in Regio exercitu, & dudùm poſteà pugnaverunr. Etiam hæc à laudato Pontifice adducta in ſuis ad dictum Regem litteris verba, *Dicunt quod Epiſcopos de regnis veſtris Romam ad Synodum mittendi neceſſitas non poſtulet*, ſunt omninò Hincmari, conſueti dicere: *Conſueverunt Metropolitani bis in anno facere Synodos, ideòque ad Patriarchale penitùs non poſſe concurrere caput.* Uſurpatæ autocephaliæ faſtu tumebat Hincmarus, ideòque ab omni Patriarchali Synodo, imitatus vetuſtam Ravennarum Archi-Epiſcoporum ſuperbiam, ſe blaterabat exemptum. Et hanc inſolentiam præſens Canon, nec non in adductia litteris Nicolaus primus largè refutanr. Epiſt. 27.

Altera evocandorum Metropolitarum cauſa eſt *ad coercendum illos & corrigendum, cum fama eos ſuper quibuſdam delictis forſitàn accuſaverit.* Etiam hæc dicuntur in Hincmarum, qui à Remenſibus per Ebbonem Archi-Epiſcopum ordinaris Clericis, à Rothaldo Sueſſionenſi ac nepote ſuo Hincmaro Laudunenſi Epiſcopis, ab ejus tyrannico damnationis judicio Romam appellantibus, nec non à Nicolao primo ac Adriano ſecundo Pontificibus, dictas appellationes admittentibua, Romam evocatus, tot morarum, tergiverſationum, mendaciorum, contumaciarum ſtrophas contexuit, ut chamaleon, ſecundus Dioſcorus, & novua Pharao meruerit à laudato Nicolao appellari. Hanc Canonia partem reſpicit in litteris ad Eccleſiam Mediolanenſem Sanctua Bernardus: *Poteſt Romana Eccleſia à finibus terræ ſublimes quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas evocare & cogere ad ſuam præſentiam, non ſemel aut bis, ſed quoties expedire videbit.* Epiſt. 131. Quod ipſum in litteria ad eumdem Pontificem Nicolaum, exſtantibus apud Flodoardum in hiſtoria Eccleſiæ Remenſia, noſter Remenſis chamaleon ex verſatilis ſui ingenii arte eſt tandem confeſſus. L. 3. c. 13. *Dignum & juſtum eſt, ut quemcumque Epiſcopum Romanus Pontifex ad ſe Romam venire mandaverit, ſi infirmitas vel gravior quæcumque neceſſitas, vel impoſſibilitas, ſicut ſacri præfigunt Canones, eum non detinuerit, ad illum venire ſtudeat: Multò magis etiam is, quem pro querela ad ſe quocumque modo clamantem præſentiæ ſuæ judicat exhibendum. Et quicumque viderit vel audierit, quod Rex & Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis ſummum Pontificem promptè obaudiunt & honorant, promptiùs & humiliùs eis ſubjecti ſui obedient.* Et hanc obedientiam præſena Canon confirmat. Loquitur de ſolis Merropolitis: Quod Provincialium Epiſcoporum prima, etiam criminalis, inſtantia ſpectet ad Metropolitam, & quòd huc uſque eorum nullua recalcitraret Romanis evocationibua, ſed cuncti ad eas adversùs Hincmarianam ſuorum Metropolitarum tyrannidem proclamarent.

Etiam hæc noſtri Canonia, & quarti ab illo definiti verba, *A mundi Principibus ſe detineri ſine ratione cauſantur*, petunt Hincmarum, cujus ultimum & peremptorium adversùs Nicolai primi & Adriani ſecundi Pontificum, Romam

evocan-

evocantium, mandata reſugium erat: *Rex non vult*. Erat reſugium factionis Euſebianæ, damnatum in Apologia à Sancto Athanaſio, & Synodo Sardicenſi. Et Flaviani Patriarchæ Antiocheni adversùm Damaſi, Siricii, ac Anaſtaſii Pontificum evocationes refugium, de quo in
L.5.c.23. Eccleſiaſtica hiſtoria Theodoretus. *Romani Pontifices* Theodoſii primi *Imperatoris*, à quo ſacram juſſionem evocationis ſuæ ſuſpenſivam obtinuerat Flavianus, *animum adversùs eum incitare obnixè ſtuduerunt. Nam cùm Imperatori nimis acriter inſtando multum ſæpè exhibuiſſent moleſtiæ, accerſit eum Conſtantinopolim, & Romam proficiſci jubet. At Flavianus reſpondit hyemem jam eſſe. Itaque pollicitus ſe ineunte vere imperata facturum, in patriam revertit. Sed cùm Epiſcopi Romani, non Damaſus ſolùm ille admirabilis, verùm etiam poſt illum Siricius, & Anaſtaſius Siricii ſucceſſor, vehementiùs in Imperatorem invecti eſſent, dixiſſentque eum illos, qui tyrannidem contra ſe exercere molirentur, opprimere, ſed his, qui per tyrannidem Chriſti legem evertere ſtuderent, impunitatem concedere, eum accerſit denuò Imperator, Romamque ut contendat, cogere laborat*. Romana evocandi poteſtas eſt omninò Divina Domini Jeſu Chriſti lex, ideòque pro illa, ut Evangelico dogmate fundamentali, Apoſtolica Sedes ſemper laboravit.

Eodem peſſimo reſugio adversùs Hormiſdam Pontificem uſus eſt peſſimus Theſſalonicenſium Archi-Epiſcopus Dorotheus, de quo ad eumdem
Relat. 4. poſt Epiſt. 64. Pontificem ſcribunt ejus apud Juſtinum Auguſtum Legati. *Dorotheus ad Heracleenſem deductus eſt civitatem, donec cauſa terminum reperiret. Inter hæc ſecundùm ea, quæ præcepiſtis, auctoritatem Apoſtolatus veſtri Principi inſinuare curavimus, ut ad percipiendam doctrinam Catholicæ puritatis Romam præfatus Dorotheus mitteretur. Qui reſpondit cauſam non eſſe, pro qua Romam delegaretur audiendus, ubi ſine Accuſatorum controverſia ſeſe poſſet liberiùs excuſare*. Didicerat id Dorotheus à ſchiſmatis ſui auctore, Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano, à quo Felicis tertii Pontificis evocationem fuiſſe Regia Zenonis Auguſti violentia fruſtratam ſcribit in Breviario Liberatus Diaconus Carthaginenſis. Et adversùs ſimilem Mauritii Auguſti juſſionem, qua Maximi Salonitani Archi-Epiſcopi evocationem non ſuſpenderat, ſed Maximum cum honore ſuſcipi juſſerat ſolummodò, ſcribit ad Conſtantinam Auguſtam Sanctus Gregorius Magnus. *Valdè grave eſt, ut vir,*
L.4. Epiſt. 34. *de quo tanta & talia nunciantur, cùm antè diſquiri & diſcuti debeat, honoretur. Et ſi Epiſcoporum mihi commiſſorum cauſæ apud piiſſimos Dominos aliorum patrociniis diſponuntur, infelix ego in Eccleſia iſta quid facio? Sed ut Epiſcopi mei me deſpiciant, & contra me reſugium ad ſæculares judices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breviter ſuggero, quia aliquantùm exſpecto, & ſi venire ad me diu diſtulerit, in eo exercere diſtrictionem canonicam nullo modo ceſſabo*. Et in
L.5. Epiſt. 15. litteris ad ipſum Maximum, quem non Epiſcopum, ſed prævaricatorem aſſiduè appellat. *Nullas alias de hac re, quam quod ad nos venire debeas, juſſiones accepimus. Sed etſi forſitàn pro Reipublicæ ſuæ utilitate multa cogitantibus ſuggeſtum eſt, & eorum juſſio per obreptionem elicita, poſtquam & nobis & omnibus notum eſt Piiſſimos Dominos diſciplinam diligere, ordines ſervare, Canones venerari, & ſe in cauſis Sacerdotalibus non miſcere, inſtanter exequimur quod & illorum juvat animam atque Rempublicam, & ad quod nos terribilis tremendique judicii reſpectus impellit*.

Proindè Epiſcopo indigna ſunt hæc verba Petri à Marca Archi-Epiſcopi Pariſienſis. *Octava* L.2. c.17. *Synodus mores in Gallia receptos & jura Regia variis Canonibus videtur petiviſſe. Epiſcopos omnes ſiſtere ſe Concilio Patriarchæ jubet Canon decimus ſeptimus, neque Principum juſſu poſſe impediri, cùm tamen à regno diſcedere & Synodo intereſſe abſque conſenſu Principis, vetitum eſſe Gallicanis Epiſcopis doceat Hincmarus, & plerique auctores poſt octavam Synodum*. Hincmari, utpotè ſecundi Dioſcori & novi Pharaonis ab hac Synodo damnati auctoritas eſt nullius ponderis; quod alii plerique auctores Franci idem doceant poſt præſentem Synodum, eſt longè falſiſſimum, uti oſtendunt ſcripta Sanctis Ivonis Carnutenſis Epiſcopi, Goffredi Abbatis Vindocinenſis, Sugerii Abbatis ad Sanctum Dionyſium, Sancti Bernardi, & Stephani Epiſcopi Tornacenſis, cujus è plurimis adduco unum teſtimonium: Ab ipſo ſcriptam ex Philippi Auguſti Francorum Regis nomine Epiſtolam ad Alexandrum tertium Pontificem pro Guilielmo Remenſi Archi-Epiſcopo, avunculo ſuo, ad Romanam Patriarchalem Synodum evocato. *Vocaſtis eum Pater, & ut præſentiam* Epiſt. 221. *ſuam vobis exhiberet, ſacris veſtris apicibus invitaſtis. Paratus erat parere, & apparere vobis, peccato ariolandi ſimulacrum inobedientiæ comparans, & voluntatem non acquieſcendi vobis tamquam ſcelus idololatriæ deteſtans*. Exponit regni ab ejus præſentia & conſilio dependentis ſummas neceſſitates, ac pergit. *In articulo ſummæ neceſſitatis noſtræ confidentes de præcipua dilectione veſtra, ecclamimus eum, clavum in oculis hoſtium noſtrorum, & in lateribus eorum lanceam, ſine ipſo nihil fieri æſtimantes, ſive de pace ſive de bello cum hoſtibus ſit agendum. Suſcipite Pater preces noſtras, preces filii veſtri, quem à cunabulis ſemper dilexiſtis*. Adeò Regium iſtud jus Philippus Rex & Stephanus Epiſcopus tunc ignorabant. Evocanti Pontifici non obedire pro idololatriæ ac ariolandi ſcelere habebat omnis tum Gallicana Eccleſia: Innumeris teſtimoniis poſſit oſtendi.

Longè fœdiora in ſuis ad Innocentii tertii Pontificis litteras notis ſcribit Franciſcus Boſ- L.2. Epiſt. 8. quettus Epiſcopus Montis Peſſulani. *Evocandi poteſtas legibus & Canonibus eſt Patriarchis ac Metropolitis relicta. Superiorem nihilominùs veniam pro majore Reipublicæ commodo ſibi reſervatam Principes crediderunt, eamque aliquando ſummi Pontifices agnoſcere viſi ſunt*. Probat ex Sancto Gregorio Magno, Romam evocante Severum Aquilejenſem Archi-Epiſcopum, & ſcribente: L.1. Epiſt. 16. *Juxta Chriſtianiſſimi & piiſſimi rerum Domini juſſionem ad Beati Petri Apoſtoli limina venire te volumus*. Et ex Nicolai primi Pontificis Epiſtola ad Rothaldum Epiſcopum Sueſſionenſem: *Stude,* Epiſt. 33. *quantùm poteris, cùm tibi Rex & Epiſcopi, quemadmodùm ſtatuimus, licentiam dederint Romam*

prope-

properandi , mox utcumque venire non differas. Et ex litteris Hincmari Remenſis Archi-Epiſcopi ad Adrianum ſecundum Pontificem. *Veſtra ſciat auctoritas , quia nec Hincmarum*, Laudunenſem Epiſcopum à dicto Pontifice evocatum , *nec etiam quemlibet Epiſcoporum diœceſeos Remorum , minimè autem aliarum provinciarum Epiſcopos , niſi Dominus Rex illis præceperit , Romam vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo poteſtatem. Nec ipſe ego ultra fines ſui regni abſque illius licentia egredi valeo.* Et ex Henrici primi Anglorum Regis apud Guilielmum Malmesberienſem verbis ad Sanctum Anſelmum Archi-Epiſcopum Cantuarienſem: *Inſolitum eſt mihi , ut quiſquam Procerum meorum eat Romam , niſi meo potiſſimùm juſſu.* Et ex Henrici ſecundi avitis conſuetudinibus , adductis à Matthæo Pariſienſi: *Archi-Epiſcopis , Epiſcopis , & perſonis regni non licet exire regnum abſque licentia Domini Regis.* Addit Boſquettus: *vera hujus probibitionis ratio eſt , ut Regibus invicem hoſtiles animos ſervantibus , cùm niſi ex decremento ulterius quid alterius incremento accedere poſſit , ſuetu peregrinatione exterorum animos ſueſcant ſubditi , & familiaritas proditioni locum det. Ideò cùm inter Reges & Pontifices crebra ſit pro juriſdictione diſſenſio , rectè ſuo ſe Regno conſulturos Principes crediderunt , ſi Epiſcopos jam vi Ordinis & ſtatus ſui neceſſitate Pontifici addictos , à Romanæ curiæ liminibus probibeant.*

Hæc omnia Euſebio Nicomedienſi aut Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo , quàm orthodoxo Eccleſiæ Gallicanæ Antiſtiti ſunt aptiora. Abſit, ut profano errori faveat Sanctus Gregorius. Severus Aquilejenſis Archi-Epiſcopus , Hiſtrici adversùs quintam Synodum ſchiſmatis Patriarcha , Romanam Eccleſiam ut Chalcedonenſis Synodi prævaricatricem blaſphemabat , ideòque ſacra Principis juſſione ad Romanam Synodum & evocantis Pontificis præſentiam debuit cogi: Quocircà juſſionem iſtam , non ut ſibi datam evocandi licentiam , ſed ut Auguſtum evocationis ſuæ executorium brachium Sanctus Gregorius laudavit. Pro errore Sanctum Nicolaum Pontificem adduci quis ſine ſtomacho legat? Ejus adversùs illum labores nullum Eccleſiæ Gallicanæ ſaxum poſſit ignorare. Porrò Hincmari Remenſis adversùs præſentem Canonem , ac Martini Lutheri auctoritatem adversùs ſacroſanctam Tridentinam Synodum adducere , licèt perſonarum qualitate differant plurimùm , ſunt tamen ejuſdem formæ: Etenim uti Tridentina Synodus Lutherum , ità noſter Canon directè petit Hincmarum.

Ab Henrico primo ac Henrico ſecundo , Anglorum Regibus , adducta , atque Edictis confirmata conſuetudo eſt præcipuum Eccleſiaſticæ libertatis caput , pro quo Sanctus Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus innumeras uſque ad effuſum ſanguinem calamitates pertulit , atque ab univerſa ſub cœlo Eccleſia tamquam glorioſus Martyr celebratur. Codex Vaticanus , Alexandri tertii Pontificis adversùm omnes Henricianas conſuetudines in Senonenſi Conſiſtorio Acta continens , quem ſuis Annalibus Cardinalis Cæſar Baronius inſeruit , ad hunc præſertim articulum habet: *Hoc damnavit ſancta Romana Eccleſia.* De eiſdem ad laudatum Pontificem ſcribit ipſe Martyr glorioſiſſimus: *Nos Deo auctore numquam profitebimur obſervantiam illarum conſuetudinum , quæ Eccleſiæ Dei perimunt libertatem , Sedis Apoſtolicæ convellunt privilegium , & legi Dei patenter adverſantur , à quibus nos Senonis in multorum præſentia per veſtram miſericordiam abſolviſtis , adjecto , quod à memoria non excidet , Deo miſerante , verbum Apoſtolico veſtro ore dignum , quia antè deberemus cervices ſpiculatori feriendas exponere , quam talibus pravitatibus conſentire , & turpi commercio rerum temporalium aut aviditate vivendi curam relinquere paſtoralem.* Et in litteris ad eumdem Pontificem Joannes Saresberienſis: Epiſt.220. *Unum ſcio , quod citra Divinæ legis injuriam eas conſuetudines non modò Epiſcopus , ſed nec Chriſtianus poterit obſervare.* Et in litteris ad Petrum Epiſt.211. Scriptorem: *Divinis legibus & ſanctorum Patrum conſuetudinibus penitùs adverſantur.* Et in litteris ad Albertum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem: *Conſuetudines illæ legi Dei pa-* Epiſt.231. *tenter adverſantur , Sedis Apoſtolicæ privilegium diſſipant , & omne jus & auctoritatem eorum , quæ gerenda ſunt in Eccleſia Dei , in Principis conferunt voluntatem.* Et in Epiſtola ad Eccleſiam Can- Epiſt.283. tuarienſem: *Numquid & vos , infidelium more , dicturi eſtis , Chriſto iterùm patiente pro Eccleſia ,* NOS NON HABEMUS PONTIFICEM AUT PAPAM , NISI CÆSAREM? Hoc enim omninò dicunt , quotquot dicunt ſine Regis venia Romam non poſſe appellari aut evocari. Apoſtolici privilegii pars magna ſunt Romanæ appellationes ac evocationes: Quiſquis eas auferre , mutilare , aut laicorum Principum veniæ ſubjicere tentat , Regem ſuperponit Pontifici , omnemque evertit Eccleſiaſticam Hierarchiam. Et hinc Henricus ſecundus Rex poſt initam cum Sancto Thoma concordiam , ac præſertim poſt ejus glorioſam mortem , in manibus Theodini ac Alberti , ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium , fecit hanc profeſſionem: *Illicitas conſuetudines , quas temporibus meis in tota terra mea introduxi , penitùs caſſo , & eas hoc minimè obſervari decerno. Appellationes verò ad Sedem Apoſtolicam de cætero liberè fieri permittam , & in hoc neminem prohibebo.* Eo tempore ad Sedem Apoſtolicam appellare erat & ſeipſum & ſuum adverſarium ad eamdem evocare , adeòque exindè Romanæ Evocationis liberrimo pede per omnem Angliam ambularunt. Indignum eſt à Romana Eccleſia damnatos , & ab ipſis Regibus ejeratos antiquos abuſus in hodiernorum confirmationem ab Epiſcopis adduci.

Longè meliùs in eumdem Henricum Regem , ſimili Hungarorum & Siculorum conſuetudine Edicta ſua defendentem , ſcripſit ad Alexandrum tertium Pontificem laudatus Martyr Cantuarienſis. *Fruſtrà nobis , auctore Domino , Siculorum & Hungarorum proponuntur exempla , quæ nos in die judicii minimè excuſarent , ſi tyrannorum barbariem præferremus Apoſtolicis inſtitutis , & ſæcularium inſolentiam poteſtatum crederemus potiùs formam eſſe vivendi , quam teſtamentum æternum , confirmatum ſanguine & morte filii Dei.* Ea omnia Regum Edi-

ſta frequenter dicit eſſe *conſuetudines barbarorum*. Exponit in litteris ad Fauſtum ac Symmachum, Romanæ urbis Senatores, Sanctus Avitus Archi-
Epiſt. 1. Epiſcopus Viennenſis. *Primum fuerat ſalis ſtatus rerum deſiderandus, ut ipſi per nos urbem orbi venerabilem pro dependendis Divinis humaniſque expeteremus officiis. Sed quia iſtud jam dudùm per rationem temporum fieri poſſe ceſſavit, vellemus, quod fatendum eſt, vel eò ſecuritatis accedere, ut quæ in cauſa communi ſupplicari oportet, Amplitudo veſtra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognoſceret.* Gothi, Wandali, Franci, Burgundi, Longobardi, Svevi, Normanni, Hungari, aliique barbari occiduas Romani imperii ditiones miſerrimè laceratas in regna varia tunc erexerant, ſeceruntque quod de Bulgaris ſcribit Sanctus Ponti-
Epiſt. 71. c. 25. fex Nicolaus primus: *Conſuetudinis veſtræ patriæ eſſe perhibetis, ſemper cuſtodes inter patriam veſtram & aliorum juxta terminos invigilare, & ſi ſervus aut liber per eamdem cuſtodiam quocumque modo fugerit, ſine omni intermiſſione cuſtodes pro ea interimuntur.* Etiam Epiſcopos & Clericos ſub graviſſimis pœnis dicti Barbari vetuerunt regni ſui finibus egredi, licèt evocato ad provinciæ ſuæ Synodum aut Eccleſiam Romanam. Hæc eſt temporum ratio, quam Sanctus Avitus deplorat. Deplorat in Gallia dormire & ſilere Canones illos, quos adversùm Sancti Hilarii Arelatenſis Archi-Epiſcopi contumaciam executi Theodoſius ſecundus & Valentinianus tertius Auguſti ſcripſerant olim ad Ætium utriuſque in Gallia mili-
Cod. Theod. tiæ Magiſtrum. *Perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine venerabilis viri Papæ urbis æternæ auctoritate temptare; ſed illis, omnibuſque pro lege ſit, quidquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas: Ità ut quiſquis Epiſcoporum ad judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur, per omnia ſervatis, quæ Divi Parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt.* Patres noſtri, ſancti Epiſcopi memoratos barbaros patientia & doctrina fecere tandem Romanos & orthodoxos Chriſtianos, & à barbaris in Eccleſiaſticam poteſtatem violentiis ad pleniſſimam Catholicæ matris obedientiam pedetentim traduxerunt. Dolendum eſt jam dudùm proſcriptam, damnatam, ac in inferno ſepultam barbariem in Romanum aerem ab Epiſcopis revocari.

Legitima tamen quibuſdam gentibus per Sedem Apoſtolicam data privilegia veneror ex animo. Etenim Clementis tertii Pontificis ad Guilielmum Scotiæ Regem litteras refert in Annali-
F. 652. bus ſuis Rogerus Hovedenſis: *Probibemus, ut controverſiæ, quæ fuerint in Regno illo de poſſeſſionibus ejus exortæ, ad examen extra Regnum poſitorum judicum non trabantur, niſi ad Romanam Eccleſiam fuerit appellatum.* Primam quarumdam cauſarum inſtantiam vetat etiam Romam evocari: Quod ipſum Celeſtinus tertius poſtmodùm confirmavit.
F. 714. Simile pro omnibus cauſis à Leone decimo Pontifice privilegium habemus nos Belgæ, de cujus occaſione, intellectu, amplitudine occurret alius dicendi locus.

Quintò præſens Canon laicos Principes aut eorum laicos Vicarios vetat adeſſe Synodis Provincialibus, Nationalibus, aut Patriarchalibus. Confirmat Nicolai Pontificis Reſcriptum ad Michaelem Auguſtum: *Dicite, ubinam legiſtis Imperatores Anteceſſores veſtros in Synodalibus conventi-* Epiſt 8. *bus interfuiſſe, niſi forſan in quibus de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolùm ad Clericos, verùm etiam ad laicos, & ad omnes omninò pertinet Chriſtianos? Vox autem non ſolùm Synodo in cauſa Sacerdotis collectæ interfuiſtis, verùm etiam numeroſa ſæcularium millia ad videndum ejus opprobrium aggregaſtis.* Eum arguit, quod criminali extra fidem in Sanctum Ignatium Patriarcham judicio, & quidem numeroſiſſima Palatinorum ac populi turma ſtipatus, interfuiſſet. Criminalibus namque, licèt à Synodo generali factis, in Epiſcopos aut Clericos extra fidem quæſtionibus laicum Principem aut ejus Vicarios adeſſe non poſſe lucidè ex recepta Eccleſiæ Regula docuit in Chalcedonenſi Synodo Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolitanus, Dioſcoro Pa- Act. 8. triarchæ Alexandrino, poſtulanti criminalibus in ſe actionibus adeſſe magnificentiſſimos judices, reſpondens: *Quando Regularia*, id eſt, Epiſcoporum aut Clericorum in Regulas crimina, *examinantur, neque Judices neque alios laicos adeſſe oportet.* Et hinc ſcribit Facundus Epiſcopus Hermianenſis: *Chalcedonenſis Synodi Actio tertia abſque* L. 5. c. 3. *Judicibus ac Senatu celebrata eſt, propterea, ſicut exiſtimo, quia in Actione prima judicatus* de fide *Dioſcorus erat* jam ob Regularia delicta *Epiſcopatus honore privandus.* Hinc item Eutycheti, Regiam in Sancti Flaviani Conſtantinopolitani Epiſcopi Synodo protectionem & perſonæ ſuæ adversùm ſynodales violentias ſecuritatem poſtulanti, Florentium Patricium adjunxit Theodoſius Auguſtus, atque de illo ſcripſit ad laudatam Synodum: *Quoniam ſcimus magnificentiſſimum Patricium Florentium eſſe fidelem, & teſtimoniis probatum de recta fide, volumus ipſum intereſſe audientiæ Synodi, quoniam* non de regulari crimine, cui laicus ex nulla cauſa poteſt, ſed *ſermo de fide eſt.* Ex eadem regula Conſtantinus Auguſtus, quod in adducta ad Auguſtum Michaelem Epiſtola laudatus Pontifex Nicolaus advertit, oblatos ab Epiſcopis adversùm Epiſcopos in Nicæna Synodo criminales libellos nec inſpicere præſumpſit, ſed publicè cremavit.

Ab Hiſpaniarum Regibus fuiſſe ſemper exactiſſimè ſervatam Regulam iſtam, liquet ex Synodis Toletanis. Synodi locum Rex cum Epiſcopis intrabat, fidei formam ac reformandorum morum tomum ſumma cum ſubmiſſione illis tradebat, rectum ſupplicans proferri judicium, dicitque de Rege Egicano decima ſeptima Synodus. *Qua ſacri oris ſui oratione finita, è medio noſtri, benedictione percepta, abſceſſit. Tunc unuſquiſque noſtrorum reſidens ſuo in loco tomum ipſum reſerari præcepimus, & quæ neceſſaria erant, alterna collatione pertractare curavimus.* Uti criminalibus in Epiſcopos aut Clericos judiciis, ità & ipſis fidei quæſtionibus aut morum ſtatutis adeſſe Reges, non verbo & lingua, ſed opere ac veritate ſemper Catholici, non præſumebant.

Etiam

Etiam Fredericum primum Auguſtum & laicos
omnes Synodo Papienſi, in qua Octaviani Anti-
Papæ contra Alexandrum tertium Pontificem
ſchiſma fuit diſcuſſum, exiviſſe ſcribunt Otto de
Cap. 13. Sancto Blaſio, & Radevicus Presbyter Canoni-
L. 2. 69. cus Eccleſiæ Friſingenſis. Et Sanctum Thomam
70. Cantuarienſem Archi-Epiſcopum de Regiæ Can-
cellariæ rationibus noluiſſe coram Henrico ſecun-
do Rege ſynodaliter inquiri aut judicari affirmat
A. 1164. in ſuis Annalibus Radulſus de Diceto. Et de
Henrico tertio Anglorum Rege, ac Londinenſi
per Ottonem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardina-
A. 1237. lem Legatum facta Synodo, ſcribit Matthæus
F.301. Pariſienſis. *Concilio jam incepto, miſſi ſunt ex parte
Domini Regis Comes Lincolnienſis Joannes, & Joan-
nes filius Galfrid, & VVilhelmus de Rale, Canonicus
ſancti Pauli, ut dicto legato ex parte Regis & Re-
gni inhiberent, ne ibi contra Regiam coronam & di-
gnitatem aliquid ſtatuere attentarent. Et remanſit
ibi, ut hoc obſervaretur, VVilhelmus de Rale, in-
dutus cappa Canonicali & ſuperpelliceo, aliis rece-
dentibus*. Quod nempe Legatus Synodo natio-
nali Regios miniſtros nollet intereſſe. Verba,
Contra Regiam coronam & dignitatem, exprimunt
cauſam palmarem, ex qua Reges ac eorum Mi-
niſtri paſſim prætendunt locum in Synodis: Eſt
prætextus & fucus. Ei tamen Legatus admiſſo
dicto Canonico voluit ſatisfactum.

Longè aliter Francorum Reges. Etenim Fran-
Cap. 9. 10. cofordienſis Synodi Canones aſſiduè dicunt: *Sta-
tutum eſt à Domino Rege*, Carolo Magno, *& ſan-
cta Synodo*. Idque etiam in criminali cauſa Petri
& Gerbodi Epiſcoporum. Etiam in criminalibus
in Rothaldum Sueſſionenſem, & Hincmarum
Laudunenſem Epiſcopos nuperrimis Judiciis Ca-
rolus Calvus Rex interfuerat, atque hanc tum
Francorum Regum tum Græcorum Auguſtorum
uſurpationem Canon præſens proſcribit ac dam-
nat. Nec tacet cauſam: *Quod non ſit fas ſæculares
Principes fieri ſpectatores rerum*, utique crimina-
lium, *quæ Sacerdotibus quandoque eveniunt*. Eſſ
proprio pallio tegere, quam vel audire malebat
I.2.c.17. Conſtantinus Magnus. *Decimo ſeptimo octavæ
Synodi Canone*, inquit Petrus à Marca, *vetatur,
ne Synodus fiat præſente Principe, quod moribus
Gallorum adverſatur, qui Synodos in palatio ut plu-
rimùm celebrabant, etiam* ſub Carolo Calvo *poſt
octavam Synodum*. Verùm enim verò illum ob
ſimiles temeritates, ſecundùm Sennacherib ac no-
vum Pharaonem appellant Annales Francorum
Fuldenſes.

Occurrunt duæ quæſtiones. Prima eſt, An
provincialibus Synodis, ſolas fidei quæſtio-
nes agitantibus, Reges aut eorum Vicarii ex
nulla umquam cauſa potuerint adeſſe? Reſpon-
deo potuiſſe. Etenim de ſua adversùm Mani-
chæos Romana Synodo ſcribit in quinto ſermone
de quatuor temporibus menſis Decembris Sanctus
Leo Magnus: *Reſidentibus mecum Epiſcopis ac
Presbyteris, ac in eumdem conſeſſum Chriſtianis viris
ac nobilibus congregatis*. Et in Epiſtola ad Thuri-
bium Epiſcopum Aſturicenſem: *Judicio noſtro non* Epiſt. 93. c. 16.
*ſolùm frequentiſſima præſentia Sacerdotum, ſed
etiam illuſtrium virorum dignitas, & pars quædam
Senatus ac Plebis interfuit*. Secundæ item Synodo
Arauſicenſi Nobiles varii interfuerunt. Et à San-
cto Flaviano Epiſcopo Conſtantinopolitano ad
ſuam in Eutychetis perſonam ac errores Syno-
dum fuiſſe admiſſum Florentium Patricium, eſt
ſuprà oſtenſum: Attamen ſub hac conditione:
*Diſcamus & ab Eutyche Presbytero, ſi vult & ipſe
eum intereſſe*. Erat enim contra Canones, de
quorum prævaricatione traduci à verſipelli Hære-
ſiarcha ſuam Synodum Flavianus nolebat.

Altera quæſtio eſt, An in generali Synodo
Reges adeſſe poſſint ſolis fidei quæſtionibus?
Disertè adfirmare videtur in adductis ad Michae-
lem Auguſtum litteris Nicolaus primus Pontifex.
Et conſonat adducta ſuperiùs Theodoſii Auguſti
ad Sancti Flaviani Synodum ſacra juſſio, volens
Florentium Patricium admitti, *Quòd eſſet ſermo
de fide*. Videtur à generali, cui ſoli Principis
Legatus adeſſe poterat, ad provincialem ex epi-
keja ratiocinari. Reſpondeo tamen etiam civili-
bus Epiſcoporum quæſtionibus ac edendis Cano-
nibus, uti ex Chalcedonenſis Synodi Actis vide-
ri eſt, potuiſſe adeſſe. Et hinc præſens Canon
eos à ſolis in Epiſcopos & Clericos criminalibus
actionibus arcet. Et quidem extra fidem crimi-
nalibus: Et hinc cunctis Synodi hujus in Pho-
tianos actionibus, quod ad hæreſim aut ſchiſma
ſpectarent, Baſilius Auguſtus aut ejus Vicarii
adfuere. Itemque ſimilibus Nicænæ, Epheſinæ,
Chalcedonenſis, ſextæ, ac ſeptimæ Synodorum
actis laici Principes aut eorum Vicarii interfue-
runt. Porrò Nicolaus Pontifex de provincialibus
potiùs aut Patriarchalibus, qualis fuerat facta
nuper Conſtantinopoli in Sanctum Ignatium,
quam de generalibus videtur loqui.

In Metropolitas Patriarchali evocationi rebel-
les Canon noſter tandem ſtatuit pœnam, præſer-
tim in illos, qui latitare, Patriarchæ evocato-
rias litteras ſupprimere, aut nuncium ab illo miſ-
ſum non cognoſcere tentarint. Hiſce namque
artibus adversùm Nicolai primi evocationes uſus
fuerat Hincmarus Remenſis, ideòque novus
Pharao ac ſecundus Dioſcorus appellatus.

CANON XVIII.

PLacuit huic ſanctæ & magnæ Synodo, ut res vel privilegia, quæ Dei Eccleſiis ex longa conſuetudine pertinent, & ſive à Divinæ recordationis Imperatoribus, ſive ab aliis Dei cultoribus in ſcriptis, vel ſine ſcriptis donata, & ab eis per annos triginta poſſeſſa ſunt, nequaquam à poteſtate Præſulis earum quæcumque perſona ſæcularis per poteſtatem ſubtrahat, aut per argumenta quælibet auferat; ſed ſint omnia in poteſtate ac uſu Præſulis Eccleſiæ, quæcumque intra triginta ſpatium annorum ab Eccleſiis poſſeſſa fuiſſe noſcuntur. Quiſquis ergò ſæcularium contra præſentem definitionem egerit, tamquam ſacrilegus judicetur, & donec ſe correxerit, & Eccleſiæ propria privilegia ſeu res reſtituerit & reſervaverit, anathema ſit.

SCHOLION.

ECcleſiaſticorum bonorum rapinam ac in milites diſpartitionem Carolus Martellus apud Francos, apud Græcos Leo Iſaurus & Conſtantinus Caballinus eodem nuper tempore induxerant impiiſſimè, atque hinc laici plures, quorum rapaci animo vires deerant, Eccleſiaſticas poſſeſſiones didicerant per calumnias invadere, ac de Eccleſiæ manibus nequiter efeſtucare: Hinc definit Canon Eccleſiam tricennali poſſeſſione adversùm qualeſcumque impugnatores eſſe pleniſſimè ſecuram.

CANON XIX.

AVaritiam, utpotè ſecundam idololatriam Paulus magnus execratur Apoſtolus, cunctos videlicet, qui Chriſtiano vocabulo cenſentur, ab omni turpi lucro abſtinere volens: Multò magis ergò iis, qui ſacerdotio funguntur, nefas eſt, Coepiſcopos & ſuffraganeos ſuos per quemcumque modum gravare. Hujus rei gratia definivit ſancta hæc & univerſalis Synodus, nullum Archi-Epiſcoporum aut Metropolitanorum relinquere propriam Eccleſiam, & ſub occaſione quaſi viſitationis ad alias accedere, & poteſtate propria in inferiores abuti, & conſumere redditus, qui apud illos inveniuntur ad Eccleſiaſticam diſpoſitionem & alimenta pauperum, ac per hoc aggravare avaritiæ modo conſcientias fratrum & comminiſtrorum noſtrorum, excepta hoſpitalitate, quæ aliquando ex neceſſario tranſitu fortaſſis acceſſerit; ſed & tunc non alia, niſi ex iis, quæ ad præſens de compendio præparata inveniuntur, cum reverentia & cum timore Dei dignanter accipiat, & maturiùs propoſitum iter perambulet, nihil omninò eorum, quæ ſunt Eccleſiæ illius vel ſuffraganei Epiſcopi, petens & exigens. Si enim unumquemque Epiſcoporum Eccleſiæ propriæ rebus cum multa parcitate uti, & nullatenùs in proprias utilitates importunè ac ſine ra-

tione

tione diſpendere vel conſumere redditus Eccleſiaſticos ſacri Canones decernunt ; qua putas impietate judicabitur dignus , qui aliis Epiſcopis commiſſas Eccleſias gravare vel ambire, & per hoc ſacrilegii crimen incidere non formidat ? Quiſquis ergò poſt hanc definitionem noſtram tale quid facere tentaverit , pœnam ſubeat à Patriarcha , qui per tempus fuerit , ſecundùm congruentiam injuſtitiæ ac avaritiæ ſuæ , & deponatur & ſequeſtretur , ut ſacrilegus, & aliter, ut idololatra factus juxta magnum Apoſtolum.

Scholion.

Quod Patriarcha , Primas, Metropolita, ac
quivis Epiſcopus ſingulas ſibi ſubjectas Ec-
cleſias certis temporibus viſitare , docere ,
atque confirmare aut corrigere potuerint ac de-
buerint , eſt inſtitutum Apoſtolicum , & perpe-
tua Eccleſiarum conſuetudo . Etenim Roſſenſem
Eccleſiam , de apocrypho Sancti Petri Evangelio
litigantem , fuiſſe à Sancto Serapione Patriarcha
Antiocheno viſitatam ac pacatam , ex ejus lit-
L.6. c. 10. teris oſtendit in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius
Epiſcopus Cæſareenſis . Et de Sancto Athanaſio
Patriarcha Alexandrino ad Synodum Tyriam
ſcripſit Clerus agri Mareotici : *Numquam ille ſo-
lus viſitandi cauſa itinera obire ſolet , ſed comites
ſecum habere Presbyteros & Diaconos , & non paucos
ex plebe* . Et totius Ægyptiacæ diœceſeos Syno-
dus in litteris ad univerſos ſub cœlo orthodoxos
Epiſcopos : *Teſtes ſunt omnes Mareotæ Presbyteri,
qui comites Epiſcopi Athanaſii in obequitationibus &
Cap. 19. itineribus fuere*. Et in Africana Synodo ad Aure-
lium Carthaginenſem Epiſcopum , ſuum Prima-
tem , dixere Honoratus & Urbanus Epiſcopi
Mauri : *Conſtitutum eſt ſingulas Provincias tempore
Concilii viſitandas eſſe ; dignemini Mauritaniam
Provinciam viſitare* . Eamdem poteſtatem inter
jura Metropolitica numerat ſecundus Canon Sy-
nodi Taurinenſis.

Viſitationis cauſam edicit Sanctus Hierony-
Cap. 4. mus in libro adversùm Luciferianos : *Eccleſiarum
conſuetudo eſt , ut ad eos , qui longè in minoribus
urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt ,
Epiſcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum
impoſiturus excurrat* . Eamdem cauſam in canoni-
cis litteris Hedenulfo novello Laudunenſium
Epiſcopo in conſecratione traditis laudat Hinc-
L.2.c.16. marus Metropolita Remenſis. Verùm illa pro-
priam cujuſque Epiſcopi parochiam ſolummodò
tangit , non eſt adæquata aut principalis . Se-
cundam igitur cauſam adducit ſexta Synodus
Cap. 17. Arelatenſis : *Unuſquiſque Epiſcopus ſemel in anno
circumeat Parochiam ſuam . Norint ſibi curam popu-
lorum & pauperum in protegendis & defendendis
impoſitam* . Defendendis ac vindicandis adversùm
violentias iniquorum judicum ac aliorum Poten-
tum . Clericalis ac popularis vitæ inquiſitionem
ac lapſæ diſciplinæ reparationem eſſe tertiam cau-
ſam , plurimi Canones teſtantur . Quartam ac
principalem cauſam eſſe doctrinam ac Divini
Verbi prædicationem aſſeverant ſexta Synodus
L.1. c.31. Pariſienſis, Caroli Calvi Francorum Regis Ca-
pitula Tholoſana, Synodus Pontigonenſis, atque Cap. 4.
Meldenſis. Chriſtianam namque plebem non à L.3.c.6.
ſolis Presbyteris aut immediatis Epiſcopis paſci Cap. 28.
verbo ac erudiri oportet , ſed etiam à Metropoli-
tis , Primatibus , ac Patriarchis , quorum Prin-
cipes Apoſtoli in omni ubique uſque ad mundi
fines terra prædicarunt , utpote à Domino miſſi ,
non baptizare aut confirmare , licèt & iſta fece-
rint , ſed principaliter evangelizare .

At verò nullus unquam cogitur militare ſuis
ſtipendiis . Hinc meritò ſtatuit Synodus Emeri- Cap. 2.
tenſis . *Pervenit ad cœtum hujus ſancti Concilii ,
Presbyteros , Abbates , ac Diaconos Epiſcopo ſuo
inobedientes eſſe* . Et infrà . *Proinde placuit huic
ſancto Concilio , ut tam à Presbyteris , quàm ab Ab-
batibus , ſive etiam à Diaconibus Epiſcopo honor de-
bitus impendatur , ut à nullo contumeliam pati vi-
deatur , & quandocumque contigerit eum viſitare
ſuam Parochiam , & dignè eum ſuſcipiant , & prout
habuerint , aut ratio permiſerit , illi præparent quæ
fuerint neceſſaria* . Et Synodus Leptinenſis : *Quan-* Cap. 3.
*documque jure canonico Epiſcopus circumierit Paro-
chiam ad confirmandos populos ; Presbyter ſemper
paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſcopum , cum colle-
ctione & adjutorio populi , qui ibi confirmari debet* .
Eis duos ſolidos in cathedræ honorem adſignant
Pelagius ſecundus Pontifex , & ſecunda Synodus
Bracarenſis . Et quoniam Epiſcopi , præſertim Epiſt. 14.
Primates ac Patriarchæ , uti de Sancto Athanaſio
audivimus , cum numeroſa Clericorum & famu-
lorum equitantium turma ac evectione procede-
bant , addit laudatus Pelagius : *Non compellant
viſitantes Epiſcopi Presbyteros aut Clerum Paro-
chianum ſupra vires ſuas eis convivia præparare* .
De Epiſcopalium famulorum inſolentia ac rapa-
citate , ipſorum Epiſcoporum avaris exactioni-
bus , & nimia conviviorum luxuria legimus plu-
rimas querimonias, ſtatuitque ſecunda Synodus
Cabilonenſis : *Epiſcopi cùm Parochias ſuas pera-* Cap. 14.
*grant , ne quamdam non ſolùm erga ſubditos , ſed
erga ſocios tyrannidem exerceant , nec cum charitate ,
ſed quadam judiciaria invectione ſtipendia ab eis exi-
gant . In lucris animarum potiùs , quàm in deprœ-
dandis & ſpoliandis hominibus , & ſcandalizandis
fratribus operam dent* . Ex iſta namque Epiſcopo- L.1.c.31.
rum avaritia fideles populos *in eorum detractionem
& deteſtationem pertrahi* queritur ſexta Synodus
Pariſienſis . Ab eorum unico quandoque convi-
vio abſumptum fuiſſe ſuum totius anni victum
fuere frequenter Parochiales Presbyteri lamenta-
ti . Hinc eis non niſi quinque evectiones conce-
dit ſeptima Synodus Toletana . Hinc item dicit
Synodus Emeritenſis , *Quando juxta canonicam* Cap. 4.
ſenten-

Digitized by Google

ſententiam viſitant; & Leptinenſis, *Quando canonico jure*: Quidam enim toto anni tempore currebant per ſuas Parochias, & quaſi vultures ex rapina vivebant, ideoque ad unicæ in anno viſitationis moderatas impenſas obligari ſubditas Eccleſias eſt vario Canone ſancitum. Et haſce Metropolitarum artificioſas prædationes præſens Canon, bona Eccleſiaſtica eſſe pauperum patrimonia denuò inculcans, proſcribit ac damnat.

CANON XX.

ET hoc ſancta nunc Synodus didicit, quod in quibuſdam locis quidam propria uſi auctoritate, ac ſine voluntate illorum, quibus hujuſmodi diſpoſitiones commiſſæ ſunt, audacter & tyrannicè pellunt eos, qui per emphyteuſim perceperint aliquid ex iis locis, quæ poſſederunt, occaſione quaſi ruptæ fidei circa penſionis pactum. Non autem licet omnimodis hoc fieri, niſi priùs accipiat proteſtationem per quoſdam idoneos & fideles homines is, qui emphyteuſim contraxit: Quod niſi dederit uſque ad tres annos deſtinatum tributum cenſus, propellatur à locis à ſe detentis. Oportet enim poſt trium annorum cenſus retentionem accedere ad præpoſitos urbis, vel regionis illius, & arguere in conſpectu eorum eum, qui emphyteoſim conſecutus eſt, & exhibere contemptum ejus, & tunc ſententia & judicio prædictorum recipiat Eccleſia propria in poſſeſſionem. Sed nequaquam quiſquam apud ſe, vel per ſe faciat prædictorum oblationem locorum; ſuſpectivum quippe tale, quin & multi turpis lucri & avaritiæ conſiſtit indicium. Si quis ergò Epiſcopus aut Metropolita præter hanc definitionem noſtram abſtulerit aliquem locum à quoquam, putans quòd Eccleſiam propriam defendat, ſequeſtretur à proprio Patriarcha per aliquod tempus, dans primò quod per poteſtatem ſuam abſtulit vel ſubripuit. Si verò contentioſus quis perſtiterit non obediens his, quæ ſanctæ ac univerſali Synodo viſa ſunt, deponatur omnimodis.

SCHOLION.

A Carolo Martello, Leone Iſauro, & Conſtantino Caballino factas Eccleſiaſticarum poſſeſſionum rapinas moderatura ac pedetentim ſanatura Eccleſia, eaſdem poſſeſſiones iniquis detentoribus laicis ad tempus in beneficium, Emphyteuſim, aut Precariam ſub annno certæ penſionis onere permiſit, ſecuta regulam, quam in Henrico Synsheimenſi, ſuo Abbate, quædam bona laicis infeudante, laudat chronicon monaſterii Laurishamenſis: *Arcuato vulneri op-* C. 4.
ponens periculum periculo lenitt, duobus malis urgentibus, quorum alterum ſine altero declinari non poterat, minus elegit. Quod ipſum tradit latiùs Synodus Catiſiaca in litteris ad Ludovicum Ger- C. 7.
maniæ Regem. At verò quidam incondito zelo Epiſcopi dictos laicos detentores quavis etiam præter leges ob piæ cauſæ favorem via conati ſunt extrudere, iſtoſque diſpenſatorio gravioris mali metu compeſcit præſens Canon.

CANON

CANON XXI.

DOminicum ſermonem, quem Chriſtus Sanctis Apoſtolis & Diſcipulis ſuis dixit, *Qui vos recipit, me recipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, ad omnes etiam, qui poſt eos ſecundùm ipſos facti ſunt ſummi Pontifices & Paſtorum Principes in Eccleſia Catholica, dictum eſſe credentes, definimus neminem prorsùs mundi potentium quemquam eorum, qui Patriarchalibus ſedibus præſunt inhonorare, aut movere à proprio throno tentare, ſed omni reverentia & honore dignos judicare; præcipuè quidem ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, deinceps autem Conſtantinopoleos Patriarcham, deindè verò Alexandriæ ac Antiochiæ, atque Hieroſolymorum: Sed nec alium quemcumque conſcriptiones contra ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ ac verba complicare & componere ſub occaſione quaſi diffamatorum quorumdam criminum; quod & nuper Photius fecit, & multò antè Dioſcorus. Quiſquis autem tanta jactantia & audacia uſus fuerit, ut ſecundùm Photium vel Dioſcorum in ſcriptis vel ſine ſcriptis injurias quaſdam contra Sedem Petri Apoſtolorum Principis moveat, æqualem & eamdem, quam illi, condemnationem recipiat. Si verò quis aliqua ſæculi poteſtate fruens vel potens pellere tentaverit præfatum Apoſtolicæ Cathedræ Papam, aut aliorum Patriarcharum quemquam, Anathema ſit. Porrò ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas & controverſia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut perfectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.

Scholion.

PRimò vetat Canon ullum Patriarcham, Romanum præſertim Pontificem, Regia violentia ejici è ſuo throno. Damnat impiam Michaelis Auguſti, Sanctum Patriarcham Ignatium ejicientis, & Ludovici ſecundi Imperatoris ſtultam temeritatem, qui per promiſſum Orientale imperium à Photio deluſus ſpoponderat ejicere Sanctum Pontificem Nicolaum. Eſt antiqua Græcorum inſolentia. Ità enim Conſtantius Auguſtus Sanctum Athanaſium Alexandrinum, & Sanctum Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Liberium Romanum Pontificem ejecit, ac de Joanne Alexandrino atque Calandione Antiocheno Patriarchis, per Zenonem Auguſtum ejectis, ſcribit ad Dardaniæ Epiſcopos
Epiſt. 13. Sanctus Pontifex Gelaſius primus: *Eſto Calandion Imperatoris nomen abſtulerit, Joannes Principi mentitus fuiſſe jactetur, an qui in hominem Imperatorem peccaſſe dicebantur, nulla interveniente Synodo dejici debuerunt?* Cap. 18. Latiùs hæc referunt in Breviario Liberatus Carthaginenſis, & in Eccleſiaſtica hiſtoria Evagrius Epiphanienſis. Porrò Imperatoris nomen de ſacris Eccleſiæ tabulis auferre eſt ipſum excommunicare, atque ità liquet iſtas excommunicationes, ut quidam garriunt, nequaquam à Gregorio ſeptimo Pontifice cœpiſſe. Hac item via Leo Iſaurus Sanctum Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum ejecerat, eamdemque injuriam Sanctus Nicephorus ac Sanctus Methodius ſuerant paſſi. Etiam Sylverium Pontificem Juſtinianus Auguſtus, Sanctum Martinum primum Conſtans exturbarat. Eadem apud Francos violentia Prætextatum Rothomagenſem Rex Chilpericus, Sanctum Rigobertum Remenſem Archi-Epiſcopum ejecerat Carolus Martellus. Haſce igitur ſacrilegas temeritates damnat præſens Canon, volens in Epiſcopos læſæ Majeſtatis reos aut ſuſpectos ſervari Cap. 30.
Canonem quartæ Synodi Toletanæ: *Qui deprehenditur*

bendìtur atque convincitur , denunciatus Principi apud Concilium condigna animadverſione mulctabitur.
C. 9. 52. Eos in gradum non reſtitui , niſi recepta Principis gratia , maudat Synodus decima ſexta .

Secundò mandat Canon , ne quis Photium aut Dioſcorum Patriarcham olim Alexandrinum imitatus Romaunm Pontificem præſumat fictis criminibus aut Synodis , aliiſque famoſis libellis inceſſere , atque frivolum dejectionis aut excommunicstionis convicium in illum latrare . Quomodò enim Euſebianæ ſactionis Philippo-Politanus Pſeudo-conventus Julium , quomodò Dioſcorus in quodam miſerabili Nicæno conventiculo Sanctum Leonem Magnum , quomodò Reparatus Carthaginenſis Archi-Epiſcopus in neſcio qua Synodo Vigilium , quomodò impius Photius Sanctum Nicolaum Pontificem excommunicare aut degradare auſi , ſuerint à Sardicenſi , Chalcedonenſi , quinta , & noſtra octava Synodo & univerſa Chriſti Eccleſia tractati , eſt ſuprà oſtenſum . Photii crimen inſigniter exaggerat noſtræ Synodi Encyclica Epiſtola : *Anathematizare præſumpſit Photius beatiſſimum Papam Nicolaum , & omnes communicatores ejus , ità ut ex hoc etiam univerſos , qui ſub cœlo erant , Pontifices & Sacerdotes , id eſt , & cæteras Patriarchales ſedes , & omnem ſacrum catalogum , qui ſub ipſis degit , ſub eodem comprehenderet anathemate . Erant enim omnes certiſſimè communicatores præfati Pontificis .* Et in præſentis Synodi præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius . *Sancti habitus viri Photium fugiunt , & quaſi ſquallorem quemdam declinant , alterum Dioſcorum hunc appellantes , & præcurſorem Anti-Chriſti , immò ipſum Anti Chriſtum exiſtimantes , quem ſcilicèt hominem peccati , filiumque perditionis Apoſtolus appellaſſet , qui profectò extolleretur ſupra omne , quod dicitur Deus , aut quod colitur ,* Etenim ſub ſole nihil eſſe poſſit Romano Epiſcopo ſublimius .

Tertiò denique definit Canon Romanum Pontificem etiam à generali Concilio non poſſe judicari , deponi , aut damnsri . Confirmat nuperum Adriani ſecundi Pontificis in Romana ad-
Cap. 3. versùs Photium Synodo Decretum . *Intolerabilis eſt iſta præſumptio , & hanc aures præcordiorum ſuſtinere non poſſunt . Quis umquam veſtrum tale quid audivit , vel quis hujuſmodi temeritatis ſaltem lectione immenſitatem invenit ? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus ; de eo verò quemquam judicaſſe non legimus . Licèt enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum , ſciendum tamen eſt , quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus , propter quam ſolam licitum eſt minoribus Majorum ſuorum motibus reſiſtere vel pravos ſenſus reſpuere . Quàmvis & ibi nec Patriarcharum nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi ſententiam , niſi ejuſdem primæ ſedis præceſſiſſet auctoritas .* Fundamentalem cauſam dat in litteris ad omnes Orientalis Eccleſiæ Patriarchas ac Epiſcopos , quarum compendium exſtat poſt Synodum præſentem , Nicolaus primus Pontifex : *Sedes Petri à nemine judicatur , niſi ab eo , qui et claves Regni dedit .* Et hinc adversùs Baſilium Auguſtum , à Photio ſeductum ad lacerandam Romanam Eccleſiam , in litteris poſt eamdem Synodum exſtantibus ſcribit Pontiſex Stephanus ſextus : *Tu teipſum Deo exæquas , qui Angelos ejus judicare audes .* Rationem hanc eleganter illuſtrat Sanctus Ennodius Ticinenſis Epiſcopus in Symmachi Pontificis Apologia , probata per quintam ejuſdem Pontificis Romanam Synodum : *Aliorum fortè hominum cauſas Deus voluit homines terminare ; ſed ſedis iſtius Præſules ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio . Voluit Beati Petri Apoſtoli ſucceſſores cœlo debere tantùm innocentiam , & ſubtiliſſimi diſcurſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam .* Addit cauſam : Romanus Epiſcopus *totius* Chriſtiani *corporis caput eſſe deſignatur .*

Laudatus Adrianus ſecundus definitionem ſuam etiam probat ex adducta per Ennodium Romana Synodo in cauſa laudati Pontificis , de neſcio quibus criminibus accuſati , & à quibuſdam ad degradationem poſtulati . *Venerabiles Antiſtites ipſum , qui dicebatur impetitus , debuiſſe Synodum convocare perhibuerunt , ſcientes quia ejus ſedi primùm Petri Apoſtoli meritum vel Principatus , deindè ſecuta juſſionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem , nec dictæ ſedis Antiſtites antè Minorum ſubjacuiſſe judicio .* Et hìnc omnes iſthìc Epiſcopi , licet ſedis ac perſonæ ſuæ culmen illis Symmachus ſpontaneè judicandum ſubmitteret , videntes quod ſine ſui diſcrimine non poſſent in caput ſuum manus extendere , omnem cauſam Divino Judicio reſervarunt , ſubſcripſeruntque Synodo in hanc formam : *Huic ſtatuto noſtro , in quo totam cauſam Dei Judicio commiſimus , ſubſcripſi .* Et hocce judicium laudat plurimùm in litteris ad Fauſtum & Symmachum Romanos Seuatores Sanctus Avitus Archi-Epiſcopus Viennenſis , culpans inſuper Synodum , quod cauſam iſtam vel tractare præſumpſiſſet , addenſque hoc auro ſcribi dignum Epiphonema : *In Sacerdotibus cæteris poteſt , ſi quid fortè nutaverit , reformari ; at ſi Papa urbis vocatur in dubium , Epiſcopatus jam videbitur , non Epiſcopus vacillare .* Hìnc pergit Isudata Pontificis Adriani Synodus . *Qui hanc temeritatem non extrema damnatione dignam exiſtimat , nec Evangelium legit , nec Apoſtolum prorsùs audivit , in quorum quidem uno , dicente Domino , legitur ,* NON EST DISCIPULUS SUPRA MAGISTRUM ; *in altero autem ſanè præcipitur , ut* OMNIA SECUNDUM ORDINEM FIANT . At verò Apoſtolica Sedes eſt omnium ſub cœlo Eccleſiarum magiſtra , & rectus ordo vetat Prælatum à ſubditis judicari . Eadem Synodus iſtud ipſum probat ex Sancti Bonifacii primi Pontificis ad Illyricianæ diœceſis Epiſcopos litteris , nuper publicatis per illuſtriſſimum Lucam
Holſtenium . *Apud* Romanum Epiſcopum *Chri-* Epiſt. 10.
ſtus noſter Sacerdotii ſummam locavit , in cujus contumeliam quiſquis inſurgit , habitator cœleſtium non poterit eſſe regnorum . TIBI , *inquit* , DABO CLAVES REGNI CŒLORUM , *in quæ nullus ſine gratia Janitoris intrabit .* Et infrà . *Nemo unquam Apoſtolico culmini , de cujus Judicio non licet retractari , manus obvias audacter intulit , nemo in hoc rebellis exſtitit , niſi qui de ſe voluit judicari .*
Scribit idem Bonifacius in litteris ad Theſſaliæ Epiſt. 9.
Epi-

Digitized by Google

Epiſcopos : *Nicænæ Synodi non aliud præcepta*
teſtantur, adeò ut non aliquid ſuper Romanam Ec-
cleſiam auſa ſit conſtituere, cùm videret nihil ſuprà
meritum ſuum poſſe conferri : Omnia denique huic
noverat Domini ſermone conceſſa. Etenim totius
vineæ, ut in Relatione ad Sanctum Leonem
Pontificem profitetur plena Chalcedonenſis Sy-
nodus, cuſtodia à Salvatore commiſſa eſt Roma-
L. 3. Epiſt. 2. no Pontifici, & ipſe omni generali Synodo præ-
eſt ut caput membris, ideòque damnationis ſen-
tentia nec à tali Synodo poteſt in ipſum latrari.

Objici poſſit auctoritas, quam in Epiſtola
adverſùs nepotem Hincmarum Laudunenſem
Epiſcopum adducit Hincmarus Metropolita Re-
menſis, laudati Leonis Magni in litteris ad Leo-
Epiſt. 78. nem Auguſtum. *Si ſecundùm Apoſtolum quæ de-*
ſtruxi hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo, &
eis me condicionibus ultionum ſubdo, quas non ſolùm
auctoritas beatæ memoriæ Principis Martiani, ſed
etiam ego mea conſenſione firmavi. Per ultionum
condiciones intelligit ſtatutam à Synodo Chalce-
donenſi in ſui prævaricatores Epiſcopos pœnam
degradationis. Et de Gregorio ſexto Pontifice,
cui Benedictus nonus ſponte ſub certis condicio-
nibus ceſſerat Pontificatum, ad Nicolaum ſecun-
dum Pontificem ſcribit Sanctus Petrus Damiani :
L. 1. Epiſt. 9. *Super quibus præſente Henrico* ſecundo *Imperatore*
cùm diſceptaret poſtmodùm ſynodale Concilium, quia
venalitas intervenerat, depoſitus eſt : Etiam Joan-
nem duodecimum ob ſcandaloſam vitam fuiſſe
Ottonis Imperatoris primi juſſu dejectum à Ro-
mana Synodo, multis refert Luitprandus Diaco-
nus Ticinenſis. Quòd item Romana Synodus
ac omnis Latina Eccleſia Paſchalem ſecundum
Pontificem, laicam Antiſtitum inveſtituram
Henrico quinto Imperatori violenter per arma
extorquenti concedentem, deponere voluerit,
adfirmat in Sclavorum chronico Presbyter Hem-
L. 1. c. 29. 30. boldus. Et ad ipſum Paſchalem ſcribit Goffre-
dus Abbas Vindocinenſis : *Hujus mortis auctorem*
L. 1. Epiſt. 7. *vel noviſſimum Eccleſiæ membrum credere, etiamſi*
Paſtor videatur, errare eſt. Exiſtimat Pontificem
ipſo facto per crimen iſtud non ſolo Papatu exci-
diſſe, ſed & ipſo nomine Chriſtiano. Ejuſdem
ſententiæ fuiſſe Joannem Lugdunenſis Eccleſiæ
Primatem ſcribit Sanctus Ivo Epiſcopus Carnu-
Epiſt. 236. tenſis. Et Innocentius tertius Pontifex Philippo
Francorum Regi, ſuas cum Ingeburge nuptias
aſſerenti numquam fuiſſe conſummatas, ideòque
diſſolutionem poſtulanti, reſpondit : *Si ſuper hoc*
L. 3. Epiſt. 104. *abſque generalis Concilii deliberatione determinare*
aliquid tentaremus, præter Divinam offenſam, &
mundanam infamiam, quam eo poſſemus incurrere,
forſan Ordinis & officii noſtri periculum immineret,
cùm contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra
non poſſit authoritas diſpenſare. Præmiſſa veritatis
ſententia fuit : *Quod Deus conjunxit, homo non*
ſeparet. Et à probatis auctoribus ſcribitur Cle-
mens ſeptimus non fuiſſe auſus contra Luthera-
nos indicere generalem Synodum, illegitimis
ſuis natalibus metuens irregularitatis judicium,
ac depoſitionem.

Reſpondeo cum Sancto Ivone Carnutenſi Epi-
ſcopo, ſcribente de Paſchalis ſecundi Pontificis
facto ad Henricum Abbatem monaſterii Angelia-
cenſis. *Quia verenda Patris debemus potiùs vela-* Epiſt. 233.
re, quam nudare, familiaribus & charitatem redo-
lentibus litteris admonendus mihi videtur dictus
Pontifex, *ut ſe judicet, aut factum ſuum retractet.*
Quod ſi fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat
nobiſcum omnis Eccleſia, quæ graviter languet,
dum caput ejus laborat tanta debilitatum moleſtia.
Si autem in hoc languore inſanabiliter ægrotaverit,
non eſt noſtrum judicare de ſummo Pontifice. Habe-
mus enim Evangelicam ſententiam, quæ ſecuros nos
facit : SUPER CATHEDRAM MOYSI SE-
DERUNT SCRIBÆ ET PHARISÆI,
QUÆ DICUNT SERVATE ET FACITE,
SECUNDUM OPERA VERO ILLORUM
NOLITE FACERE. *Vult enim hæc ſententia*
præcepta Præſidentium ad cathedram pertinentia
obedienter impleri, etiamſi tales ſint, quales erant
Phariſæi; non eos factioſa conſpiratione à ſuis ſedi-
bus removeri. Si verò ea præcipiant, quæ ſint con-
tra doctrinam Evangelicam vel Apoſtolicam, ibi eis
non eſſe obediendum exemplo docemur Pauli Apoſtoli,
qui Petro ſibi Prælato, non rectè ingredienti ad ve-
ritatem Evangelii, in faciem reſtitit, non tamen
eum abjecit. Et in litteris ad Joannem Eccleſiæ Epiſt. 236.
Lugdunenſis Primatem. *Non videtur nobis utile*
conſilium ad illa Concilia convenire, in quibus non
poſſumus illas perſonas, contra quas agitur, con-
demnare vel judicare, quia nec noſtro nec ullius no-
ſtrum probantur ſubjacere judicio. Undè nos conſtat
eſſe immunes, ſi facta eorum oris gladio ferire formi-
damus, cùm ipſe mediator obedire eis præcipiat,
etiamſi tales ſint, quales erant Phariſæi. Et poſt
quædam. *Hæc dicentes non inſtruimus Prudentiam*
veſtram, ſed excuſamus innocentiam noſtram, quia
& principales Eccleſiæ claves nolumus poteſtate ſua
privare, quæcumque perſona Petri vices habeat,
niſi manifeſtè ab Evangelica veritate diſcedat.

Paſchalis ſecundus ab Henrico quinto Impera-
tore captus cum aliquot Dominis Cardinalibus in
Eccleſia Vaticana, & ad civitatem Caſtellanam
abductus, quò ſe & Cardinales ab iniquis vincu-
lis, & Romanum populum à truculentis Svevo-
rum gladiis liberaret, laicas Antiſtitum inveſti-
turas, à Gregorio ſeptimo & Urbano ſecundo,
proximis ſuis Anteceſſoribus, eſeſtucatas quibuſ-
cumque laicis Principibus, & ſub diro anathe-
mate damnatas, reddidit, atque ità graviſſimis
in Eccleſia contentionibus dedit originem & an-
ſam. Alii ut manifeſtum Canonum prævaricato-
rem, & totius Chriſtiani populi apertum ſcan-
dalizatorem averſati fuere; at verò cum multis
melioris animi & doctrinæ Epiſcopis Sanctus
Ivo Carnotenſis tamquam diſpenſatione in tanta
neceſſitate uſum excuſare conatus eſt exemplo
Apoſtoli Pauli, legalia Sacramenta, quæ in
Sancto Petro culparat, Timotheo ex cauſa im-
partientis. Certè, ut deliquiſſet Paſchalis, non
deponendum, ſed Pontificis Aaronis in vituli
cultum, & Sancti Papæ Marcellini in idololatri-
cum thus lapſi more tractandum dixit, conſtan-
ter adfirmans Romanum Antiſtitem deponi non
poſſe, *niſi manifeſtè ab Evangelica veritate diſce-*
dat. Et ecce hìnc nova lis cum Epiſcopis ac Do-
ctoribus Pontifici adverſantibus : Laicas inve-
ſtituras dixerunt illi eſſe omninò hæreſim, ideò-

que Paſchalem non eſſe jam Papam Apoſtolicum, ſed Apoſtaticum Hæreſiarcham: Et horum unus fuit Goffredus Vindocinenſis. At longè meliùs Sanctus Ivo multis oſtendit ipſas ſolummodò ad diſciplinam, non ad dogma pertinere, ideòque Paſchalis delictum fuiſſe ſimile Sancti Petri Apoſtoli, gentes judaizare cogentis, exceſſui, quem in Præſcriptionum libro Tertullianus rectè dicit fuiſſe, non prædicationis, ſed converſationis. Hinc, inquam, Ivo conſtanter intulit de exauctorando Pontifice nec cogitandum.

Eodem ſenſu de ſemetipſo ad Leonem Auguſtum ſcripſit Sanctus Leo Magnus. Chalcedonenſis Synodi à ſe confirmatam fidem dixit eſſe immobilem: Datam confirmationem à ſe non poſſe caſſari, aut retractandam ſuſpendi, niſi vellet orthodoxi dogmatis eſſe manifeſtus prævaricator, & excidere non ſolo Romano Epiſcopatu, ſed & ipſo nomine Chriſtiano. Nec aliud Innocentius tertius ſcripſit aut ſenſit. Ob ſolam igitur manifeſtam hæreſim dico deponi poſſe Romanum Pontificem; immò non deponi, ſed à ſemetipſo depoſitum declarari per generalem Synodum: Per manifeſtam quippe hæreſim quis ex Eccleſia & omni ejus honore ac in ipſam poteſtate dejicit, excommunicat, ac degradat ſemetipſum. Et in hac ſententia & Sanctus Ivo & Goffredus Vindocinenſis, omneſque ſemper Eccleſiæ fuere concordes. Et quidem Honorium primum ſine ſpeciali Romanæ Eccleſiæ licentia judicari non potuiſſe per ſextam Synodum, ſuprà nobis dixit Adrianus ſecundus. Romanam ab Ottone primo Auguſto adunatam Synodum, quæ Joannem duodecimum ob Regularia crimina dejecit, meritò paſſim damnant cuncti Doctores. Et de Leone tertio ſimilium accuſato dixere in ejus apud Anaſtaſium Bibliothecarium vita omnes ſynodaliter Epiſcopi. *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus. Nam ab ipſa nos omnes & ab ejus Vicario judicamur; ipſa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitùs mos fuit. Sed ſicut ipſe ſummus Pontifex cenſuerit, canonicè obediemus.* Antiquum Eccleſiæ morem ſuprà abundè oſtendimus, ac inſuper Sanctorum Pontificum Sylveſtri ac Damaſi, à ſacrilegis accuſatorum, exemplo oſtendit Romana ſub Gratiani Auguſti imperio Synodus, cujus inſignes ad dictum Principem litteras publicavit in Theodoſiani Codicis Appendice Jacobus Sirmondus.

Suam de hac quæſtione mentem egregiè aperit Sanctus Petrus Damiani in diſceptatione cum Regio advocato: *Damnatio Papæ tam gravis & inexplicabilis eſt, ut non humano, ſed Divino duntaxàt ſit tractanda judicio.* Porrò aliud eſt legitimè evectum Pontificem dejicere, aliud malè intruſum extrudere: Hocce enim poſterius licere oſtendunt apud Anaſtaſium Bibliothecarium Acta in Conſtantinum ex laico promotum, ac plures alios Apoſtolicæ Cathedræ ambitioſos invaſores. Conſtantinus ex Sardicenſi Canone erat irregularis, ideòque regulariter ejectus fuit. Neque enim quævis canonica perſonæ vitia per Papalem electionem ſanantur: Romana Epiſcopalis Cathedra præ cæteris omnibus requirit Epiſcopi perſonam canonicam, integram, immaculatam. Et hinc etiam Clemens ſeptimus potuit ſibi timere. Eadem fuit ratio Gregorii ſexti, per ſimoniam, uti à quibuſdam putabatur, intruſi. Dico, *Uti putabatur*: Gregorium namque ſextum fuiſſe virum ſanctiſſimum, puriſſimum ab omni ſimonia, ſimoniacorum hoſtem infenſiſſimum, ac proindè ejectum iniquiſſimè, teſtantur graviſſimi auctores. Eum ſemper fuit adeò veneratus Cardinalis Hildebrandus, ut in Pontificem adſumptus voluerit ex ejus nomine appellari Gregorius, & quidem non ſextus, ſed ſeptimus, ità toti mundo edicens illum legitimum Pontificem fuiſſe. Eundem Otto Friſingenſis Epiſcopus *Eccleſiæ Liberatorem*, Glaber Rudolfus vocat virum religioſiſſimum, ſanctitate præcipuum, Romanæ Eccleſiæ à multis antecedentium temporum ſordibus expurgatorem. Deponendi Pontificis audaciam reſumpſit Wormatienſis per Henricum quartum Imperatorem incitata Pſeudo-Synodus in laudatum Gregorium ſeptimum, ideòque ille ſtatuit in ſuo Dictatu: *Romanus Pontifex à nemine debet judicari.*

Addit verò in tractatu de Epiſcoporum correctione Sanctus Petrus Damiani. *Si Petrus, cùm à Diſcipulis culparetur, auctoritatem, quam in ſancta fuerat ſortitus Eccleſia, voluiſſet oſtendere, reſpondere potuerat, ut Paſtorem ſuum oves, quæ ſibi commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querela fidelium poteſtatis ſuæ titulum objeciſſet, Doctor profectò manſuetudinis non fuiſſet. Non ergò eos privilegii ſui auctoritate repreſſit, ſed humili potiùs ſatisfactione placavit.* Sanctus ille Doctor adducit plura, quibus oſtendat *titulum Præſulatus non eſſe opponendum, quò minùs Eccleſiæ filiis, qui ſe gravatos aſſerunt, æquo judicio reſpondeatur.* Quod ipſum ex eodem Sancti Petri facto adfirmat frequenter Sanctus Auguſtinus, ajens Petri reprehenſi humilitatem Pauli reprehendentis libertate multò laudabiliorem. Sanctus Marcellinus Pontifex à quibuſdam laudatur publicè in Synodo petiiſſe veniam, Pelagius primus ac Leo tertius ſeſe ex ambone apud populum expurgaruot de objectis criminibus, Adrianus ſecundus offenſos Epiſcopos & monachos placavit humillimè, & infirmitati ſuæ commiſerationem omninò petiit in Synodo Paſchalis ſecundus. Et Fratres Prædicatores, quòd Evangelicam paupertatem & omnis humani diei contemptum profeſſi Romanos ſui temporis Pontifices de nimiis Epiſcupatuum ac aliorum Eccleſiaſticorum beneficiorum reſervationibus arguere timerent, graviter apud Matthæum Pariſienſem increpat moriens Robertus Epiſcopus Lincol- A. 1253.
nienſis. Romanus igitur Pontifex, humanitùs in aliquo lapſus, omninò poteſt moneri à ſubditis, & data illis per ipſum ſatisfactio eſt humilitas & gloria grandis. Quam maximè tamen hìc locum habet Sancti Auguſtini in Regula dictum ad ſuorum monachorum Præpoſitos: *Non à vobis exigitur, ut à vobis ſubditis veniam poſtuletis, ne apud eos, quos oportet eſſe ſubjectos, dùm nimiùm ſervatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Etenim avitum Apoſtolicæ Sedis genium

egregiè

Digitized by Google

egregiè nobis in litteris ad Sanctum Hilarium Arelatenſem Archi-Epiſcopum, cum Sancto Leone Magno Pontifice nimis contentioſè agentem, ideòque gratia lapſum, oſtendit Auxiliaris Romanæ urbis Præfectus: *Aures Romanorum quadam teneritudine plùs trahuntur, in quam ſi ſe Sanctitas Tua ſubinde demittat, plurimum nihil perditurus acquiris. Da mihi hoc, & exiguas nubes parvæ mutatione ſerenitatis compeſce.* Quod conſilium ſecutus Hilarius omnem ſuam tempeſtatem non ſolummodò compeſcuit, ſed & inter Sanctos Epiſcopos eminentem locum accepit. At verò dictum Robertum Lincolnienſem, licèt miraculis poſt mortem coruſcare à variis diceretur, ob pertinacem in ſuos Pontifices audaciam canonizare nunquam voluit Romana Eccleſia, exindè à graviſſimis Scriptoribus inſigniter laudata.

CANON XXII.

PRomotiones atque conſecrationes Epiſcoporum; concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Epiſcoporum collegii fieri ſancta hæc & univerſalis Synodus definit & ſtatuit; atque jure promulgat neminem laicorum Principum vel Potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confuſio vel contentio, præſertim cùm nullam in talibus poteſtatem quemquam Poteſtativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat, ſed potiùs ſilere, ac attendere ſibi uſque quo regulariter à collegio Eccleſiaſtico ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis. Si verò quis laicorum ad concertandum & cooperandum ab Eccleſia invitatur, licet hujuſmodi cum reverentia, ſi fortè voluerit, obtemperare ſe aſciſcentibus; taliter enim ſibi dignum paſtorem regulariter ad Eccleſiæ ſuæ ſalutem promoveat. Quiſquis autem ſæcularium Principum & Potentum, vel alterius dignitatis laicus adversùs communem ac conſonantem, atque canonicam electionem Eccleſiaſtici Ordinis agere tentaverit, anathema ſit, donec obediat ac conſentiat, quod Eccleſia de electione ac ordinatione proprii Præſulis ſe velle monſtraverit.

SCHOLION.

HUnc Canonem in litteris ad Manaſſen Re-
Epiſt. 102. menſem Archi-Epiſcopum laudat Sanctus Ivo Epiſcopus Carnotenſis. *Non licèt Regibus, ſicut ſanxit octava Synodus, quam Romana Eccleſia commendat & veneratur, electionibus Epiſcoporum ſe miſcere, vel aliqua ratione eas impedire. Francorum enim Reges Carolus* Magnus *& Ludovicus* Pius *electiones Epiſcoporum Eccleſiis conceſſerunt, quod & in ſuis Capitularibus ſcriptum reliquerunt, & in Conciliis Epiſcoporum Provincialibus ſanciri permiſerunt.* Et in litteris ad Hugonem Prima-
Epiſt. 60. tem Eccleſiæ Lugdunenſis. *Reges Apoſtolica auctoritate à conceſſione Epiſcopatuum prohibitos minimè videmus. Legimus enim ſanctæ recordationis ſummos Pontifices aliquando apud Reges pro Electis Eccleſiarum, ut eis ab ipſis Regibus concederentur Epiſcopatus, ad quos electi erant, interceſſiſſe; aliquorum, quia conceſſiones Regum necdum conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe. Quorum exempla ſuppoſuiſſemus, niſi prolixitatem Epiſtolæ vitaſſemus. Domnus quoque Papa Urbanus* ſecundus *Reges tantùm à corporali inveſtitura excludit, quantùm intelleximus, non ab electione, in quantùm ſunt caput populi, vel conceſſione: Quamvis octava Synodus ſolùm prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni.* Quid verò ſit Regia Epiſcopatus conceſſio, exponit in litteris ad Paſchalem ſecundum Pontificem, agens pro Gualone Electo Eccleſiæ Belluacenſis: *Rex non vult electioni aſſenſum præbere, nec Electo bona Epiſcopalia dimittere.*

Gothi, Wandali, Burgundi, Franci, Nort-

manni, Angli, aliique Romanæ Reipublicæ dilaceratores Barbari, quo omnem invaſæ à ſe ditionis etiam cum populo Clerum ſibi firmiter devincirent, Eccleſiaſticas poſſeſſiones transferipſerunt in ſua beneficia, earumdem Epiſcopali Sede vacante ſtatuerunt ſe cuſtodes & protectores, de ipſis novos Epiſcopos quaſi de ſuis feudis inveſtierunt, horumque canonicas electiones aut extinxerunt ac verterunt in ſuas nominationes, aut ſanè à ſuo arbitrio fecerunt pendulas, utpotè ſine ſua prævia licentia non faciendas, & jam factas ſuo ſuffragio confirmandas. Nam & Sanctus Gregorius Magnus Pontifex electionis de ſe factæ confirmationem, & faciendæ conſecrationis licentiam à Mauririo Augnſto petere coactus fuit, quod nempe Heruli & Gothi ſervitutem iſtam Romanæ etiam Eccleſiæ impreſſiſſent, eamdemque Gotborum victor ac ex Italia ejector Juſtinianus Auguſtus, in omnia ipſorum quaſi jura ſuccedere volens, firmaſſet, ac multi poſt illum Græcorum Imperatores. Hanc confir-
L. 1, Epiſt, 5. marionem Sanctus Gregorius Magnus in litteris ad Theoctiſtam Mauritii Auguſti ſororem adnumerat ſacris juſſionibus; Sanctus autem Ivo & alii iſtorum temporum Patres paſſim vocant Epiſcopatus donationem ſeù conceſſionem. Epiſcopalium quippè Electionum non ſolam confirmationem, ſed & caſſationem atque exſufflaionem ſibi violenter adrogabant Reges, ideòque data per ipſos confirmatio, cui præſertim Eccleſiaſticarum poſſeſſionum accedebat inveſtitura, non ſine fundamento potuit vocari donatio ſeu conceſſio Epiſcopatus, Deinde barbaram Regum iſtorum Majeſtatem diſpenſatorio alii nominis honore emolliendam duxerunt ſancti tunc Epiſcopi, atque ità pedetentim ad Romanos mores deducendam.

Sanctus itaque Ivo in adductis ad Hugonem Primatem litteris Reges per Canonem noſtrum excludi exiſtimat à ſola Epiſcoporum electione ſeu activo ſuffragio, non à jam dicta Epiſcopatuum donatione. Graſſantem adhuc ſuo tempore in ſuis Regibus barbaram violentiam conatus eſt ſaltem palliare. Verùm errare evincunt hæc Canonis verba: *Semet miſcere* non poſſunt *electioni vel promotioni cujuslibet Epiſcopi*: Et hæc: *Nullam in talibus habent poteſtatem*. Ne loqui quidem poſſe in hac re illos vult Canon, ſed *ſibi attendere* ac penitùs *ſilere*. Pulchrè Matthæus
Elem. K. c. 32. Blaſtares: *Canones reſervant Epiſcopis Provinciæ ſuffragia in Epiſcoporum electionibus, prohibentque ne aliquid ejuſmodi cum quovis Principe communicetur*. Etiam illam Græcorum praxim, qua è tribus à Clero Electis unius eligendi poteſtas dabatur Principi, adverſari ſacris Canonibus teſtatur in libro de ſacris Ordinationibus Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis.

Canon noſter ſtatuit & in Francorum Reges, & in Græcorum Auguſtos, quibus ambobus ſolennem tunc fuiſſe iſtam inſolentiam eſt ſuprà abundè oſtenſum. Neque refert, quod Sancti Romani Pontifices quandoque apud Reges pro electis Epiſcopis, ut eis Epiſcopatus, ad quos erant canonicè electi, concederentur, interceſſerint, ac eorumdem conſecrationem, quouſque impetraretur iſta conceſſio, diſtulerint. Etenim diſpenſatoria fuit iſta patientia, ſequens Propheticam Regulam: *Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo*. Et hinc Reges conceſſionem iſtam facere pertinaciter recuſantes frequenter excommunicavit, eorumque Regna Eccleſiaſtico per multos dies interdicto ſubjecit eadem Romana Eccleſia, idque ex auctoritate noſtri Canonis, omnem laicum, licèt Principem aut potentem, in canonicam electionem quid agere attentantem, mandantis anathemate feriri. Quare de ipſo rectè ad Manaſſem Remenſem Epiſcopum ſcripſit Sanctus Ivo, quod canonicas electiones vetet aliqua ratione à Regibus impediri.

Statuit, inquam, Canon noſter *Epiſcoporum promotiones atque conſecrationes fieri electione ac decreto Epiſcoporum collegii*, idque *concordans prioribus Conciliis*. Videlicèt duodecimo Laodicenſi, ac quarto & ſexto Canonibus Nicænis, mandantibus Epiſcopum ab omnibus Comprovincialibus Collegis eligi, & à Metropolita confirmari, præter quam formam facta promotio ſit penitùs vacua ac ipſo facto nulla. Idem adverſùm Reges Merovingios ſtatuunt tertia & quinta Cap. 8.
Synodi Pariſienſes, dicentes eſſe conſuetudinem & Canonem Eccleſiæ antiquum. Aliter factam Cap. 2.
electionem irritat prima Cabilonenſis. Et Ludovicum tertium Carolinæ ſtirpis Regem rogat Cap. 10.
ex totius ad Sanctam Macram Synodi nomine Hincmarus Metropolita Remenſis, quatenùs Epiſcoporum electiones deinceps ſecundùm Ni- Epiſt. 12. c. 1. 2. 6.
cænos Canones à ſolis Provinciæ Epiſcopis fiant excluſo populi imperito ac tumultuoſo ſuffragio, cujus eſt iſtos ſubſequi, non præire. Et de futura Hedenulfi Laudunenſis Epiſcopi electione ſcribit ad eumdem Hincmarum Pontifex Joannes octavus: *Cui electioni volumus etiam Miſſum piiſſi-* Epiſt. 2.
mi Imperatoris Caroli Calvi *intereſſe, ut ſine ſæcularium ſtrepitu talis omni latere eligatur, qui aptus ſacris Canonibus eſſe modis omnibus approbetur*. Etenim Nicæni Canones nullam laici populi mentionem faciunt, & decimus tertius Laodicenſis disertè exprimit Epiſcoporum electiones populorum turbis non permittendas. Hinc igitur Hincmarus & quidam etiam recentiores exiſtimant laicum populum ex tunc ſuffragii jure fuiſſe exutum, & antiquos iſtos Canones à noſtro hoc, non ſolùm Principem, ſed omnem penitùs laicum ab electionibus proſcribente, firmari ac innovari.

At eos de Laodicenſi ac Nicænis Canonibus falli oſtendit apud Theodoreti Eccleſiaſticam hiſtoriam Sanctus Petrus Alexandriæ poſt Sanctum Athanaſium Patriarcha in litteris ad omnes L. 4. c. 20.
ubique orthodoxos, dicens mandare Canones, ut Epiſcopus Comprovincialium Collegarum conſenſu, Clericorum ſuffragiis, & populi poſtulatione eligatur. Et Nicænorum Canonum vindex zeloſiſſimus Leo Magnus Pontifex ſcribit ad Anaſtaſium Archi-Epiſcopum Theſſalonicenſem: *Cùm de ſummi Sacerdotis electione tractabitur,* Epiſt. 84. c. 5.
ille omnibus præponatur, quem Cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtularit. In litteris ad Provinciæ Viennenſis Epiſcopos ait requiri *vota civium, teſtimonia populorum, Honoratorum arbitrium,*

electionem

electionem Clericorum. Et in litteris ad Ruſticum
Epiſt.92. c. 1. Atchi-Epiſcopum Narbonenſem: *Nulla ratio
ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Cle-
ricis ſunt electi, nec à Plebibus expetiti, nec à
Provincialibus Epiſcopis cùm Metropolitani judicio
conſecrati*. Et hinc Nicænos Canones quidam ità
intelligunt, ut ad civitatis Clerum & popolum
electio, confirmatio ſpectet ad Comprovinciales
Epiſcopos, præſertim Metropolitanum. Ità
intelligunt in littetis ad Rudolſum Senenſem ac
L.5. Epiſt. 3. Rainerium Epiſcopum Florentinum Gregorius
ſeptimus Pontifex, & in litteris ad Wulgrinum ac
Stephanum Pariſienſis Eccleſiæ Archi-Diaconos
Epiſt.138. Sanctus Ivo Carnutenſis.

Notanda ſunt hæc Sancti Petri Alexandrini
verba: *Clericorum ſuffragiis & populi poſtulatione*.
Et hæc Sancti Leonis: *Vota civium, teſtimonia
populorum, electio Clericorum*. Etenim nunquam
deciſivum ſufftagium, ſed ſolum teſtimonium
ac poſtularionis votum populus in Epiſcopi ſui
electione babuit, idque *ex Apoſtolicæ*, inquit in
laudata ad Provinciæ Viennenſis Epiſcopos
Epiſtola idem Sanctus Leo, *auctoritatis norma,
qua præcipitur, ut Sacerdos Eccleſiæ præfuturus
atteſtatione fidelium muniatur*; non obtrudatur
invitis, ſed *per pacem & placitam Deo concordiam
conſonis omnium ſtudiis ordinetur*. Etenim ſeptem
Diaconos ordinaturi Apoſtoli admonuere ple-
bem, ut *conſiderarent viros boni teſtimonii, plenos
Spiritu Sancto*. Et in libro Apologetico ſcribit
Cap. 39. Tertullianus: *Præſident probati Seniores, hono-
rem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti*. Et ad
Sanctum Cornelium Pontificem ait Sanctus Cy-
Epiſt.41. prianus Epiſcoporum electiones *Collegarum ac Ple-
bis teſtimonio & judicio comprobari*. Ad quæ vetba
rectè Jacobus Pamelius: *Teſtimonium ad Plebem,
judicium ad Collegas eſt referendum.* Et Apoſtolicæ
Conſtitutiones mandant, ut Epiſcopi ordinan-
dum à ſe Collegam populo ſiſtant, rogantes an
ipſe ſit, quem ſibi petunt præeſſe, & an illi per-
hibeant teſtimonium, quòd dignus ſit. Quem
morem multis depingit in Actis de Eradii ſucceſ-
ſoris ſui electione Sanctus Auguſtinus. Et in
libro de Sacerdotum dignitate ſcribit Sanctus
Epiſt. 110. Ambroſius: *Homines in Sacerdotum Ordinationibus
clamant*, DIGNUS EST, JUSTUS EST.
Cap. 5. Et apud Laurentium Sutium vita Sancti Eutychii
Patriarchæ Conſtantinopolitani: *Omnes una vo-
ce proclamabant*, DIGNUS EST, DIGNUS
EST. Populi namque teſtimonium, votum,
ac poſtulationem fuiſſe paſſim publicis acclama-
tionibus deprompta, lucidum eſt ex plurimis
exemplis. Et hinc in laudatis Actis ſanctus Au-
guſtinus adclamationem iſtam vocat popoli non
ſolummodò teſtimonium, ſed etiam *Placitum*
atque *adſenſum*.

Neque obeſt decimus tertius Canon Laodicen-
ſis. Eum exponit ſecundus Sardicenſis: *Clarum
eſt potuiſſe paucos aliquos mercede & pretio corruptos
in Eccleſia ſeditionem movere, ut quempiam poſtulent
habere Epiſcopum*. Tales corrupti populi accla-
mationes fuiſſe ſuo etiam tempore frequentes te-
ſtatur Origenes in vigeſima ſecunda homilia ſuper
vigeſimum ſeptimum caput Numerorum.. Et de
Cabilonenſis Epiſcopi electione ſcribit Sidonius
Apollinaris: *Hic per fragores paraſiticos ſuffragia* L.4. Epiſt. 25.
*comparatas apicianis plauſibus ingerebatur; hic apice
votivo ſi potiretur, tacita pactione promiſerat Eccle-
ſiaſtica ſuis plauſoribus prædia fore*. Et adverſùs
Rainaldum Aodegavenſis Eccleſiæ Electum Goſ-
fredus Abbas Vindocinenſis. *Omnes* Epiſcopi L.3. Epiſt. 12.
& Clerici *contradixerunt illam, quam veſtram fuiſſe
dicitis electionem, & reprobaverunt. Nec immeri-
tò. Nam illis invitis, & non petentibus, arreptus
fuiſti à vulgo. Et quod ibi factum eſt, hoc præſum-
ptuoſa & pernicioſa fecit ſeditio. In illa ſiquidem
actione, immò vulgi conſpiratione, quam pro electio-
ne reputatis, lex velut inter arma ſiluit, vox Divina
locum non habuit. Totum ibi levitas vindicavit &
vanitas: Ubi Mima quædam & mulier publica, quæ
vos garruliter acclamabat, ampliùs potuit, quam
Plebis maturitas vel Clericalis honeſtas potuerit. Vas
vulgo furente, & ſpreta canonica electione, eſtis
creatus*. Addit à populo petendum dumtaxàt
Epiſcopum, à ſolis Epiſcopis & Clericis eligen-
dum. Hiſce furioſis, ſeditioſis, ac pretio vel
alio humano die emptis vociferationibus frequen-
ter homines indignos ad Epiſcopatum poſtula-
bat, eligebat, immò & rapiebat atque intrudebat
populus, ideòque iſtas inſolentias, non mode-
ſtam poſtulationem meritò damnavit, & pro
veris electionibus haberi vetuit Laodicenſis Syno-
dus, quod in tam arduo ac Divino negotio do-
cendus ſit & ducendus à Clero populus, non ſe-
quendus. Eadem de cauſa populum penitùs ab
illo proſcribi optat in Orationibus de pace San-
ctus Gregorius Nazianzenus, tandemque proſcri-
pſit noſter Canon.

Attamen neque apud Græcos, neque apud nos
Latinos plenè obtinuit. Liquet ex adducto Goſ-
fredi Vindocinenſis teſtimonio, aliiſque longè
plurimis Decretis Eccleſiaſticis ac exemplis.
Nam Hedenulfi Epiſcopi Laudunenſis electioni
adeſſe Caroli Auguſti Legatum diſertè permiſit
Pontifex Joannes octavus. Et legitimè permiſ-
ſum cenſuit in adducta ad Hugonem Lugdunen- Epiſt.60.
ſium Primatem Epiſtola Sanctus Ivo Carnutenſis
Epiſcopus, quod Rex ſit caput totius populi:
Addidit id ab Urbano ſecundo Pontifice, Gre-
gorii ſeptimi pro canonicis adverſùm laicas inve-
ſtituras electionibus Decreta nuper confirmante,
non prohiberi. Credidit per noſtrum Canonem
ac laudatos Pontifices ab Epiſcopi promotione
proſcribi ſolam turbam, non avitam ac legiti-
mam poſtulationem, deinceps non à toto populi
corpore, ſed à ſolo capite, Domino Rege, ſine
quavis in canonicam electionem injuria facien-
dam. Et reverà Canon noſter laicos ad electioni
cooperandum gratioſè ab Electoribus Epiſcopis
admitti palàm permittit. Nihilominùs Regium
hocce jugum excutere ſemper conata eſt Romana
Eccleſia. Excutere cœpit Calixtus ſecundus,
Henrico quinto Imperatori laicas inveſtituras eſe-
ſtucans, ac in ſolis litigioſis Cleri electionibus
permittens deciſivum ſuffragium, ſeu Epiſcopa-
tus donationem. Quod ipſum Capuano Principi Epiſt.124.
dudùm anteà conceſſerat Joannes octavus. Durè
iſtud impugnare cœpit Eugenius tertius, ac circa
Innocentii tertii tempora videtur multis in locis
fuiſſe plenè excuſſum: Tunc, inquam, omnis

laicus

Digitized by Google

laicus ab Epiſcoporum electionibus fuit integrè proſcriptus & excluſus. Longa eſt res, & non niſi grandi volumine poſſit integrè exponi. Rectè igitur adversùm Lutheranos ſtatuit ſacroſancta Synodus Tridentina: *Si quis dixerit Ordines, ab Epiſcopis collatos ſine populi vel poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vocatione, eſſe irritos, anathema ſit.*

CANON XXIII.

VEnit & hoc nunc ad aures noſtras, quod quidam Epiſcoporum à quibuſdam rogati, poſſeſſiones, quæ ad alias Eccleſias pertinent, irrationabiliter conferant; & per hoc, quantùm poſſunt, ad propriam voluntatem in aliorum poteſtatem Epiſcoporum uſurpent. Hoc autem & Propheticam illis manifeſtè maledictionem acquiret, quæ dixit: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum ad agrum, ut proximo auferatis aliquid*; & criminis eos ſacrilegii reos conſtituit. Hujus rei gratia placuit magnæ huic & univerſali Synodo, quod nullus fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum, vel quiſquam talem ſibi facere nequiſſimam locationem roget, vel ab aliquo ipſe rogatus quamlibet alienarum & extranearum conferat Eccleſiarum poſſeſſionem, nec etiam conſtituat Presbyteros, aut quemlibet alium Clericum in Eccleſiis, quæ ſibi ſubjectæ non ſunt, præter voluntatem Epiſcopi, cui Eccleſia illa commiſſa eſt. Sed neque quiſquam Presbyterorum vel Diaconorum, qui ſacris officiis dediti ſunt, ultrò ac per ſe Eccleſias ingrediens, ſacrum aliquid operetur, in quibus ab initio ſortem minimè conſequutus eſt; illicitum enim eſt hoc & omnimodis à canonicis præceptionibus alienum. Quiſquis ergò poſt hanc definitionem noſtram viſus fuerit faciens aliquid horum, quæ nunc interdicta ſunt, ſeparetur aliquo indicto tempore, diſciſſo videlicet & dirupto modis omnibus locatorio pacto, quod cum ſcripto, ſive ſine ſcripto præter Canonem factum eſt. Similiter & Presbyter ille, vel Diaconus ſegregatus ſit, donec ab aliena recedat Eccleſia. Quod ſi & ſegregationem contempſerit, omnibus modis deponatur, & ab omni honore ſacrato dejiciatur.

SCHOLION.

PRima Canonis pars frænat Epiſcopos ab invadendis poſſeſſionibus Eccleſiæ alienæ. Cauſam invaſionis aperit in litteris ad Theodobertum Francorum Regem prima Synodus Arvernenſis. *Reverentiſſimè ſupplicantes quæſumus, ut tam Rectoris Eccleſiarum, quàm univerſi Clerici, ſub regni veſtri condicione manentes, de quod in ſorte veſtra eſt extraneos, de quod proprium ſemper habere viſi ſunt, exiſtere non permittatis.* Et quinta Synodus
Cap. 14. Aurelianenſis. *Nullus Epiſcoporum, ſeu in uno ſeu in alio regno poſitus, alterius cujuſque Eccleſiæ res aut petat aut præſumat accipere: Quod ſi fecerit, tamdiu habetur à communione altaris, vel omnium fratrum caritate ſuſpenſus, donec ablata reſtituat.* Quod ipſum ſtatuit quinta Pariſienſis Synodus, ac in Britonum Epiſcopis damnant tertia apud
Jacobum Sirmondum Sueſſionenſis, ac Pontifex Epiſt. 5.
Joannes octavus. Epiſt. 46. In varios, ac graviter ſæpè diſcordes Reges aut Duces diviſa tunc erat Francorum monarchia, atque ità etiam quarumdam in limitibus exiſtentium Eccleſiarum bona: Hìnc illa quandoque privata, quandoque Regia auctoritate pervadebant alieni Epiſcopi, juxta re-

guorum

gnorum diviſionem dividenda arbitrati, eamque violentiam noſter etiam Canon compeſcit.

Altera ejus pars compeſcit ſimilem Epiſcoporum in alienas intra alienum regnum ſuas parochias ac diœceſes violentiam, adversùs quam in litteris ad Theodorieum ac Theodobertum Francorum Reges ſcribit etiam Sanctus Gregorius
L.7.indict. 2.Ep.122. Magnus. *Fratrem & Co-Epiſcopum noſtrum Urſicinum, Tauriaæ civitatis Antiſtitem, in parochiis ſuis, quæ intra Regni veſtri ſunt terminum conſtitutæ, grave omninò dicitur præjudicium ſuſtinere, adeò ut contra Eccleſiaſticam obſervantiam, contra Sacerdotalem gravitatem, & contra ſacrorum Canonum inſtituta, nullo ejus exigente crimine, alter illic non metuerit Epiſcopus ordinari*. Regni ſui oppidanas aut villanas Eccleſias alterius regni Epiſcopo ſubeſſe nolebant Franci, eamque barbaram violentiam optimus Gregorius damnat & proſcribit. Adversùs eamdem ſtatuit ſecunda
Cap. 1. Synodus Hiſpalenſis. *Theodulphi Malacitanæ Antiſtitis Eccleſiæ ad nos oblata precatio eſt, aſſerentis antiquam ejuſdem urbis parochiam militaris quodam hoſtilitatis diſcrimine fuiſſe deciſam, & ex parte aliqua ab Eccleſiis Aſtigitanæ, Eliberitanæ, atque Agabrenſis urbium eſſe retentam. Pro qua re placuit, ut omnis parochia, quæ ab antiqua ditione ante militarem hoſtilitatem reſtauiſſe Eccleſiam ſuam comprobatur, ejus privilegio reſtitueretur*. Ait Eccleſias gaudere jure poſtliminii, ipſumque nullo temporis lapſu aut præſcriptione poſſe elidi. Quocircà & hæc noſtri Canonis pars compeſcit inſolentiam, quæ etiam apud Britones, & ex aliis cauſis apud alios graſſata eſt, Francorum Epiſcoporum.

Ejus pars tertia quemque Clericum in Ordinationis ſuæ titulo vult eſſe immobiliter fixum, eorumque ad alias Eccleſias migrationem aut ab aliis Epiſcopis receptionem damnat. De hocce enim Clericalis inſtabilitatis malo in Catholica Eccleſia omninò verum eſt, quod de quodam gentilium Romanorum vitio ſcribit in Hiſtoriarum libris Cornelius Tacitus: *In civitate noſtra* L.1. c.22.
& vetabitur ſemper, & retinebitur.

CANON XXIV.

Divina Scriptura dicente, *Maledictus omnis homo, qui facit opus Domini negligenter*, quidam Metropolitanorum in extremam negligentiam & deſidiam delapſi, præceptionibus ſuis ſubjectos ad ſe adducunt Epiſcopos, & committunt eis Eccleſiæ propriæ Divina officia, & Litanias, & cuncta omninò ſacra quæ ad ſe pertinent miniſteria, ità ut per illos celebrent omnia, quæ per ſemet alacriter agere debuerint, ac per id eos, qui Epiſcopalem dignitatem meruerunt, quodammodò Clericos ſibi ſubjectos exhibeant. Vacant autem iidem præter Eccleſiaſticas leges ſæcularibus curis atque diſpoſitionibus, dimittentes perſeverare in orationibus & obſecrationibus pro ſuis delictis, ac populi ignorantiis, quod nuſquam apud aliquos penitùs invenitur, cùm ſit Canonicis nimirùm contrarium omninò præceptis, & quod ſævius eſt, quia ſuis ſtipendiis per diſtinctas menſium vices præcipi dicuntur prædicta perficere miniſteria, quod ab Apoſtolico munimine modis omnibus oſtenditur alienum. Hæc autem omnia magnis et multis ac vehementiſſimis damnationibus dignos hujuſmodi ſtatuunt; probantur enim tales per hæc, quæ faciunt, etiam Sathanica jactantia et ſuperbia languere. Quiſquis ergò Metropolitanorum poſt hanc ſanctæ ac univerſalis Synodi definitionem, eadem audacia, vel ſuperbia et contemptu abuſus, non per ſe cum timore et alacritate, ſeu conſcientia bona, debita miniſteria in propria civitate, ſed per Suffraganeos Epiſcopos ſuos efficere tentaverit, pœnas exſolvat coram proprio Patriarcha, et aut corrigatur, aut deponatur.

SCHO-

SCHOLION.

CAnon palmatis, & æterna memoria retinen-
dus ab Epiſcopis Regiam aut aliam id genus
ſæcularem poteſtatem habentibus, quos publicis
potiùs adminiſtrationibus implicari delectat,
quàm Eccleſiaſticis, Pontificalibus præſertim,
ideòque illas cuipiam titulari Epiſcopo, quem
Suffraganeum vocant, committunt. Eſt Sathanica
jactantia, Epiſcopum demutans in Clericum,
de qua queſtus etiam eſt in ſua, ad Nicolaum
Pontificem adversùs Hinemarum Remenſem
Epiſcopum, ſuum Metropolitam, appellatione
Rothaldus Epiſcopus Sueſſionenſis. Exortum
videtur malum à Benedicto nono Pontifice, de
A. 1045. quo Sigebertua Gemblacenſis: *Benedictus, qui
ſimoniacè Papatum Romanum invaſerat, cùm eſſet
rudis litterarum, alterum ad vices Eccleſiaſtici of-
ficii exequendas ſecum Papam Sylveſtrum conſecrari
fecit*. Nam & temporibus iſtis proximus Sanctus
Petrus Damiani omninò habuit Suffraganeum,
L. 4. Epiſt. 1. Albertum neſcio cujus civitatis Epiſcopum: Ve-
tuſtiorem Suffraganeorum memoriam ego Igno-
ro. Rectè de illis addit adductus Sigebertus:
Quod cum multis non placeret. Etenim de Epiſco-
pis Suffraganeos adſumentibus dici omninò po-
teſt, quod adversùm Epiſcopos Chorepiſcopis
utentes ſcribit Epiſtola, licèt ſuppoſititia & Sancto
Damaſo Pontifici perperàm adtributa, antiqua
Epiſt. 1. tamen & docta. *Illi Epiſcopi, qui talia ſibi præ-
ſumunt, videntur mihi eſſe meretricibus ſimiles,
quæ ſtatim, ut pariunt, infantes ſuos aliis nutrici-
bus tradunt educandos, ut ſuam citiùs libidinem ex-
plere valeant. Sic & iſti infantes ſuos, id eſt,
populos ſibi commiſſos, aliis educandos tradunt, ut
ſuas libidines expleant, id eſt, ut pro ſuo libitu ſæ-
cularibus curis inhient, & quod unicuique viſum fue-
rit, liberiùs agant. Pro talibus animæ negliguntur,
oves pereunt, morbi creſcunt, hæreſes & ſchiſmata
prodeunt, & reliqua mala proveniunt*. Suffraga-
neis, qui non Paſtores, ſed nullius poteſtatis
mercenarii homines ſunt, innixi Epiſcopi altè
dormiunt, ideòque venit inimicus homo, &
ſuperſeminat zizania: Lutheranam hæreſim &
reliqua omnia Germanicæ Eccleſiæ mala ex ſonte
iſto profluxiſſe eſt nimis manifeſtum. Non Epi-
ſcopatus temporali Principatui, ſed hic illi eſt
acceſſorius, ideòque hujus adminiſtrationem
meritò mandant Canones alteri delegari, & Pon-
tificale officium per ipſam Epiſcopi perſonam
quoad omnia exerceri. Epiſcopos iſtos, qui
oves ſuas paſſim omnibus, crumenam autem aut
laicam poteſtatem nemini penitùs credunt, ju-
ſtiſſimè arguit in libris de Conſideratione Sanctus
Bernardus.

Suffraganeos iſtos, ac omnes generatim titu-
lates Epiſcopos graviſſimè inſectatus eſt, mona-
chorum animo apoſtatantium aſyla dixit, & per
ſacroſanctam Tridentinam Synodum proſcribi
exegit magnum Ordinis noſtri decus Hierony-
mus Seripandus, Archi-Epiſcopus Salernitanus,
ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis,
& ad laudatam Synodum Præſeſ-Legatus. Locu-
rus fuit ex Sancto Petro Damiani, qui omnem
Epiſcopatus appetitorem monachum eſſe in men-
te ſua & coram Deo Apoſtatam conſtanter adſe-
verat. Et Clementini ſchiſmatis tempore apoſta-
tas monachos ad titulares Epiſcopatus paſſim
adſpiraſſe & frequenter perveniſſe Theodoricus à
Niem lamentatur. Et fratris Jacobi Juliacenſis, L. 2. C. 12.
Ultrajectenſis Suffraganei, impoſturas, facino-
ra, degradationem, infame ſupplicium videre
eſt in magno chronico Belgarum. Etiam alio-
rum exceſſus varios compeſcuit in Synodo ſua F. 325.
ſub Martino quinto Pontifice habita Eberardus
Archi-Epiſcopus Salisburgenſis.

Et quidem Metropolitarum, adversùm quos
agit noſter Canon, duplex erat in eodem facto
facinus: Officium Pontificale, ſæcularibus ne-
gotiis poſtpoſitum, negligebant, & quempiam
Provincialem Epiſcopum abſtrahebant à propriæ
Eccleſiæ reſidentia & cura. Et hìnc meritò Ca-
lixtum ſecundum Pontificem, qui Joannem
Glaſguenſem Epiſcopum, Patriarchæ Hieroſo-
lymitano ſervientem ut Suffraganeum, ad Ec-
cleſiam ſuam redire juſſit, meritò laudat Symeon A. 1123.
monachus Dunelmenſis. Noſtro tamen Canoni 1138.
non adverſatur Eccleſiæ Anglicanæ antiquiſſima
conſuetudo, ex qua Roffenſis Epiſcopus fuit
Suffraganeus defuncti vel abſentis Archi-Epiſcopi
Cantuatienſis.

Sunt item certi caſus, in qnibns Epiſcopo in
varias Chriſtiani populi neceſſitates diſtracto li-
ceat habere Suffraganeum. Habuit enim Sanctus
Petrus Damiani, Sanctus Engilbertus Archi-Epi-
ſcopus & Martyr Colonienſis, ſancti Epiſcopi
plures, ac ipſe noſter Sanctus Thomas de Villa-
Nova, in cujus ille vita vocatur Epiſcopus de
gratia. Et de Celeſtino tertio Pontifice ſcribit
Rogerus Hovedenſis: *Dominum Joannem de San-* F. 774.
*cto Paulo, Presbyterum Cardinalem tituli ſanctæ
Priſcæ, adeò præ cæteris diligebat, quod illum loco
ſui conſtituerat ad omne officium ſuum exequendum,
niſi in conſecratione Epiſcoporum, quod pertinebat
ad officium Epiſcopi Hoſtienſis*. Ex qno vides qnoad
conſecrationes iſtas Hoſtienſem tnnc fuiſſe in
Romana pro Pontifice etiam vivo ac præſente,
qnod qnoad omnia in Eccleſia Cantuarienſi pro
defuncto aut abſente Archi-Epiſcopo erat Epiſco-
pus Roffenſis. Et Romanæ Eccleſiæ reformandæ
incondito ſpiritu tnrgens Synodns Baſileenſis ſta- Seſſ. 23.
tuit de Domino Papa: *Prælatum aliquem magnæ
ſcientiæ, probatæque & exemplaris vitæ in urbe
Vicarium conſtituat, qui vice ſua Cleri & populi
Epiſcopalem curam gerat, de quo an oneri ſuo dili-
genter incumbat, ſæpè perquirat*. Quin immò de
Sancto Petro Apoſtolo ſcribit liber Pontificalis:
*Hic ordinavit duos Epiſcopos, Linum & Cletum,
qui præſentialiter omne miniſterium ſacerdotale in
urbe Roma populo vel ad ſe venientibus exhiberent;
beatus autem Petrus orationi, prædicatione populum
erudiens, vacabat*. Et hnic fundamento innititur
vetuſtiſſima Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, ex
qua ſeptem Cardinales Epiſcopos ſemper fuiſſe
Domini Papæ quaſi Suffraganeos oſtendit in ope-
re de ſeptem urbis Baſilicis Onuphrius Panvinus.

Eorum

Digitized by Google

Eorum unum Gregorium Ludovici Pii Auguſti Aſtrologus in ſuis Annalibus vocat *Epiſcopum*
A 837. *Regionalium Romanæ urbis*: Quod nempe per certam urbis regionem quiſque ſuum Suffraganeatum obiret.

CANON XXV.

ET hoc debitè ſancta Synodus definivit, quatenùs Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, et Subdiaconi magnæ Eccleſiæ, qui conſecrationem Methodii et Ignatii ſanctiſſimorum Patriarcharum habuerunt, et ſecundùm inſolens illud et duriſſimum cor Pharaonis obdurati ſunt, et uſque nunc minimè cum hac ſancta et univerſali Synodo convenerunt, ſed nec nobis conſonare in verbo veritatis voluerunt, quin immò invaſori Photio concorditer conſenſerunt, depoſiti ſint et omninò ſacerdotali operatione privati, quemadmodùm nec multùm antè beatiſſimus Papa Nicolaus judicavit, et nequaquam tales in Sacerdotii catalogo recipiantur, etiam ſi ex hoc converti voluerint, niſi in perceptione Sanctificationum, qua dignos nullatenùs eos, niſi per multam miſericordiam judicamus; non enim ſunt digni ad priorem honorem reſtitutionis locum per pœnitentiam invenire, ſecundùm exoſum illum Eſau, licet cum lachrymis expetiſſet eam.

SCHOLION.

QUidam Photiani ſchiſmatis ſequaces Epiſcopi & Clerici à Sancto Methodio, aut ejus ſucceſſore Sancto Ignatio, Patriarchis Conſtantinopolitanis, quidam ab intruſo ſchiſmatis authore Photio erant ordinati: Hoſce, licèt pœnitentes, indiſpenſabiliter ad laicos rejecit Canon quartus, iſtos gradibus ſuis gratiosè reddi permiſerunt Acta ſynodalia; at verò præſens Canon excipit huc uſque impœnitentes, mandans haberi ut ipſos à Photio ordinatos, & poſtmodùm Deo miſerante convertendis nullam impendi miſericordiam, niſi ſolam perceptionem Sanctificationum, id eſt, laicam communionem. *Sanctificatio* eſt vetuſtus Euchariſtiæ titulus, quam & in libro de ſpectaculis Tertullianus, & in ſermone de lapſis Sanctus Cyprianus vocant *Sanctum*, Cap. 25.
& *Sanctum Dei*, id eſt, ipſam Domini noſtri Jeſu ab ipſa ſubſtantiali Divinæ Majeſtatis ſanctitate ſanctificatam, & omnium noſtrum ſanctificatricem humanitatem.

CANON XXVI.

PLacuit et hoc ſanctæ Synodo; ut quicumque Presbyter aut Diaconus à proprio Epiſcopo depoſitus fuerit propter aliquod crimen, vel ſi quamlibet injuſtitiam ſe pati dixerit, et non ac-

quieverit judicio proprii Epiſcopi, dicens eum ſuſpectum ſe habere, et vel propter inimicitiam, quam erga ſe tenuerit, vel propter gratiam, quam aliis quibuſdam præſtare voluerit, idcircò in ſe fuiſſe tale quid operatum; poteſtatem habeat ad Metropolitam ipſius Provinciæ concurrere, et eam, quam putat injuſtam, depoſitionem vel aliam læſionem denunciare; Metropolita verò ille libenter ſuſcipiat hujuſcemodi, et advocet Epiſcopum, qui depoſuit, vel alio modo Clericum læſit, et apud ſe cum aliis etiam Epiſcopis negotii faciat examen, ad confirmandum ſcilicet ſine omni ſuſpicione, vel deſtruendum per generalem Synodum et multorum ſententia Clerici depoſitionem. Similiter etiam Epiſcopos concurrere ad Patriarchale caput decernimus, qui à Metropolitis ſuis talia ſe pertuliſſe fatentur, ut apud Patriarcham Metropolitarum, qui ſub ipſo ſunt, juſtam et ſine ſuſpicione ſententiam, quod movetur negotium, accipiat. Inſuper etiam nullo modo quiſquis Metropolitanorum vel Epiſcoporum à vicinis Metropolitis Provinciæ ſuæ judicetur, licet quidam incurriſſe crimina perhibeatur, ſed à ſolo Patriarcha proprio judicetur, cujus ſententiam rationabilem, et judicium juſtum, ac ſine ſuſpicione fore decernimus, eo quod apud eum honorabiliores quique colligantur, ac per hoc ratum & firmum penitùs ſit, quod ab ipſo fuerit judicatum. Si quis autem non acquieverit iis, quæ à nobis edita ſunt, excommunicatus exiſtat.

SCHOLION.

QUintus & ſextus Nicænus, ſextus Conſtantinopolitanus, & nonus Canon Chalcedonenſis, nec non Apoſtolica traditio, & perpetua omnium ſub cœlo Eccleſiarum conſuetudo Clericum ab Epiſcopo ad Metropolitam, à Metropolita ad Primatem aut Patriarcham mandant appellare, iſtumque morem præſens Canon firmat ac innovat, Epiſcopos aut Metropolitas vetans judicari à vicinæ Provinciæ Epiſcopis aut Metropolitis. Agit adverſùm ſacras Auguſtorum Principum delegationes, quibus Epiſcoporum cauſas non ſolummodò propriis, ſed & alienis Synodis, Metropolitis, Primatibus, Patriarchis, ac etiam ſimplicibus Epiſcopis quandoque delegabant. Ità Ibæ Edeſſeni Epiſcopi ac per Oſrhoenam Provinciam Metropolitæ criminalem cauſam à Domni Antiocheni Patriarchæ tribunali abſtraxit, & in Photium Tyri Epiſcopum ac primæ Phœniciæ Metropolitam, eique adjunctos Euſtathium Berytenſem ac Uranium Himerorum Epiſcopum tranſtulit Theodoſius Auguſtus. Hinc item adversùs Joannem Antiochiæ Patriarcham, ejuſque Epheſiam ſui damnatricem factionem queruntur apud Epheſinam Synodum Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus ac Memnon Epheſiorum Primas: *Nec per leges Eccleſiaſticas, nec per Imperiale Decretum poteſtatem habuit, qua fultus vel quemquam ex nobis judicare, vel omninò ſimile quidquam attentare poſſet, præſertim verò contra majorem ſedem*. Antiochena enim dumtaxàt tertia, Alexandrina autem ſedes eſt ſecunda. Joannes ergò ex Imperiali Decreto iſtud omninò potuiſſet, quod ſacra Auguſtæ delegationis juſſio Canonibus æquivaleret, ideòque poſſet etiam ad extraneos prorogare Eccleſiaſticam juriſdictionem. Verùm erat violentia ſacris Canonibus adverſa, à ſanctis olim Patribus tolerata quandoque, at ſemper improbata; Nam & Domnus Patriarcha Antiochenus per memoratam Theodoſii Auguſti delegationem affici injuria ſuum Apoſtolicum Thronum eſt queſtus. Eamdem igitur, alibi largiùs elucidandam, violentiam præſens Canon damnat ac proſcribit ad judicia peregrina.

CANON

CANON XXVII.

SEcundùm traditas formas per ſingulas Provincias ac regiones, & urbes in Eccleſiaſticis promotionibus & conſecrationibus, illa, quæ indicia & ſigna ſunt ordinis, qui unicuique ineſſe videtur, retineri decernimus, ità ut Epiſcopi, quibus conceſſum eſt Palliis uti certis temporibus, in eiſdem temporibus & locis iis induantur, & tanto & tali non abutantur amictu propter typhum & inanem gloriam, & humanum placorem atque ſui amorem, omni videlicet tempore Divini ſacrificii & omnis aliûs Eccleſiaſtici myſterii hunc ineptè portantes. Illos autem, qui reverenter monaſticam vitam ſectati ſunt, & Epiſcopalem meruerunt honorem, conſervare ſchema & amictum monachicorum indumentorum, & ipſam beatam vitam decernimus, & nullus omninò habeat poteſtatem deponere jam dictum ſchema propter typhum & arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum tranſgreſſor pactorum. Sicut enim ibi continuus Palliorum amictus faſtigioſum & ſuæ gloriæ deditum demonſtrat Epiſcopum, ità & hic depoſitio ac denudatio monachici habitus nihilominùs eiſdem ſubmittit criminibus eum, qui hoc feciſſe captus extiterit. Quiſquis ergò Epiſcopus præter definita ſibi ſcripto tempora ſe pallio induerit, aut monaſticarum veſtium ſchema depoſuerit, aut corrigatur, aut à Patriarcha proprio deponatur.

SCHOLION.

PRima Canonis pars impetit Hincmarum Archi-Epiſcopum Remenſem, adversùs quem
Epiſt. 60. nuper ſcripſerat etiam Pontifex Nicolaus primus. *Noſtris auribus intimatum eſt, Fraternitatem Tuam non certis temporibus, & juxta morem aliis Metropolitanis Antiſtitibus definitis pallio à Sede Apoſtolica conceſſo uti: Quod valdè diſplicet, ſi id à Sanctitate tua fuerit elatè commiſſum, ut humilitatis oblita cæteris fratribus ſuis ſtudeat videri ſublimior; quamvis hoc non ad inanem gloriam utendum ſit, ſed ad ornatum cunctarum virtutum geſtandum.* Repoſuit
Epiſt. 26. verò Hincmarus: *De Pallio à mea præſumptione non certis temporibus, & juxta morem aliis Metropolitanis diffinitis uſo, undè Veſtræ Sanctitatis auribus intimatum eſſe indignitati meæ ſcripſiſtis, Auctoritati Veſtræ veraciter fateor, quod & in iſtis regionibus per alios, ſi vobis placuerit, reſcire valebitis, quia niſi in Natalis Dominici die, & in die ſanctæ Reſurrectionis ejus vix in toto anno eodem pallio utor. Quoniam de illorum numero, peccatis meis exigentibus, factus, de quibus ſcriptum eſt,* IMPEDIMENTA SÆCULI FECERUNT EOS MISEROS; *tarò in decretis feſtivitatibus, quibus pallio uti Metropolitanis conceditur, in ſede mea, propter multas occupationes & neceſſitates Eccleſiæ & Regni, eſſe mihi permittitur. Et niſi quando in eadem ſede ſum in decretis feſtivitatibus, non ſolùm non toties, ſicut mihi conceſſum eſt, verùm vix aut nunquam eodem pallio utor. Pro cujus uſu apud Sedem Apoſtolicam nihil petii, niſi ſicut Deceſſores & Prædeceſſores mei eo uti, & in Epiſcopi ordinatione ſolebant.* At longè aliter ejus Encomiaſtes Flodoardus in hiſtoria Eccleſiæ Remenſis. *Venerabilis Præſul Hincmarus, pro ſuæ ſanctitatis & ſcientiæ reverentia, per interventionem Lotharii Imperatoris, Pallium ad cotidianum ſuſcepit uſum à quarto Leone Papa, à quo jam aliud perceperat in deſignatis ſibi ſolennitatibus debitè fruendum. Quem cotidianum Pallii uſum nulli unquam Archi-Epiſcopo ſe conceſſiſſe, vel deinceps conceſſurum eſſe, idem Papa in Epiſtola tunc ad eum directa teſtatur.* Cur igitur ipſe Hincmarus de iſto quotidiano uſu culpatus purgat ſeſe ut de gravi crimine, cur disertè negat ſibi eſſe ullum ejuſmodi ab Apoſtolica Sede privilegium; Nempe chamaleontem ex more agit, fictitiumque aut per artes obtentum fuerat iſtud privilegium, ideòque ipſum præſens Canon proſcribit ac damnat. L.3.c.10.

Rectè addit Hincmarus Pallium eſſe *genium Sedis Metropolitanæ*. Loquitur ex praxi ſuorum temporum. Olim enim ſoli Patriarchæ, Prima-

tes, majorum Sedium Archi-Epiſcopi, aut Apoſtolici Vicarii habuere; poſtmodùm cunctis Metropolitis in Metropoliticæ poteſtatis ornamentum ac teſſeram dari cœpit, & de Sancto Fulcone, proximo poſt Hincmarum Remenſi Archi-Epiſcopo, poſtulante varia à Formoſo Pontifice,
L. 4. c. 1. ſcribit jam dictus Flodoardus: *Subnectit etiam de quibuſdam Epiſcopis Galliarum, qui ſibi Pallium indebitè à Romana poſcebant ſede, Metropolitanos ſuos tali ſpernentes tenore: aſſerens quod eadem res, niſi prudenti præcauta foret ſolicitudine, confuſionem non modicam generaret Eccleſiæ, magnumque caritatis diſpendium valeret inferre.* Quomodò Græcorum Auguſti ſacris ſuis juſſionibus in vacuum Metropolitæ honorem & nomen, ità tunc Romani Pontifices Pallii impartitione Provinciales Epiſcopos evehebant in quampiam innominatæ dignitatis ac à Metropolitica poteſtate exemptionis formam, ideòque erigebant adversùm ſuos Metropolitas, non plenè imitati Sanctum Gregorium Magnum, qui Syagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo, ſuo ad quaſdam cauſas in Galliis Vicario, quidem Pallium & primum ante omnes Comprovinciales Collegas locum dedit, ea tamen lege, ut Metropolitæ ſuo Lugdunenſi Epiſcopo quoad omnia integrè ſubeſſet. Et non ſedi, ſed ſoli perſonæ dedit. Liquet ex Leonis quarti Pontificis ad Lotharium Auguſtum, Altheo Auguſtodunenſi Epiſcopo idem ornamentum poſtulantem, reſponſo: *Quod ab ipſo ſanctiſſimo Papa Gregorio uſque ad hæc tempora noſtra factum minimè recordamur, facere non potuimus, neque præfixos Patrum terminos immutare.*

Hincmari igitur tempore Pallium erat cujuſque Metropolitæ ornamentum. Et hinc Romanus Epiſcopus, quia eſt totius ſub cœlo Eccleſiæ cum poteſtatis plenitudine Metropolita, ſemper & ubique ipſum portat ex perpetua conſuetudine; cæteri autem, utpotè in ſolam ſolicitudinis partem vocati, poſſunt in certis dumtaxàt temporibus & locis, expreſſis ab Adriano ſecundo Pontifice in litteris ad Sanctum Arctardum Epiſcopum Nannetenſem. *Fraternitati tuæ Pallium ad Miſſarum ſolennia tantùm celebranda concedimus: In die dumtaxàt ſanctæ & venerandæ Domini noſtri Jeſu Chriſti Reſurrectionis, ac Nativitatis, ſeu Adſcenſionis die, & in Adſumptione beatæ Dei genitricis ſemper Virginis Mariæ, ſeu in Natalitiis beatiſſimorum Apoſtolorum, ſive in Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ, nec non & in Natali Sancti Chriſti Confeſſoris Martini die, verùm etiam & in Ordinationis tuæ Natalitio concedimus Die, ſicut à beatiſſimo Prædeceſſore noſtro Gregorio ſancitum eſt. In Secretario verò induere Tua Fraternitas Pallium debeat, & ità ad Miſſarum ſolennia proficiſci, & nihil ſibi ampliùs auſu temerariæ præſumptionis adrogare; ne dum in exteriori habitu aliquid inordinatè arripitur, ordinatè etiam quæ licere poterant, amittantur.* Omninò loquitur ex noſtri Canonis & antiquiſſimæ per omnes Eccleſias conſuetudinis præſcripto. Ex eodem ad Rudolfum Bituricenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopum reſcripſit Nicolaus
Epiſt. 39. c. 7. primus: *Pallio Apoſtolico in cœna Domini uti illis ſolis eſt licitum, quibus eſt ab Apoſtolica Sede permiſſum.* Quod nempe tunc dies iſte non eſſet inter ordinarios. Cum Joanne Ravennatum Archi-Epiſcopo, Pallium etiam extra Miſſarum ſolennia in Litaniarum extra Eccleſiam proceſſionibus portare conſueto quaſi ex Eccleſiæ ſuæ antiquo privilegio, graves quæſtiones habuit Sanctus Gregorius Magnus, dicens Litanias eſſe cilicii & pœnitentiæ proceſſiones, à nullo iſtic ſeu Latino ſeu Græco Metropolita portari iſtum ornatum, ideòque à proceſſuro Joanne volens in exteriori Baſilicæ Secretario ſeu Salutatorio deponendum: poſtmodùm tamen ejus ſucceſſori Mariniano in quatuor primùm, ac tandem in omnibus extra Quadrageſimam Litaniis, juxta vetuſtam conſuetudinem permiſit. Elegantes ejus ac variæ, ad quas in adducta Epiſtola adludit Adrianus ſecundus, litteræ ſunt omninò videndæ. Pallium eſſe dicit grave jugum, pondus & vinculum cervicis noſtræ, profeſſæ humilitatis teſſeram, ideòque pro ſæculari gloria nec adſectandum nec geſtandum. Eſt enim ex ovina lana contextum, & varia Cruce inſignitum; ſignificat ovem perditam, boni Paſtoris Domini noſtri Jeſu Chriſti Cruce redemptam, & humeris ad regni cœleſtis ovile reportatam. Metropolitas adſiduè admonet horrendæ ſuæ pro Eccleſia obligationis.

Et ad excludendas ſimiles Metropolitarum vanitates atque exceſſus Apoſtolicis poſtmodùm litteris cum Pallio tranſmitti conſuetis addidit Romana Eccleſia. *Tradimus tibi Pallium, ut eo intra Eccleſiam tuam utaris.* Antiqua enim Sancti L. 10. Epiſt. 56.
Gregorii formula non habuit iſtam clauſulam.
Ipſam apud Gregorium nonum exponit Clemens L. 3. tit. 8. c. 1.
tertius: *Quod ità intelligitur, videlicèt intra quamlibet Eccleſiam Provinciæ tibi commiſſæ. Si verò te ſacris indutum veſtibus Eccleſiam proceſſionaliter vel alio modo exire contigerit, tunc Pallio uti minimè debes.* Eo igitur Metropolita per omnem ſuam Provinciam, per omnem diœceſim Primas & Patriarcha poſſunt uti. At ecce hinc nova controverſia. Hiſpaniarum Archi-Epiſcopi ob regnâ neceſſitates frequenter coguntur degere extra ſuas Provincias, eſt illis verecundum celebrare ſine Pallio, hinc ipſis eſt *conſuetudo generalis, quod extra ſuas Provincias indifferenter Pallio utantur,* eamque à Sede Apoſtolica confirmari ſupplicat Archi-Epiſcopus Compoſtellanus. Reſcripſit verò Innocentius tertius, *Licet talis conſuetudo* Cap. 5.
dicenda ſit potiùs corruptela, nos tamen tu ſpeciali gratia indulgemus tibi, ut ſi neceſſitate aliqua præpeditus ad Eccleſiam tibi ſubjectam accedere fortè nequiveris pro conſecrandis Suffraganeis tuis vel Clericis ordinandis, & ad Eccleſiam alienam propter hoc te contigerit declinare, dummodò is, ad quem Eccleſia pertinet, id permittat, utendi Pallio in dictis caſibus, utique in ſolis Epiſcoporum conſecrationibus & ordinationibus Clericorum, *liberam habeas facultatem.*

Porrò diebus, quibus ex Sancti Gregorii Magni præſcripto uſum Pallii Sancto Arctardo indulſit Adrianus ſecundus, poſtmodùm & alii acceſſerunt, enumerati in Innocentii tertii vita, publicata per Franciſcum Boſquettum Montis Peſſuli Epiſcopum, in litteris, quibus ille Pallium miſit Primati Bulgarorum, & Patriarchæ Conſtantinopolitano: Videlicet Nativitas Domini,

mini, Feſtum Sancti Stephani, Domini Cir-
cumciſio, Epiphania, Deiparæ Purificatio, Do-
minica Palmarum, Dominica & Feria ſecunda
Paſchæ ac Pentecoſtes, Domini Adſcenſio, Cœ-
na Domini, tres Deiparæ Virginis Feſtivitates,
Feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ, Feſta Apoſto-
lorum omnium, Feſtum omnium Sanctorum,
Dedicationes Eccleſiarum, Epiſcoporum Con-
ſecrationes, Ordinationes Clericorum, præci-
pua Eccleſiæ Metropolitanæ Feſta, acceptæ Epi-
ſcopalis Conſecrationis dies anniverſarius, &
tam Imperatoris quàm aliorum Magnatum ſepul-
tura. Hic tamen ultimus dies indulgetur ſoli Pa-
triarchæ; Etenim de hac die fuiſſe varios Eccle-
ſiarum mores, ideòque cuivis Archi-Epiſcopo
Cap. 7. ſuum privilegium inſpiciendum, diſertè Hono-
rius tertius apud Gregorium nonum reſcripſit.
Et in augmentandis hiſce diebus admodùm parca
ſemper fuit Romana Eccleſia. Etenim Henrico
Aquilejenſi Archi-Epiſcopo ob grandia merita
addidit Sanctorum Udalrici & Afræ dies Grego-
L. 6. Epiſt. 38. rius ſeptimus, & quidem cum appendice: *Quod
tibi in vita tua, non loco tuo conceſſum eſſe cognoſcas*.
Poſtmodùm tamen adjecti ſunt & dies alii ordi-
narii, videndi in Pontificali Romano.

Ex dictis oritur quæſtio, An Bulgarorum
Primas, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac
omnes generaliter Orientalium Eccleſiarum Me-
tropolitæ fuerint reverà uſi Pallio, ipſumque in
ſuæ confirmationis teſſeram acceperint à ſuo Pa-
triarcha? Negat in opere de ſacris Ordinationi-
bus Joannes Morinus, multis probare conatus
Pallium ſeu Superhumerale fuiſſe non ſolis Græ-
corum Metropolitis proprium, ſed commune
omnibus omninò Epiſcopis, in ipſa conſecratio-
ne dari conſuetum ab ipſo conſecrante, uti apud
E. 1581 nos Latinos dantur annulus, mitra, ac pedum.
Hinc infert fabellam eſſe id, quod auctor legatio-
nis Luitprandi Cremonenſis Epiſcopi ad Nice-
phorum Phocam Auguſtum Conſtantinopolita-
num ſcribit de Theophylacto ejuſdem urbis Pa-
triarcha: Quod, inquam, ille impetraſſet à Ro-
mana Eccleſia privilegium, ex quo tum ipſe,
*tum ſucceſſores ejus abſque Paparum permiſſu Pal-
liis uterentur. Ex qua turpi commercio mos inolevit,
ut non ſolùm Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius
Græciæ Palliis uterentur*. Arguit & hæc Latina
noſtri Canonis verba: *Epiſcopi, quibus conceſſum
eſt Palliis uti*. Et verba ſecundæ verſionis: *Deſi-
gnati ad Superhumeralia geſtanda Epiſcopi*, Eſſe
dicit Græco textui adverſa, nec non antiquiſſimis
moribus Eccleſiæ Orientalis, cujus non aliqui
dumtaxàt, ſed omnes penitùs Epiſcopi Pallium
geſtabant.

At certum eſt hallucinari Morinum. Pallium
ſive Superhumerale fateor omnibus Græcorum
Epiſcopis fuiſſe commune, at nego ſemper in
conſecratione datum, & nunquam illis, Metro-
politis præſertim, miſſum à Patriarcha. Etenim
Orientalis Illyrici Eccleſias quis ignoret ſemper
vixiſſe ritu Græco? Et tamen ad ejus Epiſcopos
de Joanne primæ Juſtinianæ Archi-Epiſcopo ſcri-
L. 4. Epiſt. 5. 8. bit Sanctus Gregorius Magnus; *Ratam nos ejus
conſecrationem habere, dirigentes Pallium, indica-
mus*. Et ad Joannem Corinthiorum Epiſcopum
Helladiæ Metropolitam: *Pallium, ſicut per Epi-
ſtolam poſtulaſtis, direximus*. Et ad veteris Epiri Epiſt. 55. 56.
Epiſcopos de Andrea Nicopolitano ipſorum Me-
tropolita: *Andreæ Fratri & Coepiſcopo noſtro Pal-* L. 5. Ep. 7.
lium nos direxiſſe cognoſcite. Ipſum etiam ejus ſuc-
ceſſori Hypatio fuiſſe ab Honorio primo Pontifi-
ce miſſum docent Apoſtolicæ Epiſtolæ nuper per
illuſtriſſimum Lucam Holſtenium publicatæ.
Et à jam depoſito ac ejecto Photio fuiſſe adhuc Epiſt. 56.
clanculùm benedicta Pallia, & ad congregales
Epiſcopos miſſa, in Sancti Ignatii vita Nicetas
Paphlago teſtatur. Eadem ante ejectionem mi-
ſerat Bulgariæ Archi-Epiſcopo ac Epiſcopis,
ideòque damnatum communioni & gradui red-
didit Joannes octavus ea lege, ut omni in Bulga-
ros poteſtati cederet, ac nominatim Pallia ipſis
non mitteret. Et hinc intelliges Sanctum Grego- L. 4. Epiſt.
rium Magnum, Joanni Ravennatum Epiſcopo 15.
ſcribentem, quod nullus Conſtantinopolitanæ
diœceſeos Metropolita, licèt quidam triceenos
aut quadraginta ſub ſe Epiſcopos habeant, in
Litaniis extra Eccleſiam cum Palliis ambulet:
Exprimit non omnes, licèt Pallium haberent,
Epiſcopos, ſed ſolos Metropolitas, quod ſoli
illi à Patriarcha ipſum reciperent. Porrò non
ſolus præſens, ſed & decimus ſeptimus noſtræ
Synodi Canon agnoſcit quoſdam dumtaxàt Epi-
ſcopos ad geſtanda Pallia deſignari: Utique ſo-
los & omnes, quorum quidam per eorum datio-
nem à Patriarcha confirmabantur, Metropolitas.
Etenim uterque laudatus Canon agit in Hincma-
rum Metropolitam Eccleſiæ Latinæ, in qua nul-
li Provinciales Epiſcopi, niſi ex ſingulari privile-
gio, Pallia ſemper habuere.

Altera quæſtio eſt, An Orientalium Eccleſia-
rum Patriarchæ olim à Romano Pontifice Pal-
lium poſtularint atque acceperint? Pro parte af-
firmativa facit Innocentii tertii Pontificis in La-
teranenſi Synodo de iſtis Patriarchis Decretum:
Poſtquam à Romano Pontifice receperint Pallium, Cap. 5.
licenter & ipſi ſuis Suffraganeis largiantur. Et quo-
modò Patriarcha Conſtantinopolitanus à laudato
Pontifice ipſum poſtularit atque acceperit, refert
hujus vita publicata per Franciſcum Boſquettum.
At verò negativam partem ſuadet antiqua Patriar-
chalium Eccleſiarum praxis, de qua in Breviario
Liberatus Carthaginenſis: *Conſuetudo eſt Alexan-* Cap. 20.
*driæ, Epiſcopum illum, qui defuncto ſuccedit, ex-
cubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dex-
teram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus
ſuis, accipere collo ſua beati Marci Pallium, & tunc
legitimè ſedere*. Addit de Anthymo Eccleſiæ Con-
ſtantinopolitanæ Pſeudo Patriarcha, per Agape-
tum Pontificem damnato: *Anthymus videns ſe ſe-* Cap. 21.
*de pulſum, Pallium Imperatoribus reddidit, & di-
ſceſſit*. Quod nempe ipſum ab Imperatoribus
etiam accepiſſet. Et ad Sebaſtianum Rhizinien-
ſem Epiſcopum de Sancto Anaſtaſio Patriarcha
Antiocheno iniquè dejecto ſcribit Sanctus Gre- L. 1. Epiſt.
gorius Magnus: *Suggeſtionem apud piiſſimos Domi-* 27.
*nos ſummis precibus plenam feci, ut virum beatiſſi-
mum Anaſtaſium Patriarcham conceſſo uſu Pallii ad
beati Petri Apoſtolorum Principis limina mecum cele-
braturum Miſſarum ſolemnia tranſmittere debuiſſent,
quatenus ſi ei ad ſedem ſuam minimè reverti liceret,*

ſaltem

ſaltem mecum in honore ſuo viveret. Et Auxanio Arelatenſi Archi-Epiſcopo Pallium poſtulanti Epiſt. 6. 7. 10. reſcripſit Vigilius Pontifex: *Hoc facere ſine dilatione potuimus, niſi cùm Chriſtianiſſimi Domini filii noſtri Imperatoris, ſicut ratio poſtulat, voluiſſemus perficere notitia; ut & vobis gratior præſtitorum cauſa reddatur, dum quæ poſtulatis, cum conſenſu Principis conſervatur, & nos honorem fidei ejus ſervaſſe cum competenti reverentia judicemur*. Ex quibus liquere videtur Pallium olim Patriarchis ac aliis eminentioribus in Romano Imperio Metropolitis non à Romano Pontifice, ſed ab ipſo Imperatore fuiſſe datum, aut ſanè ex ejus licentia ab ipſis Patriarchis, uti de Sancti Petri Apoſtoli corpore facit ipſe Pontifex, de altari adſumptum. Papalis dationis nullum poſſit adduci antiquum exemplum: Et Innocentius tertius Græcis jus novum ſtatuit, ac in captam nuper per Flandros noſtros Conſtantinopolitanam civitatem ac diœceſim inducere conatus eſt mores Latinos.

Papalis dationis fateor nullum eſſe in promptu antiquiſſimum exemplum. Adducta tamen Auguſtæ conceſſionis exempla ſpectant ad ſacrarum juſſionum diſpenſatoriè dudum ab Eccleſia toleratarum violentiam, atque Innocentii tertii laudatum Decretum oſtendit non quidem quid olim factum fuerit, ſed quid fieri debuiſſet. Lucidè illum apud Godefridum Sancti Pantaleonis Colonienſis monachum tradit Comes Sancti Pauli in litteris ad Brabantiæ Ducem, captæ civitatis ſeriem enarrantibus. *Hoc vos ſcire volo, quod eò uſque in negotium Salvatoris proceſſimus, quod Orientalis Eccleſia, cujus olim Metropolis erat Conſtantinopolis, cum Imperatore & univerſo Imperio ejus capiti ſuo Romano Pontifici, ſicut fuit antiquitùs, renodata Romanæ Eccleſiæ ſeſe eſſe filiam recognoſcit, & de cætero vult eodem more ſolito, humiliato capite devotiùs obedire. Ipſe etiam ejuſdem Eccleſiæ Patriarcha, huic adſpirans operi & adplaudens, ſuæ dignitatis Pallium à ſummo Pontifice recepturus Romanam ſedem ulterius adibit, & ipſe ſuper hoc cum Imperatore juramenti præſtitit cautionem*. Eccleſia igitur Conſtantinopolitana omninò olim à Romana ſede acceperat Pallium, utique uſque ad tempora Theophylacti Patriarchæ, qui obligationem iſtam à Romana Eccleſia tunc infeliciter rectà redemit.

Idem mos obtinuit in aliis etiam Patriarchatibus. Etenim apud Guilielmum Tyriorum Metropolitam Rudolfus Mamiſtanus, populi violentia citra Epiſcoporum Provincialium adſenſum in Antiochenum Patriarchatum intruſus, ac L. 14. c. 4. Romano Pontifice inconſulto Pallium de Ber- 16. l. 15. nardi defuncti Patriarchæ collo extractum auſus c. 15. 13. ſibi imponere, cauſæ dicendæ ergo Romam evocatus, fuit coactus reſignare Cardinalibus Pallium, aliudque de beati Apoſtoli Petri corpore per Diaconi manus accipere. Eodem tempore Hieroſolymitanæ diœceſeos Metropolitæ ipſum non à Patriarcha ſuo, ſed Roma accipiebant. Etenim Patriarcham, à quo Fulcherius Tyrio- L. 4. c. 11. rum Metropolita ob acceptum Romæ Pallium malè fuerat habitus, puniit Innocentius ſecundus. Et quidem Fulcherius Pallii cauſa profectus Romam fuerat, idque *exemplò ſui Prædeceſſoris*.

Scio exempla hæc eſſe recentiora, & Pallii uſum longè antiquiſſimum. Etenim uti Liberatus Carthaginenſis Sancti Marci Evangeliſtæ, ità in Sancti Ignatii Patriarchæ vita Nicetas Paphlago & Michael monachus ac Presbyter Syncellus laudant Pallium Sancti Jacobi Apoſtoli, primi Epiſcopi Hieroſolymitani. Addit Liberatus de Flavita, Acacii in ſedem Conſtantinopolitanam proximo ſucceſſore: *Non conſenſit ſine Romano* Cap. 18. *Epiſcopo inthronizari, ſed tranſmiſit Synodicam Papæ Romano Felici* tertio. Patriarchæ igitur, ad inſtar Latinorum Metropolitarum, ante acceptam Romanam confirmationem, adeóque & Roma miſſum Pallium nequibant in throno ſedere aut exercere functiones Epiſcopales. Verùm Pallio, ut poſtmodùm apud nos Latinos Pedo Regia, Auguſta olim ſe Majeſtas violenter ingeſſit, ideòque rara aut nulla habemus illius Roma ad Patriarchas miſſi antiqua exempla. Et hinc ipſum, quod Auxiano Arelatenſi non fuerat auſus Vigilius, Sancto Leandro Hiſpalenſi Archi-Epiſcopo miſit ſine Græci Principis venia Sanctus Gregorius, quod nempe Gothorum in Hiſpania ſereniſſimum ac plenè liberum, Francorum autem in Gallia, uti pluribus oſtendit in Vindiciis Auſtriacis Joannes Jacobus Chiffletius, Regnum eſſet Romano Imperio ſubjectum. Neque enim ſine fundamento Juſtinjanus Auguſtus ſcripſit ſe etiam Francicum Domitorem.

Porrò etiam Græci Epiſcopi non niſi intra Eccleſiam & Miſſarum ſolennia poterant geſtare Pallium. Quin ad illatum, lectum, atque cantatum Evangelium conſueſſe ab illis deponi ſcribit in libro de ſacris Ordinationibus Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis. Eſt ritus antiquiſſimus, utpotè laudatus etiam ab Iſidoro Peluſiota: Epiſt. 136. *Dum ipſe verus Paſtor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum demùm Epiſcopus adſurgit, & imitationis habitum deponit, Dominum ipſum Paſtoralis artis ducem, ac Deum & Herum adeſſe ſignificans*. Exponit & cauſam, cur Pallium vocet habitum imitationis. *Epiſcopi Pallium ex lana, non ex lino contextum, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem ſignificat. Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque etiam ipſo habitu illud omnibus oſtendit ſe boni illius ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit*. Eadem de cauſa ipſum vocat *Pellem Paſtoritiam*, ſexta generalis Synodus in relatione ad Sanctum Papam Agathonem. Ipſum item bonum Dominum ac Paſtorem noſtrum Jeſum Chriſtum repræſentat Codex Evangelicus: Hinc illo præſente Epiſcopi Græci ſuperfluam, ideòque deponendam judicant veſtem imitationis.

Secunda noſtri Canonis pars mandat, ut monachus in Clerum, etiam Epiſcopatum, adſumptus retineat monaſticæ veſtis humilitatem. E monachis, admodùm repugnantibus, evectionemque iſtam profeſſioni ſuæ adverſam declamantibus, Epiſcopos & Clericos, in Arianam hæreſim pugnaturos, creare cœpit, uti ex ejus ad Dracontium Epiſtola lucet, præſertim Sanctus

ctus

ctus Athanaſius, & iſtum ipſorum ſcrupulum ſolaturus emiſiſſe videtur Canonem, à Sancto Innocentio primo laudatum in litteris ad Sanctum Victricium Epiſcopum Rothomagenſem. Cap. 10. *De monachis, qui diu manentes in monaſteriis, ſi poſteà ad Clericatus ordinem pervenerint, non debere eos à priore Propoſito deviare. Sicut in monaſterio fuit, & quod diu ſervavit, in meliori gradu poſitus amittere non debet.* Hinc meliores monachi etiam monaſticæ veſtis plenam humilitatem paſſim retinuerunt. Etenim de Sancto Jacobo Epiſcopo Niſibeno ſcribit in monaſtica hiſtoria Theodore- Cap. 1. tus: *Nec cibum mutavit nec veſtitum*. Epiſcopum manſiſſe dicit in priori ſacco monachali. Et de Cap. 5. Sancto Aphtonio neſcio cujus civitatis Epiſcopo: *Sedem adſcendit Pontificalem, nec pallium mutans adſceticum, nec tunicam caprarum è pilis contextam, ſibiſque iiſdem utens, quibus ante Epiſcopatum veſcebatur.* Et ad Valentem Auguſtum Arianum, Regiæ manus injectionem Epiſcopalibus poſſeſſionibus minitantem, repoſuit apud Hermiam L.6.c.15. Zozomenum Sanctus Baſilius Magnus: *Opes non habeo, præter laceram veſtem & paucos libros, ſicque terram incolo, quaſi ſemper ex ea migraturus.* Et de Sancto Melane Rhinocururæ è monachis Cap. 31. Epiſcopo ſcribit idem Zozomenus: *Habebat baltheum* ſeu cingulum, *quo* monaſticum *pallium cingebatur*. Et Sanctum Martinum Turonenſem Epiſcopum proceſſiſſe in *veſte hiſpida & nigro pallio*, deformem & ſordidum, ideòque à quibuſdam Collegis & Clericis fuiſſe deſpectum, te- Cap. 7. Cap. 4. ſtatur partim in vita ejus, partim in ſecundo dialogo Sanctus Sulpitius Severus. Et de Sancto Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo ſcribit in vita ejus Auctor incognitus, at longè probatiſſimus: Cap. 18. *Numquam pretioſa veſtimenta quæſivit, ſed una tantùm viliſſima tunica patienter indutus. Orario quidem, ſicut omnes Epiſcopi, numquam utebatur; pelliceo cingulo tamquam monachus cingebatur. Sic ſtudio humilitatis ambitionem veſtium fugiebat, ut nec ipſa calceamenta ſuſciperet.* Et de Joanne quarto Conſtantinopolitano Epiſcopo, paſſim jejunatore dicto, ad Mauritium Auguſtum ſcribit L. 4. Epiſt. 32. Sanctus Gregorius Magnus: *Oſſa jejuniis atteruntur, corpus deſpectis veſtibus tegitur.* Et ipſum Sanctum Gregorium Pontificem fuiſſe in monaſtico Sancti Benedicti habitu ſepultum, adeòque & vixiſſe, affirmat in ejus vita Joannes Diaconus: Quod ipſum de Eugenio tertio habet Guilielmus bonæ Vallis Abbas in vita Sancti Bernardi. Lon- L. 4. c. 8. gè plurima ſunt ejuſmodi exempla.

Attamen apud Latinos libera olim, per nullum Canonem juſſa fuit iſta humilitas. Etenim de monachis ſuo tempore in Clerum adſumptis Cap. 14. ſcribit in primo dialogo Sanctus Sulpitius Severus. *Si quis Clericus fuerit effectus, dilatat continuò fimbrias ſuas, gaudet ſalutationibus, inflatur occurſationibus: Ipſe etiam ubique diſcurrit. Et qui antè pedibus aut aſello ire conſueverat, ſpumanti equo ſuperbus invehitur. Parva priùs ac vili cellula contentus habitare, erigit celſa laquearia, conſtruit multa conclavia, ſculpit oſtia, pingit armaria, veſtem reſpuit groſſiorem, indumentum molle deſiderat. Atque hæc charis viduis, ac familiaribus mandat tributa virginibus: Illa ut byrrhum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam. Verùm hæc deſcribenda mordaciùs Beato viro Hieronymo relinquamus.* Etenim de Joviniano monacho in Clerum adſumpto ſcribit Sanctus Hieronymus: *Cùm monachum* L. 1. c. 25. *eſſe ſe jactitet, & poſt ſordidam tunicam & nudos pedes ad candidam veſtem & nitidam cutem ſe conferat, manifeſtum eſt, quod terram cælo, ventrem Chriſto præferat*, & *purpuram coloris ejus putet eſſe* ſuo jam tranſacto monachiſmo promiſſa *regna cælorum*. Quod nempe tunc non Epiſcoporum ſolummodò, ſed & omnium Clericorum veſtimenta eſſe purpurei coloris. Eumdem vocat monachum formoſum, craſſum, nitidum, dealbatum, qui ut ſponſus ſemper incedat. Et in ſecundo adversùs ipſum libro: *Antè nudo eras* Cap. 13. *pede, modò non ſolùm calceato, ſed & ornato; tunc pexa tunica & nigra ſubucula veſtiebaris, nunc lineis & ſericis veſtibus, & Atrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis.* Adeò vetuſtæ ſunt, quæ jam Cameracum migrarunt, telæ Atrebatenſes. Adſumptas à monacho Clericales veſtes non ex aliquo Eccleſiaſtico Canone, ſed ex ſola communi Chriſtianitatis lege culpant Sancti Hieronymus ac Sulpitius Severus, ideòque non ipſam adſumptionem culpant, ſed ſolum adſumptarum luxum. Hinc enim etiam Sanctum Auguſtinum, uti Evangelicæ legis, ità omnis Eccleſiaſtici Canonis longè obſervantiſſimum, à monaſticis ad Clericales, verùm moderatas, veſtes Epiſcopum tranſiiſſe, liquet ex ejus ſermonibus de communi vita Clericorum. Hinc item de Sancto Fulgentio, monaſterii ſui adhuc Presbytero, ideòque monaſticum habitum etiamnum geſtante, & Felice Siccenſis diœceſeos Presbytero Ariano ſcribit in iſtius vita Auctor ſuprà laudatus, quem in Petri à Marca Pariſienſis Archi-Epiſcopi vita Stephanus Baluzius vult eſſe Ferrandum Diaconum Eccleſiæ Cap. 9. Carthaginenſis: *Felix virum dignum Sacerdotio verè adhuc eſſe monachum non credidit, ſed eum in habitu monachi officium Sacerdotis implere.* Quod nempe in Africana Eccleſia omnis non ad monaſterii ſui, ſed ad populi Clerum provectus monachus monachales deponeret, & adſumeret veſtes Clericales, atque ideò zeloſi quidam orthodoxi Presbyteri degentibus inter Arianos Wandalos fidelibus in habitu monaſtico latentes adſiſterent, quod in militis habitu feciſſe Sanctum Euſebium Samoſatenſem Epiſcopum teſtantur in hiſtoria Eccleſiaſtica Theodoretus & Martyrologium Romanum. Hinc etiam ad Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopos ſcripſit Sanctus Pontifex Celeſtinus Epiſt. 2. c. 1. primus. *Didicimus quoſdam Domini Sacerdotes ſuperſtitioſo potiùs cultui inſervire, quàm mentis vel fidei puritati. Amicti pallio & lumbos præcincti credunt ſe Scripturæ fidem non per Spiritum, ſed per litteram completuros. Undè hic habitus in Eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur? Diſcernendi à Plebe vel cæteris ſumus doctrina, non veſtis converſatione. Nam ſi ſtudere incipiamus novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum ſupervacuis ſuperſtitionibus faciamus.* Quidam ex monachis creati Galliarum Epiſcopi, Sanctum Martinum Turonenſem,

Sanctoſque

Sanctoſque Honoratum atque Hilarium Arelatenſes imitati, retinuerunt monachale pallium Styer. c. 7. & cingulum, ideòque eaſdem cum iſtis, *Quod eſſent contemptibilis perſonæ, Epiſcopatu indigni, homines vultu deſpicabiles, veſte ſordidi, crine deformes*, calumnias paſſi, humilitatem verterunt in ſuperſtitionem, contrà adſerentes pallii ac cinguli monaſtici retentionem, immò & à quovis Epiſcopo geſtationem præcipi à lege Evangelica: *Sint lumbi veſtri præcincti*. Quas lites exciſas volens Pontifex veſtem monaſticam, ut ſcandali fomenta, omni Epiſcopo interdixit. Et ex hac Regula ad Pippinum Majorem Regiæ domus, alioſque Francorum Proceres, Epiſcopos, & Abbates ſcripſit Zacharias Pontifex, ut Epiſt. 9. c. 1. è monachis adſumpti *Presbyteri* Parochiarum *Cardinales præclariorem induant veſtem, & in ſecreto ſervent Propoſitum ſui cordis, ut qui videt in abſcondito Deus reddat illis in palàm*. Olim quippè non ſolummodò per Epiſcopatum, ſed & per quemvis Clericatum, uti ex vario documento conſtat, monaſtica profeſſio dirimebatur.

Eamdem libertatem fuiſſe apud Græcos docet Cap. 12. Canon Synodi Gangrenſis: *Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallii utitur, quaſi per hoc habere ſe juſtitiam credens, & deſpicit eos, qui cum reverentia byrrhis, & aliis communibus & ſolitis utuntur, anathema ſit*. Statuit in Euſtatium Sebaſtenum Epiſcopum, primæ Armeniæ Metropolitam, de quo Socrates: *Philoſophi*, utique Chriſtiani, id eſt, monachi, L. 2. c. 33. *habitum geſtavit, ſuoſque ſectatores peregrino veſtitus genere uti compulit*. Monaſticum habitum omnibus fidelibus, creatis præſertim è monacho Epiſcopis eſſe dixit neceſſarium medium ſalutis. Errorem damnavit laudata Synodus, atque ità iſtis etiam Epiſcopis fecit plenam habitus libertatem. Quod ipſe Synodo obediens Euſtatius depoſuerit monaſticum pallium, adſumpſeritque ornatum Epiſcopis conſuetum, teſtatur Nice- L. 9. c. 16 phorus Calixtus. At verò de peſſimis monaſticæ Philoſophiæ oſoribus Neſtorianis, libertate hac abuſis, ſcribit in libro de ſecreta ipſorum impietate Leontius Byzantinus (L. 3. c. 4.): *Monachos ad mutandum habitum hortantur, quod ſit ad ſtadium virtutis politicæ, quæ in civitate verſetur, impedimentum, promittuntque ſe in ordinem Clericorum cooptaturos, modò fiat particeps impietatis ipſorum*. Etiam aliis vitiis viam aperuit ac fomenta præbuit iſta dimittendi monaſtici ſchematis libertas, ideòque tandem per Canonem noſtrum frænata eſt ac proſcripta.

Proſcriptionem in Synodo ſua Lateranenſi confirmavit Innocentius tertius Pontifex: *Pontifices in publico & in Eccleſia ſuper-indumentis lineis omnes utantur, niſi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem*. E fratribus mendicantibus creatos, & ſui Ordinis habitum non geſtantes Epiſcopos graviter punit in ſua Synodo ſub Martino quinto Pontifice habita Eberardus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis. Et- (Cap. 16.) iam ad Cardinalitiam Eminentiam evecti nec rubrum biretum quidem geſtare potuerunt: Pri- (Conſtit 9.) mus nuper id ipſis indulſit Gregorius decimus quartus. Et Clericis Regularibus in Epiſcopos adſumptis plenum ſæcularis Prælati habitum Leo (Conſtit. 34.) decimus permiſit. Et omnibus tandem Fratribus ac Monachis Clemens octavus, ut ſui Ordinis habitum geſtent, aut certè colorem. Et iſta Regula hodie vivimus. Ex ipſa Abbates Benedictinos ad Epiſcopatum aut Cardinalatum adſumptos ſemper potuiſſe uti purpura, quod eam ipſis etiam intra monaſterium ſua lex permittat, ac ſolis ſubditis monachis nigri habitus neceſſitatem imponat, vult in notis ad Sanctum Petrum (Ad l. 2. Epiſt. 2.) Damiani Abbas Conſtantinus Cajetanus. Longè aliter Græci: Jam pridem enim apud ipſos nemo, niſi ex monacho creatur Epiſcopus, ideòque omnes geſtant habitum monachalem. Et hinc laicus Photius, ſpecie tenùs morem hunc adimplens, ante omnia fuit in monachum attonſus.

D I S S E R T A T I O

DE OCTVA SYNODO GENERALI.

CAPUT PRIMUM.

Exponuntur Photii in Sanctum Ignatium facinora: Prima ſchiſmatis origo.

PHotianorum Epiſcoporum ad Matrem Eccleſiam redeuntium profeſſio, Romæ compoſita ab Adriano ſecundo Pontifice, & per ſecundam noſtræ Synodi Actionem probata, Sanctum Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum vocat *Imperatorum filium & Imperatorum nepotem, qui Angelicam vitam ſubiens, habitu monaſticæ converſationis indutus eſt, qui Deo placabilis & Angelis reverendus, atque dæmonibus metuendus apparuit*. Erat Michaelis primi cognomento Rangabis filius, Nicephori Auguſti ex filia Procopia nepos. Unà cum piiſſimis parentibus ac ipſa orthodoxa religione per Leonem Armenium Imperatorem, impiiſſimum Iconoclaſtam, regno ejectus, caſtratus, ex Niceta vocatus Ignatius, deportatus in inſulam, ac in Sancti Satyri monaſterio clauſus totum ſe dedit ſacrarum litterarum & Chriſtianarum virtutum ſtudio, evaſit in monachum doctiſſimum & egregiè ſanctum, factus eſt ejuſdem monaſterii Abbas, à Baſilio Pareorum orthodoxo Epiſcopo gradatim Presbyter, & cunctorum in vicina regione fidelium, ab hæreticis Imperatoribus ac Patriarchis ob ſacrarum imaginum venerationem dura ſuſtinentium, fiducia, ſolatium, & Doctor. Etenim Leo Armenius etiam Sanctum Nicephorum Patriarcham, Sancti Taraſii proximum ſucceſſorem ejecerat, ac intruſo homine profano Theodoro reduxerat Iconoclaſtiam. Non ſine cauſa Leonem coronans Nicephorus ſibi fuit viſus in ſpinas & tribulos manum impegiſſe.

Iconoclaſtiam, uti olim cum adoleſcentulo filio Conſtantino Irene, ità nunc cum parvulo filio Michaele tertio regnans Theodora Auguſta, Theophili Imperatoris hæretici orthodoxa vidua exſtinxit, ejiciens Joannem Patriarcham hæreticum, ac reponens Sanctum Methodium, paſſionibus pro orthodoxa fide, omni virtutum genere, ac miraculis clariſſimum, utpotè à Theophilo Auguſto inter fœtida cadavera ſepulchro incluſum, & Romæ, ad Sancti Nicephori Patriarchæ ejecti res moderandas miſſus, per Sanctum Petrum Apoſtolum liberatus ab omni genitalis libidinis non tantùm adſenſu, ſed & motu. Ejus defuncti in locum ſucceſſit Domini Jeſu Chriſti octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Leonis quarti Pontificis primo, Michaelis tertii Imperatoris Græci anno ſexto, noſter Ignatius, à Conſtantinopolitanæ diœceſeos Epiſcopis canonicè electus, idque ſecundùm præcedentes Prophetias. Etenim Sanctum Joannicium monachum, cæleſtium arcanorum notitia tunc clariſſimum, de facta electione conſuluit Theodora Auguſta, didicitque Ignatium divinitùs electum. Verùm in Synodi noſtræ præfatione addit Anaſtaſius Bibliothecarius. *Reſtiterunt hujus promotioni quidam perpauci Epiſcopi, inter quos erat Syracuſanus Gregorius, eò quod eos propter diffamata & publicata nonnulla crimina in Sacerdotio vitæ, refricationem in eos illati judicii ſe non poſſe recipere, canonica ſit ac miti ratione profatus. Propter quæ, quia illa ſatisfactione non abluerunt, meritò poſtmodum ab eo & Synodo abdicati ſunt.*

Rem in Sancti Ignatii vita lucidiùs exponit Nicetas Paphlago. *Gregorius cognomento Asbeſta,* F. 315. *quem Syracuſanum olim Pontificem fuiſſe ferunt, erat tum Conſtantinopoli de maleficiis reus factus, & jam Romæ, quòd contra leges & ſanctiones Eccleſiaſticas peccaſſet, exauctoratus. Hunc Ignatius, cùm eſſet Patriarcha conſecrandus, ne ini-*

ſtationi ſuæ intereſſet, *admonuit*, *donec per otium cauſa ipſius diligenter cognoſceretur. Quòd Patriarchæ inter initia factum multi, quàmvis juſtè factum, reprehenderunt.* Omninò ſactum juſtè: Romanæ enim Eccleſiæ judicium Ignatius propria auctoritate retractare non poterat, longè minùs ſuſpendere aut exſufflare. *O quis ex his paucis* Sancti Ignatii *verbis ortam cladem explicet? Quis turbas & factiones, liteſque & improbitatem probi illius Siculi dicendo adſequatur? Simul ac enim ejus nuntium accepit, non ſe Philoſophum oſtendit, & infamiam ſuam prudenter dedecuſque contexit, ſed cereos de Ignatii conſecratione acceptos abjecit, & impudentiſſimo ore innocentem coràm univerſa Eccleſia convitiatus, lupum pro Paſtore ſubſtitui furiosè clamitavit. Quem & Petrus quidam Sardorum Epiſcopus, & Eulampius Apameæ, aliique è Clero obſcuriores, ſeipſos ab Eccleſia ſine cauſa ſejungentes, ſecuti ſunt.* Presbyteri, atque alii, dum ordinantur, Clerici Cerenm utraque mann geſtant, eumque ardentem offerunt Ordinatoii Epiſcopo, præſignante qood ab ipſo doctrinæ lumen accipiant, & creditum ſibi populom, Divino Juſtitiæ lumine accenſum, Paſtorum Principi ſuo tempore præſentabunt. At veiò Epiſcopus, Patriarcha præſertim, ardentem cereum non geſtat aut accipit, ſed aliis donat & mittit: Quod ipſe, uti ad Cæſareenſes ex Patris ſui nomine ſcribit Sanctus Giegorius Nazianzenus, ſit lucerna Eccleſiæ, ideòque à nullo hominnm illuminari debeat, ſed omnem mundum ſibi commiſſum illuminare. Sanctus itàque Ignatius Gregorio Syracuſano Archi-Epiſcopo, aliquid ſolatii & honoris volens impenſum, miſit iſtiuſmodi cereum, eumque ille deteſtatus abjecit.

Pergit Anaſtaſius Bibliothecarius. *Favebat his* tribus Pſeudo-Epiſcopis *quidam Senator, ſæcularis adminiſtrationis officio fungens, à Secretis, nomine Photius, qui ad Patriarchale conſcendere faſtigium affectans cum eis ſeorſim colligebat, & fideles quoſque à ſanctæ communionis participatione avertens, Divinis intereſſe Myſteriis, dum à Patriarcha Ignatio celebrarentur, penitùs recuſabat, nihil habens in cauſa pietatis, undè Pontificem proprium reprehenderet, niſi quod ſuſpicabatur eum vitam Deceſſoris ſui, id eſt, ſanctæ memoriæ Patriarchæ accuſare Methodii, cùm ille non ſolùm hunc in nullo penitùs accuſaret, verùm etiam miris laudibus ſemper efferret, quin potiùs memoriam illius inter ſanctos Patriarchas, dum Divina Myſteria gererentur, faceret, & diem anniverſarium ſolenniter ac impræter miſsè ſuper ejus nomine celebraret. Quamvis hoc ipſum idem Photius, ſicut cætera illius geſta, ſiniſtrè interpretans, callidè facere ſuis auditoribus prædicaret, alia inquiens eum in corde tenere, alia in opere demonſtrare.* Ex tune igitur Photius admiſit erimeo iſtud, de quo ad ſuam Romanam Synodum dixit Pontiſex Adrianus ſecundus: *Photius, cùm adhuc mundanus miniſter eſſet, genuinam quodammodò ſemper invidiam adversùs Fratrem & Coepiſcopum noſtrum Ignatium in pectore geſtans, & ad Præſulatus culmen non gradatim conſcendere, ſed præcipitibus paſſibus tranſilire geſtiens, ſemetipſum ab ejuſdem beatiſſimi Præſulis communione fecit extraneum, & per hoc ab univerſali Eccleſia, quæ ipſi beatiſſimo Patriarchæ communicabat, ſe reddidit prorsùs exortem, atque inter ſchiſmaticos procul dubiò conſtituit.*

Ulterioiem Gregorii, Petri, ac Eulampii in malo progreſſum deſcribit in litteris ad Stephaoum ſextum Pontificem Sanctus Stylianus apud Euſrateo Epiſcopus Neo-Cæſareenſis: *Eos cùm Patriarcha Ignatius ad Synodum ſæpiùs citatos, & quanta poterat humanitate tractatos curare vellet, ne ab Eccleſia Dei reſecti malo inſidiatori præda fierent, ſanare non potuit.* Per uodecim ad illum annos omni humanitatis ac liberalitatis via conatum fuiſſe ſcribit Nicetas Paphlago; & proſequitur: *Numquam tamen potuit Asbeſtæ improbitatem extinguere. Etenim Potentiorum ille limina terebat, apud omnes virum nullam ob culpam criminabatur, & acerbè conviciis proſcindebat, & Sanctum execratus ne Chriſtiani quidem nomine dignabatur.* Præſertim apud Photium & ejus congregales. Pergit Stylianus: *Quapropter* dictos tres Pſeudo-Epiſcopos *depoſitos* Sanctus Ignatius *anathemati ſubjecit.* Eo namque tempore omnis Illyriciana diœceſis, nec non magna Italiæ pars & cuncta Sicilia, per Leonem Iſaurum Patriarchico Romaoi Pontificis imperio ſubtractæ, adhuc ſpectabant ad Synodum & judicium Patriarchæ Conſtantinopolitani.

Depoſitionis formam exponit in litteris ad omnes diœceſis Conſtantinopolitanæ Epiſcopos Sanctus Pootifex Nicolaus: *Væ Gregorio Syracuſano, per quem in Eccleſia Chriſti tot ſcandala venerunt, quique olim, ſicut ipſi ſcitis, à Fratre & Comminiſtro noſtro Ignatio, & à Synodo, quæ ſub ipſo eſt, depoſitus eſt, & ut Apoſtolica Sedes in ejus damnatione conſentiret, ab ipſo Conſacerdote noſtro poſtulata eſt.* Nempe vigentem tunc, qui Provincialem à Metropolita, aut Metropolitam Epiſcopum à Primate aut Patriarcha ſine piævia Romanæ ſedis licentia vetabat definitivè deponi, in Latina Eccleſia Canonem ſuerat Sanctus Ignatius iſto io ſuo judicio ſecutus. Pergit Pontiſex. *Sed Deceſſores mei beatæ memoriæ Leo* quartus, & *Benedictus* tertius, *Sedis Apoſtolicæ moderamina ſervantes, noluerunt ſic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitùs reſervarent. Quamobrem interim depoſitio ipſius à Sede Apoſtolica non ſuſcepta manſit infirma.* Exponit Sanctus Stylianus. *Legatos cum litteris ad ſanctiſſimum Papam Romanum, Beatum Leonem* quartum, *qui tum Pontificatum gerebat, cum Petro Gregorius & Eulampius miſerunt, illum ſibi, ac ſi eſſent læſi, ultorem petentes. Papa ergo datis ad Ignatium litteris voluit, ut Patriarcha ſuo nomine Legatum Romam deſtinaret, per quem de ſchiſmaticorum cauſa cognoſceret. Nec diu moratus Patriarcha Lazarum monachum, fidei confeſſione clarum, qui omnia, quæ ad Gregorium pertinebant, optimè noverat, cum litteris miſit, qui Papæ cauſam diligenter expoſuit. Itàque eamdem in ſchiſmaticos ſententiam tulit, quam anteà in eoſdem tulerat Ignatius. Leone dein ex humanis ſublato, illi rursùm Benedicto, qui Leoni ſucceſſit, de eiſdem rebus moleſti fuerunt. Enim verò & ipſe Benedictus vir ſanctiſſimus re diligenter excuſſa, ſententiam adversùm illos ſecundum Ignatium pronunciavit.* Gregorii ad Papam appellantis Lega-

tos

Digitized by Google

tos Nicolaus Pontifex ſuiſſe ait Zachariam Tauromeniæ in Sicilia, & Theophilum Amorienſem Epiſcopum; qui partim precibus, partim allegatis rationibus impetrarunt ſuſpendi ſententiam, qunuſqna ſuperveniens Lazarus fecit per utrumque Pontificem pleniſſimè firmari.

Tunc factum eſt, quod ad qnartam Synodi præſentis Actinnem dixit magnificentiſſimus Patricius Bahanes: *Cauſam Zachariæ non quæſivimus, heri enim confeſſus eſt, quia obligatus eſt à Benedicto Papa, ut non haberet poteſtatem Pontificium agere, donec veniret & deſcenderet iterùm cum iis, qui ſe abſciderant à ſanctiſſimo Patriarcha Ignatio, & ſumerent judicia, & non cuſtodivit, neque deſcendit illuc.* Et Romanæ Eccleſiæ Legati: *Partem habet cum eis, qui non concordant cum Eccleſia, & comparticeps eorum eſt, qui fecerunt contra Eccleſiam Conſtantinopoleos, & contra ſanctiſſimum Patriarcham Ignatium.* Gregorium, Petrum, ac Eulampium Romæ perſonaliter comparere, denuòque cum illis Zachariam voluit Pontifex Benedictus, eoſque tandem in ſui mandati contumaciam damnavit. Et hinc Nicolans Pontifex adfirmat Gregorium, dum Photium in Patrjarcham conſecravit, non ſolo Epiſcopatu caruiſſe, ſed & ipſo nomine Chriſtiano, id eſt, fuiſſe non ſolummodò depoſitum, ſed & anathematizatum, ipſaque etiam laica communione excluſum. Iſta Sancti Ignatii Synodus, nec non Romana iſta Pſeudn-Epiſcoporum appellantium damnatio ſuerunt factæ octavo & nltimo Leonis quarti, Chriſti Dnmini noſtri anno octingenteſimo quinquageſimo quarto. Et nota laudato Leoni proximè ſucceſſiſſe Benedictum tertium, atque ità evaneſcere fabulam Papiſſæ Joannæ: Eam enim dictis Pontificibus interſediſſe fabula eſt frivolè mentita.

Porrò de Gregorii damnatione ad Synodum noſtram dixit Zacharias ſchiſmaticus Metropolita Chalcednnenſis. *Non ob flagitia ulla depoſitus eſt, ſed quod pacem Eccleſiæ perturbaret.* Vult nullum ejus fuiſſe erimen, niſi non probatam Sancti Ignatii promotinnem, ideòque depoſitionem ejus, utpotè à læſo Ignatii animo extortam, parvi eſſe momenti. Repoſuit verò Metrophanes orthodoxus Metropolita Smyrnenſis: *Gregorium Ignatius Patriarcha depoſuit, non ut Eccleſiæ deſertorem, ſed propter criminales cauſas.* In adductis litteris Pontifex Nicolaus addit violatns ab ipſo ac ſpretos Carthaginenſes atque Antiochenos Canones, Epiſcopo aut Clerico per legitimum Superiorem dejecto vetsntes omne Eccleſiaſticum miniſterium, ac iſtud attentsntem privantes omni penitùs appellandi licentia, ac ſpe reſtitutionis. Idque licet dejectio eſſet iniqua: *Quoniam Prælati judicium ſemper inferioribus formidandum eſt, ne ſi ei non obedierint, licèt ab eo fortaſſis injuſtè ligentur, ipſam ſuæ obligationis ſententiam ex alia culpa, id eſt, inobedientia mereantur.* Hanc inobedientiam aliis ſuis criminibus addiderat Gregorius, utpotè à damnatione per Patriarcham ſuum juſtiſſimè inflicta, & per duos Romanos Pontifices confirmata, per laicum Principem ant certè ad ejns juſſinnem per neſcio quos nullam poteſtatem ad hoc habentes Epiſcopos abſolutus.

Hac de cauſa anathemate percuſſus fuit, exutuſque nomine Chriſtiano. *Gregorius* græcè idem eſt quod latinè *Vigilantius*: Hinc nti iſtum Gallum Sanctus Hieronymus, ità hunc Siculum Nicolaus Pontifex meritò appellavit *Dormitantium*, utpotè qui in tam apertis atque horrendis Canonum prævaricatinnibus & dormiret ipſe, & omnem exiſtimaret Eccleſiam dormire. Artem pictoriam, cujus fuit inſigniter peritus, ſceleratis illis Sancti Ignatii in imaginaria Photii Synodo imaginibus nequiſſimè fœdavit, ad Cyzicenum Archi-Epiſcopatum translatus fuit à Photio, defunctus ibidem, & magni Sancti inſtar glorioſo Epitaphio ornatus, quod linguæ ſuæ novaculam, inquit Nicetas Paphlago, ad uſque finem in Sanctum Ignatium acuiſſet. Syracuſanæ ſedi hominem reddere non fuit auſus Photius, atque ità legitimum fuiſſe Sancti Ignatii de ipſo judicium eſt palàm nonfeſſus.

Et ecce Gregorio ſua criminationum venena ubique deſpumante, Bardam Cæſarem, Theodoræ Auguſtæ fratrem germanum, ac adoleſcentis Angnſti Michaelis & totius Imperii Rectorem, cum propria nuru palàm adulterantem, graviter increpavit, à ſacris altaribus abjecit Patriarcha Ignatius, atque ità nnvis in ſe calumnioſis inſidiis aditum patefecit. Etenim cum ſchiſmaticis Epiſcopis & Photio conſpirans inceſtuoſus adulter germanam ſuam Theodoram Auguſtam, ejuſque filias, Patriarchæ addictas, apud Michaelem Auguſtum de neſcio quibus meditatis nuptiis, & evehendis in imperium conjugibus traducit, ideòque perſuadet in monaſterio tondendas atque claudendas: In quam optimarum Reginarum injuriam dum ſeduci Patriarcha non potuit, apud Juvenem ac ſtultum Principem venit in novarum rerum ſuſpicionem, immò & læſæ majeſtatis. Ejuſmodi tonſuræ injuria erat tunc in Auguſtas perſonas nimiùm familiaris, quare illam nulla unquam ex cauſa aut vi præſumere profitebatur quivis in ſua conſecratione Epiſcopus, fueratque etiam Sanctus Ignatius profeſſus.

Hinc per alium neſcio quem Epiſcopum tonderi matrem & ſorores juſſit ebrioſus Michael, Ignatiumque reum egit factionis Gebonianæ, de qua Nicetas Paphlago: *Gebo hic erat ſtolidus, malèque ſanus homo, qui proximis diebus Dyrrachio venerat, Eccleſiaſtica quidem veſte indutus, ſe verò pro filio Theodoræ Auguſtæ ex alio viro gerebat, cui non pauci ex plebe velut regnaturo adhærebant.* Ipſum manibus, pedibus, ac oculis truncari juſſit Auguſtus, ac ex Eccleſia, quò fugerat, extractum in inſulam deportari Ignatium, de quo in Synodi noſtræ præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius: *Dùm pelleretur, Eccleſiam ligavit, ne quiſquam abſque ſe in ea ſacra celebrare tentaret officia.* Hinc illum uſque ad dentium excuſſionem colaphizari juſſit Bardas, donec ſe profiteretur renunciare Patriarchatui, ex quo jam per violentiam fuerat ejectus. Renuntiationem ſuaſerunt & varii Metropolitæ ac alii Epiſcopi, credentes Eccleſiæ pacem Epiſcopatui præponendam, imitandamque Sancti Gregorii Nazianzeni laudatiſſimam vocem: *Dejicite me in mare, ut*

vos periclitari deſinatis . Verùm ſurdo cecinere fabulam: Etenim à ſtulto ac impio Principe, ſchiſmaticis Epiſcopis, redivivis Iconoclaſtis, ac aliis lupis laceratam Eccleſiam judicsvit Ignatius imbelli sc mercensrio more non deſerendam.

Aſt iniquitatis ſuæ telam proſecuti Auguſtus Michael & Bardas deportatum Ignatium habneꝛunt pro mortuo, ac Photium adhuc laicum per damnatas Gregorii, Petri, ac Eulampii Ex-Epiſcoporum manus fecere conſecrari in Patriarcham. Ità uno in opere Nicænos, qui vivo Epiſcopo ſuperordinari; Sardicenſes, qui hominem laicum & Curialem; Antiochenos, qui à damnstis ac anathematizatis; & Conſtantinopolitanos stque Apoſtolicos Csnones, qui ab alienæ Provinciæ Epiſcopis vetant ſacrsri Epiſcopum, ſunt prævaricati. Etiam ex perpetna conſuetudine conſtat ab Heracleenſi Epiſcopo, Enropæ Metropolita, ac totius Thracicæ diœceſeos Primato, cujus olim ſuerat Provincialis Suffraganeus, ordinandum Patriarcham Conſtantinopolitanum. Hìnc Polyeuctum Patriarchsm, qui ſe à Cæſareenſi in Cappadocia Archi-Epiſcopo, quod Heracleenſis offenſo Principi apparere non poſſet, conſecrari permiſerat, multis contentionibus ſubjacuiſſe ſcribit in Conſtantino Leonis ſapientis filio Joannes Zonaras. Etiam Stephanus dicti Leonis frater fuit à Cæſareenſi initiatus: Nempe vacabat Heracleenſis ſedes, uti ex Scitizæ chronico tradit Theodorus Balſamon ad tertium Canonem Conſtantinopolitanum. Et apud Nice-
L. 1. phorum Gregoram Andronicus junior Auguſtus Germanum monachum ante omnia in Heracleenſem Archi-Epiſcopum, & tunc demùm fecit Gregorium Cyprium ab illo conſecrari in Patriarcham. Quare Photii conſecratio fuit undique plena prævaricationum.

Et quis unquam audivit Regia violentia dejici aut promoveri Patriarcham? Hìnc additus fucus Synodi, de qua antiqui & incogniti apud Chriſtophorum Juſtellum Auctoris libellus Synodi-
C. 148. cus: *In Palatio Synodo vili coacta, Photium, qui primus à Secretis fuerat*, quidam turbulenti Epiſcopi ac monachi *ſurrogarunt*. Rem omnem in litteris ad Manuelem Dromi Logothetam, exſtantibus poſt præſentem Synodum, exponit Metrophanes Metropolita Smyrnenſis, præmittens Photium, dom Gregorio Syracuſano ac aliis ſchiſmaticis adhærens ſeſe à Sancti Ignatii communione ſejunxit, fuiſſe & à ſemetipſo & à ſacris Canonibus ut verum ſchiſmaticum damnatum. *Photius, cùm in eo eſſet ſtatu, tamen superſtite adhuc Ignatio, adulteri more, Conſtantinopolitanum ſolium invaſit, non ab Epiſcopis per ſuffragia deſignatus ex lege & ritu Eccleſiæ, ſed ab uno dumtaxat Barda Cæſare intruſus. Quapropter omnes Epiſcopi, communi ſententia illum rejicientes, tres alios deſignarunt; multiſque diebus in ea ſententia perſtiterunt. Deindè ſenſim per fraudem omnes defecerunt præter quinque, inter quos & ego numerabar. Atque ut animadvertimus rudiorem Epiſcoporum gregem eſſe corruptum, illum chirographo ſuo Eccleſiæ in Chriſto noſtræ filium eſſe declarandum, & communioni ſanctiſſimi Patriarchæ reddendum exiſtimavimus, ut hac etiam ratione à Patriarchæ decreto non videremur alieni, qui ſanxerat, ut è noſtra in Chriſto Eccleſia eſſet, qui Patriarcha conſtitueretur. Ergo cum præſentibus nobis ille chirographo ſuo conteſtatus eſſet ſe Ignatium pro inculpato* & violenter domtsxàt ejecto *Patriarcha habiturum, neque ſe quidquam contra illum dicturum, aut dici ab aliquo paſſurum*, ſed futurum ejus quaſi Coadjutorem ac Suffraganeum, *ab invitis nobis, cùm per vim Principum urgeremur, Photius eſt receptus*. Chirographum iſtud exponit lucidiùs in ſuæ ad Nicolaum Pontificem appellationis libello ipſe Sanctus Ignatius: *Quando Metropolitanis perſuaſit Photius, ut ſuas partes ſequerentur, dedit poſtulantibus chirographum de me, & juratus ſcripſit, nihil ſe præter mea dicta velut germani Patris eſſe facturum*. Fuit id factum ipſo Dominicæ Nativitatis feſto, anno Domini octingenteſimo quinquageſimo nono, atque ità hic complentur undecim anni, quibus in Gregorii Asbeſtæ malevolentiam certaſſe Sancti Ignatii benignitatem Nicetas Paphlago adſeverat.

Er hìnc inter Epiſcopos manſerunt magnæ lites, eorumque multi Gregorium & Photium ut peſſimos Eccleſiæ lupos ſunt deteſtati. Quare novum Patriarchæ monſtrum Photius coegit alteram Synodum, de qua laudatus libellus Synodicus: *Photius infinitis malis Ignatium affecit, tandemque in inſulam Mytilenen relegavit, & malignantium conventiculo in Blachernis congregato, ipſum præſentem injuſtè depoſuit, eoſque etiam, qui pravis ipſius nutibus ſubſcribere, ipſique communicare detrectabant, infinitis malis affecit, in exilium agens quo & quomodò vellet*. Metrophanes & Stylianus Epiſcopi ac Nicetas Paphlago, teſtes oculati, fœdam iſtam Synodum ajunt factsm in Sanctorum Apoſtolorum Baſilica, atque abſentem Ignatium damnstum: Nempè duss fuiſſe modici intervalli Synodos mox à laudato Metrophsne audiemus. Factæ ſunt dicto anno Domini quinquageſimo nono, Nicolai Pontificis ſecundo, octavo decimo Michaelis Auguſti. *Ipſe*, inquit Nicetas, *Photius accuſator factus & judex quoſcumque videbat huic animo ſuo & iniquæ huic actioni adhærentes, & rebus, quæ fiebant, ſubſcribentes, inter præcipuos amicos & charos Comminiſtros habebat, qui verò huic judicio iniquè habito ſe objicientes hæc approbare nolebant, hos prætorio & carceribus puniendos tradebat*. Fuiſſe iſtic & depoſitum & anathemate percuſſum Ignatium, & tamen illi ut Presbytero permiſſam ſacrificandi licentiam teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius: Ità etiam Photius, ſibi ipſi in eodem opere adverſus, egit *Dormitantium*. Earum ſcopum edicit idem Anaſtaſius: *Populum ab Ignatio, tamquam à* ſynodaliter *damnato, ſcindere ſperavit Photius, ſed magis ac magis fidelium pietas accenſa fuit, & eò conſtantiùs ab univerſis ovibus proprius Paſtor requiſitus, quò verſutiùs lupi crudelitas ſæviebat*. Eas palàm diſtinguit Metrophanes Metropolita Smyrnenſis. *Paulò poſt receptionem ſuam Photius & ſuum ipſius chirographum abſtulit, & Ignatium depoſitione mulctavit. Quo tempore collectus totus Epiſcoporum ſedis Conſtantinopolitanæ conventus Photium anathematizavit, & à Patre & Filio & Spiritu Sancto depoſitum declaravit*.

vit. Ità cùm Epiſcopi omnes votis adeò conſpirarent, ut ſeipſos quoque damnarent, ſi unquam Photium Patriarcham confiterentur, & per quadraginta dies in æde ſanctæ Irenes Synodum celebrarent, interim ille, Barda adjutore, in æde Apoſtolorum conventum egit, iterùmque Ignatium abdicat & anathemate ferit. Quo nos etiam tempore illum de ſuo ſcelere coram arguimus. Qua de cauſa per vim & latrocinium exauctorati ſumus, & in olenti teterrimoque carcere, unà cum Ignatio ferreis compedibus vincto, apud Numera multis ſanè diebus adſticti. Alii verò in Prætorio cuſtodiebantur. Deindè educti, Patriarcha Mytilenen, alii aliò deportati ſumus. Quæ omnia in litteris ad Stephanum ſextum Pontificem habet etiam Sanctus Stylianus Epiſcopus Neo-Cæſareenſis. Illatas Ignatio ærumnas enarrare ſit nimis longum.

Ejus damnandi cauſas Photius prætexuit varias. Primam & palmarem adducit, falſamque oſtendit in litteris ad Michaelem Auguſtum, lectis in quarta hujus Synodi Actione, Sanctus Pontifex Nicolaus: Quod Ignatius non Cleri & populi canonica electione, ſed laica Theodoræ Auguſtæ violentia eſſet intruſus in Patriarchatum. Ità ſuæ promotionis ſcabiem Ignatio adfricare Photius eſt molitus. Alteram cauſam adducit in alia ad eumdem Principem Epiſtola idem Pontifex, ac ejus ſucceſſor Adrianus in litteris ad ipſum Ignatium, lectis in quarta hujus Synodi Actione: Quod Ignatius Leonis quarti ac Benedicti tertii Pontificum litteras tamquam alter Dioſcorus contempſiſſet. Nempe molliori utriuſque Pontificis in Gregorium Syracuſanum ac ejus congerrones Petrum ac Eulampium ſententiæ non acquieverat, ſed ab ipſis Pontificibus per Legatum ſuum Lazarum monachum fecerat ſuam duriorem confirmari. Tertiam denique cauſam adducit Nicetas Paphlago: *Quod Ignatius morbo ac ſenio confectus, corporiſque invaletudine laborans ſe munere abdicaſſet, ſuaque in inſula & cœnobio commorans, à Principibus, populo, & tota Eccleſia, omni honore & officiis coleretur.*

CAPUT II.

Exponuntur Sancti Pontificis Nicolai primi circa hanc contentionem Acta.

Videns verſipellis Photius multos Epiſcopos, Clericos, ac fideles laicos ſuæ in Sanctum Ignatium latrocinali Synodo non adquieſcere, Theophilum Amorienſem ac Samuelem Chonarum in Phrygia ſalutati Epiſcopum miſit Romam ad Nicolaum Pontificem cum litteris ſynodicis, ſe invitum ac reluctantem in canonicè dejecti ac renunciantis Ignatii locum eſſe factum Patriarcham mentientibus, continentibus fidei Romanæ ac ſeptem generalium Synodorum profeſſionem, poſtulantibuſque Legatos Apoſtolicos hæc confirmaturos, nec non reſuſcitatam in Eccleſia Conſtantinopolitana Iconoclaſtiam denuò exſtirpaturos. Vario peccatoris oleo unctum Pontificis caput conatus eſt circumſcribere. Doloſas litteras, ex Columnenſi Cardinalis Sirletti Bibliotheca productas, ſuis Annalibus intexuit Cardinalis Cæſar Baronius. Ignatii accuſatrices litteras, Legatos, & varia munera miſerunt etiam Auguſtus Michael & Bardas Cæſar, de quibus in laudati Pontificis vita Anaſtaſius Bibliothecarius. *Michael Conſtantinopolitanæ urbis Imperator ob amorem Apoſtolorum miſit ad beatum Petrum Apoſtolum dona per Epiſcopos, quorum hæc ſunt nomina: Methodius Metropolitanus, & Samuel Epiſcopus, & alii duo depoſiti ab honore Epiſcopatus, quorum nomina hæc ſunt Zacharias & alius Theophilus, & alius Imperialis laicus nomine Arzabir, Proto-Spatharius.* Poſtulavit & ipſe ex Eccleſia Conſtantinopolitana proſcribi renatam Iconoclaſtiam, & à Nicolao Pontifice fieri in Sanctum Ignatium, quod in Sanctum Athanaſium olim à Julio rogarat factio Euſebiana: *Nunc nos, quos certiores minimè fecerunt, poſtquam egerunt quod libuit, ſuffragatores ſuæ damnationis, cui non interfuimus, eſſe volunt.*

Ejuſdem legationis meminerunt in ſecunda noſtræ Synodi Actione Legati Apoſtolici. *Primitùs miſſus eſt Arzabir Legatus Michaelis Imperatoris, & cum eo miſſi ſunt quatuor Epiſcopi, nomina eorum ignoramus, deferens ſecum & Epiſtolam Regiam, ſignificantem in ſe cauſam hæreſeos imaginum, & in fine litterarum iſtarum oſtendentem etiam emiſſionem ſanctiſſimi Patriarchæ Ignatii. Petebat autem, ut mitteret Apocriſarios ſuos Conſtantinopolim.* Addit in marginali ſcholio Anaſtaſius Bibliothecarius. *Urgente Legatos propoſitæ locutionis proſecutione, nomina Epiſcoporum eis ad memoriam recurrere tam concitè minimè potuerunt: Quibus tamen nomina erant Methodius Metropolita Gangrenſium, Samuel Chonarum Epiſcopus, atque Theophilus Iconii, & Zacharias Tauromeniæ Pſeudo-Epiſcopi, qui legationem & Epiſtolas à Photio Sedi Apoſtolicæ detulerunt.* Pro Iconii textus à Cardinali Baronio adductus *Zachynti*, at verò Nicetas Paphlago habet *Amorii*: Et ità omninò videtur legendum. Quidam Methodium & Samuelem Principis, Theophilum & Zachariam volunt fuiſſe Photii Legatos; verùm laudatus Nicetas etiam Samuelem ait fuiſſe Photii Legatum, & ad quartam hujus Synodi Actionem dixit Theophilus: *Ab Imperatore & à* Photii *Synodo miſſus ſum.* Metrophanes Metropolita Smyrnenſis in litteris ad Manuelem Dromi Logothetam diſertè adfirmat omnes quattuor fuiſſe communes Legatos totius factionis. At neſcio, cur omnes dicat fuiſſe Metropolitas. Et præſens Synodus & Anaſtaſius Theophilum ac Zachariam adſidue vocant *dudùm Epiſcopos, Pſeudo-Epiſcopos, ac Ex-Epiſcopos*: Quod nempe olim etiam à Gregorio Syracuſano legati fuiſſent jam pridem à Benedicto tertio Pontifice degradati. Fuerant à Sancto Methodio Patriarcha in Epiſcopos promoti.

De eiſdem ad quartam hujus Synodi Actionem dixerunt glorioſiſſimi Principes. *Iſti ſunt illi duo, qui omnimodò lædunt multitudinem illam, eò quod certificent eos hujuſmodi, quia conminiſtravit nobis Papa Nicolaus. Et in hoc habet ſatisfactionem multitudo,*

Digitized by Google

titudo, quoniam ſi receperit hos duos, & communicavit eis, utique & Photium recepit, & communicavit ei: Si autem illum recepit & communicavit, utique una die vocatus eſt Patriarcha, & ſi vocatus eſt una die Patriarcha, habemus quod dicamus multùm. Etiam in Palatio dixerunt palàm eidem Pſeudo-Epiſcopi: *Quia oſtendere habemus per omnia, quia ut Sacerdotes ſanctiſſimo Papæ comministravimus*. Et ad plenam noſtram Synodum: *Diximus, & iterùm dicimus, quia ut ſummi Sacerdotes ſuſcepti ſumus à Papa Nicolao, & comministravimus ei, & recepti ſumus ab eo*. At repoſuerunt Apoſtolici Legati: *Abſit, mendaces ſunt, & non dicunt veritatem*. Et Marinus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus & Legatus: *Ego Subdiaconus Romanæ Eccleſiæ eram in diebus illis, conſecratus à Leone* quarto *ſanctiſſimo Papa Romano, & in Eccleſia Romana miniſtrabam à duodecimo anno temporis nativitatis meæ, & quando iſti venerunt Romam cum Arzabir, ego miniſtrabam in Eccleſia Romana ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ dicitur Præſepis; illic eos ſuſcepit ſanctiſſimus Papa Nicolaus per ſatisfactionem libelli & juramenti, & non contulit eis communionem in loco Epiſcoporum. Si verò contradixerint, oſtendant quod ſuſceperit eos in communionem ut Epiſcopos*. Eos igitur, Anteceſſorum ſuorum Leoni quarti & Benedicti tertii ſententiis deferens, Sanctus Nicolaus ut laicos dumtaxàt ſuſceperat, & quidem primùm profeſſos libellum iſtum, de quo ad eamdem noſtræ Synodi Actionem dixerunt ampliſſimi Magiſtratus: *Solet Romana Eccleſia ab omnibus advenis profeſſionem fidei exigere, ac tunc demùm ad Sancti Petri ædem admittere*. Attamen ſuis illi mendaciis circumvenerunt multos, quorum unus fuit etiam Theodorus Cariæ Metropolita. Hæc legatio contigit item anno Domini octingenteſimo quinquageſimo nono.

Sanctus interim Ignatius hærebat exul in inſula Mytilene, ideòque nullum obtinere potuit Legatum. *Cùm ad vos*, inquit in poſteriori ſua ad Nicolaum Pontificem appellatione, *litteras, quibus Epiſcopos ſtatum omnium rerum docebamus, per Laurentium Presbyterum & duos Stephanos, quorum alter Subdiaconus, alter laicus erat, dediſſemus, illos etiam Sacramento adegimus, ut eas ipſi manu ſua Sanctitati Tuæ porrigerent, nihil egere*. Sed neque quis in ejus perſeverantium, & Photii communionem deteſtantium Epiſcoporum, quos inter fuiſſe ſe gloriatur Stylianus Neo-Cæſareenſis. Nihilominùs à Deo Nicolaus Pontifex eſt in veritatem manuductus, & ad Regiam civitatem legavit Rhadoaldum Portuenſem & Zachariam Anagninum Epiſcopum cum litteris ad Michaelem Auguſtum & intruſum Photium, varia comprehendentibus, lectis in quarta Actione Synodi præſentis. Primò queſtus eſt de facta Synodo damnatoque citra ſuam præviam licentiam Patriarcha Ignatio. Etenim prima de Patriarcharum criminibus inſtantia ſemper ex Apoſtolico Canone ſpectavit ad Sedem Apoſtolicam, ideòque ſine prævia illius licentia nunquam illi potuerunt judicari, longè minùs damnari. Hinc Ignatium non pro damnato, ſed pro ſpoliato habuit, voluitque in illum ſervari antiquum, in quinta Symmachi Pontificis Synodo laudatum, Romanæ Eccleſiæ Canonem, mandantem ut ſpoliatus Epiſcopus ante omnem audientiam ac litis exordium pleniſſimè reſtituatur. Secundò, de Photio ex laicis ad Patriarchalem Epiſcopatum promoto graviter excepit, arguens violatos Canones Sardicenſes, perpetuam Eccleſiarum conſuetudinem, nuperas Adriani primi Pontificis ad ſeptimam Synodum dogmaticas litteras, factamque iſtic Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ adversùs vitium iſtud profeſſionem. Hinc Photium & pro intruſo, & pro prævaricatoriè ordinato habuit, ejuſque ad ipſum litteræ habuerunt hanc informem Epigraphen: *Viro Photio*. Exponit Metrophanes Metropolita Smyrnenſis: *Divinus ille Pontifex Nicolaus, quamvis ex parte noſtra adeſſet nemo, qui cauſam noſtram tueretur, quod nobis per adverſarios id facere non licuiſſet, tamen coacto Occidentalium Epiſcoporum Concilio, ex illis ipſis Photii litteris illum reprobavit & condemnavit*, LAICUM *nominando*. Photium nec Epiſcopum & Patriarcham, quouſque cauſam plenè cognitam definiret, agnoſcere noluit, uti etiam in Synodi noſtræ præfatione Anaſtaſius advertit.

Tertiò, de ſacris Sanctorum imaginibus denuò quæri & diſputari noluit Pontifex, ſed ſeptimæ Synodi & Adriani primi Pontificis ſervari juſſit decreta: *Non enim*, ſcribit ad Leonem Epiſt. 78. c. 2. Auguſtum Sanctus Pontifex Leo, *in aliquam diſceptationem piè & plenè definita revocanda ſunt, ne ad arbitrium damnatorum ipſi de his videamur ambigere, quæ manifeſtum eſt per omnia Propheticis, Evangelicis & Apoſtolicis Auctoritatibus convenire*. Quartò, diœceſim Illyricianam, à Leone Iſauro abreptam, reddi tandem exegit Sedi Apoſtolicæ, ex vetuſtiſſimo more regendam per ejus Vicarium Theſſalonicenſem: Reddi item Calabriæ, Apuliæ, & reliquæ citerioris Italiæ atque Siciliæ Eccleſias, ac nominatim Archi-Epiſcopi Syracuſani conſecrationem, Romanæ Eccleſiæ debitam ex Apoſtolica traditione. Ei omnium Siculorum Epiſcoporum conſecrationem adſcripſit Apoſtolica traditio: Attamen de ſolo Syracuſano, & quidem ut Archi-Epiſcopo, loquitur Pontifex, quod nempe illum in Metropolitam, ſuos deinceps Provinciales conſecraturum, evexiſſet Leo Iſaurus, atque ità illius ſolius conſecrationem ex vigeſimo octavo Chalcedonenſi Canone Patriarcha Conſtantinopolitanus ſibi adſcripſiſſet. Quintò exegit Pontifex Romanæ Eccleſiæ reſtitui ſua apud Calabros, Apulos, ac Siculos patrimonia, etiam per Leonem Iſaurum erepta. Sextum ſuum mandatum exponit in litteris ad omnes diœceſis Conſtantinopolitanæ Epiſcopos, lectis in ſeptima Actione præſentis Synodi: *Rhadoaldum & Zachariam Epiſcopos, datis litteris* tam ad Auguſtum quàm ad Photium, *Conſtantinopolim è latere noſtro direximus, nihil eis penitùs injungentes, niſi ut tantummodò cauſas Ignatii Patriarchæ diligenter inveſtigarent, & Sedi Apoſtolicæ plenis ac veracibus referrent indiciis; tantùm eis de venerabilibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Genitricis ſemper Virginis Mariæ, ac Sanctorum ipſius imaginibus,*

quid-

Digitized by Google

quidquid quæſtio afferret, juſtè definire licentiam dantes. Etenim Arzabit ac ejus comites Epiſcopi queſti fuerant Eccleſiam Conſtantinopolitanam ab Iconomachis, recidivam quæſtionem excitantibus, vexari quam maximè, & Chriſtum Dominum per ſingula iſtic conventicula blaſphemari. Hìnc moram ſuſtinere malum iſtud non videbatur. At verò Patriarcharum damnatio ſemper fuit de maximis Eccleſiæ cauſſis: Ejus igitur ſolum examen Legatis meritò permiſit ſapientiſſimus Pontifex, definitionem ſuo judicio reſervavit. Cum hiſce litteris & mandatis fuerunt illi per Arzabit Conſtantinopolim deducti.

Pergit Metrophanes. *Legati Apoſtolici, poſteàquam Conſtantinopolim venerunt, litteraſque Imperatori & Photio reddiderant, per octo menſes urgere atque inſtare non deſtiterunt, ut ſibi liceret legatione pro Imperio Pontificis perfungi. Prohibiti verò, immò donis etiam illecti & corrupti, Patriarcham Ignatium præter jus faſque omne exauctorarunt, Photiumque confirmarunt, Photio, quod non ritè lectus eſſet Ignatius Patriarcha, accuſatorem inſtituente, quæ potiùs in ipſum quadrabat Photium: Quippè qui per vim ſolam & Principum manum, præter mentem ſententiamque Epiſcoporum, intruſus eſſet. Illud verò de Ignatio ſine ſuffragiis creato penitùs falſum erat atque confictum*. Legatos fuiſſe non tantùm donis corruptos, ſed & Regiis terroribus compulſos teſtatur teſtis oculatus Sanctus Stylianus. Eoſdem primitùs conſtanter egiſſe, at per centum dies nemini, niſi ſuis Domeſticis potuiſſe loqui, atque ità pedetentim per Græcorum artes fuiſſe inflexos teſtatur in litteris ad Photium, & in litteris ad Diœceſis Conſtantinopolitanæ Epiſcopos ipſe Pontifex Nicolaus.

Addit ab illis & Michaele Auguſto duas Conſtantinopoli celebratas Synodos, alteram pro ſacris imaginibus, alteram pro Photio adversùs Ignatium, de qua idem Pontifex in litteris ad
Epiſt. 9. dictum Imperatorem. *Illud ridere libuit, quod quaſi ad majorem firmitatem Concilium, adversùs Ignatium Fratrem & Comminiſtrum noſtrum congregatum, æqualis numeri cum ſancta olim Synodo in Nicæa à ſanctis Patribus celebrata fuiſſe perhibetis*. Quoſvis Epiſcopos ad latrocinalem Synodum coegerat Auguſtus Michael, ideòque generalem ſeu œcumenicam, ſanctæ primæ Nicænæ parem blaterabat; at repoſuit laudatus Pontifex: *Non totidem Præſules, ſed merita non minora Synodum Synodo Nicænæ poſſunt facere parilem, magiſque illud advertendum, quia illic contra unius Presbyteri veſaniam non ſolùm multarum regionum Pontifices, verùm etiam & Patriarchæ præſediſſe referuntur; hic autem in Patriarchæ negotio non ſolùm ullus Patriarcharum, ſed nec ullus alterius diœceſeos inventus eſt quiſquam Epiſcopus*. At verò generalis Synodus requirit præſentiam aut certè legationem omnium diœceſeon ac Patriarcharum. Neque mireris in una Conſtantinopolitana diœceſi fuiſſe tot Epi-
In ejus vita F. 109. ſcopos: Etenim fuiſſe *nimiam Epiſcoporum multitudinem* queſtus eſt apud Innocentium tertium Patriarcha Latinus.

Criminalibus hiſce in ſanctum Patriarcham judiciis interfuit contra Canones Michael Auguſtus, & quidem promiſcua Palatii ac vulgi turma ſtipatus, Photianæ iniquitati ſatellitem ſe præbuit, ac per præſentes milites & Commentarienſes egit omnia ex more, cujus in Sedem Apoſtolicam temeritates reſorbebat Photius, factionis Euſebianæ. Sanctus Ignatius, quem Epiſcopatui plenè reddi & per omnia ut Patriarcham tractari Pontifex juſſerat, non per duos Epiſcopos, ut mandat antiquiſſimus Eccleſiæ Canon, ſed per unum Diaconum & alterum laicum ad Synodum citatus eſt, & ſub capitis pœna juſſus adeſſe ut in ſimplicem monachum degradatus. Aſt omnibus ſpretis terroribus ſtitit ſeſe intrepidus in habitu Patriarchæ. Eum Regia violentia fuiſſe Epiſcopatui intruſum teſtati ſunt ſeptuaginta duo filii Belial, quorum Principes erant Leo Creticus & Theodotacius, Patricii, Magiſtri dignitatem iſto perjurio mercati. Nec quis Epiſcoporum fuit auſus intercedere, niſi unus Theodulus Ancyranus, primæ Galatiæ Metropolita, per neſcio quem idcircò parricidam percuſſus gladio, & proprio ſanguine inſigniter purpuratus.

Ad Romanam Eccleſiam, Nicolaum Pontificem, Canones Sardicenſes, ac Innocentii primi Pontificis pro Sancto Joanne Chryſoſtomo Prædeceſſore ſuo zelum proclamavit Ignatius; aſt Apoſtolicus vulgaris Canon, *Si quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus Eccleſiam obtineat, deponatur*, in ipſum fuit pronunciatus, Procopius Pſeudo Subdiaconus, nuper ob crimina canonicè ab ipſo degradatus, detraxit illi Patriarchale Pallium, proclamavit ſolenne, *Indignus eſt*, atque ità vir ſanctiſſimus eſt latrocinaliter dejectus. Denuò provocavit ad alteram adducti Canonis partem, *Et ſegregentur omnes, qui illi communicant*, dicens ad Principem: *Si ego Archi-Epiſcopus non ſim, ne tu quidem Imperator es, neque iſti Epiſcopi, ſed neque Mœchus Bardas, omnes enim vos indignis meis manibus eſtis conſecrati*. Eis improperavit Euſebianæ factionis, quoſdam Epiſcopos ut hæreticos damnantis, & ab eis conſecratos ut canonicos admittentis, irregularem veſaniam, durè exagitatam à Sancto Baſilio in Epiſtola ad Eccleſiam Evaiſenam. At cum Principe ebrioſo dormitarunt omnes Epiſcopi: *Non cognoverunt*, inquit Nicetas Paphlago, *qui in ambitionis & ava-* Epiſt. 66. *ritiæ tenebris ambulant, ſe eiſdem conſiliorum laqueis, quos aliis paraverant, comprehendi*. Meritò hanc Synodum paſſim cum Theodoſio Patriarcha Hieroſolymitano in litteris ad Sanctum Ignatium, in prima noſtræ Synodi Actione lectis, vocamus Caiphaicam, malignantium Synagogam, ſpeluncam latronum, ſanguineum conventum.

Neque hìc ſtitit Schiſmaticorum furor. Etenim damnati, in Conſtantini Caballini fœtido ſepulchro clauſi, barbaricis ſuppliciis adflicti Patriarchæ manu violenter arrepta formarunt in pura charta ſignum crucis, cui ipſe Photius ſuperſcripſit: *Ignatius indignus Conſtantinopolitanus confiteor me non lege & ſuffragiis creatum Eccleſiæ thronum invaſiſſe, neque his annis ritè & ſanctè Eccleſiam rexiſſe, ſed tyrannidem exercuiſſe*. Ità ille à rerum ignaria creditus eſt juſtè damnatus, & ſententiæ acquieviſſe. Quin & ſententiam ab ipſo

ex

ex Eccleſiæ ambone ratificari, ac tum, quò ad Epiſcopatum nnnquam reſpirare aut reduei poſſet, oculis & manibus truneandum definierat Photius; verùm miſſos executores milites *in ſervili veſte geminas ſportas ab humeris una è pertica ſuſpenſas bajulans* evaſit, ac per multas regiones incognitus erravit, uno Diaeono Cypriano comitatus, ſanctiſſimus Senex, factus ex illis, de quibus in Epiſtola ad Hebræos Apoſtolus: *Circumierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in ſpeluncis, & in cavernis terræ*. Erravit à Feſto Penteeoſtes uſque ad menſem Auguſtum. Tune elementa pugnarunt adversùm inſenſatos: Omnis Conſtantinopolitanæ regionis tellus per dies quadraginta tremuit, horrendùm mugiit, atque ità factioſos ad quærendum Sanctum Exulem, & licèt non Patriarchatui, tamen quietæ in ſuo monaſterio vitæ reſtituendum eoncuſſit & terrotibus coegit.

Apoſtolici Legati non ſolummndò in fraternam juſtitiam, ſed & in poteſtatem ſuam fuerunt nimiùm prævarieati. Etenim *Vicariorum more*, inquit in Synndi hujns præfatione Anaſtaſius Biblinthecatius, *non fuerant deſtinati*: Nudum Photianæ eauſæ inquirendæ mandatum acceperant, nullam Ignatii, quem plenè reſtitnere debuerant in Sedem Epiſcopalem, judieandi vicariam poteſtatem. Quin & Apoſtolicas litteras tractarunt, aut ſanè permiſerunt tractati in Dioſcori ae Epheſini latrncinii morem, de quo pergit Anaſtaſius: *Græci Epiſtolas ſuſcipientes, quidquid in eis erat pro Ignatio vel contra Photium, interverterunt, ſubtraxerunt, & in Concilio legi minimè pertulerunt, Miſſis Romanis quid legerent, quidve non legerent, nullatenùs intelligentibus vel etiam advertentibus, quin potiùs præ vi ac timore jamque deficientibus*. Quam litterarum ſuarum injuriam pluribus in Epiſtola ad omnes diœceſis Conſtantinopnlitanæ Epiſcopos exaggerat ipſe Pontifex Nicolaus.

Addit de Legatis ſuis Romam reverſis: *Nihil aliud renunciavere, niſi depoſitum Ignatium, & Photium in ſede Conſtantinopolitana firmatum*. Omnem tragædium celavere Pontificem, & ſeſe quaſi probè nffieio functos oſtentavere. Rediiſſe eum Regiis ae Photianis ſimilia mentientibus litteris teſtatur Sanctus Stylianus. Aſt mali fama nihil eſt velocius. Quidam Romam advenæ Conſtantinopolitani vulgarunt facinus, *& poſt duos dies Legatus Imperialis*, Apoſtolicorum Legatorum deductor & cuſtos, *nomine Leo, à Secretis*, acceſſit, deferens ntriuſque Pſeudo-Synodi, nec non & Prineipis litteras & Acta, atque ità fœdum laroeinium eſt factum omnibus manifeſtum. Acceſſit & Theognoſtus Abbas Conſtantinopolitanus, de quo idem Stylianus: *Monachus & Archi-Mandrita Theognoſtus, rei indignitate commotus, veſte mutata, clam & ipſe Romam ſæculari habitu properavit, cauſamque Ignatii ſanctiſſimo Papæ Nicolao totam expoſuit*. Eum in litteris ad omnes Patriarchas Baſilius Auguſtus Hegumenum monaſterii Deiparæ Virginis ad fnntem, & euſtodem ſaerorum vaſnrum magnæ Eccleſiæ, ac in

Act. 7. litteris ad eumdem Principem Adrianus ſecundus Pontifex voeat virum prudentiſſimum, & honorabiliſſimum Exarchum, nee non Sancti Ignatii & Epiſcoporum cum ipſo afflictorum Legatum, qui per ſeptem annos Romæ exul manſerit, Eecleſiæ Conſtantinopolitanæ calamitates Deo ac Pontifiei adſidnè ae inſtanter commendans. Et in litteris ad ipſum Sanctum Ignatium: *Theognoſtus en perſequentibus æmulatores tuos illinc nudus ſalvatus eſt, & mutato habitu vin huc pertingens vitam lucratus. Deindè apud memorias Apoſtolorum per ſeptem fermè annorum curricula, ut hoſpes & advena, demoratus non tantùm propriam miſeriam, quantùm Sanctitatis Tuæ preſſuram & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ calamitates penè inceſſanter deflebat, ità ut non ſolùm anteà Deceſſorem meum Nicolaum, ſed & me poſteà nocte ac die indeficienter erigere, & pro ſtatn tantæ Eccleſiæ & erectione veſtra crebris ſuaſionum ſtimulis latera percutere, & quemadmodùm Angelns quondam*, SURGE PETRE, ACCIPE FORTITUDINEM AD SALVANDAS GENTES, *per ſingulos dies nobis dicere non ceſſaret, quouſque auditum Deo præſtante ſuſcepit, quod ardenter ſemper in pectore bajulabat*. Et Sancti Ignatii ad Nieolaum Pontificem appellatio habet bune titulum: *Libellus de tota Ignatii cauſa miſſus ad Nicolaum Papam Romanum, Ignatii Patriarchæ nomine, à Theognoſto monacho & Archi-Mandrita veteris*, legendnm eſt, *novæ Romæ, & Enarcho Conſtantinopolitano ſcriptus*. Libellum igitnr non ſolummodò Romam detulit, ſed & compoſuiſſe videtur Theognoſtus.

Notanda eſt libelli Epigraphe: *Sanctiſſimo Domino noſtro, & beatiſſimo Præſidi, cunctarum ſedium Patriarchæ, Sancti Petri Principis Apoſtolorum Succeſſori, Œcumenico Papæ Nicolao*. Oſtendit ſupremum Romanæ Eccleſiæ Primatum uſque ad hocee Photii ſchiſma fuiſſe plenè agnitum ab omni Eccleſia Conſtantinopolitana. Nam & ipſe cum Gregorio Syracuſano Photins, uti partim ex hue uſque dictis, partim ex Synodi præſentis Eneyclica Epiſtola liquet, ad Leonem quattum, Benedictum tertium, ae laudarum Pontifieem Nicolaum frequenter uppellavit, damnavitqne Ignatium, qnod duorum priorum Decretis ae mandatis tamquam alter Dioſcorus recaleitraſſet.

Quid porrò ſit *Archi-Mandrita & Enarchus Conſtantinopolitanus*, in Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Patriarcha docet nos hæc ſubſcriptio: *Marianus Presbyter, & Archimandrita monaſterii Sancti Dalmatii, & Exarchius venerabilium monaſteriorum hujus Imperialis civitatis*. Id eſt, omninm Regiæ eivitatis monaſteriorum generalis Præfectus. Quare Theognoſtus erat vie magnæ auctoritatis, ideòque illnm, nt ſunm fugitivum, eonvitiatorem, Eeeleſiæque ae Reipublicæ turbatorem, à Romana Eccleſia ſibi ad pœnas tradi poſtulavit Auguſtus Michael, conſtantiſſimè autem protexit Nienlaus Pontifex, ae tandem glorinsè ad Baſilium Augnſtum remiſit Adrianus feeundus.

Sordida Apoſtolicorum Legatorum prævaricatio peſſimè per omnem Eccleſiam fœtuit, acerrimè torſit Nicolaum Pontificem, ideòque de illo

pergit

Digitized by Google

pergit Sanctus Stylianus: *Nicolaus Pontifex mox coacta Synodo ſuos Legatos Rhadoaldum ac Zachariam, ut qui contra Decreta feciſſent, honore Epiſcopatus exuit; aliaque rursùs celebrata Synodo Photium adulterum & invaſorem anathemate vinxit, Ignatium germanum Patriarcham renunciavit, Actaque omnia Michaeli & Photio tranſmiſſa declaravit.* Et ad primam præſentis Synodi Actionem legatio Adriani ſecundi: *Cognoſcens Diviſerus Papa Nicolaus & Senatus omnia, fecit Synodum, & convocavit omnes Occidentales Epiſcopos, Archi-Epiſcopos, Metropolitas, & omnem Clerum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac coram Senatum Principum Romanorum, & damnaverunt libellum & Concilium malignantium, quod factum erat adversùm ſanctiſſimum virum Ignatium, & depoſuit Apocriſarios, qui venerant huc, Rhadoaldum & Zachariam, & ab omni honore Sacerdotali & communione pepulit eos, quoniam communicaverunt & conſenſerunt, & conſtituerunt invaſorem & adulterum Photium: Et abdicavit Concilium malignantium. Propter hoc ergo opus damnavit & anathematizavit Photium.* Addit marginale Scholion Anaſtaſii Cardinalis: *Licèt vocaverit Archi-Epiſcopos, nullus tamen excepto Ravennate ob temporis incommoditatem occurrit. Verùm ille tum aliquantis & Photium pepulit, & Ignatium Patriarcham admiſit, privilegio ſcilicet Apoſtolicæ Sedis fretus, quæ ſola jus habet quorumlibet ligamenta vel ſolutiones Pontificum ſolvendi vel ligandi, cùm utique de omni Eccleſia fas habeat judicandi.* Hæc eſt illa Romana Patriarchalis Synodus, ad quam invitatus Hincmarus Remenſium Archi-Epiſcopus quid pro ſua in Sedem Apoſtolicam conſueta pervicacia & per ſe & per Carolum Calvum Regem reſponderit, ſuprà dictum eſt ad Canonem decimum ſeptimum. Factam in medio
Epiſt. 7. æſtatis fervore ſcribit ipſe Pontifex Nicolaus: Hinc fuit incommodum tempus, & alii Italorum Metropolitani non advenerunt.

Utrinſque ſuæ Synodi Acta exponit idem Pontifex in litteris ad Sanctum Ignatium, poſt hanc Synodum exſtantibus. *Præſente Apocriſario Regis*, Leone à Secretis, *vocato noſtræ Eccleſiæ Concilio, atque evocatis etiam ex multis Occidentalium regionum Provinciis ſanctiſſimis plurimiſque Epiſcopis, primùm Zachariam de communi ſententia damnavimus; Rhadoaldi autem exauthorationem, quod tunc abeſſet, diſtulimus, qui tamen poſteà ſententiam damnationis non effugit.* Similia enim avaritiæ facinora etiam in Gallia Legatus patrarat Rhadoaldus, ideòque Apoſtolicæ virgæ metu latebat, ac errabat per regiones varias, & inauditum damnare juſtiſſimus per omnia Pontifex nolebat. Eos tractabat, quomodò Sanctus olim Felix tertius Legatos ſuos Vitalem ac Miſenum Epiſcopos, in Acaciano ſchiſmate ſimiliter apud Zenonem Auguſtum prævaricatos.

Pergit Nicolaus Pontifex de altera ſua Synodo. *Præterea Photio dignitatem abrogavimus, denunciavimuſque, ut ſi poſt damnationem iſtam thronum Conſtantinopolitanum denuò audeat adſcendere, aut tibi, quò minùs ad tuam ſedem redeas, impedimento ſit, aut ſacra contingere tentarit, anathema ſit. Pariter etiam Gregorium Syracuſanum, à quo Photius ordinatus eſt, anathemate percellimus, ſi poſthàc ſacra quæcumque adminiſtrarit. Præterea quoſcumque Photius Sacris initiavit, gradu Clericorum omni privamus ac dejicimus. Atque hæc quidem de illis decrevimus. Te autem auctoritate ſupremi Judicis Domini Dei Salvatoris noſtri nec depoſitum, nec anathemate vinctum unquam fuiſſe declaramus. Quicumque verò ſententiæ noſtræ repugnaverit, aut ſe à tua communione ſeparaverit, aut denuò adversùs te ſine Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſententiam tulerit, Clericus omni honore dignitateque Clerici coram Deo & hominibus exutus eſto; laicus omni benedictione paterna careto, qui niſi reſipuerit, anathemate quoque ferietur. Epiſcopos verò, quicumque tui cauſa exulant, aut ſolio ſuo honoreque privati ſunt, ſedibus ſuis & dignitati reſtitui jubemus. Quicumque huic Decreto noſtro reſiſtere conabitur, anathema eſto, quoad nobis ille ſeſe ſubjiciat. Si qui verò per criminationem ſunt ejecti, illos ad ſuas revocandos Eccleſias ſtatuimus, cauſamque eorum ad tribunal Romani Pontificis decidendam.* Ex quo vides Epiſcoporum ad alienos Patriarchatus ſpectantium cauſas etiam in prima inſtantia poſſe Romam evocari.

Damnati Photii cauſas idem Pontifex partim in litteris ad omnes ubique orthodoxos, partim in Epiſtola ad omnes diœceſis Conſtantinopolitanæ Epiſcopos adducit varias. Primò, quod Photius ſeſe à Sancti Ignatii communione ſeparatum damnatis Schiſmaticis adjunxiſſet. Secundò, quod ex laico eſſet promotus Epiſcopus. Tertiò, quod à Gregorio Syracuſano, aliiſque damnatis & Schiſmaticis Epiſcopis eſſet ordinatus. Quartò, quod vivo & innoxio Ignatio eſſet ut Eccleſiæ adulter ſuperpoſitus ac intruſus. Quintò, quod ſubditus præſumpſiſſet damnare proprium Patriarcham. Sextò, quod in proprium chyrographum Metropolitis pro Ignatio datum exſtitiſſet perjurus. Septimò, quod Legatos Apoſtolicos tamquam novus Acacius ſeduxiſſet, coegiſſetque ad Schiſmaticis communicandum, confirmandas Sancti Ignatii injurias, & ſui Pontificis mandata variè prævaricanda. Octavò, quod Ignatium, ac illi fideles, & ſuam communionem refutantes Epiſcopos, Clericos, Monachos, & laicos tyrannicè afflixiſſet. Notanda ſunt verba Pontificis de Photio: *Si Sacra contingere tentarit*. Loquitur ex quarto Canone Antiocheno: *Si quis Epiſcopus à Synodo damnatus fuerit auſus aliquid de ſacro miniſterio attingere juxta priorem conſuetudinem, nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem habeat aut locum ſatisfactionis.* Latam, licèt iniquam, ſententiam Canon per ejuſmodi præſumptionem facit tranſire in rem judicatam, privatque remedio etiam appellationis. Et hinc Gregorium Syracuſanum, qui à Benedicto tertio damnatus ſacrum Photianæ conſecrationis Miniſterium attentarat, Nicolaus Pontifex declarat incidiſſe in pœnam iſtam, & addit: *Quod ſi de reliquo præſumpſerit, anathema ſit.*

Verùm hiſce ſententiis nequaquam Photius acquievit. *Ad beatiſſimum Papam Nicolaum*, inquit noſtræ Synodi Encyclica Epiſtola, *Epiſtolas & Legatos ſæpè mittens, & hunc judicem ſuum eligens & proponens, & omnia, quæ pertinebant ad juſtificationem ſui, & ad ſanctiſſimi Patriarchæ*

condemnationem, ſicut voluit ipſe, ſine impedimento dixit. Et in litteris ad omnes ſub cœlo Eccleſias ipſe Pontifex Nicolaus: *Non ità pridem ad nos venit Palatinus Spatharius cum Imperatoris Epiſtola, qui gloriabatur ab Imperatore Synodum adornari, eò quod nos factam Ignatio injuriam noluerimus approbare*. Fuit is Michael Proto-Spatharius, protervus & inſolens decumbentis ex gravi morbo Pontificis afflictor, de quo ipſe pergit in litteris

Epiſt. 70. ad Epiſcopos Gallicanos: *Reverſo Leone à Secretis Conſtantinopolim, Michael Imperator comperiens per Epiſtolam noſtram, quam per ipſum tranſmiſimus, quod nec depoſitionem Ignatii nec promotionem Photii ſuſcepiſſemus, mox quemdam Legatum ſuum Michaelem Proto-Spatharium cum Epiſtola injuriis plena ad nos direxit, & ut ſententiam noſtram ad ipſius votum commutaremus, vehementer hortatus eſt. At nos injurias quidem noſtras non curantes, licèt circa Eccleſiæ injurias non tacuiſſemus, ſcripſimus Epiſtolam noſtram, & hac indictione quarta decima prædicto Imperatori per jam nominatum Michaelem Proto-Spatharium Legatum ſuum direximus, tam videlicet à noſtra Eccleſia falſas objectiones repellere cupientes, quàm ipſum Imperatorem cum ſequacibus ſuis ſuper hoc negotio ad rectum juſtitiæ tramitem perducere anhelantes*.

Fœda iſta, Domini octingenteſimo ſexageſimo tertio anno data, Euſebianis atque Acacianis in Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam criminationibus undequaque pleniſſima, & non atramento, ſed rabido felle exarata Auguſti Michaelis Epiſtola periit, aut latet, ejus tamen palmaria capita ex Apoſtolico anni octingenteſimi ſexageſimi quinti Reſponſo abundè novimus. Erat Photii opus, ex tunc orſi per temulentam ſtulti Principis linguam ſuam in Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem ſchiſmatica venena deſpumare. Sed neque Epiſcopalem thronum ceſſit Ignatio, longè minùs à ſacro miniſterio contumax Canonum contemptor ceſſavit. Et hinc *ſacratus* fidelium *catalogus*, inquit Anaſtaſius Cardinalis, *magis inflammatus eſt, & à Photii ſe communione catervatim ſeparavit, horreſcens quod nec à tanta ſede perculſus corrigi conſenſerit*. Perrexit tyrannùm agere, & miſerandos populos exquiſitis tormentis ad ſuam damnatam communionem compulſare. Quapropter hocce periculi & luctus pleniſſimum ſcandalum finire volens optimus Pontifex, Donatum Oſtienſem Epiſcopum, Leonem ac Marinum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum ac Diaconum Cardinales anno octingenteſimo ſexageſimo ſexto legavit Conſtantinopolim, ac Michaeli Auguſto excommunicationem ac fœdæ Epiſtolæ publicam exuſtionem minatus, Ignatium & Photium, utràque eorum fautores ac rerum præteritarum teſtes Epiſcopos & Clericos, coràm audiendos & definitivè judicandos, Romam evocavit.

CAPUT III.

Exponitur Bulgarorum ad Chriſtianam fidem converſio, àc recurſus ad Romanam Eccleſiam: Altera cauſa furoris Photiani.

TRans Iſtrum versùs Septemtrionem, inquit Nicephorus Gregoras, *locus eſt, quem fluvius non exiguus, ab incolis Bulga dictus, interfluit, undè & ipſi Bulgarorum nomen obtinuerunt, cùm à prima origine Scythæ eſſent. Tandem patria cum uxoribus & liberis relicta, qua tempeſtate Iconoclaſtiæ morbus pios infeſtabat, innumerabili multitudine Iſtrum trajiciunt, & utramque Mœſiam pervagati, & obvia quæque populati ac prædati, locuſtarum aut fulguris inſtar Macedoniam cùm ulteriori Illyria occupant, loci ubertate illecti. Ac Regia ipſorum ſedes deinceps urbs ea eſſe cœpit, quam Juſtinianus Imperator Archi-Epiſcopatus honore, primæque Juſtinianæ nomine ornavit. Poſt appellatione gentis illius vulgata, locus ille Bulgaria dictus eſt, & Bulgariæ Metropolis prima Juſtiniana*. Dudùm ante Iconoclaſtism ac Leonem Iſaurum fuiſſe ab illis infeſtata Thraciam ac Illyricum teſtatur, de Zenonis Imperio agens, Eutropius: *A Bulgaris univerſa Thracia infeſtatur*. Et apud Caſſiodorum Athalaricus Gothorum Rex: *Bulgares toto orbe terribiles*. Et in chronico ad Anaſtaſii imperium & Cethæi Conſulatum ipſe Caſſiodorus: *Virtute Domini noſtri Regis Theodorici victis Bulgaribus, Syrmium recepit Italia*. Quomodò ab Ariſto & Mundone, Romanæ in Illyrico militiæ Ducibus, fuerint compreſſi, habes apud Comitem Marcellinum. Poſtmodùm ab Hunnis Pannonia ejectos, gratis à Dagoberto Francorum Rege locatos in Bavaria, omneſque à Bavaris fuiſſe trucidatos teſtantur Fredegarius ac ejuſdem Regis vita. Proindè ſub Leone Iſauro aut certè filio ejus Conſtantino Caballino in memoratis à Nicephoro Gregora provinciis ſeſe denuò firmarunt.

L. 2. c. 3. — L. 5. Epiſt. 10. — L. 2. c. 72. C. 29.

A quibuſdam exiſtimantur fuiſſe gentiles uſque ad Domini annum octingenteſimum ſexageſimum ſextum, & Regem Michaelem, de quo Annales Francorum Bertiniani: *Rex Bulgarorum, qui præcedente anno, Deo inſpirante, & ſignis atque afflictionibus in populo regni ſui monente, Chriſtianus fieri meditatus fuerat, ſacrum baptiſma ſuſcepit*. Et infrà: *Bulgarorum Rex filium ſuum & plures è Proceribus Regni ſui Romam direxit, & arma, quibus indutus fuerat, quando in Chriſti nomine de ſuis adverſariis triumphavit, cum aliis donis Sancto Petro tranſmiſit, & plures quæſtiones de fidei Sacramentis conſulendo, Nicolao Papæ direxit, & Epiſcopos atque Presbyteros mitti ab eo ſibi popoſcit. Quod & obtinuit*. Ad eumdem annum ſcribunt Annales Francorum Fuldenſes: *Legati Bulgarorum Ratiſponam ad Ludovicum* Francorum in Germania

A. 866.

mania *Regem venerunt, dicentes Regem illorum cum populo non modico ad Chriſtum eſſe converſum, ſimulque petentes ut Rex idoneos prædicatores Chriſtianæ Religionis ad eos mittere non differret.* Et ad annum ſequentem: *Rex Ludovicus Bulgarorum petitionibus annuens, Ermenricum Epiſcopum cum Presbyteris & Diaconibus ad propagandam fidem catholicam præfatæ genti deſtinavit; ſed cùm illuc perveniſſent, Epiſcopi à Romano Pontifice miſſi totam illam terram prædicando & baptizando jam repleverant. Quapropter iſti accepta à Rege licentia redierunt ad ſua.*

Conſonat Anaſtaſius Bibliothecarius in Synodi noſtræ præfatione. *Cùm Rex Bulgarorum cum propria gente Chriſti fidem ſuſcepiſſet per hominem Romanum, id eſt, Presbyterum quemdam Paulum nomine, documentum atque myſterium propoſitum habuit à Sede Apoſtolica non modò fidei regulam, ſed & ſanctæ Legis ſumere diſciplinam.* Hoc eſt, non ſolummodò Chriſtianum dogma, ſed & Eccleſiaſticos ritus ac mores. *Quod & fecit, non ſolùm à præfato Presbytero, verùm etiam per Divinam revelationem inſtructus, quæ ſic temporum qualitatem diſcrevit, ut poſtrema in priorem reformaret ſtatum & ordinem:* Illyricianam diœceſim, à Leone Iſauro violenter ablatam, Romanæ tandem Eccleſiæ reſtituendo. Regiæ converſionis tempus, & Romani, id eſt, ad Romanum imperium ſpectantis Pauli Presbyteri gentem, an Græcus, ac Latinus fuerit, tacet Anaſtaſius; deſtinatos autem ad Romanam Eccleſiam Legatos Sancti Pontificis Nicolai meritis aſcribit, factumque id dicit *Menſe Auguſto, indictione decima quarta*, qui eſt Domini annus octingenteſimus ſexageſimus ſextus, laudati Pontificis nonus,
L. Pont. vigeſimus quintus Michaelis Auguſti. *Legatos apud ſe ſanctus Papa honorificè detinuit. Et interim Sedis Apoſtolicæ Miſſos, Paulum ſcilicet Populonienſem, & Formoſum Portuenſem, magnæ Sanctitatis Epiſcopos, ſtatuens, hoſque monitis mellifluis atque doctrinis inſtruens, ad prædicandum genti illi ire eos decrevit. Cum quibus, quia per Bulgaricum Regnum iter uſque Conſtantinopolim terra tenùs tenditur, ut quidquid de ſancta Conſtantinopolitana Eccleſia, licèt jam per Orientem hoc ipſum idem Papa ſemel & bis Apoſtolicis litteris divulgatum habuerit, apud ſe decretum exiſteret eidem per ſuos Legatos Eccleſiæ notum facere, Donatum Epiſcopum Oſtienſem, Leonemque Presbyterum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, nec non & Marinum ſanctæ Sedis Diaconum Apoſtolicæ, Miſſos idoneos æquè direxit, ut illi Bulgariæ populum ad fidem converterent, & iſti quid vel qualiter Apoſtolica Sedes de eadem Conſtantinopolitana Eccleſia deliberatum haberet, modis omnibus nunciarent.*

Ambos Legatos ſummo honore excepit Michael Rex, ac tribus poſterioribus ſuos uſque Conſtantinopolim adjunxit, de quibus ad Græcorum fines perductis pergit Anaſtaſius: *Quemdam Theodorum fines illos cuſtodientem invenerunt, qui eos ultrà non dimiſit abire, quia potiùs innumeris eos denotans injuriis, adeò tantæ ſedis Legatis abuſus eſt, ut etiam equorum, in quibus ſedebant, capita percuteret, diceretque:* IMPERATOR NOSTER VOS NECESSARIOS SANE NON HABET. Regiorum tamen Legatorum gratia admiſſi ſunt in Græcos fines, Regiam civitatem, atque conſpectum Principis, qui ad iſtos: *Niſi per Bulgariam Miſſi Sedis Apoſtolicæ veniſſent, nec faciem meam, nec Romam diebus ſuis viderent.* Quam injuriam largiùs ediſſerit in Epiſtola ad Gallicanos Epiſcopos ipſe Pontifex Nicolaus. Epiſt. 70. Nempe per ebrioſum Imperatorem Photius agebat & loquebatur. Et hinc *per quadraginta dies illic reſidentes Legati, ut cognoverunt, quia hoc Imperator fieri juſſerat, terga verterunt, & Romam hæc eadem nunciantes coacti reverſi ſunt.* Verùm ſuo officio non defuere. Tunc enim factum eſt, quod in litteris ad Michaelem Cerularium, Patriarcham item Conſtantinopolitanum, ſcribit Sanctus Pontifex Leo nonus: *Sanctiſſimi* Cap. 22. *Papæ Nicolai ubivis eſt laudanda libertas, qui per Legatos ſuos tam pro ſacris imaginibus, quàm pro depoſitione Beati Antiſtitis Ignatii, Eccleſiam agiæ Sophiæ clauſit, donec Sedis Apoſtolicæ acquieſceret Decretis.* Eodem modo Paulus & Formoſus ſuo apud Bulgaros munere fuerunt perfuncti, adeò ut de Michaele Rege ſcribat in Synodi hujus præfatione Anaſtaſius Cardinalis: *Quadam die manu propria capillos ſuos apprehendit, & contemplantibus cunctis tradidit Romanis Miſſis dicens;* OMNES PRIMATES ET CUNCTI POPULI BULGARORUM TERRÆ COGNOSCANT AB HODIERNA DIE ME SERVUM FORE POST DEUM BEATI PETRI ET EJUS VICARII, Pontificis Romani. Quin & poſito diademate eſt monaſticam Philoſophiam poſtmodùm amplexus.

At longè aliter de hac re loquuntur Græci. Regis baptiſma contigiſſe volunt non anno Domini octingenteſimo ſexageſimo ſexto, ſed octingenteſimo quadrageſimo quinto, Sergii ſecundi Pontificis undecimo, quarto Michaelis Auguſti, quo tempore Sanctus Methodius erat Patriarcha Conſtantinopolitanus. Georgius Cedrenus ait Bogorum Bulgarorum Regem, non à Paulo Presbytero, ſed à Theodoſio Cuphara, nobili Conſtantinopolitano apud ſe captivo, ac à ſorore ſua Bogoride, poſtliminiò reverſa è Conſtantinopolitana captivitate, edoctum fuiſſe fidem Chriſtianam, & addit: *Poſtquam peſtis vehemens* F. 443. *Bulgariam infeſtavit, neque ullum mali remedium fuit efficax, ibi tum Bogorus Deum Chriſtianorum in auxilio vocavit, utque idem facerent toti genti mandavit. Liberati lue, veram fidem amplexi, lavacroque regenerationis potiti ſunt. Principi nomen Michaelis de Imperatoris nomine inditum à Patriarcha, qui eò ad baptizandum illum miſſus fuerat.* Hæc peſtis eſt illa afflictio, cujus occaſione fuiſſe converſum Bogorum ſcribunt Annales Francorum Bertiniani. Guilielmus Xylander Græcum Cedreni textum non rectè vertens poſuit pro Epiſcopo Patriarcham: Bogorum enim non à Sancto Patriarcha Methodio, ſed ab ejus Legato neſcio quo Epiſcopo fuiſſe baptizatum ſcribit diſertè Joannes Curopalates. Forſan fuerit Manuelus Epiſcopus Adrianopolitanus, quem cum Baſilio Auguſto adhuc puero, & ejus parentibus fuiſſe olim ſub Crumo Rege in Bulgaria captivum, & magno fructu prædicaſſe adfirmat

Digitized by Google

idem Cedrenus. Quiſquis fuerit, Sanctum opus
F. 458. inſignitet adjuvit Methodius monachus, pictor inſignis, ideóque ornando palatio à Bogoro accitus, de quo idem Scriptor: *Monachus ſecundùm Chriſti adventum depinxit, quod nihil eo terribilius ſciret. Princeps ab hac parte videns juſtorum cætum expreſſum, ab altera impiorum ſupplicia perpetientium, edoctuſque à Pictore quid iſta ſibi vellent, illicò ſuam ejuravit ſuperſtitionem, inſtitutuſque à ſancto Epiſcopo Divinis arcanis, intempeſta nocte baptizatus eſt.*

Quæ omnia in Sancti Pontificis Nicolai vita præterit, nequaquam negat Anaſtaſius Bibliothecarius, dicens à Rege Michaele jam converſo & baptizato fuiſſe primùm legatos proceres ad Romanam Eccleſiam, poſtulatos Epiſcopos & Clericos ad docendum & baptizandum populum, miſſoſque à Nicolao Pontifice Paulum Populonienſem ac Formoſum Portuenſem Epiſcopum, qui *à prænominato Rege Bulgarorum mente alacri, magnaque ſuſcepti devotione, cœperunt ſalutaribus edocere populum monitis, & à minimo uſque ad maximum ſacro fonte cum Dei gratia abluerunt, omnemque ritum Chriſtianæ fidei, ſicut à ſanctiſſimo Papa inſtructi fuerant, in conſuetudinem Bulgarorum tradiderunt.*

Regiæ legationis ac poſtulationis cauſam apud Guilielmum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarium in Adriani ſecundi Pontificis vita edicunt in diſputatione cum Græcorum Patriarcharum Legatis Bulgarorum: *Nos illam patriam à Græcorum poteſtate armis evicimus, in qua non Latinos, ſed Græcos Sacerdotes reperimus.* Leonis namque Iſauri aut Conſtantini Caballini temporibus invaſerant Bulgari iſtas provincias, ſpectantes tum non ad Romanum, ſed ad Conſtantinopolitanum Patriarchatum, atque ità illic repererant Græcos Epiſcopos & Clericos, non Latinos. Neque eos expulerant, ſed variè adflictos permiſerant in regno, uti olim fecerant in Gallia Franci, in Hiſpania ac Italia Gothi, in Britannia Angli, ac etiamnùm hodie per omnem Orientem Sarsceni ac Turci. Addit in famoſo ad Bulgarorum quæſtiones Reſponſo Pontifex Nicolaus:
Cap. 106. *Poſtremò deprecamini nos ſuppliciter, ut vobis, quemadmodùm cæteris gentibus, veram & perfectam Chriſtianitatem, non habentem maculam aut rugam, largiamur, adſerentes quod in patriam veſtram multi ex diverſis locis Chriſtiani advenerint, qui, prout voluntas eorum exiſtit, multa & varia loquuntur, id eſt, Græci, Armeni, & ex cæteris locis: Quapropter juberi poſcitis, utrùm omnibus his ſecundùm varios ſenſus eorum obedire, an quid facere debeatis?* Et in alio ejuſdem Reſponſi capite.
Cap. 14. *Præterea indicatis, quod quidam Græcus mentiens fateretur ſe Presbyterum eſſe, cùm non eſſet, ac per hoc plurimos in veſtra patria baptizaſſet. Cùm ergò inſpiratione Dei cognoviſſetis, quòd non eſſet Presbyter, judicaveritis ut amitteret nares & aures, & acerrimis verberibus cæderetur, & ex veſtra patria pelleretur.* Et iterùm.
Cap. 94. *Græcos dicere perhibetis, quod in illorum patria Chriſma oriatur, & ab illis per totum mundum tribuatur, & ideò noſſe deſideratis ſi verum ſit.* Ad Neophytam Chriſti Domini gentem varii mox advenerunt & veri & falſi Apoſtoli, antiquis iſtic Græcorum Epiſcopis & Clericis permixti ſeminarunt adverſaria dogmata & ritus: confuſione iſta rudes in fide noſtra mentes inquietarunt, atque ità Michael Rex & à Ludovico Francorum in Germània Rege ſibi amico, ac præſertim ab Apoſtolica Sede, totius Chriſtianitatis capite & fonte, petiit Epiſcopos & Clericos, à quibus veram Jeſu Chriſti ſine ruga & macula legem edoceretur. Quæ omnia fieri non potuerunt uno anno. Quare vera, etiam Domino Cardinali Baronio, videtur Græcorum adſertio, Regis Baptiſmum adſcribens anno Domini octingenteſimo quadrsgeſimo quinto, atque ità per viginti annos & unum fuit hìc novellus Chriſti Domini grex inter iſtam Apoſtolorum de dogmate & ritu pugnam miſerrimè jactatus.

Aliam legationis cauſam, ſuprà audivimus ab Annalibus Francorum Fuldenſibus: *Bulgarorum Rex filium ſuum Romam direxit, & arma, quibus indutus fuerat, quando in Chriſti nomine de inimicis ſuis triumphavit.* Eamdem in Synodi noſtræ præfatione laudat Anaſtaſius Cardinalis: *Bulgarorum Rex in arcto poſitus beati Petri interventionem ſibi adeſſe apud Deum precatus eſt, ſicque de numeroſis cuneis hoſtium triumphavit.* Prælium exponit Georgius Cedrenus: *Proceres Bulgarorum & populus contra Regem inſurrexerunt, & interficere conati ſunt, quos ille parva ſuorum manu, crucis ſigno prælato, fudit, reque inopinata territos ad fidem Chriſti perduxit.* Largiùs in ſuo ad ipſorum Conſulta Reſponſo Pontifex Nicolaus: *Refertis, qualiter Divina clementia Chriſtianam Religionem perceperitis, qualiterque populum veſtrum baptizari omnem feceritis; qualiter autem illi, poſtquam baptizati fuere, inſurrexerint unanimiter cum magna ferocitate contra vos, dicentes non bonam vos eis Legem tradidiſſe, volentes etiam vos occidere, & Regem alium conſtituere. Et qualiter vos Divina potentia cooperante, adversùs eos præparati, à maximo uſque ad minimum ſuperaveritis, & manibus veſtris detentos habueritis, qualiterque omnes Primates eorum atque Majores cum omni prole ſua gladiis fuerint perempti, Mediocres verò ſeu Minores nihil mali pertulerint.* Chriſtianorum legem, tot in invicem pugnantibus ac Regnum anteà pacatum peſſimè turbantibus diverſorum Prædicatorum atque Apoſtolorum diſputationibus ac litigiis ſubjectam, Neophyti Bulgari exiſtimarunt non poſſe eſſe bonam, ideòque unà cum ejus introductore Rege funditùs eliminandam. Graſſatam in bello iſto etiam famem adfirmat Nicetas Psphlago, iſtam victoriam ac legationem Sancti Ignatii meritis adſcribens.

Erat legatio ſolenniſſima. Etenim proprium filium Rex miſit, nec non cum Proceribus Joanne & Martino cognatum ſuum Petrum, quem in pio hoc negotio fuiſſe Regi ducem & præcurſorem adfirmat Pontifex Joannes Octavus. Exul- Epiſt. 189.
tanter ipſos excepit & audivit Pontifex Nicolaus, videns Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ per Photianum ſchiſma factas ruinas impleri per hoſce Divinitùs illuſtratos Barbaros, & Illyricianæ diœceſeos jam toties fruſtrà repetitæ grandem partem jam tandem per ipſum Dominum Jeſum Chriſtum reſtitui Eccleſiæ Romanæ. Nec vana

fuit

Digitized by Google

fuit ſpes. Etenim quomodò Michael Rex capillos ſuos Sancto Petro Apoſtolo per Apoſtolicorum Legatorum manus coram cunctis Regni ſui Optimatibus obtulerit, id eſt, Regni ſui Eccleſias Conſtantionpolitano ſubtractas ſubjecerit perpetuùm Patriarchatui Romano, ſuprà nobis dixit Anaſtaſius Cardinalis. Addit Metrophanes Metropolita Smyrneoſis: *Photius, cùm intellexiſſet Legatos Pontificis Romani in Bulgariam miſſos, Confirmationem ejus reprobaſſe, omneſque Bulgariæ Principes & Subjectos Chriſmate iterùm inunxiſſe, tùm verò velut æſtro percitus Œcumenicam Synodum confinxit.* Et in litteris ad Sanctum Patriarcham Ignatium, exſtantibus poſt præſentem Synodum, Pontifex Adrianus ſecundus. *Quod ſi dicas à nobis Conſtantinopolitanæ diœceſeos Presbyteros in Bulgaria ſacrificare probibitos, haud inficias imus. Erant Photiani, illiuſque Symmiſtæ, quibus non ſolùm in Bulgarorum provincia, ſed ubique gentium Sacerdotali munere interdiximus interdicimuſque.* Regia pietate uſus Nicolaus Papa omnes Armenios & Græcos, & advenas & indigenas, Epiſcopos & Clericos, Bulgaria ejecit, ipſam replevit Latinis hominibus, atque ità à Photiana oeqoitia expurgatam reddidit Patriarchatui Romaun.

Latiùs hæc in Sancti Nicolai vita refert laudatus Anaſtaſius. *Bulgarorum Rex tanta fidei cœpit flagrare conſtantia, ut omnes à Regno ſuo pellens alienigenas, Apoſtolicorum ſolummodò Miſſorum prædicatione uſus, paſcuis vitæ æternæ, jugiter refici, nempe decreverit, unumque ex his, Formoſum vita & moribus Epiſcopum, ſibi dari Archi-Epiſcopum expetierit. Tunc item Legatos ſuos Romam direxit, inter alia beatiſſimo Papæ idem ſuggerens, ab ejus Sanctitate pro inſtructione gentis illius Presbyteros poſtulavit. Ipſe verò talibus Papa compertis valdè gaviſus eſt, & infinitas Deo laudes rependens, non pauci numeri coram ſe probavit Preſbyteros, & quos dignos reperit prædicationis gratia, in Bulgariam direxit, cum quibus Dominicum Trivenſem & Grimoaldum Polymartienſem Epiſcopos deſtinavit, ut quia ipſum Formoſum plebem dimittere ſibi creditam non oportebat Epiſcopum, ex his Presbyteris ad Archi-Epiſcopatum, qui dignus inveniretur, in nomine Domini tandem eligeretur, & Sedi Apoſtolicæ conſecrandus mitteretur.* Ejecit Rex non ſolummodò hæreticos aut Photianns, ſed penitùs omnes, etiam à Sancto Methodio aut Ignatio Patriarchis, ſeu alio quovis orthndoxo Epiſcopo ordinatos, Epiſcopos & Clericos Græcos, oolens remanere vel unum, qui reclamare poſſet ad Græcos ritus aot Conſtantinopolitaoum Patriarchatum, atque ità reſuſcitatis quæſtionibus Neophytum populum inqoietare. Expulſorum uous fuit etiam famoſus ille pictor & monachus Sanctus Methodius, qui cum collega Sancto Cyrillo monacho, oon Conſtantinopolim ad Photium rediit, ſed abiit Moravis & Bohemis adhuc gentilibus prædicaturus, eſtque poſtmodùm Romæ ab Adriano ſecundo Pontifice eorum Apoſtolus & primus Archi-Epiſcopus conſecratus.

Joann. 8. Epiſt. 194.

Porrò Formoſum Portuenſem Epiſcopum noluit Nicolaus Pontifex vel ad Regias preces incardinare in Bulgariæ Metropolim, quod Epiſcoporum translationes huc uſque Romana Eccleſia ignoraret. Hinc illum extraxit Bulgaria, & cum Dominico Trivenſi Epiſcopo ad Photianum ſchiſma denuò tentandum Conſtaotinopolim ablegavit. Nempè ex tunc olebat Formoſus ſuſpicionem iſtius criminis, io quod poſtmodùm hanc ſententiam tulit Pontifex Joannes octavus. *Formoſum Portuenſem Epiſcopum, qui à beatæ memoriæ Domno Prædeceſſore noſtro Papa Nicolao in Bulgarorum patriam deſtinatus, noviter in Chriſto regenerati Regis animos adeò calliditatibus ſuis vitiavit, ut terribilibus Sacramentis eum ſibi obſtrinxiſſe teſtatus ſit, ne ſe vivo quemlibet Epiſcopum à Sede Apoſtolica ſuſcepiſſet, ſeque eidem terribilibus nihilominùs Sacramentis, ut ad eum quantocyùs reverti debuiſſet, obſtrictum fuiſſe profeſſus ſit, quique à nobis proficiſcendi illuc licentiam, litteras, & neceſſaria adjutoria impetravit, omni Eccleſiaſtica communione privatum eſſe decernimus.* Hæ clandeſtinæ Formoſi cum Rege conjuratinnes impedivere optimum Pontificem Nicolaum, quo minùs potuerit Bulgaris creare Latinos Epiſcopos, atque ità Regnum Romano Patriarchatui firmiter readunare.

Apud Sirmond. Epiſt. 7.

CAPUT IV.

Exponitur Photii rabies in Sanctum Pontificem Nicolaum, omnemque Latinam Eccleſiam, præſertim Romanam.

Bulgarica hæc mutatio peſſimè habuit & Photium & Michaelem Auguſtum, de quibus in Synodi præſentis præfatione Anaſtaſius Cardinalis: *Quæ Græci de die in diem audientes invident, & tantæ gloriæ avidi, ut Bulgarorum Regem poſſint à Romana ſede avertere, diverſa requirunt ingenia, munera poſt munera pretioſa mittentes, & ſophiſtica et argumenta creberrimè proponentes. At ille ut columna manſit immobilis.* Vidit inſuper Photius ſe cum Gregorio Syracuſano & reliquis ſuis aſſeclis damnatum à Nicolao Pontifice & omni Latina Chriſtanitate, clauſam ac interdictam Sanctæ Sophiæ Eccleſiam, dignitati & honori reſtitutum Sanctum Ignatium, Conſtantinopolitaoum populum & omnes Orientis Patriarchales ſedes adhærere Romanis, ſe paſſim proclamari Anti-Chriſti præcurſorem ac ipſum Anti-Chriſtum: Hinc in furorem actus finxit imaginariam Synodum, in Sanctum Nicolaum Pontificem latravit depoſitinnis ac excommunicatioois convitium, & illam ſub ſole huc uſque non auditam excogitavit iniquitatem, de qua Epiſcoporum ab ejus maledicta parte ad matrem Eccleſiam cum pœnitentia redeuntium libellus, lectus in ſecunda præſentis Synodi Actione: *Omnibus conſentaneis ſuis vel qui ſub ipſo eramus ſuaſit, ut chyrographis terribilibus profiterentur eum ſe habituros Patriarcham Patriarcharum & ſummum Sacer-*

do-

d..tem ſummorum Sacerdotum, id eſt, omnium ſub cœlo Epiſcoporum Epiſcopum & totius Eccleſiæ Papam. Euſebiana factio blateravit tres Patriarchales ſedes eſſe jure Divino pares, ſedem Conſtantinopolitanam, Heracleeſis Metropoleos ſuffraganeam dumtaxàt Parochiam, eſſe totius mundi Metropolim ac omnium Chriſtianorum magiſtram & caput primus Photius ſomniavit. Ejus ſundamentum adducit in litteris ad Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopos Pontifex Nicolaus: *Gloriantur atque perhibent* rebelles Schiſmatici, *quando de Romana urbe Imperatores Conſtantinopolim ſunt translati, tunc & Primatum Romanæ ſedis ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus Regiis etiam Eccleſiæ Romanæ privilegia translata ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam fuiſſe, ità ut ejuſdem Eccleſiæ invaſor Photius etiam ipſe ſe in ſcriptis ſuis Archi-Epiſcopum*, ſeu Epiſcopum omnium Epiſcoporum, *atque univerſalem Patriarcham appellet*.

Epiſt. 70.

Eſt antiquum Græculorum fundamentum, ex quo etiam Anthymus Thyanenſis in Cappadocia per Valentem Auguſtum nuper in duas diviſa Epiſcopus *novam ſuam Metropolim dixit eſſe majorem* Cæſarea, ideòque ſeſe in omni Pontica regione *ſolum* ut Primatem deinceps *ſuſcipiendum*. Ex Provinciæ civili diviſione non ſolummodò alterius partis Metropolita, ſed inſuper ex majori ſua civitate Primas eſſe voluit totius diœceſeos, Archi-Epiſcopumque Cæſareenſem redactum in communem ordinem Metropolitarum. Eadem via Conſtantinopolitanus Epiſcopatus in Metropolim, nec non in trium Primatialium diœceſeon prædatorem Patriarchatum crevit, ac jam per Photii furores creſcere conatus eſt in ſupremum ac univerſalem Papatum. Verùm Anthymo rectè repoſuit Sanctus Gregorius Nazianzenus tunc Epiſcopus Sazymorum: *Quid urbem noſtram*, Metropolim Cæſaream, *conſcribendo coarctas, cùm nos illam & Eccleſiam, ut reverà eſt, Eccleſiarum ab initio quoque matrem faciamus?* Et ejus pater Gregorius Nazianzenus Epiſcopus in litteris ad Eccleſiam Cæſareenſem de Sancto Baſilio tunc Presbytero in Archi-Epiſcopum eligendo: *Noſtra* Cæſareenſis *Eccleſia propè mater omnium* per Ponticam diœceſim *Eccleſiarum & fuit ab initio, & nunc quoque eſt, & nominatur*, Anthymi nugis apud neminem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ peritum proficientibus. Addit voculam, *Propè*: Quod ſola ſecunda Cappadocia, Anthymo novo ſuo Metropolitæ adhærens, ſedi Cæſareenſi recalcitraret. Et hinc liquere videtur, quod ante Sancti Baſilii Epiſcopalem promotionem ſub Euſebii Epiſcopatu Cappadociam ſecuerit Auguſtus Valens. Eodem modo Acacianæ factioni & vigeſimo octavo Canoni Chalcedonenſi, Epiſcopatum Conſtantinopolitanum ob Regiæ civitatis privilegium in Patriarchatum elevare tentantibus, reſpondit in litteris ad Dardaniæ Epiſcopos Sanctus Pontifex Gelaſius: *Alia poteſtas eſt Regni ſæcularis, alia Eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præſentis Regni non minuit, ſic imperialis præſentia menſuram diſpenſationis religioſæ non mutat*. Primatialem totius Eccleſiæ ſedem, quam ex ipſius Domini mandato Romæ fixit Sanctus Petrus, nullus Imperator aut Photius potuit aliò transferre.

S. Baſil. Epiſt. 31.
Apud Baſil. Ep. 31.
Epiſt. 24.
Epiſt. 13.

Photii nugas adauxit Chriſtophorus Patricius, Nicephori Phocæ Auguſti interpres, in colloquio cum Luitprando Cremonenſi Epiſcopo, Joannis decimi tertii Pontificis ad dictum Principem Legato: *Papa fatuus, inſulſus, ignorat Conſtantinum ſanctum Imperialia ſceptra huc tranſvexiſſe, Senatum omnem, cunctamque Romanam militiam; Romæ verò vilia mancipia, piſcatores ſcilicet, cupedarios, aucupes, nothos, plebejos, ſervos tantummodò dimiſiſſe*. Hinc intulit: *Papam veſtrum Imperiales recipere litteras indignum judicamus*. Verùm nugamenta ſunt hæc, Græca ſomnia, mendacia nimis aperta. Quis neſciat Romam veterem ſemper manſiſſe primam & mundi caput, novam autem fuiſſe dumtaxàt ſecundam? Retinuit ſemper illa Conſulem, Senatum, militiam, inſignia cuncta ſupremæ majeſtatis. Et demus illi ſola mancipia manſiſſe. Verè nihilominùs de ipſa dicam, quod adversùs Gummitani in Byzacena Provincia Epiſcopi ambitum ſcripſit de deſtructa Carthagine Sanctus Pontifex Leo nonus: *Sine dubio poſt Romanum Pontificem primus Archi-Epiſcopus & totius Africæ maximus Metropolitanus eſt Carthaginenſis Epiſcopus, nec pro aliquo in tota Africa Epiſcopo poteſt perdere privilegium ſemel ſuſceptum à ſancta Romana & Apoſtolica Sede; ſed obtinebit illud uſque in finem ſæculi, & donec in eo invocabitur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſive deſerta jaceat Carthago, ſive reſurgat glorioſa aliquando*. Longè minùs poteſt conceſſum ſibi ab ipſo Domino Jeſu Chriſto ſupremi Primatus privilegium perdere Eccleſia Romana. Speramus ipſam, quod de Conſtantinopolitana dolemus, etiam ſua temporali gloria uſque ad finem ſæculi non deſtituendam.

Epiſt. 4.

Aliud Photii fundamentum edicit in litteris ad Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopos idem Pontifex Nicolaus. *Venerabilis induſtria veſtra talem ſe de cætero exhibeat neceſſe eſt, ut ſole clariùs hanc à Sede Petri in nullo diſſidere, quin potiùs cum illa in cunctis ſentire*, hoſtes Photiani *cognoſcant; ità ut Præſulatui noſtro ſcripta Divinitùs inſpirata Sapientia veſtra reprehendendo, & forti prorsùs invectione feriendo tantam* Græcorum *Imperatorum veſaniam mittat, quæ nos ſuſcipientes rursùs ea cum aliis aſſertionibus noſtris ad ipſorum quoque dementiam confutandam mittere valeamus: Ità ut cùm unum pariter idemque nos hoſtes ſentire cognoverint, nec injurias à ſe nobis illatas ulciſci ſolummodò nos affectare mendaciter adſtruant, nimirùm cùm adversùs ſe monomachiam nos adgredi quodammodò intuentur, & per hoc quod ſint & alii Chriſti dilectores, & eorum perverſitates odientes, liquidò comprehendant, & ora loquentium iniqua penitùs obſtruantur*. Per ea tempora cum Hincmaro Remenſium Metropolita, ac illi adhærentibus aliis Francorum Epiſcopis, de Rothaldi Sueſſionenſis Epiſcopi, ac Remenſium Clericorum ab Ebbone nuper Archi-Epiſcopo ordinatorum Romana appellatione, quin & de toto Romanæ appellationis ac evocationis jure, & Canonum Sardicenſium intellectu, nec non de laicorum è Palatinis offi-

Epiſt. 70.

ciis

eiis ad Epiſcopatum promotione contendebat Nicolaus Pontifex, & de Gunthario Colonienſi ac Theutgaudo Trevirenſi Archi-Epiſcopis ab
A. 865. ipſo canonicè dejectis ſcribit Abbas Regino: *Ludovicum* ſecundum *Imperatorem adeunt, ſcriptis ac dictis vociferantes ſe injuſtè eſſe depoſitos, ipſi Imperatori & omni ſanctæ Eccleſiæ injuriam eſſe factam, cùm nunquam auditum ſit vel uſpiam lectum, quod ullus Metropolitanus ſine conſcientia Principis vel præſentia aliorum Metropolitanorum fuerit degradatus.* Hinc igitur per omnem orbem buccinabat Photius ſibi cum ſolo Romano Epiſcopo eſſe lites, non cum omni Latina Chriſtianitate, cujus melior pars, Gallicana Eccleſia, ſentiret ſecum de promovendis laicis, de degradandis Metropolitis ac præſertim Patriarchis, de appellandi ac evocandi jure, nec non omni Romano Primatu. Quo fuco ſeduxit multos: Præſertim ubi Ludovicus Auguſtus, in Orientalis Imperii ſpem ab ipſo circumſcriptus, Nicolaum Pontificem ab imaginaria Schiſmaticorum Synodo damnatum promiſerat ſede ac Italia exturbare. Quapropter inteſtina bella ac domeſticas quæſtiones ad tempus dormire in Gallia, & omnes ejus Epiſcopos ac Synodos adversùm communes totius latinitatis, immò Chriſtianitatis hoſtes ſecum congredi Pontifex voluit ac juſſit. Singulariter addidit ad inteſtini belli ducem Hincmarum: *Tua verò, frater Hincmare, Charitas cùm Epiſtolam legerit, mox ut etiam ad alios Archi-Epiſcopos, qui in Regno glorioſi filii noſtri Caroli* Calvi *Regis conſiſtunt, deferatur, ſummoperè agere ſtudeat, & ut de his ſinguli in ſuis diœceſibus, unà cum Suffraganeis ſuis, convenienter tractare, & nobis quæ repererint ſuggerere curent, eos incitare non negligat.* Rei ſucceſſum edicit in Remenſis
L.3.c.17. Eccleſiæ Hiſtoria Flodoardus: *Quam Epiſtolam Hincmarus ſuſcipiens, in Corbonaco Palatio conſiſtenti Regi Carolo cum pluribus Epiſcopis relegit, & per alios Archi-Epiſcopos, ſicut mandato acceperat, dirigere ſtuduit.* Facta hæc ſunt anno Domini octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Nicolai Pontificis ultimo & decimo, Baſilii Cæſaris primo. Hinc enim Gallicarum Synodorum reſponſoriæ, per Sanctum Artardum Nanneteuſem Epiſcopum miſſæ, litteræ laudatum Pontificem repererunt mortuum, ac ordinatum Succeſſorem Adrianum ſecundum. Hinc item idem Nicolaus ſibi lites haſce moveri queſtus eſt à Michaele & Baſilio Imperatoribus: Quod nempe Cæſar Baſilius Auguſti Michaelis prava veſtigia ſequi cogeretur.

Tertium Photianæ iniquitatis fundamentum adducit in eiſdem ad Gallicanos Epiſcopos litteris idem Pontifex Nicolaus: *Græci odio & invidia contra nos inflammati nobis quaſi crimina hæreſeos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii promotionem damnavimus, Ignatii dejectionem nullo ſuſcipientes adſenſu. Invidia verò, quia Regem Bulgarorum Michaelem nomine, cum gente ſua, fide Chriſti ſuſcepta, à Sede Beati Petri inſtitutores & doctrinam expetiviſſe audiverunt. Volentes quippè nimiùmque anhelantes eoſdem Bulgaros à Beati Petri ſubjectione ſubducere, ſuoque imperio ſub prætextu Chriſtianæ Religionis callidè ſubjugare, talia de ſancta Romana Eccleſia, non habente maculam aut rugam aut aliquid hujuſmodi, prædicant, quatenùs illi, utpotè adhuc in fide rudes, hæc audientes nos quaſi nonios & diverſarum hæreſeon ſqualoribus reſperſos vitent, declinent, atque penitùs deſerant.* Dixit Photius in errores varios lapſam Romanam Eccleſiam, à Chriſto Domino apoſtataſſe, ideòque Primatum ejus migraſſe ad ſecundam Eccleſiæ ſedem, quæ juxtà Conſtantinopolitanos & Chalcedonenſes Canones eſt Eccleſia Conſtantinopolitana. Hæreſeon Romanarum ſeu calumniarum indiculum miſit ad Bulgariæ Regem, hic ad Pontificem Nicolaum.

CAPUT V.

Enumerantur ac refutantur Photii in Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam calumniæ.

CALUMNIA PRIMA.

Quod jejunemus in Sabbathis.

ANtiqua hæc inter Latinam & Græcam Eccleſiam quæſtio abundè ſuperiùs ad quinquageſimum quintum Trullanum Canonem eſt elucidata. Oſtendit unam Jeſu Chriſti Eccleſiam, varios in variis gentibus habentem ſacros ritus ac mores, eſſe Reginam varietatibus circumamictam, ideòque Sabbathi jejunium non eſſe competentem cauſam, ex qua ſchiſmaticum Altaris & Chriſtianitatis diſſidium ſeminetur. Verùm nos eſſe Apoſtolicorum Canonum damnatos prævaricatores, ac ità legitimam ſuam ſeparationem imperito populo perſuadere omni via conatus eſt Photius, ideòque nugas à miſerabili Trullana Synodo inchoatas adversùm nos complevit.

CALUMNIA II.

Quod Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere ſentiamus.

ANtiquum Neſtorii Hæreſiarchæ, ac Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi, nuper à Joanne Monacho Hieroſolymitano reſuſcitatum, atque à ſeptima Synodo damnatum errorem reſumpſit Photius, de quo ad amicos ſuos in Græcia conſtitutos ſcripſit Eccleſiarum pacem deſiderans
Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis. *Spiritum San-* Epiſt. 1.
ctum ex Patre Filioque tanquam ex uno principio procedere videtur Eccleſia Romana tenere ante inchoatum ſchiſma pluſquam quingentis annis. Beati

enim

enim illi viri, Divinus Auguſtinus, Ambroſius Mediolanenſis, & Hieronymus, qui claruerunt circa tempora Theodoſii Magni, ex quo præterierunt uſque nunc plures quàm octingenti anni, quos Latinorum Eccleſia Doctores & regulas, & pietatis duces habuit. Hi Divinam aperientes Scripturam, multis locis ſuorum operum manifeſtè notant, quod Spiritus Sanctus ex Patre Filioque, tanquam uno principio, procedat. At verò Romanus Pontifex Beatus Gregorius, qui dicitur fuiſſe ſub Juſtiniano, ante ſchiſma pluribus quàm trecentis annis, ſuperiores ſuos & ipſe ſequens eandem de Spiritu Sancto tradit ſententiam. Quare ſi rationabile eſſet propter has cauſas à Latinis dividi, oporteret utique ab initio hoc facere, & neque hæc ſapientes putare Sanctos, neque communia cum illis Concilia patefacere. Nunc autem poſt unà cum eis ſeptem celebrata Concilia generalia, & multos prædictam de Spiritu Sancto ſententiam in ſuis ſcriptis manifeſtè prædicantes, Sanctos & ipſis Græcis reputatos, propter eadem ipſa poſt multos annos velle ab eis dividi, quomodò non caret omni ratione? Quamquam de Spiritu Sancto, ſi ſoli illius linguæ Patres hoc traderent, nolle credere nondum tantum eſſet malum. Nunc autem & Græcæ linguæ Patribus id ipſum prædicantibus, ſcilicet Magno Baſilio, Sancto Athanaſio, Sancto Cyrillo, Sancto Gregorio Nyſſeno, quomodò non abſurdum eſt eos, qui eadem cum illis ſapiunt, hæreticos reputare? In alia
Epiſt. 2. Epiſtola odfirmat ità ſenſiſſe Græcos Patres omnes *præter unum Joannem Damaſcenum, qui videtur contrarium dicere. Quamquam non dicit ipſe, quod Spiritus Sanctus non eſt ex filio, ſed quia non dicitur ex filio. Ac ſi diceret, quod in Divina Scriptura non invenitur verbo dictum*, QUIA EX FILIO.

Sancti Joannis Damaſceni hæc ſunt verba: *Non à Filio, ſed per Filium Spiritus Sanctus procedit, nam cauſa omnium Pater perhibetur.* Ad quæ per Marcum Epheſiorum Primatem adducta verba repoſuit apud Sylveſtrum Sguropulum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Crucigerum Beſſarion
L. 8. c. 15. Metropolita Nicænus *Damaſcenum ut unum è multis haberi, nec tanti momenti nomen, ut propter illud in Eccleſia debeat quid innovari; promat alium, ſi poſſit, Epheſius ex cenſu antiquorum.* In Sanctum iſtum Joannem iniquior aut durior non nihil fuit venerabilis Beſſarion: Etiam in opere de conſecrationis Euchariſticæ verbis utitur eadem in ipſum acrimonia, ſuſpectumque habet, quaſi qui circa verba iſta cum hodiernis Schiſmaticis deviaſſet. At immerito. Abſit, ut tantus Eccleſiæ orthodoxæ pugil aut hoc aut iſtud Chriſtianum dogma læſiſſet. Aliud non voluit, quam has, *A Filio procedit*, aut alias iſtam proceſſionem palàm importantes voces nuſquam in Evangelio reperiri. Et hoc eſt omninò verum. Rationem dat in libris contra Neſtorium Sanctus
L. 4. c. 3. Cyrillus Alexandrinus: Quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad Judæos, ipſum uſurpatæ Divinitatis aſſiduè calumniantes, ſit locutus diſpenſatoriè, ideòque illorum cæcum furorem commiſeratus ſemper dixerit Spiritum Sanctum à Patre procedere, numquam diſertè etiam à ſeſe. Quod illum à Patre & Filio, aut certè à Patre per Filium procedere profeſſus omninò fuerit etiam Sanctus Joannes Damaſcenus, Barlaamus in eadem Epiſtola oſtendit. Et verba illius ſunt lucida in libris de fide: *Spiritum nobis per Filium &* L. 1. c. 12.
patefactum eſſe & impartiri confitemur.

Eodem modo locutus eſt in libro ad Reginas Sanctus Cyrillus Alexandrinus: *Spiritus Sanctus* Cap. 3.
naturaliter à Patre eſt, & per Filium in creaturam L. 4. c. 3.
dimanat. Et in libris adversùs Neſtorium: *Filii procul dubio Spiritus eſt, ut qui per ineffabilem ipſius naturam procedat, & ipſi ſit conſubſtantialis.* Et infrà: *Ut procedit ex Patre Spiritus Sanctus, eodem modo quoque per Filium. Omnia enim, quæ habet Pater, habet & Filius, præterquam eſſe Patrem, juxta Filii ad Patrem Verbum*, OMNIA MEA TUA SUNT. Et in Symboli expoſitivis ad Monachos litteris, extantibus in tertia parte Synodi Epheſinæ: *Spiritus Sanctus profunditur, ſicut à fonte, à Deo Patre, tribuitur autem creaturæ per Filium.* Eamdem in formam plures Græcorum ſancti Patres ſunt locuti. Etiam in libro adversùs Praxeam Latinus Tertullianus: *Spiritum* Cap. 4.
non abundè puto, quam ex Patre per Filium. Et in libris de Divinâ Trinitate Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis: *Spiritum Sanctum tuum, qui* L. 12.
ex te per Unigenitum tuum eſt, promerear. Et hinc Sanctum Tharaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, cujus per ſeptimam Synodum probatæ litteræ ajunt Spiritum Sanctum ex Patre per Seſſ. 3.
Filium procedere, laudavit in Florentino Concilio Andreas Latinus Archi-Epiſcopus Rhodiorum.

Vice verſa Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere non ſoli olim Latini, ſed & Græci Patres frequenter dixerunt. Etenim in libro de fide ad Theodoſium Auguſtum ſcribit Sanctus Cyrillus Alexandrinus: *Filius immittit Spiritum* Cap. 36.
baptizatis, non alienum, ſed eum, qui ex illo eſt, & ipſius eſt proprius. Et in litteris ad Neſtorium, in prima Epheſini Concilii parte exſtantibus: *Spiritus Sanctus perindè à Filio, atque à Deo Patre procedit.* Et in librorum adversùs Neſtorium, uti Spiritum à Patre per Filium procedere dixerat, en ipſo capite: *Spiritus eſt ab ipſo, & in ipſa* Epiſt. 26.
ſecundùm naturam. Et in decima Catecheſi Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus ait Spiritum Sanc- c. 10.
ctum à Patre & Filio procedere intelligibiliter, non corporeo modo ex eorum ore aut labiis effundi. Et in ſua liturgia Sanctus Baſilius: *Verbum vivens, à quo Spiritus Sanctus proceſſit.* Et in ſuo Symbolo tam antiqua Æthiopum Miſſa, quam Severus Patriarcha Alexandrinus: *Credo in Spiritum Sanctum, qui ex Patre & Filio procedit.* Qualia teſtimonia etiam ex Sancto Athanaſio ac aliis Græcorum Patribus poſſunt adduci. Et quidem de Sancto Baſilio in adclamatorio ad Martianum Auguſtum ſermone dixit plena Synodus Chalcedonenſis: *Sancti Spiritus doctrinam diligentius tradidit.* Quocircà uterque loquendi modus apud utramque Eccleſiam primis ſæculis fuit & uſitatus & probatus: Apud Græcos primus ferè legitur Sanctus Joannes Damaſcenus dixiſſe, *Spiritus Sanctus procedit, non à Filio, ſed per Filium*, ac apud Latinos primi Franci adversùs Sanctum Tharaſium ac ſeptimam Synodum ſcripſiſſe ad Adrianum primum Pontificem: *Quod Tharaſius*

non

non rectè ſentiat, qui Spiritum Sanctum non ex Patre & Filio ſecundùm Nicæni Symboli fidem, ſed ex Patre per Filium procedere in ſuæ credulitatis lectione fateatur. Nempe tunc Latini & Græci, licèt non quoad ſenſum, tamen quod voces cœperant diſſonare.

Seſſ. 7. Pergit in Florentina Synodo ad Græcos laudatus Andreas Archi-Eiſcopus Rhodiorum. *Hormiſda fuit ante quintam Synodum Papa, Juſtino Imperatore: Is ſcripſit Epiſtolam, quam ſuſcepit Joannes* ſecundus *Conſtantinopolitanus* Epiſcopus, *& omnes illius temporis Patres Orientales. Eſt autem in illa Epiſtola perſpicuè poſitum Spiritum Sanctum à filio procedere. Cur ergò vos dicitis hoc fuiſſe cauſam diſſidii, nolleque ſtante illo, quod vocatis additamentum, nobiſcum conjungi?* Et rursùm in eadem Seſſione ſeptima: *Sanctus Maximus* Abbas & Martyr, *qui ad ſextam floruit Synodum, Romanam excuſat Eccleſiam, ut injuria ab Orientalibus accuſatam*, utique de hiſce vocibus, *Ex Patre Filioque procedit*. Quocircà iſtud loquendi diſcrimen videtur medio inter qnintam ac ſextam Synodum tempore fuiſſe in Eccleſias inductum. Nam & Sanctus Joannes Damaſcenus, qui Larinam videtur notare Eccleſiam, inter ſextam & ſeptimam Synodnm floruit: Eiſdemque diebus fuit ille inſolens ejuſdem noſtræ Latinæ Eccleſiæ accuſator Joannes monachus Hieroſolymitanus. Præciſum inductionis tempus, auctorem, occaſionem ignoro.

Ejus tamen rationem expoſuit in Florentino Concilio Latina Eccleſia in quodam Græcis Epiſcopis tradito & per Sylveſtrum Sguropulum re-
L. 10. c. 14. lato fidei Decreto: *Nos Græci declaramus illud, quod nos aſſerimus Spiritum Sanctum à Patre procedere, non ea mente à nobis proferri, ut Filius excluderetur, à quo non negamus Spiritum Sanctum æternùm proceſſiſſe, ſuamque eſſentiam derivaſſe æquè ac à Patre; ſed quia ſuſpicabamur Latinos adfirmaſſe à Patre & Filio Spiritum Sanctum promanaſſe tanquam à duobus fontibus, & duabus ſacroſanctæ Trinitatis ſpirationibus: Ideò ab hoc loquendi modo, & in eo ſenſu Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedentem dicere cavimus.* Ejuſdem ſuſpicionis excludendæ cauſa dixit in fidei ſuæ Decreto Gregogorii decimi Pontificis Synodus Lugdunenſis: *Damnamus & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere, ſive etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio, tamquam ex duobus principiis, & non tamquam ex uno procedat.*

Erat ſuſpicio penitùs erronea. Hinc enim pergit laudatum Latinæ apud Florentiam fidei Decretum. *Conſimili ratione & nos Latini declaramus illud, quod nos intendimus Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, non eo mentis ſenſu à nobis uſſeri, quaſi Patrem excludere niteremur, quò minùs fons eſſet ac principium totius Deitatis tam Filii quàm Spiritus Sancti, aut quaſi illud, quod dicimus Spiritum Sanctum à Filio procedere, crederemus Filium à Patre non derivaſſe, aut quaſi duo principia aut duas productiones Spiritus Sancti introduceremus, & non unicum tantùm principium, unicum productionem.* Patrem itàque & Filium duo principia dicere eſt Patrem totius Deitatis primum auctorem, ac Filii ſub ipſo in principii ratione ſubauctorationem negare; eſt Patrem & Filium non ſolummodò qnoad perſonam, ſed etiam qunad eſſentiam diſtinguere; eſt Spiritui Sancto adſignare duos auctores ac fontes non ſubauctoratos. Et in hoc puncto Latini & Græci ſemper convenimus. Ambo item ſemper ſtuduimus iſtius erroris ſuſpicionem declinare. Hìnc enim adversùs Maximinum Arianorum Epiſcopum ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Cùm de Spiritu Sancto Filius loqueretur, ait,* DE PATRE PROCEDIT, *quoniam Pater proceſſionis ejus eſt auctor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipſo procederet Spiritus Sanctus.* L. 3. c. 14. Dicit ſolum Patrem eſſe Spititus Sancti auctorem, qui tamen ejuſdem proceſſionis virtutem Filio dederit, atque ità Filium ſibi conjunxerit in principium, non diverſum, ſed idem & nnum, at ſubauctoratum. Eadem de cauſa in libris de Sanctiſſima Trinitate dicit Spiritum Sanctum *à Patre procedere principaliter*. Hìnc item in Symboli ad mona- L. 15. c. 17.
chos expoſitione Sanctus Cyrillus Alexandrinus 16.
ipſum dicit à Patre tamquam à fonte per Filium profundi. Et hunc, ut ab omni calumnia liberiorem, loquendi modum omnes tandem Græci fuere complexi. Noſter, quod Patri & Filio eamdem voculam *Ex* communiter præfigeret, illis viſus eſt memorati erroris ſnſpicioni ſubjacere. At utramque penitùs coincidere multis poſtmodùm oſtenderunt Beſſarion Metropolita Nicænus, ac Becus & Gennadius ſecundus, Eccleſiaſticæ inter utramque gentem pacis amantes Patriarchæ Conſtantinopolitani. Proindè iſtum duorum principiorum ſeu diviſæ Trinitatis errorem primus nobis impoſuit aut Jnannes monachus Hieroſolymitanus, aut Photius, ità conatus ſchiſma ſuum ſtabilire. Et hinc quidam Doctores Scholaſtici, docentes Patrem & Filium eſſe duos conſubſtantialis ſui Doni Spiratores, ſcandaloſè locuti ſunt, & Photianæ de nobis ſuſpicioni peſſima ſomenta præbuerunt. Nam & Plaronicos, Patrem & Filium, licèt recto ſenſu, dicentes eſſe dno principia, indiſciplinatæ ac piarum aurium offenſivæ locutionis, dudùm ante criminatrices Photii lites, arguit in litteris de civitate Dei Sanctus Auguſtinus, & adjungit: L. 10. c. 23.
Nobis ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem. Nos itàque non dicimus duo aut tria principia, cùm de Deo loquimur, ſicut nec duos Deos vel tres nobis licitum eſt dicere, quamvis de unoquoque loquentes, vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu Sancto, etiam ſingulum quemque Deum eſſe fateamur.

Addit de Photio Andreas Rhodiorum Archi- Seſſ. 7.
Epiſcopus. *Dicimus Photium, qui fuit hoſtis Romanæ Eccleſiæ, multaque ſcripſit & acriter invectus eſt adversùs Nicolaum* primum *& Adrianum* ſecundum Pontifices, *numquam illos accuſaſſe ob additamentum in Symbolo*. Eo namque tempore Symboli additamentum aut cantum necdùm receperat Romana Eccleſia, ideòque non de Epheſini Canonis prævaricatione, ſed de ſolo Proceſſionis dogmate potuit illam Photius calumniari. Quo-

circà nugatur ac imponit in libro de generalibus Synodis Nilus Rhodiorum Metropolita Græcus, ajens in octava Synodo Occidentales Epiſcopos fuiſſe profeſſos in hæc verba: *Nos ità legimus ac credimus, ut & vos, abſque ulla additione Symbolum ſanctum, ut ità ſe habens ſit verè Symbolum veræ fidei, ſed & eos, qui addunt aut detrahunt aliquid, anathematizamus.* Mendaces fabulas produnt verba ſequentia: *Aderant illic Joannes Papa Romæ, Photius Conſtantinopolis, & Legati Romanorum.* Etenim octava Synodus non ſub Joanne octavo, ſed ſub Adriano ſecundo celebrata fuit, & certum eſt Joannem octavum nunquam Conſtantinopoli fuiſſe. Homo igitur Græcus ſchiſmaticam Photii Synodum, Joannis octavi tempore factam adversùs Romanam Eccleſiam, nequiter ex Photiano ſpiritu vocat octavam, & cum noſtra peſſimè confundit.

Ficta item eſt hæc per eumdem Nilum adducta Joannis octavi ad Photium Epiſtola. *Tua Fraternitas novit, quod cùm ad nos venit, qui nuper ab ea miſſus eſt, ut probaret nos ſuper ſancto Symbolo, invenit nos illud conſervantes intemeratum, prout antiquitùs nobis traditum fuerat, neque quidquam adjicientes detrahentesve, cùm probè noverimus iis, qui talia audent, gravem imminere condemnationem. Rursùs igitur ſignificamus Reverentiæ veſtræ, ut de hoc articulo, ob quem inter Eccleſias Dei ſcandalum exortum eſt, ità de nobis perſuaſum habeas, quod non modò dicimus hoc, ſed & eos, qui primùm auſi ſunt ſua temeritate hoc facere, eos tranſgreſſores Divinorum ſermonum cenſemus, & interverſores Theologiæ Domini noſtri, ſanctorumque Patrum, qui ſynodicè Symbolum hoc ſanctum acceperunt, eoſque cum Juda collocamus, quod idem ac ille ſint auſi, non Dominicum quidem corpus morti tradentes, ſed fideles, qui ſunt corporis ejus membra, laterantes, & alios ab aliis diſcerpentes.* Eo tempore Romana Eccleſia, nuperum Leonis tertii Pontificis Decretum ſervans, ſine additamento adhuc omninò recitabat Symbolum, ideòque inter ipſam & Photium eſſe de hac re non potuit ſcandalum aut contentio; eſſe potuerit cum ſola, quæ cum additamento tunc pridem recitabat, Francorum Eccleſia: Verùm abſit, ut eam Joannes octavus aut quis alius Romanus Pontifex iſta de cauſa anathematizarit, aut eum Juda collocarit. Recentius eſt iſtud de Symboli additamento litigium, proindèque & iſta Epiſtola eſt neſcio cujus poſterioris Græculi figmentum.

CALUMNIA III.

Quod damnemus nuptias, quia Presbyteris conjugia prohibemus.

CAlumniæ anſam deſumpſit Photius ex quarto Canone Gangrenſi: *Quicumque diſcernit à Presbytero conjugato, quod non oporteat eo miniſtrante de oblatione percipere, anathema ſit.* Verùm Euſtatius Sebaſtenſium in minori Armenia Epiſcopus Metropolitanus, à Canone imperitus, nuptias ut Evangelio adverſas interdixit omni Chriſtiano, nos ſanctas & immaculatas profitemur, & ſolis majoribus Clericis interdicimus ob cauſas, quomodò olim interdixerunt plures etiam Orientales Eccleſiæ, ac Epiſcopis ipſe Photius ex duodecimo & quadrageſimo octavo Canonibus Trullanis. Et quidem cunctis per Orientem Epiſcopis, non minùs quàm Clericis, ante Canones iſtos licuiſſe nuptias & ipſarum uſum affirmant, ideòque eoſdem Canones tamquam grandis ſanctimoniæ in Græcam Eccleſiam introductores laudant mirificè Theodorus Balſamon ac Joannes Zonaras. Cur igitur nos Latini, qui etiam Clericos eidem ſanctimoniæ adſtringimus, accuſamur ut hæretici nuptiarum damnatores?

Sed & falſa eſt laus iſta Trullanorum Canonum. Etenim ad Ptolomaidis in Lybia Pentapolitana Epiſcopatum Metropolitanum electus Sanctus Syneſius Cyrenenſis ſcripſit fratri ac ſuo poſtmodùm ſucceſſori Evoptio. *Mihi & Deus* Epiſt. 105.
ipſe, & ſacra Theophili Patriarchæ Alexandrini *manus uxorem dedit. Quare hoc omnibus prædico, teſtorque neque me ab ea prorsùs velle ſeparari, neque adulteri more cum ea clanculum conſueſcere. Alterum enim nequaquam pium eſt, alterum illicitum. Sed hoc utique cupiam & precabor plurimos mihi & quam optimos liberos.* Dixit ſe nolle ab uxoris, qui Epiſcopis non licebat, uſu recedere, atque ità conatus eſt excutere Epiſcopatum. Eamdem etiam Clericorum ſanctimoniam viguiſſe olim in pluribus per Orientem Eccleſiis eſt ſuprà abundè oſtenſum. Abſit tamen, ut illæ nuptias damnaſſent. Et hinc liquet eos, qui à Gregorio ſeptimo Pontifice, graſſantia ſuo tempore majorum Clericorum matrimonia eliminante, & Presbyteri conjugati Miſſam ac alia Divina miniſteria audiri & accipi vetante, clamarunt damnari nuptias, fuiſſe Photianos blaterones. Notanda ſunt hæc Sancti Syneſii verba, *Mihi ſacra Theophili manus uxorem dedit:* Oſtendunt fidelium nuptias palàm in Eccleſia fuiſſe ſemper ab Epiſcopo aut Presbytero benedictas & ſanctificatas. Notanda ſunt & hæc verba, *Neque me ab ea prorsùs velle ſeparari, &c.* Oſtendunt iſtic Epiſcopum cum antè ducta uxore, ut cum ſorore fratrem, in eadem domo habitaſſe. Quem periculis obnoxium morem ex Lybia ſingulariter, quod iſtic dumtaxàt ſupereſſet, proſcripſit duodecimus Canon Trullanus.

CALUMNIA IV.

Quod Presbyteris inhibeamus Baptizatorum frontes Chriſmate linire.

QUi Chriſmatis ſanctificationem, & in ſacroſancto Chriſtianæ Confirmationis Sacramento uſum exiſtimant eſſe Sancti Sylveſtri Pontificis inſtitutionem, errant toto cœlo. Ejus namque Tertullianus, Sanctus Cyprianus,

prianus, Sanctus Irenæus, Sanctus Cornelius Papa, Synodus Eliberina, Synodus Laodicenſis, Græci & Latini Patres antiquiſſimi paſſim meminerunt tamquam ritus Apoſtolici, tamquam veri à Chriſto Domino noſtro inſtituti Sacramenti. Et quidem Chriſma per Divini nominis invocationem ſanctificare eſt ſolis Epiſcopis ab eodem Domino noſtro reſervatum, adeòque Presbyteris nunquam potuit licere. Hinc ſtatuit

Cap. 3. ſecunda Carthaginenſis Synodus: *Chriſmatis confectio & Puellarum conſecratio à Presbyteris non fiat*. Addidit Fortunatus Epiſcopus: *Memini*

Cap. 36. *præterito Concilio* iſtud ipſum *fuiſſe ſtatutum*. Confirmat Synodus tertia: *Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret, Chriſma verò nunquam conficiat*. Secundam, quæ hanc confectionem, & iſtam conſecrationem æquaſſe videbatur, Synodum exponit, dicitque hanc de Epiſcopi licentia, iſtam penitùs nunquam licere Presbyteris, quod nempe Divino Jure ſit Epiſcopis reſer-

Cap. 20. vata. Et prima Synodus Toletana: *Quamvis penè ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo Chriſma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium niſi Epiſcopum, Chriſma facere*. Et in litteris ad Lucaniæ Epiſco-

Epiſt. 9. pos Sanctus Pontifex Gelaſius: *Conficiendi Chriſmatis facultatem Presbyteri non adſumant*. Et in litteris ad Palentini territorii fratres Montanus Archi-Epiſcopus Toletanus, Præſes ſecundæ ibidem Synodi: *Nova præſumptio Præſidentium vobis Presbyterorum noſtrum pulſavit auditum, ſi tamen nova tantùm, & non deteſtabilis dici poſſit, quæ ab initio fidei nunquam, niſi nunc ſubrepſiſſe probatur, ut id, quod per manus ſummi Pontificis Trinæ Divinitatis invocatio ſanctificare conſuevit, Presbyter ignarus diſciplinæ conficere ſibi Chriſma præſumeret*. Eſſe dicit ignaviam, dementiam, ſchiſma, rem inauditam, Religioni contrariam, ſeneſcentis mundi temeritatem, ideòque ſub depoſitionis ac anathematis reatu deinceps interdi-

Epiſt. 2. cit. Et in litteris ad Theoribium Presbyterum. *Quidam Presbyteri auſu temerario res ſacras non tam conſecrare, quàm violare præſumunt, & cunctis ab initio fidei Catholicæ ſæculis inuſitatum ſummis ſui Ordinis hominibus, niſi tantùm Pontificibus debitum jus conſecrationis Chriſmatis, neſcio quo typho an dementia dicam, indubitanter adſumunt: Quod*

Cap. 37. *quam ſacrilegum ſit, piiſſimam tuam conſcientiam*

Cap. 7. *latere non credo*. Quod ipſum repetivit prima Bracarenſis Synodus, ſecunda Hiſpalenſis, & octava Toletana. Et hac in re quod etiam in Latinorum Epiſcoporum Albanenſes aut alios Græcos in ſua Diœceſi habentium inſtructione advertit Clemens octavus Pontifex, non memini Græcos à nobis unquam diſſenſiſſe.

Quin immò longè apud Græcos, quam apud nos ſolemnior fuit iſta conſecratio, de qua in litteris ad Tuſculanum Epiſcopum de tolerandis aut non tolerandis Græcorum ritibus ſcripſit Innocentius quartus. *Singuli Epiſcopi in ſuis Eccleſiis in die cœnæ Domini poſſunt ſecundùm formam Eccleſiæ Chriſma conficere. Sed ſi ſuum antiquum ritum in hoc Græci potiùs ſervare voluerint, videlicèt quod Patriarcha unà cum Archi-Epiſcopis & Epiſcopis ejus Suffraganeis, & Archi-Epiſcopi cum Suffraganeis ſuis ſimul Chriſma conficiant, in tali eorum conſuetudine tolerentur*. Conſecrationem hanc adeò ſibi reſervavit Patriarcha Conſtantinopolitanus, ut ipſam nec Bulgarorum ac Blacorum Primati permitteret. Hinc enim ad Romanam Eccleſiam redux earumdem gentium Rex Calo-Joannes ſupplicavit Innocentio tertio: *Petimus, ut fiat Chriſma ex præcepto Sanctitatis tuæ in ſancta & magna Eccleſia civitatis Teinonæ pro Baptiſmate Chriſtianorum*. Et earum Primas Baſilius Archi-Epiſcopus Trinonenſis: *Sanctum Chriſma non habemus, immò à Græcis receperamus; ſed de cætero non. Tamquam & vos Græci exoſos habent. De ſancto Chriſmate doceat nos, qualiter gentem baptizare debeamus, & ne remaneat gens abſque ſancto Chriſmate, & erit peccatum*. Reſpondit verò laudatus Pontifex. *Chriſma, & oleum Catechumenorum & infirmorum ſingulis annis in cœna Domini, tam in Eccleſia Bulgariæ quàm & Blachiæ, fieri ſecundùm conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ concedimus, ut quoties neceſſe fuerit baptizentur & confirmentur per diœceſanos Epiſcopos, qui fuerint confirmandi*. Et iſtam hujus conſecrationis ſolennitatem inſtituiſſe aut ſaltem initiaſſe videtur Petrus Cnapheus ſeu Fullo, Patriarcha Antio- L. 2.
chenus, de quo in Collectaneis Theodorus Lector: *Petrus Cnapheus, ut Chriſma in Eccleſia coram omni populo ſanctificaretur, excogitaſſe dicitur*. Porrò illius quotannis in Domini cœna conſecrandi morem eſſe Apoſtolicam traditionem, à Romana, Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana, ac Epheſina Eccleſia ſemper obſervatam, tradit ſecunda Epiſtola Sancto Fabiano Pontifici per Iſidorum Mercatorem adſcripta.

Objici tamen poſſit liber Pontificalis in vita Sancti Sylveſtri: *Sylveſter conſtituit Chriſma ab Epiſcopo confici*. Et antiqua, licèt Sancto Hieronymo perperàm adſcripta, de ſeptem Eccleſiæ gradibus Epiſtola ad Ruſticum Archi-Epiſcopum Narbonenſem: *Presbyteri, ſi neceſſe eſt, poſſunt* Cap. 6.
Chriſma conficere. Siquidem hæc regula etiam nunc ſervatur à plurimis, atque in Eccleſiis multis ità faciunt. Tamen meæ hoc ſcito eſſe ſententiæ, nulli Epiſcopo ſuper hoc injuctam faciendam, nec legem à me opponendam ei, qui lex eſt Presbyteri. Reſpondeo Epiſtolam hanc eſſe modici ponderis. Epiſcopatum & Presbyteratum errat Divino Jure eſſe æquales, atque hunc errorem iſti inædificat, laudandus tamen cum moderamine: *Meæ hoc ſcito eſſe ſententiæ*. Vixerit forsàn illius Auctor eo tempore, dum damnatus à Montano Archi-Epiſcopo abuſus per Hiſpaniam graſſabatur. Liber Pontificalis etiam non eſt irrefragabilis, niſi ubi incipit Anaſtaſii Bibliothecarii opus: Et vocem, *Conſtituit*, uſurpat pro *Conſtitutum*, utique Divino Jure, *declaravit*.

Major difficultas eſt de Confirmatricis Chriſmationis collatione. Eam ſanè ſolis Epiſcopis paſſim reſervavit Eccleſia Latina. Etenim ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcribit Sanctus Pontifex Innocentius primus. *De conſignan-* Cap. 3.
dis infantibus manifeſtum eſt non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licèt ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent.

Digitized by Google

Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. At verò ſoli Epiſcopi, nequaquam Presbyteri, ſunt Succeſſores Apoſtolorum. Et in libro adverſùm Luciferianos Sanctus Hiero- Cap. 4. nymus: *Quod ſi quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos aſſerimus in Baptiſmate tribui, diſce hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt adſcenſum Domini Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis neceſſitatem.* Adduci poſſent multa ejuſmodi loca & Canonum & Patrum.

Dixi, *Paſſim*. Etenim prima Toletana Synodus poſt Chriſmatis conſecrationem Presbyteris interdictam pergit: *Statutum eſt Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum, abſente Epiſcopo; præſente verò, ſi ab ipſo fuerit præceptum.* Agit, non de cæremoniali, ſed omninò de Chriſmatione Sacramentali: Cæremonialem enim Diaconus baptizans omninò poteſt facere. Et in ſua Cap. 51. Canonum collectione Martinus Archi-Epiſcopus Bracarenſis: *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignat infantes, niſi fortè illi ab Epiſcopo fuerit præceptum.* Quis ignoret vocem, *Signat*, importare Sacramentalem confirmationem? Et ſuperiùs adducta ad Ruſticum Narbonæ Archi-Epiſcopum Epiſto- Cap. 6. la dicit eſſe congruum, *ut Presbyteri confirment*, atque Apoſtolorum temporibus ità fuiſſe in Oriente, Illyrico, & Africa ſervatum. Et ad Januarium Calaritanum in Sardinia Archi-Epiſcopum L. 3. Epiſt. 9. ſcribit Sanctus Gregorius Magnus: *Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus Chriſmate non præſumant, ſed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodùm ungere debeant in* Epiſt. 26. *fronte*. Et in alia Epiſtola: *Pervenit ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteris Chriſmate tangere in fronte eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundùm veterem uſum Eccleſiæ noſtræ fecimus, ſed ſi omninò aliqui hac de re contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus.* Ob Gregorii primum Decretum contriſtabantur fideles Sardi, quod ità Confirmationis Sacramentum dudùm differre, immò & nunquam accipere quidam ob Epiſcoporum abſentiam cogerentur. Liquet igitur, quod ejus collationem etiam in Latina Eccleſia potuerit non ſolus Romanus Pontifex, ſed & quivis Epiſcopus ſuis Presbyteris ex cauſa delegare. Porrò Græcis Auguſtis tunc parebat per Juſtinianum Auguſtum nuper à Wandalis liberata Sardinia, atque ità Græcus confirmandi ritus eſt iſtic per neſcio quem introductus.

Etenim apud Græcos ex antiquiſſima conſuetudine Presbyteri, abſentibus Epiſcopis, ex eorumdem mandato ſeu licentia generali, Baptizatorum frontes ſacramentaliter chriſmarunt, Romanaque & omnis Latina Eccleſia ſemper toleravit, nec umquam contradixit. Et Sardis alia de cauſa non contradixit Sanctus Gregorius, niſi quod in Latinas Romani Patriarchatus Provincias nollet Græcos Ritus introduci. Et hanc Græcis propoſitam à nobis Latinis quæſtionem; *Quare Epiſcopi non ungunt ſacro Chriſmate, ſed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus ſit datum*, in Florentino Concilio Dorotheus Mitylenenſium Metropolita *canonicè legitimèque diſſolvit*. Adductas ab illo rationes Eugenius quartus Pontifex, & Latini Epiſcopi probarunt, ideòque illi non fuere coacti ſuam conſuetudinem recantare. Rationes iſtas grandi Chriſtianæ eruditionis damno ſynodalium Actorum compilator ſilentio preſſit. Et Latini & Græci ſemper Epiſcopi Baptiſma, Confirmationem, & Euchariſtiam uno tractu dedere, quem ritum etiam in Pagenſibus Eccleſiis Græci judicarunt ſervandum, ideòque ſuis iſtic Presbyteris dederunt generale mandatum confirmandi. Hanc exiſtimo eſſe veram originem iſtius moris.

Et hinc oritur prima quæſtio, Quo fundamento Romana poſterioribus ſæculis Eccleſia datam à Græcis Presbyteris Confirmationem exſufflarit, irritamque judicarit & nullam? Etenim ad ſuum Conſtantinopoli Legatum ſcribit apud Gregorium nonum Innocentius tertius. *Pervenit ad audientiam noſtram, quod quidam ſimplices Sacerdotes apud Conſtantinopolim ea Sacramenta præſumant fidelibus exhibere, quæ ab Apoſtolorum tempore fuerunt ſolis Pontificibus reſervata, ut eſt Sacramentum Confirmationis, quod chriſmando Renatos ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre, ad excuſandas excuſationes in peccatis ſolam conſuetudinem prætendentes. Diſcretioni tuæ mandamus, quatenùs omnibus Presbyteris diſtrictè prohibeas, ne talia de cætero ſua temeritate præſumant.* Diſertè addit Sacramentum iſtud per Presbyteros *inaniter conferri*. Et Tuſculano Epiſcopo, ſuo apud Cyprios Legato, roganti quinam Græcorum ritus tolerabiles, quinam eſſent intolerabiles, reſpondit Innocentius quartus: *Soli Epiſcopi conſignent Chriſmate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet niſi per Epiſcopos exhiberi.* Et in inſtructione, Latinis Epiſcopi Græcos in ſua diœceſi habentibus data, Clemens octavus: *Presbyteri Græci baptizatos Chriſmate in fronte non conſignent.* Et iterùm: *Epiſcopi Latini infantes ſeu alios Baptizatos à Presbyteris Græcis de facto Chriſmate in fronte conſignatos confirment. Et tutiùs videtur, ut cum cautela & ſub conditione id faciant, præſertim cum vero ſimiliter dubitari poteſt, quod ab Epiſcopis Græcis fuerint baptizati.*

Reſpondeo Innocentium tertium de ſolis dandis Confirmationibus loqui, non de datis. Statuit de hiſce, quomodò de Subdiaconatus Ordine ſtatuit paſſim omnis Eccleſia, credens Ordinarium ejus Miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum, & tamen de ejus licentia dari poſſe per Presbyterum, ità ut licentia iſta ſit ſubſtantialis, & actus ſine ipſa per Presbyterum attentatus ſit irritus ac inanis. Priorem Græcis Presbyteris per eorum Epiſcopos datam licentiam ſuſpendit ac ſubtrahit laudatus Pontifex, atque ità quam optimè edicit Confirmationis Sacramentum deinceps per ipſos fore inaniter conferendum. Edictum ejus Gloſſa etiam ità exponit. Eumdem in ſenſum loquitur Innocentius

Innocentius

nocentius quartus, volens Græcos in re adeò momentoſa tandem aliquando Latinis conformari. Attamen pro ſola Cypriorum inſula jubere videtur, neq; addit elanſulam irritantem. Clemens octavus loquitur ex definitione Concilii Florentini: *Ordinarius Confirmationis Miniſter eſt Epiſcopus. Et cùm cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat explere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & urgente admodùm cauſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.* Ex hoc Decreto poſteriores Scholæ Doctores paſſim tradidere Presbytero ad validè confirmandum, non cujuſvis, ſed ipſius Romani Epiſcopi licentia eſſe opus: Certum eſt hodie requiri in Eccleſia Latina. Ipſa carent Græcorum inter Latinos hahitsntinm Presbyteri, ideòque datam per ipſos Confirmationem rectè mandat Pontifex, iterari.

Altera quæſtio eſt, Qua ratione Sanctus Pontifex Nicolaus omnem à Photianis Epiſcopis ac Presbyteris dstam in Bulgaria Confirmationem exſufflarit, juſſeritque iterari? Reſpndet in Florentinæ Synodi adversùs Marcum Epheſinum

F. 736. apologia Gregorius Proto-Syncellus: *Latini etiam noſtros* olim *conſignabant, & chriſmatos appellabant. Sed hæc non fuiſſe ex æquo & bono facta conſtat ex eo, quod in noſtra unione nihil habuerint, quod nobis objicerent, ſed cùm eſſemus orthodoxi, habiti ſumus ab orthodoxis orthodoxi.* An Græcos Schiſmaticos ut orthodoxos & ab omni dogmatis lepra immunes agnoverit & receperit in Florentino Concilio Latina Eccleſia, eſt alia quæſtio; laudatus interim Gregorius ſupponit & adſerit acceptam in hæreſi confirmationem eſſe invalidam, proindèque exſufflandam. Quod ſi verum ſit, eadem eſt ratio acceptæ in ſchiſmate. Hìnc addit Latinus Scholiaſtes marginalis: *Epiſcopi Latini Græcos aliquando ſub condicione conſignabant, vel quia Miniſtri hujus Sacramenti excommunicati fuerant & pro laicis habiti, quales erant in Bulgaria Sacerdotes Photii, vel quia Presbyteri, qui apud Græcos Sacramentum hoc paſſim conferunt, non ſunt ordinarii Confirmationis Miniſtri.*

Et hìnc oritur tertia quæſtio, An accepta in hæreſi aut ſchiſmate Confirmatio ſit irrita & nulla? Conſtanter id opere de Pœnitentia adfirmat Joannes Morinus, exiſtimans iſtum olim fuiſſe ſenſum non ſolius de hæreticorum Baptiſmo errantis Sancti Cypriani aut Sancti Firmiliani Cæſareenſis in Cappadocia Archi-Epiſcopi, ſed etiam Sancti Stephani Pontificis, Apoſtolicæ Sedis, atque omnium ſub cœlo Eccleſiarum. Addit etiamnùm hodie tutam eſſe iſtam ſententiam,

L.9 c.11. n.7. & ad hunc fidei Tridentinæ Canonem, *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, undè ea iterari non poſſunt, anathema ſit,* Reſpondet: *Decreti verbis ſatisfacit, qui hoc de Confirmatione ab Epiſcopis Catholicis data intelligit. Eam validam eſſe, characterem imprimere, & iterari non poſſe, fide certum eſt. Idem dicendum de ea, quam conferunt hæretici, nullo modo ex hoc Canone poteſt colligi. Si regeras, Baptiſmus extra Eccleſiam eſt validus, ergò & Confirmatio: Negabitur conſequentia.* Adducit varias negatæ conſequentiæ rationes.

Eadem eſt ſententia Joannis Maldonati in tomo primo de Sacramentis. *Eſt mihi credibile Auguſtinum fuiſſe in ea ſententia, ut exiſtimaret Baptiſmum datum ab Hæreticis non eſſe repetendum; Confirmationem autem datam ab illis repetendam eſſe: Propterea quod primus effectus Baptiſmi eſt reddere hominem fidelem & Chriſtianum, quod apud hæreticos fieri poteſt. Proprius autem effectus Confirmationis eſt dare Spiritum Sanctum, quod omnes antiqui contenderunt fieri non poſſe apud hæreticos.* Et infrà: *Quod Confirmatio ab Epiſcopis Catholicis data non debeat repeti, ſemper fuit certum, & de ea intelliguntur omnes Canones Conciliorum, qui agunt de hac re. Tamen an Confirmatio data ab Epiſcopis Hæreticis repeti deberet in Eccleſia Catholica, non ità fuit certum; immò exiſtimo in tota veteri Eccleſia fuiſſe repetitam, quia non exiſtimabatur eſſe vera Confirmatio. Quod colligo ex omnibus antiquis Scriptoribus, qui abſolutè ſine ulla diſtinctione docent eos omnes, qui apud Hæreticos fuerint baptizati, cùm redeunt ad Eccleſiam Catholicam, non eſſe baptizandos iterùm, ſed confirmandos,* Quòd nempe Patres dicant eos impoſita in Spiritum Sanctum Epiſcopali manu eſſe in Eccleſiam admittendos. Et Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Eccleſiæ doctiſſimus Archi-Epiſcopus in veteris Pontificii Juris Epitome habet hunc titulum: *Ab Hæreticis baptizati per Confirmationem,* utique repetitam, *recipiuntur ab Eccleſia.*

Eorum fundamentum ſunt Sancti Cypriani cum Sancto Pontifice Stephano de Hæreticorum Baptiſmo & ipſorum in Eccleſiam admiſſione contentiones. Etenim in hæreſi baptizatos ſola Epiſcopalis manus in Spiritum Sanctum impoſitione citra novum Baptiſma admittendos volebat Stephanus; utroque autem illos Sacramento donandos in Catholica Cyprianus, diſtinguens inter baptizatos in hæreſi, & Apoſtatas à nobis baptizatos; item inter manus in Pœnitentiam, ac manus impoſitionem in Spiritum Sanctum, de qua diſtinctione ſcribit etiam in libris de Baptiſmo adversùm Donatiſtas Sanctus Auguſtinus: L.3.c.11.
Hoc ipſe Cyprianus etiam cum cæteris ſtatuit, ut ſi ab Hæreticis redirent ad Eccleſiam quicumque fuerant in ea baptizati, non jam per Baptiſmum, ſed per PŒNITENTIAM *reciperentur.* Quod nempe tales apoſtatando Baptiſma non perdidiſſent. Statuit id Cyprianus in ſua erratica Synodo, in qua hunc in modum ſuffragatus eſt Creſcens Epiſcopus Cirthenſis: *Cenſeo ego omnes Hæreticos ſive Schiſmaticos, qui ad Catholicam Eccleſiam venire voluerint, non ingredi, niſi exorcizati & baptizati fuerint, exceptis his ſanè, qui in Eccleſia Catholica antè fuerint baptizati, ità tamen ut per manus impoſitionem in* PŒNITENTIAM *Eccleſiæ reconcilientur.* At verò de Hæreticis aut Schiſmaticis extra Matrem Catholicam baptizatis ſcribit ad Stephanum Pontificem ipſe Cyprianus: *Eos,* Epiſt.72.
qui ſunt foris extra Eccleſiam tincti, & apud Hæreticos & Schiſmaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque Eccleſiam venerint, baptizari oportet, eò quòd parùm ſit eis manum imponere ad

ac-

accipiendum SPIRITUM SANCTUM, *niſi accipiant & Eccleſiæ Baptiſmum. Tunc enim demùm pleaè ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur.* Quod ipſum aſſiduè tradit ejus erratica Synodus, nec non & fidus Collega Sanctus Firmilianus Cæſareenſis. Itàque Stephanus & Cyprianus in quibuſdam conveniebant, in quibuſdam erant diſcordes. Conveniebant primò, quòd alia eſſet in Pœnitentiam, alia manus impoſitio in Spiritum Sanctum. Secundò, quod manus impoſitio in Pœnitentiam ipſum Pœnitentiæ, impoſita verò in Spiritum Sanctum manus eſſet ipſum Sacramentum Chriſtianæ Confirmationis: Dicunt enim fuiſſe eam manum, cujus per Sanctos Apoſtolos facta impoſitio laudatur à Sancto Luca in Apoſtolicis Actis. Tertiò conveniebant, quod Apoſtatæ in Eccleſia baptizati per manum Pœnitentialem, extra autem baptizati eſſent recipiendi per manum donativam Spiritus Sancti, quod ille extra Eccleſiam non ſit per inhabitationis gratiam, proindeque iſtic nec dari nec accipi poſſit. Ambo fatebantur acceptam in hæreſi Confirmationem eſſe irritam, exſufflandam, repetendam; omnis eorum diſcordia erat de ſolius Baptiſmi repetitione, atque ità acceptæ apud Hæreticos Confirmationis infirmitas eſt dogma antiquum univerſæ ſub cœlo Eccleſiæ, etiam Romanæ.

Epiſt. 3. Hoc ipſum in Epiſtola ad Thuſciæ & Campaniæ Epiſcopos tradit Sanctus Pontifex Euſebius: *Hæreticos omnes, quicumque Dei gratia convertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt, Romanæ Eccleſiæ Regulam tenentes per manus impoſitionem reconciliari præcipimus.* Et palàm edicit imponendæ manus qualitatem: *Manus impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis Sacerdotibus, nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis Apoſtolis legitur aut ſcitur peractum.* Ab alio quàm ab Epiſcopo præſumptum dicit eſſe *irritam, inane, nec inter Eccleſiaſtica unquam* Epiſt. 4. c. 8 *Sacramenta reputandum*: Quæ certum eſt in ſolam Confirmationem quadrare. Etiam prima Syno- Epiſt. 22. c. 8. dus Arelatenſis, Siricius Pontifex in litteris ad Eccleſias Africanas, in Epiſtola ad Toletanam Epiſt. 37. 72. 92. Synodum Innocentius primus, in litteris ad Leonem Ravennæ Epiſcopum, in litteris ad Nicetam Metropolitam Aquilejenſem, ac in litteris ad Ruſticum Narbonenſem Archi-Epiſcopum Sanctus Leo Magnus, nec non & alii Pontifices, Patres ac Synodi paſſim ac palàm adfirmant hæreticos in Hæreſi baptizatos, adeòque & ibidem confirmatos, impoſita in Spiritum Sanctum manu, id eſt, iterato Confirmationis Sacramento, eſſe in Eccleſiam admittendos. Gennadiani de Eccleſiaſticis dogmatibus libelli ſupple- Cap. 52. mentum disertè dicit adultos *manus impoſitione confirmandos, parvulos autem communicandos manus impoſitione & Chriſmate*, & ſic ad Euchariſtiæ myſteria admittendos. Lucidiùs eloqui non poterat Sacramentum noſtræ Confirmationis.

At certum eſt dogma iſtud fuiſſe ſemper alieniſſimum ab Eccleſia Romana, & omni Catholica. Etenim de data per Donatiſtas Confirmatione ſcribit Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus: *Nunquid nos exterminamus oleum veſtrum, ut meritò nos muſcas morituras appelletis?* L. 3. Quod L. 2. c. 104. ipſum in libris contra Petiliani Donatiſtæ litteras Sanctus Auguſtinus tradit, nec non incognitus, doctus tamen atque antiquus, Auctor libri contra Fulgentium Donatiſtam. Quocircà per manum in Spiritum Sanctum Hæreticis ad Eccleſiam venientibus impoſitam nequaquam ab adductis Synodis aut Patribus intelligitur Confirmationis, ſed omninò Pœnitentiæ Sacramentum. Abundè id ſuprà oſtendi ad ſeptimum Canonem primæ Synodi Conſtantinopolitanæ: Oſtendi & lapſos & natos Hæreticos fuiſſe eadem Pœnitentiali manu receptos, nec tamen ſine rationibus ipſam in aliis in Pœnitentiam, in aliis in Spiritum Sanctum fuiſſe appellatam. In lapſis ſolammodò reſtituebat amiſſum, In natis autem primò dabat nunquam anteà habitum Spiritum Sanctum, & ipſos per anteà malè acceptum Baptiſma faciebat in Chriſto renaſci iſta manus, ideòque ex vario ſuæ operationis modo variam nomenclaturam meritò ſortiebatur.

Neque refert, quòd Sanctus Cyprianus manus in Spiritum Sanctum datæ virtutem probet ex manu Apoſtolica in Actis Apoſtolicis laudata. Etenim ſanctis Patribus Eccleſiam ante Sacramentariorum Hæreticorum lites docentibus evenit in materia Sacramentorum, quod illis ante Arianas diſcordias docentibus circa Domini noſtri Jeſu Chriſti naturas eveniſſe ſcribit ad Eccleſiam Neo-Cæſareenſem Sanctus Baſilius Magnus: *Invenias multa, quæ ad hominis conjunctionem pertineat, quæ ad Divinitatis rationem antiqui Patres referant.* Quas ipſorum liberas & ob pacis Eccleſiaſticæ quieta tempora ſecuras locutiones Ariani poſtmodùm atque Apollinariſtæ in ſuorum errorum fomenta detorſere. Eodem modo hæc Domini apud Sanctum Joannem Evangeliſtam verba, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, de ſancto Pœnitentiæ Sacramento accipienda, frequenter Baptiſmo applicat Sanctus Auguſtinus: Nempe communem utriuſque Sacramenti effectum potiùs, quàm eorum diſparata elementa attendit. Ità igitur & Sanctus Cyprianus, nec non & alii quidam Patres manus Hæreticis ad Eccleſiam venientibus impoſitæ in Spiritum Sanctum, licèt Pœnitentialis ſit, virtutem ex pari Confirmatricis manus energia laudarunt.

Hæc tamen applicare nolim ad Euſebii Pontificis Decretalem Epiſtolam, nec item ad Gennadii Maſſilienſis ſupplementum ſeu potiùs antidotum. Ambo ſunt modicæ auctoritatis. Etenim Epiſtola iſta, Euſebio Pontifici perperàm adſcripta, eſt octavi aut noni ſæculi fœtus, per Iſidorum Mercatorem portatus, ac per Riculfum Moguntinenſem Archi-Epiſcopum ſparſus in Franciam, & omninò agit de diſtinctis Sacramentis. Hic verborum contextus, *Manus quoque impoſitio, &c.* nequaquàm eſt ejuſdem continuativus, ſed diverſæ penitùs materiæ palàm inchoativus, Et ab uno ad aliud ſubitò tranſilire eſt Epiſtolis iſtis admodùm familiare. Gennadii Maſſilienſis Antidotum eſt opus neſcio cujus Galli, apud quos nati hæretici per Chriſma, utique cæremoniale, nullo modo Sacramentale,

in

in Eccleſiam admittebantur. At cur ſolos parvulos ac hebetes catechiſmi incapaces, non adultos chriſmari jubeat, ignoro. Et ipſe forsào auctor ignoravit, aut ſanè ſingularem Eccleſiæ ſuæ ritum adducit.

Fateor interim Sancti Pontificis Nicolai tempore opinionem, quæ datam ab Hæretico aut Schiſmatico Chriſmationem aſſerebat irritam atque exſufflandam, fuiſſe ſatis communem. Etiam illam, quæ affirmabat idem de Sacramento Ordinationis. Etenim non ità pridem omnes per Conſtantinum ex laico intruſum Pontificem datos Ordines exſufflarat atque iterarat Stephanus quartus, uti in ejus vita Anaſtaſius Bibliothecarius teſtatur. Adversùm Donatiſtas Sanctus Auguſtinus exiſtimatus fuit de ſolo Hæreticorum ac Schiſmaticorum Baptiſmo loqui. Quin immò Cap. 27. habet ſecunda Synodus Cabilonenſis: *Dictum eſt nobis, quod quidam de Plebe bis aut ter ab Epiſcopis, ignorantibus iiſdem Epiſcopis, confirmentur. Undè nobis viſum eſt eamdem confirmationem, ſicut nec Baptiſma, iterari debere.* Videntur quidam docuiſſe datam etiam à Catholicis Epiſcopis Confirmationem poſſe ex cauſis iterari. Neque mireris hoc: Etenim vice verſa extremam unctionem nulla ex cauſa iterari poſſe, & oppoſitam ſententiam eſſe neſcio quorum monachorum ſuperſtitionem conſtanter docuit vir non Imperitus Goffre- L. 2. Epiſt. 59. 20. dus Abbas Vindocinenſis. Et iſtum de iteranda Confirmatione errorem Græci hodie Schiſmatici paſſim tuentur, fulti auctoritate Sancti Methodii Patriarchæ Conſtantinopolitani, Apoſtatas in Eccleſia & baptizatos & confirmatos mandantis in Eccleſiam recipi per Chriſma. Exſtat Decretum ejus tomo ſexto Bibliothecæ ſanctæ. Quin immò de ejus temporibus exorta Zilicum hæreſi ſcribit Georgius Cedrenus: *Sub hoc tempus hæreſis quædam Zilicum nomine exorta, cum Principe ſuo Zilice, qui à Secretis dignitate erat, exſtincta & diſſipata eſt; ipſo & ſectatoribus ad veram Religionem converſis, ſacroque unguento delibutis ac perfectis.* Fuerant omninò illi in Catholica Eccleſia baptizati & confirmati, reduces tamen ſacram unctionem rursùs acceperunt. Quem Apoſtatas præſertim recipiendi morem laudant plures Græcorum libri Rituales. Unctionem iſtam hodierni Græci exiſtimant fuiſſe Sacramentalem, ideòque Sacramentum iſtud, licèt à Catholico datum, poſſe ex cauſis iterari. Aſt errant graviſſimè. Etenim præceptam à Sancto Methodio Unctionem fuiſſe dumtaxàt cæremonialem eſt faciliimum videre atque oſtendi. Adductam tamen de accepta apud Hæreticos aut Schiſmaticos Confirmatione opinionem ſecutus Nicolaus Pontifex omnes Bulgaros à Photianis Epiſcopis aut Presbyteris confirmatos & unctos denuò juſſit ungi & confirmari. Hinc verò iratus Photius cœpit Romanæ Eccleſiæ de iſtius Sacramenti Miniſtro ſenſum & morem impetere, at ex frivolo fundamento.

CALUMNIA V.

Quod Chriſma ex aqua fluminis conficiamus.

CAlumniæ fundamentum exponit Sanctus Pontifex Nicolaus in Reſponſis ad quæſtiones Bulgarorum: *Græcos dicere perhibetis, quod in illorum Patria Chriſma oriatur, & ab illis per totum mundum tribuatur, & ideò noſſe deſideratis, ſi verum ſit. Sed jam credimus, quòd veſtra Solertia, quam verum ſit, animadvertat.* Cap. 94. De exſufflata ſuorum apud Bulgaros Emiſſariorum Confirmatione actus in rabiem Photius non erubuit ejuſmodi nugas apud neophytum ac rei Chriſtianæ imperitum populum eructare. Mentitus eſt Chriſma eſſe neſcio quem ſimplicem ſuccum, naſci in ſola Græcia, à Græcis ad Latinos ſibi inimicos jam non mitti ampliùs, illos ſibi quid ſimile ad deludendam Plebem ex aqua coquere, ideòque vanam & nullatenùs Chriſtianam ab ipſis dari Confirmationem. Calumniam reſumpſit Marcus Epheſiorum Primas, dicens nobis non eſſe Chriſma, ideòque nec Baptiſmum, qui ſine Chriſmate non poteſt dari, atqui ità nos non eſſe Chriſtianos. Repoſuit verò inſignis noſter Advocatus Gregorius Proto-Syncellus: *Latini etiam baptizatos ungunt Chriſmate, & æquè ac nos credunt eſſe unum de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis. Adhibent verò illud, cum provectiori ætate ſunt homines, quando juxta eximium Theologiæ Doctorem Gregorium & myſticum quid audire, & reſpondere per ætatem licet.* F. 722. Ex quo vides, quod infantium confirmandorum mos ex tunc apud nos ex cauſis deſiiſſet. Et huc ſpectat calumnia relata à ſæpiùs laudato tractatu apud Patres Prædicatores Conſtantinopolitanos reperto: *Poſtquam ad ætatem pervenerint pueri, peccatis obnoxios oleo Latini perungunt in remiſſionem peccatorum, & bis baptizari videntur.* Quòd eos in remiſſionem peccatorum confirmemus, ſeu quòd Confirmationem eſſe dicamus mortuorum ac remiſſionis peccatorum Sacramentum, eſt penitùs falſum: Etenim confirmandos pueros paſſim cogimus ad præviam Sacramentalem Confeſſionem. Et nulla hic vel umbra Rebaptiſmi.

Porrò Chriſma ex oleo & Balſamo confici oportere ſcribit in litteris ad Baſilium Trinonitanenſem Epiſcopum, Bulgariæ ac Blachiæ Primatem, de Blaſii Brandizuberenſis Epiſcopi cauſa agens Innocentius tertius, adducitque inſignes myſticæ iſtius mixturæ rationes. Exſtat apud Gregorium nonum Epiſtola, in qua Auguſtinus L. 1. tit. 15. Curavita pro, *Bradizuberenſis*, malè reliquit hac. 2. ſce voces, *Epiſcopus Bracarenſis*. Oleum iſtud debere eſſe olivarum ſcribit in litteris ad Tuſculanum Epiſcopum, ſuum in Cypro inſula Legatum, agens de tolerandis aut non tolerandis Græcorum ritibus, Innocentius quartus. Et de Balſamo ſcribit in Hiſtoria Lanſiaca Palladius Cap. 7. Epiſcopus Helenopolitanus: *Ammon monachus toto die vacabat horto & balſameto. Operabatur*

enim

Digitized by Google

enim balſamum. Quæ balſamus inſtar vitis plantatur, ut in qua colenda & amputanda multùm temporis ponatur. Et in Pompei Trogi Epitome Ju-
L.36. ſtinus. *Opes genti Judaicæ ex vectigalibus opobalſami crevere, quod in his tantùm regionibus gignitur. Eſt namque vallis, quæ continuis montibus velut muro quodam ad inſtar caſtrorum clauditur. Spacium loci ducenta jugera, nomine Arcus dicitur. In ea ſylva eſt ubertate & amœnitate inſignis: Siquidem palmeto & opobalſamo diſtinguitur. Arbores opobalſami formam ſimilem piceis arboribus habent, niſi quod ſint humiles magis, & in vinearum morem excoluntur. Hæ certo anni tempore balſamum ſudant.* Addit locum eſſe mari mortuo vicinum. Et in
L.56. quinto Hiſtoriarum libro, agens de Judaicæ regionis natura, Cornelius Tacitus: *Exuberant fruges noſtrum ad morem, præterque eas balſamum & palmæ. Palmetis proceritas & decor, balſamum modica arbor. Ut quiſque ramus intumuit, ſi vim ferri adhibeas, pavent venæ: Fragmine lapidis aut teſtæ aperiuntur. Humor in uſu medentium eſt.* Quod ad ferrum paveat, etiam Joſephus Judæus & Plinius teſtantur: *Inciditur vitro, lapide, oſſeiſve cultellis; ferro lædi vitalia odit.* Quare Theophraſtus & Compilator Iſidorus, ferreis ungulis aut unguibus aperiri exiſtimantes, omninò falluntur. Fuiſſe olim ſoli Judææ propriam arborem paſſim traditur, poſtmodùm tamen in Ægyptum tranſiiſſe liquet ex adducto Palladii Helenopolitani teſtimonio: Nam Sanctus Ammon in Ægypto monachum egit. Et in Palla-
L. 9. dii Epithalamio canit Poeta Claudianus: *Gemmatis alii per totum Balſama tectum effudere cadis, duro quæ ſaucius ungui Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.* Pauſanias etiam in Arabia adfirmat reperiri. Reperitur & in India Occidentali, licèt debiliùs: Eo tamen hodie ad Chriſma utitur omnis ferè Europæ Eccleſia, ac eſſe genuinum oſtendit in Conſiliis Martinus Navarrus.

Et hinc olim circa Chriſma graviter errarunt Armenii, ipſum non ex olivarum, ſed ex Seſamini oleo conficientes. Cauſam dat in diſputatione cum Theoriano Manuelis Comneni Imperatoris Legato Nierſes Armeniorum Patriarcha: *Quòd in Armeniorum regione non ſiat oliveta, ob aeris in ea regione frigus, neceſſitas ipſa flagitat, ut oleum illud, quod in ipſa regione reperitur, ad uſum unguenti adhibeatur.* Et adjunxit: *Qua in re nullum ego Spirituale delictum video.* Eamdem rationem adduxit eorum Synodus Tarſenſis, Græcorum propoſitioni, *Quærimus ut ſanctum oleum ex arboris* olivæ *fructu conficiatis*, reſpondens: *Ex paupertate huic derogamus traditioni, cùm in plaga ſeptemtrionali difficillimè ea reperiatur materia, quæ continet figuram gratiæ Spiritus Sancti. Si tamen deinceps inventu facilis fuerit, haudquaquam traditionem iſtam fraudabimus.*

Verùm ratio fuit frivola & falſa. Frivola, quod nulla neceſſitas aut paupertas Divinam de neceſſariis Sacramentorum elementis legem deroget aut diſpenſet: Ac uti ſolum de vite vinum ſacroſanctæ Euchariſtiæ, ità ſolum olivæ oleum eſſe germanum Chriſmatis & Chriſtianæ Confirmationis elementum oſtendit eruditè laudatus Theorianus. Addit ſolum olivæ oleum eſſe oleum verum, uti ipſa vocis ratio clamat. Oſtendit item adductam rationem eſſe falſam, pergens ad Nierſen: *Miror, Domine, cur ad Imperatorem hoc perſcripſeris, nam plurima hic oliveta video, & quidem olei ſatis.* Æquè frivola & falſa fuit alia ejuſdem Nierſis ratio: *Iſta unguenti confectio principium habuit ad Orientis plagam intimam, ubi nulla ſunt Oliveta, indeque nos acceptam ſervamus hactenùs.*

Alium ipſorum errorem adducit in litteris ad eorum Archi-Epiſcopum Synnadenſem Pontifex
Gregorius ſeptimus: *Audivimus quod contra morem Sanctæ Eccleſiæ veſtræ non ex balſamo ſanctum Chriſma, ſed ex butyro conficiat.* Utique ob balſami defectum. Errorem corrigi Pontifex mandavit, at dudùm non fuiſſe correctum docat nos fratris Joannis Chernacenſis, Ordinis Prædicatorum, Epiſtola ad fratres orthodoxos de erroribus ſuæ gentis, exſtans apud Clementem Galanum: *Armenii non habent omnia ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, Confirmationem & Extremam Unctionem omittentes.* Nempè quod neque balſami, neque legitimi olei haberent copiam, utrumque tandem Sacramentum expunxerunt. Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. L. 8. Epiſt. 1.

Et hinc oritur quæſtio, An ex oleo & balſamo confectum Chriſma ſit ex Domini Noſtri Jeſu Chriſti inſtituto ac mandato neceſſarium Chriſtianæ Confirmationis elementum? Negat in opere de Pœnitentia Joannes Morinus, docens Hæreticos olim non per Pœnitentiæ, ſed per Confirmationis manum ac Sacramentum fuiſſe admiſſos in Eccleſiam, & addens: *Non abs re conjici poſſit & Firmilianum* Cappadociæ Archi-Epiſcopum, *& Concili* Nicæni. *Patres ſaltem in Hæreticorum ad Eccleſiam ſuſceptione Unctionem non adhibuiſſe, ſed ſolam manus impoſitionem.* Et in indice: *Probabiliter colligitur Græcos antiquos ſine Unctione confirmaſſe.*

Ejus palmare fundamentum eſt octavus Nicænus Canon de admittendis in Eccleſiam Novatianenſibus: *Sanctæ magnæ Synodo viſum eſt, ut impoſitis manibus ſic in Clero permaneant.* Eam manus impoſitionem vult fuiſſe Confirmationis Sacramentum. Urget ſimilia etiam Sancti Cypriani, nullam Unctionis, ſed ſolam impoſitæ in Spiritum Sanctum manus mentionem facientia loca, atque ita fateri cogitur non Græcos ſolùm, ſed & Latinos olim ſine Unctione confirmaſſe. Et ipſi favere videtur in unionis Decreto Sancta Synodus Florentina: *Apoſtoli per manus impoſitionem dabant Spiritum Sanctum, loco autem illius manus, impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio.* Et in adductis ad Bulgarorum Primatem litteris Innocentius tertius; *Per frontis Chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.* Et in laudatis ad Tuſculanum Epiſcopum litteris Innocentius quartus: *Apoſtoli per manus impoſitionem, quam Confirmatio vel frontis Chriſmatio repræſentat, Spiritum Sanctum tribuiſſe leguntur.* Etiam Græcorum Euchologia ajunt Chriſmationem Apoſtolicæ manuum impoſitionis vices gerere. Videntur ergo Apoſtoli ſiccam manum impoſuiſſe, & poſteà per Eccleſiam eſſe Chriſma introductum.

Reſpondeo

Reſpondeo tamen Chriſma eſſe omninò & à
Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & ab Apo-
ſtolis uſitatum. Etenim in libro de Spiritu San-
cto ad Sanctum Amphilochium Iconienſem Me-
tropolitam ſcribit Sanctus Baſilius Magnus eſſe in
Eccleſia varias ſine ſcripto Apoſtolicas traditio-
Cap. 57. nes, earumque ab una *Conſecrari aquam Baptiſ-
matis & oleum Unctionis. Et Unctionem, quam
in prima ſua Epiſtola laudat, adeòque & fideli-
bus contulit Sanctus Joannes Apoſtolus, eſſe no-
ſtræ Confirmationis Sacramentum aſſerit palàm
in tertio ſuper eamdem Epiſtolam tractatu San-
ctus Auguſtinus. Et ad quatuor Animalium in
ejuſdem Apoſtoli Apocalypſi vocem, *Vinum &
Cap. 6. 5. oleum ne læſeris*, ſcribit antiquus & doctus, licèt
Semi-Donatiſta, Tichonius: *In vino ſanguis
Chriſti, in oleo Unctio Chriſmatis intelligitur*. Et
longè antiquior Tertullianus in libro de Baptiſ-
Cap. 7. mo: *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta Unctio-
ne de priſtina diſciplina, qua ungi oleo de cornu in
Sacerdotem ſolebant*. Voces, *De antiqua diſciplina*,
oſtendunt Unctionem eſſe unum iſtorum Judai-
corum rituum, quos in Eccleſiam introduxit &
Evangelicos fecit Dominus noſter Jeſus Chriſtus.
Et in litteris ad Januarium Numidiæ Primatem
Epiſt. 73. ac ejus Synodum ſcribit Sanctus Cyprianus: *Eu-
chariſtia, & undè Baptizati unguntur oleo, in alta-
ri ſanctificantur*. Alludit ad antiquiſſimum Ec-
cleſiæ morem, quo tria, Baptiſmatis, Confir-
mationis, ac Euchariſtiæ Sacramenta ſimul uno
tractu impartiebantur. Porrò Chriſmatis ſancti-
ficationem Euchariſtiæ adjungere eſt antiquis Pa-
tribus familiare. Etenim in tertia Myſtagogica
catecheſi dixit Sanctus Cyrillus Hieroſolymita-
nus Epiſcopus: *Vos uncti eſtis unguento, facti par-
ticipes & conſortes Chriſti. Cæterùm vide, ne illud
eſſe putes unguentum tantùm. Quemadmodùm enim
panis Euchariſtiæ per Sancti Spiritus invocationem
non ampliùs eſt panis communis, ſed eſt corpus Chri-
ſti; ſic & Sanctum hoc unguentum non ampliùs eſt
unguentum nudum neque commune, poſtquàm jam
conſecratum eſt, ſed eſt Chariſma, quod Chriſti &
Spiritus Sancti præſentiam efficit*. Eodem modo
loquitur Sanctus Dionyſius, aut quis alius Au-
ctor libri de Eccleſiaſtica Hierarchia. Nullo ta-
men modo tranſubſtantiationis myſterium aut
Chriſmati adſcribunt, aut negant Euchariſtiæ.
Ex dictis interim abundè lucet etiam Sanctos
Apoſtolos in Confirmationis Sacramento fuiſſe
uſos iſto, adeòque ipſum eſſe ejus elementum
neceſſarium, & à Chriſto Domino inſtitutum.

Et Joannis Morini fundamenta ſunt nimium
infirma. Etenim octavus Nicænus Canon nullo
modo de Confirmationis loquitur, ſed de Sacra-
mento Ordinationis. Neque hanc repeti, ſed
hæreſi acceptam firmari ab Eccleſia & ratam ha-
beri mandat, ut ſupra eſt abundè monſtratum.
Et hæreticis ad Eccleſiam venientibus impoſi
olim conſuetam in Spiritum Sanctum manum nul-
latenùs fuiſſe ſacramentaliter confirmatricem vel
exindè claret, quòd & apud Latinos & apud
Græcos ſicca dudum fuerit, adeòque ipſam con-
firmatricem adſerere eſt Chriſmatis Sacramentum
exſufflare, & dejicere ad humana Eccleſiæ inſtitu-
ta. Eccleſia nequiit Chriſti Domini inſtituto ad-
ponere novum ſubſtantiale elementum. Aut ſa-
nè etiam ex butyro ac quovis oleo, aut etiam
aquis poſſit Chriſma confici, & de hac Photii
calumnia laboraſſe non debuerat Pontifex Nico-
laus. Porrò Synodum Florentinam, aliaſque
omnes locutiones ſimiles exponit in libris de San-
ctiſſima Trinitate Sanctus Auguſtinus: *Nemo* L. 15. c. 26.
*Apoſtolorum dedit Spiritum Sanctum. Orabant quip-
pè, ut veniret in eos, quibus manus imponebant,
non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis Præpo-
ſitis etiam nunc ſervat Eccleſia*. Oſtendit id fieri
per Sacramentalem frontis Chriſmationem. Di-
citur ergo illa Apoſtolicæ manuum impoſitioni
ſucceſſiſſe, illam repræſentare, ac illius vices ge-
rere, quomodò antiqui paſſim Romani Pontifices
vocant ſeſe Sancti Apoſtoli Petri Vicarios, utì-
que in eadem forma & poteſtate.

Verùm objici poſſit in laudato libro de Baptiſ-
mo Tertullianus. Etenim cùm dixiſſet, *Egreſſi
de lavacro perungimur benedicta Unctione*, pergit
in ſequenti capite: *Dehinc manus imponitur per be-
nedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum*.
Lucidè adfirmat Unctionem ac manus Impoſitio-
nem eſſe diſparatos ritus, in ſolo poſteriori no-
ſtram Confirmationem compleri, adeòque Chriſ-
ma non eſſe ejus elementum. Idem repetit in
libro de Reſurrectione carnis: *Caro abluitur, ut* Cap. 8.
*anima emaculetur; caro ungitur, ut anima conſecre-
tur; caro ſignatur, ut anima muniatur; caro manus
impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illumi-
netur; caro corpore & ſanguine Domini veſcitur,
ut anima de Deo ſaginetur*. Reſpondeo à Tertul-
liano laudari antiquum tria ſimul Sacramenta do-
nandi ritum, & unctionem, ſignationem, ac
manus impoſitionem nequaquam diſtingui ut duo
aut tria diſparata Sacramenta. Patet ex libro
Præſcriptionum: *Fidem* Chriſtus Dominus *aqua* Cap. 36.
ſignat, Spiritu Sancto veſtit, Euchariſtia paſcit.
Et in eodem libro agens de diabolo ſacroſancta
noſtra Myſteria in ſacrilegis Dei Mythræ ſacris
æmulante: *Tingit & ipſe quoſdam, ſignat illic in* Cap. 40.
frontibus milites ſuos, celebrat & panis oblationem. L. 1. C. 14.
Quòd ipſum repetit in libris adversùs Marcio-
nem, in ſecundo Sacramento laudans aut ſolùm
oleum, quo ſuo Chriſtus ungit, aut ſolum *ſignacu-
lum frontis*, addens eſſe unum ex Eccleſiæ Sacra-
mentis. Hic igitur ſubſtantiali compendio, in
locis nobis objectis largè ac diſtinctè expoſuit tres
præcipuos noſtri Sacramenti partiales ritus, qui-
bus ſingulis reſpondeat ſuus in anima effectus.
Enumerat non ſolas ejus ſubſtantiales partes, ſed
& veſtes cæremoniales. Nam hæc verba, *Caro
manus impoſitione adumbratur*, oſtendunt tunc
non ſolum pollicem Epiſcopalem fronti, ſed to-
tas Epiſcopales manus in crucis formam fuiſſe im-
poſitas ſupra caput confirmandi: *Et hoc*, inquit
in eodem libro de Baptiſmo, *quoque de veteri Sa-* Cap. 8.
*cramento, quo nepotes ſuos ex Joſeph, Ephraim
& Manaſſen Jacob benedixit*. Quam manus impo-
ſitionem conſtat Sacramento noſtro nec eſſe nec
unquam fuiſſe ſubſtantialem. Neque refert,
quod illa dicatur per adjunctam ſibi benedictio-
nem advocare ac invitare Spiritum Sanctum:
Quis enim neſciat illum etiam inſtitutis ab Ec-
cleſia ritibus ac precibus advocari? Sola itàque

Chriſmativa frontis ſignatio fuit tota confirmatricis manus impoſitio, tota eſſentia hujus Sacramenti. Non dico, *Tota ſubſtantia*, ſed *tota eſſentia*: Propter anctoritatem Sancti Cyrilli Hieroſolymitani, in tertia Myſtagogica catecheſi adſeverantis ſancto hoc unguento frontem, aures, nares, pectus, omnium ſenſuum organa innngi. Hodiernus Græcæ Chriſmationis mos eſt adeò antiquus. Cujus ſingulæ partes an ſubſtantiales ſint, eſt alibi dicendum.

CALUMNIA VI.

Quod octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium, & ſeptem hebdomadibus à caſei & ovorum eſu non ceſſemus.

GRæci à Dominica Sexageſimæ carnibus, à Dominica autem Quinquageſimæ uſque ad Paſcha abſtinent etiam lacticiniis; quod quia à quarta Cinerum feria dumtaxàt incboamus, Photius nos ad Hæreticos & Prævaricatores abjecit: Præſertim quia per omnem Quadrageſimam non abſtinemus lacticiniis. Eſt calumnia frivola ac falſa, pridem per Eccleſiaſticam Socratis Hiſto-
L. 5. c. 21. riam abundè refutata. *Jejuniorum, quæ ante Paſcha fiunt, rationem aliter ab aliis obſervatam eſſe, facilè eſt reperire. Nam qui ſunt Romæ, tres ſeptimanas ante Paſcha, Sabbatho ac Dominico exceptis, ſimul jejunant; qui autem in Illyrio & tota Græcia, quique Alexandriæ habitant, ante ſex Septimanas jejunia, quæ ante Paſcha fiunt, ordiuntur, illudque tempus Quadrageſimam vocant. Alii præter horum conſuetudinem ſeptem ſeptimanas ante illud feſtum initium jejunandi facientes, quamvis quindecim dies ſolùm quibuſdam intervallis interpoſitis jejunent, nihilominùs tamen tempus illud Quadrageſimam nuncupant. Quin non de numero ſolùm dierum diſcrepant, verùm etiam de abſtinentia à cibis variam ſequuntur rationem. Nam alii omninò ab omni animantium genere abſtinent, alii inter animantia piſces ſolos comedunt, alii cum piſcibus volucres etiam manducant, eaſque ex aqua naſci aſſerunt. Alii à fructibus duris integumentis involutis & ab ovis temperant, alii arido pane veſcuntur, alii ne illo quidem. Sunt qui cùm ad horam nonam jejunaverint, variis ciborum generibus aluntur. Alia ratione apud alias gentes jejunatur: Cujus rei ſunt cauſæ propè infinitæ. Ac quoniam nemo de ea præceptum litterarum monumentis proditum poteſt oſtendere, perſpicuum eſt Apoſtolos liberam poteſtatem in eadem cujuſque menti & arbitrio permiſiſſe, ut quiſque nec metu nec neceſſitate inductus quod bonum ſit ageret. Hanc diſparem jejuniorum rationem in Eccleſiis eſſe cognoſcimus.* Neque ulla unquam ſororem ſuam ideò hæreſeos aut prævaricationis accuſavit. Rabido Photio hæc ſtultitia reſervabatur. Socrati conſentit Hermias Zozo-
L. 7. c. 19. menus: *Quadrageſimam, in qua populus jejunat, alii in ſex dierum ſeptimanis computant, ut Illyrii & qui ad Occidentem ſiti ſunt, nec non & univerſa Lybia & Ægyptus cum Palæſtinis; alii in ſeptem, ut Conſtantinopolitani & nationes circumjacentes uſque ad Phœnices: Alii ſparſim tres intra ſex aut ſeptem iſtas jejunant, alii tres Paſcha immediatè præcedentes continuant, alii duas, ut Montani ſectatores.* Errat igitur Socrates Romanos ad tres ſolùm, & quidem Sabbathis ac Dominicis diebus exceptis, hebdomadas jejunare. Semper enim hodiernum in morem, exceptis tamen ad aliquod tempus quintis feriis, jejunaſſe poſſit lucidè oſtendi. Rectè Zozomenus Occidentalibus adjungit Lybiam ac omnem Ægyptiacam diœceſim: Hanc enim, à Sancto Marco Petri Apoſtoli diſcipulo eruditam, ſemper in Chriſtianis moribus fuiſſe Romanæ Eccleſiæ conformem, eſt alibi ex authenticis teſtimoniis demonſtratum. Falsò Photius dixit omnem Latinam Eccleſiam ovis & lacticiniis per omnem Quadrageſimam veſci: Soli id, ob vini & olei inopiam, faciunt Septemtrionales populi, plerique tamen ab ovis obſtinentes.

CALUMNIA VII.

Quod in Paſchate Agnum more Judaico ſuper Altare pariter cum Dominico corpore benedicamus & offeramus.

REſpondit Nicolaus Pontifex: *Mentiuntur*. Reſpondit pro ſola Romana Eccleſia, aliiſque ejus ritum plenè ſequentibus. Etenim de aliis quibuſdam Latinis ſcribit in opere de Ritibus Eccleſiaſticis Walafridus Strabo: Cap. 18.
Quorumdam ſimplicium error de Judaicarum ſuperſtitionum ſeminario natus, & ad noſtra uſque tempora quædam vetuſtatis extendens veſtigia, jam ex magna parte Sapientium ſtudio compreſſus eſt. Et ſicubi adhuc perniciosum hujus peſtis germen reviveſcere fuerit comprobatum, mucrone Spiritali eſt radicitùs amputandum. Illum dico errorem, quo quidam Agni carnes in Paſcha, juxta vel ſub Altare eas ponentes, benedictione propria conſecrabant, & in ipſa Reſurrectionis die ante cæteros corporales cibos de ipſis carnibus percipiebant. Cujus benedictionis ſeries adhuc à nonnullis habetur. Quod quàm ſit ſupervacaneum, & à Sacramentis Chriſtianæ perfectionis abhorrens, facilè perſpicit, qui veraciter intelligit, quòd Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, & vult epulari, non in fermento veteri, ſed in Azymis ſinceritatis & veritatis. Photius igitur ſingularem quarumdam gentium abuſum toti Latinæ Eccleſiæ nequiter impoſuit, etiam in hoc mentitus, quod gentes illæ Agnum non ſub, aut juxta, ſed in Altari, idque cum ipſo ſacroſancto Dominico corpore, offerrent & conſecrarent. De ejuſmodi abuſibus ſentire debuerat cum Sancto Auguſtino in Epiſtola ad Januarium: *Quod inſtituitur* Epiſt. 119. c. 19.
præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit,

ſit, approbare non poſſum, etiamſi multa hujuſmodi propter nonnullarum vel ſanctarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda liberiùs improbare non audeo. Omnia itàque talia, quæ neque ſanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ità ut vix aut omninò nunquam inveniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodò contra fidem ſint, ipſam tamen Religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiam ſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur. Sed Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta multa tolerat, non approbat, nec tacet, nec facit. Abuſum illum rectè improbavit Photius, ſed longè peſſimè ejus cauſa Dei Eccleſiam conatus eſt lacerare.

CALUMNIA VIII.

Quod Clerici noſtri barbas radere non abnuant.

EAmdem in nos calumniam reſumpſit Nicetas Pectoratus, adverſùs quem in rerum à ſe Conſtantinopoli geſtarum indiculo ſcribit Cardinalis Humbertus, Sancti Leonis noni Pontificis ad Conſtantinum Monomachum Græcorum Imperatorem Legatus: *Græci* Epiſcopi & Clerici *capillos capitis ac barbas nutrientes, eos qui comas tondent & ſecundùm inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ barbas radunt, in communione non recipiunt.* Et Conſtantinopolitanus Patrum Prædicatorum tractatus: *Presbyteri Latini radunt barbas more ſuorum militum, præter Apoſtolicam inſtitutionem.* Et Latinum, victæ Conſtantinopoli à Flandris noſtris impoſitum, Patriarcham, quod barba eſſet raſus, tamquam deſolationis abominationem, à Daniele Propheta prædictam, deteſtatur in Hiſtoria ſua Nicetas Choniſtes. Etiam Theodorum, Andronici Auguſti filium laicum, quòd barbam more noſtro raderet, ut germanum Latinum & ſuæ gentis proditorem ridet & accuſat Nicephorus Gregoras. Reponit verò laudati tra-
L. 9. c. 2. ctatus Conſtantinopolitani Auctor Latinus: *Græcorum Sacerdotes more Judaico promittunt barbas, quæ ſunt Dominico ſanguine, cùm ab illis bibitur, madentes.*

Peſſimè & Photius & Nicetas Pectoratus ajunt barbæ Clericalis ſeu raſuram ſeu tonſuram eſſe Apoſtolicæ inſtitutioni adverſam. Etenim nos Latini adſerimus eſſe datum nobis Canonem à Sancto Petro Apoſtolo, de quo incogniti Auctoris Compilatio chronologica: *Petrus à Paganis captus, & ad ludibrium Chriſtianorum barba* A. 56.
raſus, & capite decalvatus, & in gyrum attonſus, hoc deinceps ipſe in myſterio in Eccleſia fieri inſtituit. Et ad Jovinianum è barbato nuper monacho raſum Clericum ſcribit Sanctus Hieronymus: L. 2. c. 13.
Quamquam barbam raſeris, inter barbatos *hircos*, damnatorum figuram, *numeraberis*. Omnes generaliter Latinos Clericos fuiſſe *deſtituta fronte* Epiſt. 7.
præraſos ſcribit ad Severum Sanctus Paulinus Epiſcopus Nolenſis. De eiſdem ſtatuit quarta Carthaginenſis Synodus: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam.* Et ſub Leonis noni Pontificatu habita apud Hiſpanos Synodus Coyacenſis: *Presbyteri & Diaconi barbas radant.* Et Dodonem Diaconum ad Judæos apoſtatantem, quod mox barbam ſibi creſcere permiſerit, advertunt Bertiniani Francorum Annales. Et Guilielmi primi A. 839.
Anglorum Regis milites, omni facie & utroque labio raſos, fuiſſe Presbyteris ſimiles notat Matthæus Pariſienſis. A. 1066.
Et Grandimontenſis Ordinis fratres converſos prolixis, Clericos raſis fuiſſe barbis teſtatur Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. Epiſt. 152.
Et pravos ſui temporis Clericos fuiſſe *ſolo barbiraſio* à laicis diſtinctos queritur in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem Sanctus Petrus Damiani. L. 1. Epiſt. 15.
Sanctum Petrum Apoſtolum in barbiraſio apparuiſſe addit in litteris ad Cadaloum Epiſcopum Parmenſem. Et ad Orzocum Sardi- Epiſt. 20.
niæ Rectorem de Jacobo Calaritano ſuis manibus conſecrato Archi-Epiſcopo ſcribit Pontifex Gregorius ſeptimus: *Nolumus Prudentiam tuam moleſtè accipere, quod Archi Epiſcopum veſtrum Jaco-* L. 8. Epiſt. 10.
bum conſuetudini ſanctæ Romanæ Eccleſiæ; matris omnium Eccleſiarum, veſtræque ſpecialiter, obedire coegimus, ſcilicet ut quemadmodùm totius Occidentalis Eccleſiæ Clerus ab ipſis fidei Chriſtianæ primordiis barbam radendi morem tenuit, ità & ipſe, frater noſter, veſter Archi Epiſcopus, raderet. Undè Eminentiæ quoque Tuæ præcipimus, ut ipſum ſeu Paſtorem & Patrem ſpiritualem ſuſcipiens, & auſcultans, cum conſilio ejus omnem tuæ poteſtatis Clerum barbas radere facias atque compellas. Græcis Imperatoribus ſubjecta Latina Inſula in Græcum morem pedetentim degenerarat: Hinc ipſam ad avitam diſciplinam reducit Pontifex, quòd Romana Eccleſia ſit ejus ſpecialis Mater, id eſt, quòd ipſa ad Romanum ac Latinum Patriarchatum, non ad Græcum Conſtantinopolitanum pertineat. Et hinc antiqui Latinarum Eccleſiarum Rituales libri inter Clerici faciendi ritus habent & barbæ raſuram: Eam ſolemniter initiabat ipſe Epiſcopus eum ſolemnibus precibus *Ad barbam tondendam*, & *Ad barbam raſam.* Primus è Latinis Epiſcopis barbam gerere cœpit Julius ſecundus Pontifex, ob cauſas ab ejus vitæ ſcriptoribus addiſcendas.

At obſtat ſuprà adductus Canon Carthaginenſis, cujus hæc dicitur eſſe Germana Lectio: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.* Et de Vigilio Pontifice apud Conſtantinopolim quaſi captivo, ac in Sancti Petri Baſilica quaſi aſylum quærente adverſum Juſtiniani Auguſti violentias, ſcribunt Italiæ Clerici ad Francorum Legatos in Regiam civitatem profectos: *Ipſum ſanctum Ponti-*

ſcem milites alii à pedibus, alii à capillis & barba tentum crudeliter abſtrahebant. Non ergo fuit barba tonſus aut raſus. Etiam Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus, Joannis decimi tertii Pontificis ad Nicephorum Phocam Græcorum Imperatorem Legatns, ſibi Conſtantinopoli barbam fuiſſe teſtatur in Actis ſuæ legationis.

Reſpondeo de germano adducti Canonis textu certare rerum antiquarum peritos, litemque etiamnum pendere indeciſam. Objectus interim nobis textus veritati jam adſertæ nequaqusm adverſatur. Eum enim exponit in libro de fæminsrum cultu Tertullianus:
Cap. 8. *Et viris propter fæminas vitio naturæ ingenita eſt placendi voluntas, propriaſque præſtigias formæ & hic ſexus agnoſcit, barbam acriùs cædere, intervellere, ſibi circumradere*. Barbæ evulſionem ac omnimodum virilis faciei lævorem, tanquam gentilem mollitiem, ſemper deteſtats eſt omnis ſub cœlo & Latina & Græca Chriſtisnitas, ideòque & Latinæ quædam Eccleſiæ ſuis Clericis interdixere, ut piorum oculorum offenſivsm, raſuram bsrbæ, quam non multùm
L.1. c.13. à lævore & vulſione abeſſe veraciter dicit in Pædagogo Chriſtiano Sanctus Clemens Alexandrinus. Voluerunt eis tonderi barbam ad modum à Sancto Hieronymo in Sancti Ezechielis Prophetæ commentariis præſcriptum.
Cap. 44. *Nec calvitium novacula eſt faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantùm capillos dimittendos, ut operta ſit cutis*. Et huncce morem forſan tenuit Eccleſia Africans.

Qua ex cauſa Vigilius Pontifex barbsm Conſtantinopoli habuerit, fateor me ignorare. Forſitan ex ills, de qua magnum Belgii Chronicon: *Albero* Trevirenſium Archi-Epiſcopus *per cortinam*
Fol. 161. *capitis ſui juravit nunquam barbam ſe raſurum*, niſi quædam Eccleſiæ ſuæ caſtra è laicorum manibus efeſtucaſſet. Aut ex ills, de qua in Francorum Hiſtoria Sanctus Gregorius Epiſcopus Turo-
L.8. c.30. nenſis: *Urſicinus Caturcenſis Epiſcopus excommunicatur, accepto hujuſmodi placito ut pœnitentiam tribus annis agens neque capillum neque barbam tonderet, vino & carnibus abſtineret, Miſſas celebrare, Clericos ordinare, Eccleſiaſque & Chriſma benedicere, Eulogias dare penitùs non auderet*. Alere barbam erat Latino Epiſcopo pœna ac nota, ideòque & ipſam aliis Vigilii Pontificis vexationibus forſan Juſtinianus adjecit.

Luitprandi Epiſcopi barbam etiam Chriſtophorus Patricius, memorati Auguſti Nicephori interpres, fuit admiratus, crediditque eſſe effectum mæroris. *Oſtendunt*, inquit ad illum, *pallor in ore ſedens, macies in corpore toto, crinitum caput, prolixa contra* Latinum *morem barba immenſum cordi tuo ineſſe dolorem, eò quòd redeundi ad Dominum tuum terminus eſt dilatatus*. At cauſam edicens Luitprandus, cur Joannes Pontifex Nicephorum non Romanorum, ſed Græcorum Imperatorem titulaſſet in ſuis litteris, adduxit longè aliam ſuæ barbæ rationem: *Quia linguam, mores, veſteſque mutaſtis, putavit ſanctiſſimus Papa ita vobis diſplicere Romanorum nomen, ſicut & veſtem*. Luitprandum igitur, quò Græcis Schiſmaticis eſſet gratior, diſpenſatoriè voluit Pontifex ad ipſos proficiſci barbatum. Quæ ratio, quòd quinta Synodus nugaces & Græculas hujuſmodi lites dudùm præceſſerit, videtur in Vigilio Pontifice non poſſe habere locum. Locum habere poſſit ratio per Chriſtophorum adducta.

Græcorum igitur Epiſcopi & Clerici barbam ſemper aluerunt. Rationem adducit in Chriſtiano Pædagogo Sanctus Clemens Alexandrinus: L.1. c.11.
Virorum ſit rarum caput niſi fortè pilos criſpos habeat; barba autem hirſuta. Intorti autem capilli ne à capite nimiùm dimittantur in comam muliebrem delabentes: viris enim barba ſufficit. Quòd ſi quis etiam barbæ non nihil tondeat, ea tamen non eſt omninò denudanda. Eſt enim turpe ſpectaculum, barbaque uſque ad cutem tonſus non videtur multum abeſſe à vulſione & lævore. Quoniam autem non decoris gratia, ſed propter circumſtantiam accipitur tonſus, pili quidem capitis ne ſi creſcant deſcendentes viſum impediant, & fortè qui in ſuperiori labii parte inter comedendum polluuntur, tondendi ſunt, non novacula, eſt enim illiberale, ſed tonſorum forcipibus. Barbæ autem pili qui nihil moleſtiæ afferunt, non ſunt vexandi, ut qui vultui gravitatem adferant, & quemdam paternum terrorem incutiant. Semper ergò Græci non tantùm in Epiſcopis & Clericis, ſed & in Laicis bsrbæ raſuram aut tonſuram exiſtimarunt eſſe illiberalem & ſpectaculum turpe.

Aliam cauſam adducit Sanctus Epiphanius, ajens de quibuſdam monachis Hæreticis: *Hi barbam,* Hæreſ. 80.
formam viri, reſecant; capillos autem capitis ſæpè nutriunt. Et de barba quidem in Conſtitutionibus Apoſtolorum dicit Divina Scriptura ac doctrina; NE CORRUMPAS, *hoc eſt, ne ſeces*, BARBÆ PILOS, NEQUE MERETRICIO MORE OB COMAM EFFERARIS. Ad quæ verba exſtat Scholion marginale: *Barbam ſecantes Latinos videtur notare*. At certum eſt falli. Solos iſtos Monschos, meretricio more cæſariem alentes, & contra Græcum morem barba raſos notat Epiphanius; primus Photius nos notare, immò tamquam Apoſtolicæ Conſtitutionis prævaricatores damnare cœpit ob raſam Clericorum barbam, cauſam nimis frivolam, de qua in litteris ad Gallicanos Epiſcopos Nicolaus Pontifex: *Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus*, Epiſt. 70.
ut temporibus noſtris vel falsò inſimulari ſanctam Dei Eccleſiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitùs à Patribus noſtris ſuſcepimus, pro libitu ſemper errantium infringi patiamur. Etenim barbati Græcorum & raſi Latinorum Epiſcopi in ſeptem generalibus Synodis & aliis ſæpè congreſſibus ſimul adſederant, nec ullus unquam in alterum de barba litigavit. Barba ſpectat ad corporis veſtem, cujus apud varias gentes varietate quiſquis exiſtimat variari Chriſtianam fidem aut lædi Apoſtolicos Canones, miſerè cæcutit & fœdè errat. Et hinc quoſdam Latinos Epiſcopos, à quibus Græci Clerici in eorum diœceſibus habitantes cogebantur ad barbæ raſuram, meritò nupèr compeſcuit Clemens ſeptimus.

CA-

CALUMNIA IX.

Quod Diaconus non ſuſcepto Presbyteratus officio apud nos Epiſcopus ordinetur.

ANtiquiſſimus Romanæ ac omnis ſub cœlo Eccleſiæ mos, per Synodum Sardicenſem confirmatus, non ſolùm Presbyterum, ſed etiam Diaconum permitit eligi in Epiſcopum: Hinc impudens Photius, ſuam è Laico prævaricatoriam electionem alieno vitio fucare moliens, calumniari nos non erubuit, quòd Diaconos per ſaltum in Epiſcopos & eligeremus & conſecraremus. Verùm hujuſmodi ſaltum fuimus cum omni ſub cœlo Eccleſia ſemper acerrimè deteſtati. Etenim Iſchyram, Sancti Athanaſii calumnioſum accuſatorem, quem per ſaltum Euſebiana factio conſecrarat in Epiſcopum, damnavit laudata noſtra Synodos Sardicenſis. Rem lucidè exponunt in litteris ad Ægyptiacæ diœceſeos Rectores, exſtantibus poſt Tyriam Synodum, Epiſt. 12. Mareolitæ regionis Presbyteri ac Diaconi: *Iſchyras eſt homo minimè Presbyter, tametſi ſe eo nomine jactitet, quippè ordinatus à Colluto quodam, non vero, ſed imaginario Epiſcopo, cui in generali Synodo ab Hoſio & à cæteris Epiſcopis, qui unà aderant, juſſum fuit, ut ſe pro Presbytero, qualis anteà fuerat, haberet, atque ideò omnes ab eo conſtituti in veterem ſuum ordinem recurrerant.* Iſchyram fuiſſe ab Hoſio ad laicos rejectum teſtatur in litteris ad omnes ſub cœlo Epiſcopos orthodoxos Synodus Alexandrina. Alia item ejuſdem diœceſeos Synodus in litteris, poſt Synodum Chalcedonenſem exſtantibus; ad Leonem Auguſtum de ſuo Pſeudo-Patriarcha Timotheo Æluro queri-Epiſt. 25. tur: *Epiſcopus ſine manus impoſitione exſtitit, ſed neque priorem habens Presbyteratus Ordinem Baptiſma fecit, & omnes operationes, quæ ei nullatenùs agere competebant, exercuit.* Priorem partem exponit in virorum illuſtrium catalogo Gennadius Cap. 69. Maſſilienſis: *Timotheus paſſus eſt ſe ab uno Epiſcopo Epiſcopum fieri.* Poſteriorem in erudito de ſa-F. 392. cris Ordinationibus opere Jacobus Hallier Epiſcopus Cavalonenſis: *Non puto reprehenſam fuiſſe Baptiſmi collationem à non Presbytero, nam à Diaconis Baptiſma fuiſſe collatum ſatis uſitatum fuit antiquitùs; ſed hoc maximè exiſtimo reprehendi, quòd qui Presbyter non eſſet, Epiſcopus creatus ſit, & Epiſcopalia munia, puta Baptiſmi collationem ſolennem, quæ certis diebus Epiſcopo reſervabatur, & alia hujuſmodi uſurparit.* Ælurum enim invaſi L. 2. c. 8. Epiſcopatus tempore, licet fuiſſe Presbyterum adfirmet Evagrius Epiphanienſis, fuiſſe ex Dio-Cap. 15. ſcori creatione ſolummodò Diaconum lucidè in Breviario inſinuat Liberatus Carthaginenſis. Et L. 7. Epiſt. 110. ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum ſcribit Sanctus Gregorius Magnus: *Ordinatè ad Ordines adſcendendum eſt, nam caſum appetit, qui ad ſummi loci faſtigia poſtpoſitis gradibus per abrupta quærit adſcenſum.* Agit in Neophytorum ſimoniacam hæreſim, ejus tamen ſermo locum omninò habet in quovis promotionis ſaltu. *Eum, qui ſaltu ſine gradu Diaconi ad Sacerdotium proſilivit, in degradationem debitam reſilire* ſtatuit apud Jacobum Sirmondum ſecunda Synodus Sueſſionenſis. Cap. 6. Et apud Gratianum Alexander ſecundus Pontifex ſcribit Grimaldo Epiſcopo Conſtantienſi: Diſt. 52. c. 1. *Sollicitudo Dilectionis Tuæ ſtuduit conſulere, utrùm portator iſtarum litterarum Diaconatus & Presbyteratus officium idoneus ſit peragere, nec ne, cùm ad id præpoſtero curſu, Subdiaconatus ordine poſtpoſito, negligentia potiùs quàm ſuperbia, cognoſcatur adſcendiſſe. Undè nos conſcribendo Charitati Tuæ mandamus, ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus miniſterium ei rectè imponas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas.* Quod Reſcriptum laudat, & ex illo *Clericum, qui inordinato & præpoſtero ſaltu, cùm non eſſet benedictus in Clericum, in Subdiaconum ſe fecerat ordinari*, eodem modo tractandum definit Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Epiſt. 185. Eodem modo tractandum neſcio quem Subdiaconum, qui Diaconatus Ordine prætermiſſo ſe fecerat ad Sacerdotii Ordinem promoveri, mandat Innocentius tertius Epiſcopo Bononienſi. L. 5. tit. 29. c. 1. Patriarchæ item Conſtantinopolitano Latino, per Flandrenſes noſtros tunc impoſito, cum Græcis illis, qui omiſſis minoribus majores Ordines recipere præſumpſerant, diſpenſandi licentiam poſtulanti, reſcripſit: *Cum illis authoritate noſtra diſpenſes, quibus litterarum ſcientia & & morum gravitas ſuffragantur, injuncta priùs illis pœnitentia competenti.* Exſtat longa & variæ eruditionis plena Epiſtola in ejuſdem Pontificis vita F. 110. publicata per Franciſcum Boſquettum. Et hinc de tolerandis aut non tolerandis Græcorum ritibus ſcripſit ad Epiſcopum Tuſculanum, ſuum in Cypro inſula Legatum, Innocentius quartus: *Volumus & expreſsè præcipimus, quod Epiſcopi Græci ſeptem Ordines ſecundùm morem Romanæ Eccleſiæ de cætero conferant, cùm huc uſque tres de minoribus neglexiſſe & prætermiſiſſe dicantur; illi tamen, qui jam ſunt taliter ordinati, per eos propter nimiam ipſorum multitudinem in ſic ſuſceptis Ordinibus tolerentur.* Conſtit. 14. Recentiores enim Græci ſolùm ex inferioribus Ordinibus Lectoratum admittunt & conferunt: Qui mos an novus ſit, adeòque corrigendus, alibi erit diſquirendum. Interim lucet omnem in Eccleſiaſticis gradibus ſaltum fuiſſe ſemper à Romana & omni Latina Eccleſia rigidiſſimè damnatum. Eſt diſciplina longè antiquiſſima, utpotè cujus in libro de fuga in perſecutione meminit Tertullianus: *Hoc ſentire & facere omnem Dei ſervum oportet, etiam minoris loci, ut majoris fieri poſſit, ſi quem gradum ex perſecutionis tolerantia adſcenderit.* C. 11. Generoſa enim Chriſti Domini confeſſio & tormentorum tolerantia pugiles ſuos primis Eccleſiæ ſæculis aut admovebat Clero, aut in ipſo promovebat. Et in Præſcriptionum libro ait idem Doctor in Hæreticorum caſtris facilè profici, etiam à neophytis, ideòque eorum Ordinationes eſſe leves, temerarias, inconſtantes. Et liber Pontificalis ſtatuiſſe laudat C. 41. Cajum Pontificem, ut ad Ordines Eccleſiaſticos ſic adſcendant in Eccleſia, qui ordinari merentur,

Digitized by Google

tur, id eſt, ſi quis Epiſcopus eſſe mereatur, ſit
primò Oſtiarius, deindè Lector, poſteà Exorci-
ſta, indè Acolythus, Subdiaconus, Diaconus,
Presbyter, Epiſcopus creetur. Vocem, *ſtatuit*,
exiſtimo eſſe idem, quod vocem, *Innovavit*,
utique Apoſtolicum Canonem, à tot poſtmodùm
Synodis atque Apoſtolicæ Sedis Decretis, ſua
cuique Ordini tempora atque interſtitia adſignan-
tibus, repetitum & confirmatum. Licèt enim
Subdiaconorum ac aliorum inferiorum Clerico-
rum nullus in ſuis Scriptis Apoſtolus meminerit,
meminere tamen eorum proximi Succeſſores,
utique ex doctrina & traditione Magiſtrorum.

Opponi tamen poſſint exempla varia ſuadentia
longè aliud. Etenim de Sancto Cypriano è cate-
chumenis ad Epiſcopatum evecto ſcribit in ejus
vita Pontius Diaconus Carthaginenſis: *Presby-
terium & Sacerdotium ſtatim accepit. Quis enim
non omnes honorum gradus crederet tali mente creden-
ti? Multa ſunt, quæ adhuc Plebejus; multa, quæ
Presbyter fecit.* Hæc antitheſis demonſtrare vide-
tur eum è Plebejo ſeu laico fuiſſe mediis gradibus
omiſſis Presbyterum ordinatum. Et de Sancto
Auguſtino è laicis per ſubitum violenti populi
raptum Presbytero ſcribit Sanctus Poſſidius Epi-
Cap. 4. ſcopus Calamenſis: *Eum tenuerant, & ut in tali-
bus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt,
omnibus id uno conſenſu & deſiderio fieri, perficique
petentibus, magnoque ſtudio & clamore poſtulanti-
bus. Et eorum tunc, ut voluerunt, completum eſt
deſiderium.* Notanda ſunt verba, *Ut in talibus
conſuetum eſt:* Oſtendunt ejuſmodi laicos ad
Presbyteratum aut alium ſuperiorem Eccleſiæ
gradum à populo raptos conſueſſe mox in inſtan-
ti ad gradum iſtum à præſenti Epiſcopo conſecra-
ri. Hinc enim & de Pauliniano Sancti Hierony-
mi germano fratre ſcribit ad Joannem Hieroſoly-
mæ Epiſcopum Sanctus Epiphanius Cypriorum
Apud S. Hieron. Epiſt. 60. Metropolita: *Ignorantem eum, & nullam penitùs
habentem ſuſpicionem per multos Diaconos appreben-
di juſſimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari ſe
cupiens adjuraret nos per nomen Chriſti, & primùm
Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei,
& compellentes ut miniſtraret. Valdè enim obnitteba-
tur, indignum ſe conteſtans. Et cùm miniſtraret in
ſanctis Sacrificiis, ingenti difficultate tento ore ejus,
ordinavimus Presbyterum.* Voces, *Primùm Diaco-
num ordinavimus*, edicunt primum Pauliniano
impreſſum Ordinem fuiſſe Diaconatum. Cur
ejus adjurationem timuerit, ideòque illi os clau-
ſum per Diaconos teneri juſſerit Epiphanius,
Cap. 10. diſces ex hoc Sancti Baſilii ad Sanctum Amphilo-
chium Canone: *Qui jurant ſe Ordinationem non
admittere, ejerantes non cogantur pejerare.* Fir-
mum ac reverendum eſſe ait iſtiuſmodi juramen-
tum. Sancti Joannis Chryſoſtomi vitam accuratè
admodùm deſcribunt Georgius Patriarcha Ale-
xandrinus, Symeon Metaphraſtes, ac Leo Im-
perator: Omnes adſerunt à Zenone Tyriorum
Metropolita Lectorem, à Sancto Meletio Patriar-
cha Antiocheno Diaconum, à Flaviano Meletii
Succeſſore ordinatum fuiſſe Presbyterum, nul-
lamque Subdiaconatus faciunt mentionem. Eo-
dem ſaltu promotum Sanctum Eutychium Pa-
triarcham Conſtantinopolitanum teſtatur apud
Laurentium Surium Presbyter Euſtatius. Etiam
laudatum Cypri Metropolitam Epiphanium,
laicum adhuc monachum, reluctantem ac re-
clamantem, *Non Pater, non ſum Clericus*, tra-
ctu uno Diaconum, Presbyterum, atque Epi-
ſcopum ordinavit Pappus Citriæ Epiſcopus, mi-
nores Ordines ac Subdiaconatum tranſiliens, uti
in illius vita refert diſcipulus Joannes. Et de
Marcianum laicum monachum viſitantibus Fla-
viano Antiocheno, Acacio Berrhæenſi, Euſe-
bio Chalcidenſi, Theodoro Hierapolitano, ac
Iſidoro Cyrenſi Epiſcopis ſcribit in monaſtica Cap. 3.
hiſtoria hujus Succeſſor Theodoretus: *Cùm ſur-
rexiſſent & oraſſent, cumque Sacerdotem ordinare
vellent, manus tamen admovere non audebant,
atque hoc illum, ille hunc adhortante, dùm mona-
chum*, quem invitum norant, vereriti *recuſaſſent
omnes, re infecta diſcedunt.* Subita ac improvi-
ſa manus impoſitione putarant virum è laico ſta-
tim Presbyterum conſecrare. Ità idem Patriar-
cha Flavianus Macedonium, Anachoretam San-
ctum, aſt ruſticum atque imperitum, *de montis*, Cap. 13.
in quo degebat, *vertice per ſpeciem objectæ accuſa-
tionis abduxit, & ſub myſticum ſacrificium Altari
admovit, cooptavitque in numerum Sacerdotum.
Cùmque peracta liturgia hoc illi quidam indicaſſet
(ignorabat enim prorsùs quid egiſſent) primùm qui-
dem conviciis verbiſque aſperis proſcidit univerſos;
deindè arrepto, quo innixus propter ſenium incede-
bat, baculo Pontificem ipſum ac alios, qui aderant,
inſecutus eſt, Ordinationem hanc ratus ſibi montis
verticem optatamque habitationem ereptaram.* Sin-
gulis ſucceſſivè Eccleſiaſticis gradibus nequa-
quam inſignitus fuit iſte Macedonius, ſed ſubita,
ſimplicem Epiſcopi benedictionem ſimulante,
manu in Presbyterum evectus: Alioquin variam
& longam variorum rituum paraturam omninò
advertiſſet, habuiſſetque ſive notam ſive ad
minùs ſuſpectam. Et de Acepſima monacho eum-
dem in modum conſecrato Presbytero pergit
Theodoretus: *Genibus flexis exſpectabat gratiam,* Cap. 15.
Epiſcopus manum imponens ſpiritui famulabatur.
Voces, *flexis genibus*, evincunt illum fuiſſe ſta-
tim ſacratum in Presbyterum: Diaconus enim
non utroque, ſed altero dumtaxàt genu flexus
Epiſcopalem ſuæ Ordinationis manum ſemper
apud Græcos accepit. Proſequitur Theodoretus
de Salamane monacho incluſo: *Civitatis Antiſtes,* C. 19.
*cognita viri virtute, Sacerdotii donum impartire illi
cupiens ad eum venit, & effracta domunculæ parte
ingreſſus eſt, precationemque peregit* Presbyteratus
impreſſivam. Etiam Sanctum Cæſarium mona- Die Aug. 27.
chum *fuiſſe illicò primùm Diaconum, deindè Preſby-
terum ordinatam* teſtatur ejus vita. Adduci poſ-
ſint plura ejuſmodi exempla.

Reſpondeo illa non plenè evincere. Etenim
Sancto Cypriano fuiſſe omninò factum credo,
quod ſimiliter electo Sancto Ambroſio factum
ſcribit in ejus vita Paulinus Presbyter: *Baptiza-
tus fertur omnia Eccleſiaſtica officia impleſſe, atque
octava die Epiſcopus ordinatus eſt.* Eodem modo
Nectarium è catechumeno Conſtantinopolita-
num Epiſcopum antiqui Scriptores, nec non &
noſtrum Neophytum Photium fuiſſe promotum
teſtantur Nicetas Paphlago & Synodus præſens.
Ità

Ità factum in omnibus adductis exemplis poſſimus non ſine fundamento conjecturare. Omnis enim nobis objecta auctoritas eſt negativa: Commiſſum ſaltum nulla diſertè adfirmat. Hæc verba, *Illicò primùm Diaconum ordinavit*, forsàn habeant hunc ſenſum: Uno tractu dedit omnes gradus uſque ad Diaconatum. Commiſſus tamen videtur ſaltus in adductis per Theodoretum Ordinationibus monachorum: Videtur & omiſſa ſolennis cæremonialium rituum longa paratura. Quidquid ſit, nullum adducitur exemplum ex Eccleſia Romana. Et aliud ſunt exempla, aliud Canones. Sanè Sancti Epiphanii proteſtatio, *Non Pater, non ſum Clericus*, palàm demonſtrat Pappium in Canones impegiſſe. Adversùm ejuſmodi exceſſus laudatum ſuprà Caii Pontificis Decretum, ipſumque confirmantes varios Latinorum & Græcorum Canones crediderim prodiiſſe. Hinc item invitorum ad Clericatum populares raptus & Raptorum Ordinationes interdixit Simplicius Pontifex, ejuſque Decretum Leo & Majoranus Auguſti confirmarunt. Interdicti cauſa fuit varia: Una fuiſſe poteſt, quod raptus ille avitæ Eccleſiaſticorum graduum ſubordinationi violandæ præberet paſſim occaſionem. Nullum porrò adducitur exemplum intermiſſi in conſecrato Epiſcopo Presbyteratus, quòd nempe hunc eſſe Epiſcopatus eſſentialem partem fuerit apud omnes ſub cœlo Eccleſias ſemper indubitatum.

CALUMNIA X.

Quòd à Sedis Apoſtolicæ Legatis fidei libellum Photius exigeret.

HÆc non calumnia eſt, ſed realis injuria, de qua ad Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopos Epiſt. 70. meritò ſcribit Pontifex Nicolaus: *Et adhuc, quod eſt gravius & inſanius, à Miſſis noſtris, contra omnem regulam & præter omnem conſuetudinem, libellum fidei, ſi ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam iſta capitula, quam ea tenentes*, id eſt, omnem Latinam Eccleſiam, *anathematizarent. Nec non & Epiſtolas canonicas ab his ei, quem ſuum Œcumenicum Patriarcham appellant, dandas improbè requirebant*. Eamdem temeritatem reſumpſerunt Græci in Synodo Flo- Seſſ. 25. rentina in ipſum præſentem Pontificem Eugenium quartum, à quo repoſitum: *Dixiſtis, ut fidem noſtram vobis ſcriptam traderemus, quod quidem à dignitate Romanæ Eccleſiæ ſemper alienum fuit. Optimè enim noſtis, quantum honorem haberent ſemper Orientales Romanæ Eccleſiæ, quantamque illi obedientiam exhiberent*. Photius non ſolùm Romani Papatus Primatum tranſcripſit ſedi Conſtantinopolitanæ, ſed & ſingula ejus privilegia, dignitates, jura, mores, adeòque & illum, de quo in quarta hujus Synodi Actione dixerunt glorioſiſſimi Magiſtratus: *Mos eſt in Romana Eccleſia ab omni homine hoſpite libellum fidei exigendi, & ità permitti hunc in Sanctum Petrum intrare*. Ità fiebat Epiſcopis, Patriarcharum Legatis, ipſiſque etiam Patriarchis. Eſt mos longè antiquiſſimus, cujus cauſa Donatiſtas Epiſcopos non poſſe Romæ Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli memoriis communicare, aut ad ipſas ſacrificium offerre, ſcripſit in ſecundo adversùm ipſos libro Sanctus Optatus Epiſcopus Mileviranus. Et in litteris ad Sanctum Meletium Patriarcham Antiochenum Sanctus Baſilius Magnus cenſet admonendos Romanos, Epiſt. 53. *Ne ſine diſcrimine quorumvis ex Oriente venientium communionem accipiant; ſed una ſemel electa parte reliquos ex conſentientium teſtimonio admittant, & non cuivis, ſub prætextu orthodoxæ doctrinæ, fidei formulæ ſcribendæ adſtipulentur. Nam iſto pacto deprehendentur cum adverſariis facientes, qui eadem ſæpè numero verba prætexunt quidem, inter ſe verò pugnant, ut qui plurimùm diviſi diſſidenteſque fuere. Ne igitur ampliùs hæreſis eorum, qui inter ſe mutuò diſſident, per ipſorum ſcripta, quæ prætexere & objicere ſolent, incautos ſeducat, admonendi ſunt ut arcanas accedentium communiones, & ſcriptis juxta formam Eccleſiaſticam comprehenſas faciant*. Schiſmate tunc laborabat Antiochena Eccleſia, diviſa in duos Epiſcopos orthodoxos, Paulinum ac Meletium: Baſilius, Paulinum Marcellianæ impietatis palàm traducens, Meletio; Paulino favebat Romana & omnis Latina Eccleſia, Meletium tamen diſſimulans, ac ejus partem, dummodò legitimæ fidei authenticas litteras adferret, eamque Romæ in ſuis manibus profiteretur, admittens ad Sancti Petri Baſilicam & plenam communionem. Hinc Romanos ſuaſit Baſilius admonendos, quatenùs unam partem eligerent, utrinſque partis litteras & fidei profeſſiones deinceps non probarent, ſed quampiam arcanam & ab omni dolo ſecuram profeſſionis formulam ſibi pro Orientalibus advenis formarent: Quòd nempe aſtuta & occultati Arianiſmi ſuſpecta eſſet iſta gens, & ſub orthodoxis vocibus lepram iſtam, quaſi ſub ovinis lanis lupum, obtegens quandoque circumſcriberet Latinam ſimplicitatem. Nam ità nuper Liberium Pontificem circumvenerat, & communicatorias ad Synodum Thyanenſem litteras obtinuerat Euſtatius minoris Armeniæ Archi-Epiſcopus Sebaſtenus, de quibus dolis ſcribit idem Baſilius ad Epiſt. 67. ſuos monachos: *Habent aſtutum quoddam dogma, ad ſuas mutationes paratum. Nam verbis fidei more Medicorum utuntur, pro commoditate aliter ſeſe ad affectionum rationem & varietatem attemperantes.* At Baſilii conſilia non plenè ſucceſſiſſe docet nos quintus Canon primæ Synodi Conſtantinopolitanæ: *De libello Occidentalium, etiam eos ſuſcipimus, qui Antiochiæ unam Patris & Filii & Spiritus Sancti Deitatem confitentur*. Dico, *Non plenè*: Etenim arcanum & ſecurum profeſſionis libellum ſeu formulam omninò compoſuit, ac Eccleſiæ Antiochenæ præſcripſit; aſt alteram eligere & alteram ſchiſmatis partem abjicere noluit Romana Eccleſia, ejuſque præ Baſiliano judicium ſequi maluit Synodus, cui ipſe Meletius interfuit, Conſtantinopolitana.

Digitized by Google

Ejuſdem Romani moris meminit in diſputatione cum Sancto Abbare Maximo Pyrrhus Patriarcha Conſtantinopolitanus, de hæreſi Monotheliticа jam convictus: *Hoc ſolùm rogo, ut dignus habear inprimis templorum Apoſtolorum, ac potius ipſorum Principum Apoſtolorum adoratione, deindè ut videam faciem ſanctiſſimi Papæ, eique tradam libellum eorum, quæ abſurdè facta ſunt*. Meminit & in litteris ad Sanctum Cyprianum Carthaginenſem Firmilianus Cæſareenſis in Cappadocia Archi-Epiſcopus, de Sancto Stephano Pontifice, dicti Cypriani Legatos refutante, ſcribens Ironicè: *Legatos Epiſcopos patientes ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret, adhuc inſuper dilectionis & charitatis memor præciperet fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum ſuam reciperet, ut venientibus non ſolùm pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur*. Tanta etiam tunc in ipſa urbe coram gentilis Auguſti oculis fuit authoritas Epiſcopi Romani. Hunc ille in modum tractavit Sancti Cypriani Legatos, quòd dati ab Hæreticis Baptiſmi iterationem nollent libello ejerare. Ità Apoſtolica Sedes oſtendit ſe eſſe totius Eccleſiæ Magiſtram, infallibilem controverſiarum judicem, caput omnium Eccleſiarum ac ipſorum etiam Patriarcharum, atque de ſua in ſæculi finem duratura prædicatione ad Petrum Apoſtolum dixiſſe Chriſtum Dominum: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*.

Nervosè hoc in litteris ad Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopos inculcat Pontifex Nicolaus: *Perpendite, ſi à Legatis noſtris libellus exigi debuit, aut quæ hinc exempla præceſſerint. Cùm nec ſcripto inſertum, nec memoriæ commendatum tale quid inveniri credatur. Numquid nos alicujus novitatis inventores extitimus? Nunquid alia, niſi quæ ad ſalutem ipſorum & communem Eccleſiæ ſtatum pertinebant, tranſmiſimus? Nunquid nos hæretici aliquando fuimus? Nam licèt nos peccatores eſſe quidem non denegemus, quorumlibet tamen errorum fæce pollutos, Deo gratias, minimè recognoſcimus, quemadmodùm illi, qui nunquam ſine ſchiſmate, nunquam prorsùs ab errore reperiuntur extranei. Libellos autem ab illis nos & exigere & ſuſcipere, non autem illos à noſtris exigere ſolere, conſuetudo huc uſque cuſtodita demonſtrat. Cùm enim Chriſti munere propter Primatum Romanæ Eccleſiæ in beato Petro conceſſum nemini ſit de Sedis Apoſtolicæ judicio judicare, aut illius ſententiam retractare permiſſum, conſtat nimirùm eos ab his nullum jus poſſidere libellos exigendi, quia habere fas judicandi nullo jubentur Canone, nullo probantur exemplo. Potiorum enim eſt ab inferioribus, non inferiorum à potioribus violenter exigere rationem, aut extortam elicere ſatisfactionem*. Voluit Photius caput in caudam vertere, mundi elementa reducere in antiquum chaos, & ſubjectionis teſſeram non ampliùs impendere Romanæ Eccleſiæ, ſed ab ipſa in ordinem redacta exigere, quin & ipſam & dogmata & mores ejus, tamquam hæretica aut prævaricatoria, anathematizari.

Epiſt. 50.

Etiam Canonicas Eccleſiaſticæ communionis aut delegatæ ſibi à ſuo Pontifice delegationis litteras nunquam ab ullo Epiſcopo, Patriarcha, aut etiam generali Synodo potuerunt exigi Legati Romani. Etenim hiſce Bahanis famoſiſſimi Patricii atque Imperialis in hac Synodo Vicarii verbis, *Epiſcopi petunt unà cum Senatu, ut certificentur hora iſta, undè ſitis, & quam poteſtatem vel litteras habeatis*, reſponderunt Legati Papales: *Hoc nos uſque nunc non invenimus in univerſali Synodo factum, ut Vicarii ſenioris Romæ à quolibet perpendantur, utrùm talem exiſtimationem habeant*. Et Bahani reponenti, *Et nos propter inhonorantiam Apoſtolici Throni non dicimus hoc, ſed quia anteriores veſtri accedentes Miſſi, Rhodoaldus ſcilicet & Zacharias, deceperunt nos, alia in mandatis habentes, & alia facientes*: rursùm Romani Legati: *Ergo ut omnem dubitationem emittamus è cordibus veſtris, & verbis & operibus certificemus vos, quia ſecundùm ea, quæ mandata & juſſa ſunt nobis, ità & diſponemus, ecce & Epiſtolas habemus ad Imperatorem & Patriarcham, & ſi jubetis, legantur*. Alias patentes ad Synodum aut Principem, alias ſecretas ſuæ poteſtatis litteras atque inſtructiones paſſim habebant Legati, juſta item ob nuperam Rhodoaldi & Zachariæ prævaricationem, atque à Photiano Pſeudo-ſpiritu alieniſſima erat Synodi poſtulatio; nihilominùs ſolas priores illi hìc ex antiquo more exhibent ac legi permittunt. Et ex hac regula tertium ſub Clementis quinti Pontificatu Concilium Ravennatenſem, quoſvis Sedis Apoſtolicæ Legatos, Subdelegatos, ac Nuntios cogens ad poteſtatis ſuæ litteras Metropolitæ exhibendas, addidit: *Hoc tamen non intelligimus ad Legatos ex latere ullo modo extendi*. Prius Romanæ Eccleſiæ de non facienda apud ullum fidei profeſſione privilegium ineundæ pacis gratia diſpenſatoriè etiam quoad propriam perſonam infregit in Florentina Synodo Eugenius quartus, adjungens ſuo ſuperiùs laudato ad Græcos Reſponſo: *Nos ad hoc etiam devenimus, ſcripſimus enim fidei noſtræ libellum, & vobis miſimus*.

Act. 5.

Cap. 5.

A Photiano item ſpiritu Chriſtophorus Coronenſis Epiſcopus, laudati Eugenii Legato Conſtantinopolim ad Eccleſiarum pacem præparandam venturo poſtulans primum locum etiam ante Patriarcham, accepit hoc à Sylveſtro Sguropulo adductum Reſponſum: *Re acriter ventilata, à Græcorum Archi-Epiſcopis & Principibus Eccleſiæ coram Patriarcha hoc tandem prodiit manifeſtum, à quamplurimis Præſcriptis ſynodalibus, quod petierat Chriſtophorus, concedi non poſſe. Nam qua conſuetudine aut exemplo? Quo jure id unquam viſum, ut Patriarchæ legitimo in ſua Metropolitica Eccleſia reſidenti alterius Legatus ſupereminerет? Quod ne contigit quidem in quinta Synodo, cùm ipſe Vigilius præſens officio & munere fungeretur: Eutychius Patriarcha Vigilio Papæ locum non ceſſit*. Aſt de Vigilio Papa fuerunt nimiùm hallucinati. Quis enim neſciat & Vigilio præſidendi locum oblatum à quinta Synodo, & Legatos Apoſtolicos in omni ſemper generali Synodo ante omnes Patriarchas, etiam in propria eorum civitate atque Eccleſia, ſediſſe & præſediſſe? Eos ad honorem iſtum non admiſiſſe fuit unum è damnatis facinoribus Dioſcori ac latrocinii Epheſini.

L.2.c.12.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

Exponitur Photii è Throno Conſtantinopolitano expulſio, ac Sancti Ignatii Patriarchæ reſtitutio, facta per Baſilium Auguſtum.

ANno Domini octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, decimo & ultimo Nicolai Pontificis, primus hujus facinoroſæ tragædiæ auctor Bardas Cæſar in ſomnio vidit flexum genua Igna- Nicet. Paphl. tium Sancto Petro Apoſtolo ſupplicare in hæc verba: *Claviger cœleſtis regni, & Petra, ſupra quam Chriſtus Deus Eccleſiam ſuam firmavit, ſiquidem tibi ignotum non eſt, quam iniquè mecum actum eſt, ſolare adflictiſſimam ſenectutem meam.* Et interloquenti Apoſtolo, *Oſtende venatorem tuum*, Ignatius oſtendit Bardam cum elogio: *Hic plus omnibus me afflixit.* Hinc adſiſtenti miniſtro edixit Apoſtolus: *Hunc invisſum Deo Bardam prebende,* Cap. 17. *& foris in atrio ſtatim concide.* Non ſemper vana ſunt iſtinſmodi ſomnia. Etenim in libro de velandis Virginibus ſcribit Tertullianus: *Dominus etiam revelationibus velaminis ſpatia metatus eſt. Nam cuidam ſorori noſtræ Angelus in ſomnis cervices quaſi applauderet verberans,* ELEGANTES, *inquit*, CERVICES, ET MERITO NUDÆ. Csp. 15. Et in libro de idololatria: *Scio fratrem per viſionem noctè caſtigatum graviter, quod januam ejus ſubitò annunciatis gaudiis publicis ſervi* ritu pagano Cap. 26. *coronaſſent.* Et in libro de ſpectaculis: *Conſtat mulieri linteum in ſomnis oſtenſum ejus diei nocte, qua Tragœdum audierat, cum exprobatione nominatim tragœdi, nec ultra quintum diem eam mulierem in ſæculo fuiſſe.* Et cuidam moribundo ac mortem deprecanti Epiſcopo adſtitiſſe Angelum, indignatumque dixiſſe, *Pati timetis, mori non vultis, quid faciam vobis*, refert in ſermone de Mortalitate Sanctus Cyprianus, eamque viſionem à moribundo Sancto Auguſtino fuiſſe memoratam atque laudatam teſtatur in ejus vita Sanctus Poſſidius Epiſcopus Calamenſis. Et ſomnianti Sancto Hieronymo inflicta per Angelos flagra non fuiſſe imaginaria relicti vibices docuerunt. Et de Sancto Tetrico Lingonenſi Epiſcopo, ejuſque peſſimo ſucceſſore Pappolo ſcribit in Francorum Hiſtoria Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis: L. 5. c. 5. *Dormienti Pappolo quadam nocte apparuit beatus Tetricus vultu minaci, ac ità inquit;* QUID TU HIC PAPPOLE, UT QUID SEDEM MEAM POLLUIS? CEDE LOCO, RELINQUE SEDEM, ABSCEDE LONGE A REGIONE. *Et hæc dicens, virgam, quam habebat in manu, pectori ejus cum ictu valido impulit.* Gravem exindè morbum concepit Pappolus, & die tertia exſpiravit. Innumera ejuſmodi habemus authentica exempla.

Etiam à ſomnio ſuo concuſſus admodùm fuit impius Bardas, ſtatim condito teſtamento diſpoſuit domui ſuæ, & ipſum narranti Philotheus Genicorum Logotheta dedit Chriſtianum conſilium: *Parce, Domine, infeliciſſimo ſeni, & ad Dei tribunal reſpiciens, cum neque jure neque injuria lædas.* Verùm ad ſecretas cordis aures non fuit locutus Dominus Deus, ideòque quævis & per homines & per Sanctos Angelos ſuggeſta monita Bardas tamquam prævaricator accepit. *Statim quippè, ipſo ſolennis jejunii exordio, Leonem* Nicet. Paphlag. *illum, cognomento Pitaolenen, cognatum Photii, cum ſatellitio in inſulam miſit, adeòque arctè cuſtodiri juſſit Ignatium, ut ne ſacris quidem operari poſſet, neque cuiquam copia fieret illius conveniendi, nec ipſi exeundi.* Ità Photianis cuſtodibus, tamquam Leopardis, ille circumcinctus manſit per tres menſes uſque ad Faſtum Pentecoſtes, atque tum Sanctus Petrus Apoſtolus ſuum de Barda judicium eſt exequi orſus. Etenim in captam à Saracenis Cretam inſulam movens Auguſtus Michael proditæ illum majeſtatis ſuſpectum habuit, per proprios milites trucidatum juſſit membratim ſecari, & ad fixa haſtis membra per caſtra circumferri. Symbatius ejus gener, Dromi Logotheta, præbuit facinori ducatum. Modica fuerat ſuſpicionis cauſa: Palatinum officium, in Thraciæ campis caſtra metans, Auguſti in plano, Bardæ tentorium in colle ex neſcio qua incuria fixerat. Et vide Photii per ipſum in ſedem Patriarchalem intruſi ingratam mentem: Defuncto tamquam juſtiſſimè trucidato, homicidæ Principi adulatus, inſultavit atque maledixit.

Improlis, Reipublicæ ignarus, vino dumtaxàt & ſomno deditus erat Auguſtus Michael, ideòque relicta in Saracenos expeditione Conſtantinopolim mox regreſſus eſt, pergitque de ipſo Nicetas Paphlago: *Erat Pentecoſtes, & Baſilium Patricium, ſacri cubiculi Præfectum, Cæſarem impoſito diademate renunciat.* Baſilium fuiſſe nativitate Macedonem, origine autem Armenium ex Regia iſtic & antiquiſſima Arſacidarum familia, Divinis pridem oſtentis Imperio deſtinatum, ac à Michaele Auguſto adoptatum in filium adfirmat & oſtendit Georgius Cedrenus, additque: *Eum Michael Imperatoriis honoribus, inſignibus, atque opibus, exornat, progreſſus hujus rei cauſa in nobile Divinæ Sapientiæ templum, ac illi coronam Regiam imponit, ipſo ſanctæ Pentecoſtes feſto die, qui fuit Maii decimus ſextus, indictionis decimæ quartæ.* Eadem indictione id factum vult Joannes Curopalates. Verùm fuiſſe decimam quintam, ac Domini annum octingenteſimum ſexageſimum ſeptimum, evincit Sancti Pontificis Nicolai Epiſtola ad Gallicanos Epiſco- Epiſt. 70. pos, adversùs Michaelem Auguſtum & Baſilium Cæſarem ſcripta ejuſdem anni indictione prima, die decimo Calendas Novembres. Eſt noviſſima ſanctiſſimi Pontificis Epiſtola, quem idibus Novembribus objiſſe Anaſtaſius Bibliothecarius teſtatur. Eodem tempore imaginariam ſuam in eumdem Pontificem Synodum Photius, infernales in Sanctum Ignatium picturas confecit Gregorius Syracuſanus, in Italia autem ad Romanum populum ac Ludovicum ſecundum Auguſtum portare juſſi ſunt Zacharias Cophus Chalcedonenſis & Theodorus Metropolita Laodicenſis.

Pergit Nicetas Paphlago. *Nec ità multò poſt*

ipſe Michael Auguſtus ad Sancti Mamantis Martyris ædem per inſidias mactatur, merita dignoque ſua amentia, ſcelere, & impietate fato perfunctus, cùm imperium unà cum matre annos quindecim, menſes octo, ſolus novem propè annos adminiſtraſſet; Cumque malum feciſſet in conſpectu Eccleſiæ Dei, periit. Initio autem indictionis primæ, nono Calendas Octobris, Baſilius Regia occupata Imperator eſt conſalutatus, qui miſſis ad revocandum ex itinere Zachariam, illum è media via retraxit. Poſteroque die, quam renunciatus eſſet, Imperator Photium de throno deturbatum in cænobium Scepen appellatum ejicit, poſtridieque Eliam ſplendidiſſimum Regiæ claſſis Drungarium cum dromone Regio ſeu celoce ad ſanctiſſimum Patriarcham Ignatium ex inſula Conſtantinopolim ea, qua per erat, honoris pompa reducendum mittit, qui illum tantiſper in paternis ædibus ſuis, quas Mangana appellant, collocat. Cæſi Michaelis cauſam adfert Georgius Cedrenus, inquiens de Baſilio Cæſare: *Baſilius tantùm adeptus poteſtatis, Imperatorem conatus quam longiſſimè ab odioſis & nefandis ſtudiis abducere, imprudens gravi eum contra ſe inflammavit odio. Michael enim reprehenſiones non ferens, de eo interficiendo conſilia iniit, ut ſuæ voluntatis impedimento.* Hinc Baſilicinum Imperatoriæ celocis remigem purpura ac diademate indutum produxit, Baſilium dejicere conatus, atque ità omnem Senatum ac populum graviſſimè offendit. Prætereà cum vino ſe obruiſſet, ebrius huic nares, iſti aures, oculos, aut integrum caput auferri juſſit, quæ ne fierent, Baſilius obſtitit, & de aliis & de ſeipſo ſolicitus. Hinc illi atroces inſidias ſtruxit Michael, ratus haſta in venatu ſub feræ feriandæ fuco per neſcio quem auro emptum nebulonem transfigere: Et omninò fixit, verùm facinoris ab ipſo latrone præmonitus Baſilius declinavit haſtam, atque ità ne occideretur, ipſum Michaelem temulentum ac vino ſepultum in palatio ad Divi Mamantis ædem extructo per conjuratos adjutores occidit, & ex Cæſare in Auguſtum profecit. A propriis eunuchis fuiſſe peremptum, dubiumque an Baſilii voluntate, teſtatur in Adriani ſecundi Pontificis vita Guilielmus Bibliothecarius Eccleſiæ Romanæ. Facta hæc fuiſſe indictione prima, nono Calendas Octobres, audivimus à Niceta Paphlagone, atque ità liquet Bardam & Michaelem trucidatos fuiſſe, non quarta decima, ſed omninò indictione decima quinta.

Auguſtus itàque Baſilius ad languidam Eccleſiam & fluctuantem Rempublicam componendam mox ſe adjunxit. Ipſo ſuæ inthronizationis die Chalcedonem miſit, & Zachariæ Pſeudo-Metropolitæ impoſitam à trucidato Michaele & extruſo Photio Legationem & Romanum iter interdixit, atque ità imaginariæ Synodi ſordes in Italiæ vulgus per ipſum non fuerunt ſparſæ. *Deus ille Zelotes*, inquit Metrophanes Metropolita Smyrnenſis, *peſſimas* de mittendis in Italiam imaginariis Actis *conſilia antevertit, atque imperium Principi noſtro Baſilio commiſit, qui* revocato Zacharia *conatus hujuſmodi impedivit*. Longè aliam ad Romanos Legationem ille jam pridem animo deſtinarat. Altero die ſpreta jam dudùm Nicolai Pontificis Decreta & mandata exequens Photium throno ac palatio Patriarchali ejecit. Errorem manifeſtum continent hæc verba Joannis Zonaræ: *Baſilius die feſto magnam Eccleſiam ingreſſus, ut incruentæ victimæ particeps eſſet, à Photio Patriarcha eſt prohibitus, eum homicidam appellante, ob quam cauſam iratus, Concilio indicto, Photium Eccleſia ejecit, quaſi Sanctus Ignatius contra leges à Barda Cæſare Sede Pontificia dejectus eſſet.* Photianus & Schiſmaticus homo optimum Principis factum ficto Photii elogio conatus eſt decolorare. Longè aliter Sanctus Stylianus Epiſcopus Neo-Cæſareenſis: *Poſtquam imperium ad Baſilium eſt devolutum, Divino ille concitatus ſpiritu Acta Romæ à Papa Nicolao de Photii exauctoratione & Ignatii reſtitutione rata habuit, Ignatiumque ab exilio revocavit, Photiumque dejecit.* Et Guilielmus Bibliothecarius: *Mox Baſilius rerum potitus, primùm quidem ſe non fuiſſe conſcium necis Michaelis, ut fertur, omnibus ſatisfecit. Tum verò ſecundùm Romanæ Eccleſiæ Conſtitutum pepulit pervaſorem Photium, & Ignatium Patriarcham, populo admittente, Patriarchio reſtituit.*

Pergit Nicetas Paphlago de Photii ſcriptis & chartis. *Baſilius à Deo illuſtratus ad Photium miſit, juſſitque omnia, quæ à Patriarchio ſumpſiſſet manu ſua ſcripta, quam primùm ſibi tranſmittat. Sed pejerabat ille nihil ſe ex Patriarchio ſecum accepiſſe, eò quòd urgeretur ad diſceſſum. Dùm hæc ad Babanem Præpoſitum dicerentur, famuli Præpoſiti à tumultuantibus inter ſe Photii ſervis ſeptem ſaccos refertos, plumboque ſignatos, in proximum arundinetum condendos ferri animadvertunt, manuque injecta ereptos ad Imperatorem deportant. Et dùm reſignant, duo volumina, auro argentoque bracteata, ſericoque extrorsùm velata, introrsùm verò eleganter & ſcitè litteris venuſtis exarata reperiunt.* Continebant duas Imaginarias Photii, alteram in Nicolaum Pontificem, alteram in Patriarcham Ignatium Synodos, de quarum poſteriori proſequitur Nicetas: *Continebat Actiones ſeptem, quæ nec ſunt, nec fuerunt unquam celebratæ, ſed gratis aſtuta duntaxàt mente confictæ, in quarum ſingulis initiis manu ipſius Syracuſani Aſbeſtæ coloribus artificioſis expreſſus erat Ignatius. Atque in prima quidem raptatum & verberatum Ignatium finxit, ſupràque caput inſcripſit:* DIABOLUS. *In altera Actione ſputis fœdatum, magnaque vi tractum efformavit cum hoc elogio:* PRINCIPIUM PECCATI. *In tertia de throno deturbatum cum hoc titulo:* FILIUS PERDITIONIS. *In quarta vinculis colligatum & exterminatum, itàque inſcriptum:* AVARITIA SIMONIS MAGI. *In quinta incluſum collari furca cum hac calumnia:* QUI SE EXTOLLIT SUPRA OMNE, QUOD DICITUR AUT COLITUR DEUS. *In ſexta depinxit quaſi jam damnatum cum dicto:* DESOLATIO ABOMINATIONIS. *In ſeptima & ultima finxit raptatum, capiteque mulctatum, & inſcriptio erat:* ANTI-CHRISTUS. Etenim Photius ab omni Eccleſia paſſim Anti-Chriſtus proclamabatur, ideòque elogium iſtud conatus eſt Gregorius in Ignatium derivare. Duo erant utriuſque nequiſſimæ impoſturæ exemplaria, alterum videlicet in Italia ſpargendum, aliud in Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archivis ad rerum

ignaros

ignaros poſteros circumſcribendos collocandum. *Quæ quatuor volumina Imperator priùs ad Senatum, totamque Eccleſiam detulit, atque ità omnes Photii machinationes & impiam conſcientiam omnium oculis totique Reipublicæ ſpectandam propoſuit. Quibus viſis & auditis attoniti omnes obſtupuere.* Nequitiam hanc ab omnibus fuiſſe damnatam addit Metrophanes Metropolita Smyrnenſis. Seſe hiſce figmentis ut Præſidem & Adſiſtentem fuiſſe ſubſcriptum Baſilius peſſimè accepit. Quapropter Nicolai Pontificis mandata pleuè executurus,
Nicet. Paphl. atque ità ſeſe purgaturus, *adductum in Magnauræ palatium Ignatium, ſilentio indicto, multis laudibus cohoneſtavit. Dies erat Dominica, tertia & vigeſima Novembris, quo anni etiam tempore in exilium pulſus fuerat*, exularatque per novem annos: *Eccleſiæ ſuæ throno reſtituitur.*

Lucidiùs hæc in Synodi præſentis præfatione exponit Anaſtaſius Bibliothecarius. *Intereà occiditur Michael, remanet ſingularis in imperio Baſilius: Undè & nuncupatur ab omnibus Monocrator. Incipit inquirere & inveſtigare, quodnam fuerit Sedis Apoſtolicæ judicium vel Decretum tam ſuper Iconoclaſtis, qui ſenſim contra ſacras Imagines garrire recidiva præſumptione videbantur, quàm ſuper Ignatio vel Photio promulgatum: Qui cum ei reſponſum eſſet Apoſtolicam Sedem ab undecima indictione ſicut ab olim in throno Conſtantinopolitano Ignatium ſtabiliviſſe, Photium verò nullius Clericalis Ordinis dignum aliquo modo cenſuiſſe, atque ſuper his innoteſcendis diverſa Scripta Conſtantinopolim ac per omnes orbis terrarum terminos direxiſſe, protinùs eadem ſcripta curioſo ſatis intuitu requirit, & inventa, ubi à Photio profundiùs obruta conſiſtebant, præ oculis veluti ſpecula ponit, & horum lectione magiſtra, quæ ab eadem ſumma Sede decreta fuerant, celeri conſummat effectu, id eſt, & Photio, ſacro miniſterio per depoſitionem irregulariter abutenti, throno Conſtantinopolitano cedere perſuadet, & Ignatium hunc recipere adhortatur. Verùm quia Ignatius thronum, quo præjudicialiter fuerat expulſus, abſque iterata prioris ſedis, id eſt, primæ auctoritate non recipere propoſuerat, viſum eſt Romam fore mittendum.* Eſſe ſibi rem cum factioſis hominibus norat Ignatius, norat Sanctum Athanaſium & Sanctum Joannem Chryſoſtomum, quod à Conſtantino ſecundo & Arcadio Auguſtis, ſacros Eccleſiæ Canones & Sedis Apoſtolicæ Decreta exequentibus, fuiſſent in thronos ſuos repoſiti, fuiſſe ab Euſebii Nicomedienſis & Theophili Alexandrini factionibus damnatos tamquam in Eccleſiaſticæ auctoritatis injuriam habentes refugium ad poteſtatem laicam: Hinc à Baſilio Auguſto noluit definitivè in thronum reponi. Dico, *Definitivè*: Etenim quaſi per *interim* fuiſſe repoſitum jam audivimus à Niceta Paphlagone, eamque repoſitionem laudavit, firmavit, ac definitivam fecit Adrianus ſecundus Pontifex, Baſilio reſcribens: *Fili cariſſime, & venerabilis ſemper Auguſte, noveris, quidquid erga ſanctiſſimum fratrem & Coepiſcopum noſtrum Ignatium, vel circa Schiſmaticum Photium, Divinitùs inſpiratum & Juſtitiæ zelo ſucceuſum te litteris intimas peregiſſe; nobis & univerſæ Occidentalium Eccleſiæ per omnia placuiſſe, præſertim cùm nihil egeris, præter quod Apoſtolica Sedes cum totius Heſperiæ Præſulibus jam dudùm agenda decrevit, & nulla mora interveniente perficienda mandavit, quæ videlicet cum his omnibus propter id cælitùs protecto Imperio tuo grates multifarias reddunt, & humillimæ obedientiæ tuæ præconia laudibus eximiis indagare non deſinunt.* Notanda eſt Photii nequitia, qui omnia Nicolai Pontificis adverſùm ſe Decreta in locis tenebroſis occultarat.

Et hæc Ignatii reſtitutio non caruit Divino omine. *Intrantem in Eccleſiam*, inquit Nicetas Paphlago, *Ignatium populus quidem ſupplex veneratur, Sacerdos autem in adytis oblationem Domini faciens clamabat*, GRATIAS AGAMUS DOMINO DEO NOSTRO, *& mox populus reſpondebat*, DIGNUM ET JUSTUM EST. Antiquiſſimus in omni Eccleſia eſt iſte ominandi & quaſi prophetandi mos. Etenim de Defenſore neſcio cujus in Gallia civitatis Epiſcopo, qui Sancti Martini in Epiſcopum electioni ſeſe unus oppoſuerat, ſcribit in iſtius vita Sanctus Sulpitius Severus: *Animadverſum eſt graviter illum Le-* Cap. 7.
ctione Prophetica tunc notatum. Lector enim ex aperto citra judicium libro cantare cœpit: *Ut deſtruas inimicum & Defenſorem.* Et apud Sanctum Gregorium Epiſcopum Turonenſem Clodoveus Francorum Rex adverſùm Arianos Gothos in aciem procedens, ac Turonenſium civitati jam appropinquans, orat in hæc verba: *Si tu Domine* L.2. c.37
adjutor mihi es, & gentem hanc incredulam meis manibus tradere decreviſti, in ingreſſu Baſilicæ Sancti Martini dignare propitiùs revelare, ut cognoſcam, quia propitiùs eſſe dignaberis famulo tuo. At verò famulis ejus dictam Baſilicam ingredientibus, Cantorum Primicerius incepit antiphonam: *Præcinxiſti me Domine virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes ſubtus me, inimicorum meorum dediſti mihi dorſum; & odientes me diſperdidiſti.* Et omen omninò habuit ſperatum eventum: Et Sigeberto Regi ſtanti in Feſto Paſchali ad Miſſarum ſolennia, dùm Diaconus cantare ordiretur, *Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Marcum*, adventans nuntius dixit, *Natus eſt tibi filius*, Rex poſtmodùm Childebertus, atque ità ad utramque vocem reſpondens populus, *Gloria tibi Domi-* L.8. c.4.
ne, fauſtiſſimam de filio ſpem fecit. Et de Lectore & Cantore, primam ab Ordinatione ſua lectionem mox cantantibus, ſcribit in libro de ſacris Ordinationibus Symeon Archi-Epiſcopus Cap. 2.
Theſſalonicenſis: *Nonnulli verbis lectis attendunt, eaque velunt proœmia & argumenta futuræ Conſecratorum vitæ æſtimant.*

Etiam ex occurrentibus verbis libri Evangelici, qui forte apertus ſuper noviter conſecrati Epiſcopi caput ponitur, vaticinia accepit omnis olim Eccleſia. Etenim Sancto Lanfranco Cantuarienſi Archi-Epiſcopo, profuſiſſimo in pauperes, ſcribit Guilielmus Malmesberienſis prognoſticon fuiſſe: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Ejus ſucceſſor, varia arte Epiſcopatum declinare conatus, & ſuos Suffraganeos in reformanda Eccleſia ſemper ſibi rebelles expertus, Sanctus Anſelmus hocce habuit: *Vocavit multos, & miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata ſunt omnia, &*

cœperunt omnes ſimul excuſare. Et Radulſum à ſe electum Roffenſem Epiſcopum conſecraturus *Dominum rogavit; ut tale illi Prognoſticon efferret, quo ſuum Judicium Divinæ voluntati concordare gauderet*, habuitqne Evangelicus textus: *Erunt ſimiles Angelis Dei*. Et peſſimus Therfordienſium Epiſcopus Harfaſtus iſtud habuit: *Non hunc, ſed Barabbam*. Et apud Sylveſtrum Sguropulum prima per Metrophanem Patriarcham Conſtantinopolitanum facta Epiſcopalis conſecratio fuit Metropolitæ Cherſonenſis, habnitque hoc verax
L. 12. c. 4. Prognoſticon: *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt*. Plurima ſunt hujuſmodi exempla.

Dices has eſſe ſortes Sanctorum, de quibus
Cap. 42. Concilium Agathenſe: *Maximè fidem Catholicæ Religionis infeſtat, quod aliquanti Clerici ſive laici ſtudent auguriis, & ſub nomine fictæ religionis per eas, quas Sanctorum ſortes vocant, Divinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcumque Scripturarum inſpectione futura promittunt. Hoc quicumque vel laicus detectus fuerit vel conſulere vel docere, ab Eccleſia habeatur extraneus*. Quod ipſum confir-
Cap. 30. mat prima Synodus Aurelianenſis. Reſpondeo à
F. 233. Synodis his damnari aliud Divinationis genus, de quo laudatus Guilielmus Malmesberienſis: *Gundulfus cùm apud Cadomum Divinas Scripturas audiret, fortè cum duobus aliis* monachis *juxta magiſtrum* Sanctum Lanfrancum *Evangelium tenens conſederat. Alteri vocabulum Gualterus, alterius nomen elapſum eſt. Tùm magiſtro aliis interim intento, illi inter ſe nonnulla ludo agentes, experiamur, inquiunt, revolutione foliorum, quis noſtrum futurus ſit Abbas, quis Epiſcopus. Simulque cum dicto revoluto folio invenit Gundulfus*: FIDELIS SERVUS ET PRUDENS, QUEM CONSTITUIT DOMINUS SUPER FAMILIAM SUAM. *VValtherus*: EUGE SERVE BONE ET FIDELIS, INTRA IN GAUDIUM DOMINI TUI. *Tertium neſcio quid durum inventum turbavit. Cachinnis ex eventu crepantibus, interrogavit Lanfrancus, quid haberent lætitiæ. Utque cognovit, indubitatè pronunciavit Gundulfum Epiſcopum, VValtherum fore Abbatem, tertium ad lubrica ſæculi revolvendum. Eventus rei probavit veritate dicti*. Etiam hujus vaticinii habemus plura exempla. Nec mireris id à Gallicanis Synodis damnatum probari intra Galliam à Sancto Lanfranco. In diſſuetudinem tunc abierant laudati Canones, & multò mitiùs de iſto vaticinio definit in Epiſtola ad Januarium Presbyterum
Epiſt. 119. Sanctus Auguſtinus: *Hi, qui de paginis Evangelicis ſortes legunt, etſi optandum eſſet, ut id potiùs faciant, quam ad dæmonia conſulenda concurrant, tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo ad negotia ſæcularia & ad vitæ hujus vanitatem propter aliam vitam Divina oracula velle convertere*. Verùm nos convertamus ad proviſionaliter reſtitutum Patriarcham Ignatium, de quo pergit Nicetas Paphlago: *Sacer Ignatius bonis omnibus throno ſuo recepto, & gubernaculis Eccleſiæ reſumptis, arcet à Sacris non Photium tantùm & omnes ab illo initiatos, ſed omnes etiam illius ſectatores cum illo communicantes*. Juxta Decreta Pontificis Nicolai.

CAPUT VII.

Exponitur generalis Synodi poſtulatio facta per Baſilium Auguſtum.

ECcleſia Conſtantinopolitana erat magnus ægrotus, magno egens medico, generali Anaſt. in Præfat.
Synodo totius Chriſtianitatis. *Hinc igitur mittitur Romam à parte quidem Ignatii Joannes Metropolita Sylæi, qui & Perges Pamphyliæ præerat Eccleſiæ; à parte verò Photii Petrus Metropolita Sardenſis, qui contra Ignatium cum Gregorio Syracuſano auctor factus fuerat Eccleſiaſticæ ſciſſionis: Porrò à Principe deſtinatur Regius Spatharius, Baſilius nomine, qui inter utramque partem coram Sede Apoſtolica medius haberetur, & fidelis eorum, quæ eadem ſedes decreviſſet, auditor & nuncius. Sed Petrus quidem, licèt nova navi, & quam ipſe ſibi elegerat, veheretur, naufragium ſimul & mortis periculum pertulit, & qui navim Chriſti, hoc eſt, Eccleſiæ ſciderat, navis ſuæ ſciſſionem non inconvenienter incurrit. Cæteri ſanè Legati Romam pervenientes, Epiſtolas & profanum Codicem, in quo continebantur geſta conciliabuli, quæ Photius adversùs Apoſtolicæ memoriæ Papam Nicolaum falsò fuerat commentatus, præſentant*. Baſilium Spatharium fuiſſe cognomento Pinocam, & Petrum Pſeudo-Epiſcopum Sardenſem in mari Adriatico non ſolummodò periclitatum, ſed & ſubmerſum periiſſe expreſſit Nicetas Paphlago. Addit in Adriani ſecundi Pontificis vita Guilielmus Bibliothecarius: *Divino Judicio diſertiſſimam Photii partem pelagus ſorbuit, & ſimpliciſſimam partem Ignatii cum Legato Imperiali ſalvam ſervavit, nulluſque ex Neophyti parte, niſi monachulus Methodius nomine ſalvus evaſit, qui poſtmodùm neque Photium, pro cujus parte venerat, neque Ignatium contra quem, ſed neque univerſalis Eccleſiæ, ad quam venerat, jura ſuſcipiens, tertiò conventus, tertiò perfidiæ denotatus, ſemel anathematizatus abſceſſit*. Miſſa fuit hæc Legatio ad Sanctum Nicolaum Pontificem, quem obiiſſe ignorabat Auguſtus Baſilius, atque ità ejus litteræ traditæ fuerunt ſucceſſori Adriano ſecundo.

Eandem Legationem laudat hic Pontifex in reſponſoriis ad Principem litteris. *Commendamus Clementiæ Tuæ tam reverendiſſimum & ſanctiſſimum fratrem noſtrum Joannem Metropolitam Sylæi, qui à fratre & Coepiſcopo noſtro Ignatio ad Sedem Apoſtolicam directus eſt, quam etiam glorioſum & ſpectabilem virum Baſilium Imperialem Spatharium, qui à Tranquillitatis veſtræ Imperio deſtinatus eſt. Qui tanta, poſtquam iſthinc profecti ſunt, offendicula, ut didicimus, pertulerunt, ut nullum penè properantes periculorum, quæ Paulus in Epiſtolis ſuis dinumerat, evaſiſſe videantur. Quapropter digni ſunt viciſſitudinibus à Pietate Tua remunerandi, qui pro Eccleſia Chriſti, proque injunctæ ſibi à tua Pietate Legationis conſummatione tot ac talia ſubire promptiſſimè conſenſerunt. Alterum verò nominatum*

in

in ſcriptis tuis Metropolitam, Domino diſpenſante, non vidimus. Quia enim ſicut iſte à reverendo Patriarcha Ignatio, ità ſeorſim ille à tyranno Photio mittebatur, volens Deus oſtendere non in duo fore Eccleſiam ſuam dividendam, volens etiam nos auctoris hujuſmodi ſciſſionis nec ipſam quoque viſionem percipere, antequam ad nos perveniret, juſto Judicio pelago ſuo cooperuit eum, & qui populum Dei diviſerat, diviſa eſt ſuper eum aqua, devenitque in profundum tamquam lapis. Hic enim Petrus Sardenſium Metropolita eſt ille ipſe, qui cum Eulampio & Gregotio Asbeſta ſchiſma hoc inchoarat.

Legatis hiſce ſuas addidere ad Nicolaum Pontificem litteras & Baſilius Auguſtus, & Patriarcha Ignatius, & adulter Photius. Baſilius poſt deſcriptam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ calamitatem ſignificat à ſe Photium throno Patriarchali ejectum, ac plenè reſtitutum Ignatium: Quod factum ſuum, utpotè Apoſtolicorum Decretorum executorium, non dubitavit eſſe per omnia ratum, & à ſua Sanctitate confirmandum. Præſertim ob nupera Photii in Sanctum Ignatium ac ipſum feliciter regnantem Pontificem facinora per imaginarias Synodos, quarum authentica Acta ſuis litteris adjunxerat. Verùm reſtabat cauſa varia variorum variè lapſorum Epiſcoporum, Abbatum, Clericorum, & laicorum, quorum quidam à Photio, quidam ab Ignatio aut à Sancto Methodio fuerant conſecrati, verùm Photio adhæſerant, ſuæ conſecrationis aut ordinationis profeſſionem variè prævaricati. Hoſce omnes à miniſterio interim ceſſare Sanctus Ignatius juſſerat, definitivum de illis judicium ſciens privativè ex antiqua Eccleſiæ regula reſervatum ſedi Romanæ.

In ſuarum ipſe litterarum exordio inſigniter profeſſus eſt ſupremum Romanæ Eccleſiæ Primatum, utpotè cui dictum fuerit à Domino, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Omnes Sancto Petro Apoſtolorum Principi datas aut dictas à Chriſto Domino prærogativas ac laudes profeſſus eſt etiam ejus in Romana cathedra ſucceſſoribus ex integro convenire. *Tales*, inquit, *beatas voces non ſecundùm quandam utique ſortem Apoſtolorum Principi ſolùm circumſcripſit & definivit Dominus, ſed per eum ad omnes, qui poſt illum ſecundùm ipſum efficiendi erant ſummi Paſtores, & Diviniſſimi ſacrique Pontifices ſenioris Romæ, tranſmiſit*. Ità necdum natas Marci Antonii de Dominis Archi-Apoſtatæ Ignatius nugas ſchiſmaticas præfocavit, addens omnium ſub cœlo Eccleſiarum hæreſes, ſchiſmata, & ſcandala per Romanæ Eccleſiæ Pontifices ſemper fuiſſe ſanata & extincta. Deindè de datis pro ſua reſtitutione in Photium ſententiis egit Pontifici gratias, laudavitque Auguſtum Baſilium, qui illas à Michaele Auguſto huc uſque ſuppreſſas & ſpretas tamquam verus obedientiæ filius eſſet tandem executus, atque ità ſuam miſerandam ſenectutem & varios pro ipſa paſſos dura Epiſcopos & Clericos conſolatus. Tertiò de variis variè lapſis tam ſuæ & Methodianæ, quam Photianæ conſecrationis Epiſcopis & Clericis poſtulavit Apoſtolicæ Sedis judicium, præſertim de Paulo Cæſareenſi in Cappadocia per Photium conſecrato Archi-Epiſcopo, qui conſecratori ſuo primùm quidem adhæſerat, at poſtmodùm à Deo meliora doctus omnem ejus ſchiſmaticam atque facinoroſam nequitiam fuerat generoſiſſimè deteſtatus & perſecutus. Quartò imaginarias Photii Synodos, tamquam hippocentauros & tragelaphos, inſectatus eſt; præſertim eam temeritatem, qua eaſdem ad Ludovicum Auguſtum non erubuerat, Pontificem ſede ac Italia exturbari poſtulans, deſtinare. Tandem Legatum ſuum Joannem Sylæi Metropolitam, *Ut virum Dei cultorem & Divino intellectu repletum, qui per novem totos annos pro Verbo veritatis ſecum perſecutiones & cætera mala paſſus eſſet*, commendavit, nec non & *Petrum Troadæ Epiſcopum, qui eadem & ipſe paſſus eſſet, & pariter decertaſſet cum Regali homine*. Ad quæ verba habet Anaſtaſii Bibliothecarii marginale ſcholion; *Innuit Imperatorem Ludovicum*. Quid, cur, & quomodò certarit cum Ludovico Auguſto hic venerabilis Epiſcopus, uſque huc non reperi: Forsàn Photii Pſeudo-Synodos, & promiſſum Ludovico Imperium Orientale, atque ità & Ludovici ſpem convicit ſtultitiæ, ingratitudinis, impietatis. Eſt unus ex illis duodecim Epiſcopis, quos ſine Romani libelli profeſſione ad Synodi noſtræ conſeſſum in prima Actione Legati Apoſtolici cum laudis elogio admiſerunt. Erat non Sancti Ignatii ad Pontificem Legatus, ſed Legato adjunctus ſocius, uti Petro Sardenſi erat monachulus Methodius. Porrò Ludovicum, non Imperatorem, ſed dumtaxàt Regalem hominem appellat Ignatius, quod homo Græcus agnoſcere nollet Imperium occidentis. Quintò tandem in laudatis ad Pontificem litteris Apoſtolicos Legatos, celebraturos generalem Synodum, & Eccleſiam Conſtantinopolitanam pacaturos, quos Baſilius Auguſtus poſtularat, etiam ipſe expoſtulavit. Ex quo vides Joannem Palæologum Græcorum Auguſtum in litteris ad Marinum quintum Pontificem, per Sylveſtrum Sguropulum memoratis, errare: *Solum Romanorum Imperator, & præter eum nemo inter mortales authoritatem habet convocandi Synodum, ex veteri ritu, conſuetudine, ac privilegio majeſtati Imperatoris adnato*. L.2.c.8 9.
Ego dico: Ex Schiſmaticorum Imperatorum per Schiſmaticos Patriarchas tolerata invaſione. Photii ad Nicolaum Pontificem litteræ unà cum ejus Legato, Petro Sardenſium Metropolita, in mari Adriatico perierunt.

Plenam ac verè generalem Synodum deſiderabant & Baſilius Auguſtus & Patriarcha Ignatius, ideòque Legatos miſerunt etiam ad Patriarchas Alexandrinum, Antiochenum, ac Hieroſolymitanum. Fuit & alia Legationis iſtius neceſſitas, de qua in litteris ad Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopos Sanctus Pontifex Nicolaus: Michael Epiſt. 70.
Auguſtus & Baſilius Cæſar *ad Alexandrinum & Heroſolymitanum Patriarchas miſerunt, eos videlicet ut in dejectione Sancti Ignatii Patriarchæ, & in promotione invaſoris Photii ſibi conſentiant, adhortantes. In quo nos non eorum concordiam, fortaſsè contra ſtatuta ſeu traditiones Apoſtolicæ Sedis improvidè conglutinatam, Deo adjuvante pavemus; ſed*

ne

ne ſuaſionibus illectos pravorum eos ad ſuum ipſorum diſcrimen contingat ab æquitate decidere, dolemus. Sunt quippè diris & continuis Agarenorum preſſuris attriti, ac per hoc evenire valet, ne vel decepti vel pro ſui relevatione ſibi plurima tribuere ſpondentibus Conſtantinopolitanis Principibus, quod & gementes dicimus, aſſentire cogantur. Calamitoſas iſtas Eccleſias grandi ad Photianum ſchiſma delabendi periculo expoſuerat Cæſar Baſilius; ſed & quidam iſtic Salomon, Photii exemplum ſecutus, è laico ſaltarat nuper ad Epiſcopatum, invaſeratque Patriarchatum: Hinc factus Auguſtus nova hac Legatione errorem duxit eſſe ſanandum.

Ejus ſcopum & ſucceſſum edicit in Synodi hujus præfatione Anaſtaſius Cardinalis: *Viſum eſt Romam & ad tria Patriarchia mittendum Orientis, & à Roma quidem Decreta diſpenſatoria, & ſicut erant culparum cauſarumque diſcretiones, ità & pœnarum qualitates judicandarum, nec non & perſonas vice fungentes Apoſtolica poſtulandas. A thronis autem Orientalibus conſenſus nihilominùs & perſonas ducendum. Et notandum, quod cæteri Throni nihil, inter Agarenos poſiti, ſuper hoc negotio ſumpſere laboris, ſed pòſt Conſtantinopolim venientes, quod à Sede Apoſtolica fuerat elaboratum atque decretum, reverenter admittunt, & præconiis miris attollunt, atque huic addendum minuendumque nihil decernunt.*

Cauſam, ex qua Eccleſiæ Orientales ſub Saracenis gementes nihil laboris pro Sancto Ignatio ſumere potuerint, exprimit Theodoſius Patriarcha Hieroſolymitanus in Reſponſoriis ad ejuſdem Ignatii Epiſtolam & Legationem litteris: *Noſti, Sanctiſſime, cauſam, ob quam neque mittere potuimus ad vos, ne fortè fieremus penes Poteſtatem* Saracenicam, *quæ nos tenet, exiſtimationi malæ vel ſuſpicioni. Etenim multam benevolentiam & compaſſionem oſtendunt in nos, licentiam nobis præbentes ædificandi Eccleſias noſtras, & tenendi ſine prohibitione mores noſtros, juſtè agentes & in nullo nobis injuriam vel violentiam inferentes.* Verùm nunc ad honorificam & urgentem adeò & Patriarchæ Ignatii & Baſilii Auguſti Legationem nec tacere ampliùs, nec tamen Saracenos offendere volens Theodoſius ab eorum Hamera licentiam petiit Conſtantinopolim legandi Epiſcopum unum, unumque Clericum, qui Saracenos ibidem captivos redimant & ad patrias ſedes reducant. Quid ſit Saracenorum Hameras diſcimus ex marginali Scholio Anaſtaſii Bibliothecarii: *Hameram Græci vocant Principem Saracenorum, interpretatur autem lingua eorum, ut ferunt, Præpoſitum.* Conſenſit Hameras, atque ita Thomam Tyri Metropolitam, ſedis Antiochenæ vacantis Vicarium, nec non Eliam Monachum ac ſuum Presbyterum Syncellum miſit Theodoſius, rogans quantocyùs remitti cum numeroſa captivorum Agarenorum manu, atque Hameræ nullam præberi anſam pravæ ſuſpicionis. Addidit & grande Sancto Ignatio de toleratis calamitatibus conſolando donum, ipſum Sancti Jacobi Apoſtoli, primi Hieroſolymitani Antiſtitis, Epiſcopale pallium, de quo Nicetas Paphlago: *Tanta ipſum veneratione Ignatius proſecutus eſt, ac ſi ipſum Jacobum Apoſtolum & primum in eo Humerali Pontificem ſpectaret. Hoc prætereà voluit ut ſecum ſepeliretur.* Quod ipſum ſcribit Michael Monachus & Presbyter Syncellus. Quin & in ejuſdem Apoſtoli feſto, quod apud Græcos eſt dies vigeſima tertia Octobris, Sanctus Ignatius migravit ex hac vita.

Elias Hieroſolymitanæ, Thomas Antiochenæ ſedis fuit Vicarius ac Legatus. Primi fuerunt Conſtantinopoli, admodùmque triſtati de longa mora Legationis Romanæ. Nam Joannem Sylæi Metropolitam & Baſilium Spatharium toto fermè biennio apud ſe detinuit Pontifex Adrianus ſecundus. Hinc igitur ad Baſilium Auguſtum, Patriarcham Ignatium, ac reliquos Græcorum Epiſcopos dixere: *Quoniam multa facta eſt tarditas, ſuſpicamur ex tyrannica Agarenorum poteſtate propter tantam moram multas nobis ſuperventuras calamitates atque neceſſitates, immò verò & noſtrum totum genus Chriſtianorum propter talem cauſam ſubmittendum variis tentationibus, nequaquam eos, qui à Roma venire putabantur, exſpectare juſtum putavimus: ſed & ſuſpectum & ſupervacaneum arbitramur eſſe, præſertim cum ea, quæ Romæ regularitèr ac Synodicè geſta ſunt, præ manibus habeamus, ita ut hinc conſtet unà nobiſcum eſſe beatiſſimum Papam Nicolaum per litterarum ſuarum voces, adhuc etiam ſucceſſorem ejus beatiſſimum Adrianum Papam per proprias Epiſtolas.* Et iſte ipſorum ab Agarenis metus non caruit fundamento, de quo marginale ſcholion Anaſtaſii: *Quando hæc iſti dicebant, annum integrum Conſtantinopoli morantes habebant; verùm nota, quia ſine præmiſſis Sedis Apoſtolicæ Decretis nihil agunt.* Omnia Nicolai & Adriani Pontificum pro Sancto Ignatio decreta diſcuſſerunt, juſta & recta judicarunt, idcòque ſuam ulteriorem cum tanto periculo moram & generalem Synodum non eſſe neceſſariam. Præcipuum enim generalis Synodi munus eſt Romanas de propoſita quæſtione ad ſe litteras diſcutere, probare, & in authenticum totius Eccleſiæ Canonem admittere.

Etiam hanc Legatorum Orientalium de laudatis Pontificum Decretis vocem, *Judicamus*, Anaſtaſius ſcholio illuſtrat. JUDICAMUS, *eo ſenſu dicunt; quo Apoſtolus dicit*, NON JUDICAVI ME SCIRE, NISI CHRISTUM, ET HUNC CRUCIFIXUM. Non de Romanis Decretis, ſed ſecundum ipſa de Ignatio & Photio judicarunt: Quoniam de ſuprema regula nemo judicat, ſed omnes ſecundùm ipſam. JUDICAMUS, *dicunt* Legati iſti, *non* PROMULGAVIMUS: *Hoc enim poſt Romanorum adventum & definitionem egere. Nam anteà privàtim tantùm, quod ſic eſſet judicandum, quibuſdam ſignificabant.* Ad Sancti Ignatii & Baſilii Auguſti preces ſpreverunt Saracenorum metum, & uſque ad Synodi initium ac finem Conſtantinopoli manſerunt. Etiam hæc ipſorum verba, *Petrus Antiochiæ primus Sacerdotio functus eſt, deindè Ignatius Deifer*, Anaſtaſius adversùm Photii Romanum Primatum evertere machinantis temeritatem commentatur: *Nota, quod non dicitur*, PRIMUM, *ſed* PRIMUS; *nam primum à Chriſto Pontificatum accepit, qui poſteà primus Antiochiæ Epiſcopus præſedit.* Vult

Petrum

Petrum cum reliquis Apoſtolis fuiſſe ab ipſo Domino conſecratum Sacerdotem, non dum in Antiochenam cathedram fuit incardinatus, ſed dùm à Domino audivit, *Quodcumque ligaveris aut ſolveris ſuper terram, erit ligatum aut ſolutum & in cælis*. Hæc verba fuiſſe Sacerdotibus dicta à Domino dixere Legati Orientales, eademque hocce ſcholio donat Anaſtaſius: *Nota, quod Apoſtoli Sacerdotes prædicentur à ſancta Synodo etiam ex tunc, quando his dictum*, QUEMCUMQUE LIGAVERIS VEL SOLVERIS SUPER TERRAM, ERIT LIGATUS VEL SOLUTUS ET IN CŒLIS. *Ergò Petrus, qui hoc ſpecialiter ante omnes audire meruit, primùm Sacerdos effectus eſt. Ceſſet itàque ſermo opinantium Jacobum fratrem Domini primum Sacerdotem fuiſſe. Verùm primus Sacerdos fuit eorum, qui Hieroſolymis Epiſcopatum ſortiti ſunt*. An primus Hieroſolymæ Epiſcopus fuerit frater Domini, controvertitur inter eruditos: Certè ſi fuerit, fuit & Apoſtolus, adeòque non ab Apoſtolis, ſed cum Apoſtolis ab ipſo Domino in Sacerdotem atque Epiſcopum conſecratus. Quidquid ſit, certum eſt Apoſtolos per adducta Domini verba non fuiſſe ordinatos Sacerdotes. Quod per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, in verum; ac per hæc verba, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, in myſticum Domini corpus poteſtatem acceperint, eſt firma Eccleſiæ ſententia, definita nuper per ſacroſanctam Synodum Tridentinam. Nec rectè Anaſtaſius ſuam iſtam ſententiam dicit à præſenti Synodo prædicari: Neque enim quidquid ab Epiſcopis dicitur in Synodo, habet Synodi authoritatem. Sed neque ipſam Legati Orientales videntur intendiſſe. Infirmum eſt etiam hocce Anaſtaſii ſcholion: *Tradunt Græci, quod parvulus, quem Dominus advocatum ſtatuit in medio dicens*, NISI CONVERSI FUERITIS, ET EFFICIAMINI SICUT HIC PARVULUS, ETC. *Fuit Ignatius* tertius poſt Sanctum Petrum Patriarcha Antiochenos, *& idcircò hunc Deiferum nuncupant; undè nec Apoſtoli auſi fuerunt ei, cùm ad Eccleſiæ Præſulatum promoveretur, ampliùs manus imponere, nimirùm quem ore Dei laudatum, & ipſius tactu ſanctificatum cognoverunt*.

Dum hæc præfata aguntur Conſtantinopoli, advenit nuncium de morte Nicolai Pontificis, & creatione ſucceſſoris Adriani ſecundi. Quare Baſilius Auguſtus ad illum mox legavit Euthymium Spatharium, Pontificatum adgratulans, profitens obedientiam, nuperos ſuos Legatos ſupplicans exaudiri. Ejus meminit in litteris ad Sanctum Ignatium ipſe Pontifex: *Commendamus Sanctitati veſtræ Euthymium glorioſiſſimum Spatharium, qui Romam ferens Imperialem Legationem, primus nobis & Eccleſiæ noſtræ de Fraternitate veſtra, quod ſemper optavimus, annunciavit, & Divinam circa te miſericordiam & Sanctitatis Tuæ recuperationem innoteſcens omnes gratulabundos effecit*. Quod item prior Legatio ſuo officio non defuerit, liquet ex ejoſdem Pontificis ad laudatum Principem litteris: *Si fortè movetur redimitum à Deo Imperium veſtrum, quia Joannes Sylæi Metropolita & Baſilius Spatharius penes nos diutiſſimè morati ſunt, precamur & obnixè flagitamus, non eis imputetur, nimirùm qui ad dimittereatur, non horis, non momentis, non denique clamantes atque pulſantes ullis intervallis parcere conſentiebant, ſed inſtantibus ac irremotis laboribus & ſolicitudinibus omnium Eccleſiarum Dei, quas ſecundùm Apoſtolum circumferimus, adſcribatur*. Joannem iſtum cur Guilielmus Bibliothecarius vocet Cæſareæ Cappadociæ Metropolitam, ignoro. Etenim conſtat Metropoli iſti tunc præſediſſe Paulum à Photio conſecratum, pro cujus ad retinendum Epiſcopatum diſpenſatione ſuprà audivimus Sanctum Ignatium Nicolao Pontifici ſupplicaſſe. Per Sanctum Ignatium ejectus fuit iſte Paulus, eique poſteà Joannes, Syleo translatus, poſſit fuiſſe ſuffectus.

Pergit Guilielmus de Joanne Metropolita ac Baſilio Spathario. *Sanctiſſimo Papæ Adriano cum Epiſcopis & Proceribus in Secretario ſanctæ Mariæ Majoris, juxta morem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, reſidenti ſe ſatis humiliter præſentarunt, dona & Epiſtolas* Baſilii Auguſti & Patriarchæ Ignatii *obtulerunt*. Romanam Eccleſiam eſſe *ſummum caput, cui Chriſtus cælo terraque ſolvendi atque ligandi poteſtatem tribuit*, ante omnia profeſſi, Baſilii Auguſti in expellendo Photio ac Ignatio reſtituendo juxta Nicolai Pontificia iteratas ſanctiones Acta expoſuere, poſtularunt confirmari, & tertia vice damnari Photium, *qui viribus ſuis confidens in ſanctiſſimum Pontificem Nicolaum falſa garrire non timuerat*, ac in ſummum Eccleſiæ Caput latrare convicium degradationis. *Egreſſus Metropolitæ* imaginariæ Synodi *librum exhibuit, & in terram præcipitavit, imprecando illi dicens*: TU MALEDICTUS CONSTANTINOPOLI SIS ROMÆ ITERUM MALEDICTUS, TE MINISTER DIABOLI PHOTIUS, NOVUS SIMON, MENDACII COMPILATOR APTAVIT, TE MINISTER CHRISTI NICOLAUS, NOVUS PETRUS, VERITATIS AMATOR ATTRIVIT. *Et Spatharius calce ſuo enſeque librum percutiens nihilominùs ait*: CREDO, IN HOC OPUSCULO DIABOLUS HABITAT, QUIA PER OS COMPLICIS SUI PHOTII EA, QUÆ PER SE DICERE NEQUIIT, ERUCTAT.

Et quia etiam Baſilii Auguſti nomen imaginariæ Synodo ſubſcriptum erat, perrexit Baſilius Spatharius. *Subſcriptionem Baſilii Imperatoris noſtri poſt ſubſcriptionem Michaelis, quem ebrioſiſſimum ſubſcribere noctu Photius ſuaſit, liber falſiſſimè continet, quam ejus non eſſe reſtitutio Ignatii declaravit, & ſatisfactio noſtra, ſi vobis placuerit, jurejurando firmabit. Neque enim unius ſemper Catholici Baſilii nomen non potuit falsò ſuis feralibus commeatis inſerere, qui mutato charactere potuit multorum abſentium Epiſcoporum nomina cum paucis complicibus ſuis deſcribere. Quorum videlicet Epiſcoporum univerſitas tam immunis eſt hujus ſubſcriptionis, quam tenoris ignara*. Et infrà. *In locum quorumdam Epiſcoporum cives illorum, ſed transfugas, ut fama vulgatum eſt, muneribus excæcatos ſubſcribere fecit. Indè eſt, quod ſubſcriptionum videatur diverſi characteres, & quidam eorum acutiori penna, quidam groſſa, nonnulli verò decrepitum ſimulantes groſſiori*

membranam

me... ...um inquinantes deſcribunt , ut videlicet fra... ...e præſentium ſimplicitati abſentium illudatur , & i... d credas faciliùs univerſitas eſſe veriſſimum , quod diſſimilibus litteris falſitas fecerit eſſe diverſum .

CAPUT VIII.

Exponitur Romana Adriani ſecundi Pontificis in Photium Synodus.

UTi de Photii horrenda temeritate obſtupuit , ità de Baſilii Auguſti pietate eſt admodùm gaviſus Adrianus Pontifex , ideòque de hiſce momentoſiſſimis quæſtionibus definiturus collegit Synodum , de qua pergit Guilielmus Bibliothecarius . *Tunc ſummus Pontifex utriuſque linguæ peritis* imaginariæ Synodi *librum ſcrutandum per aliquot dies decrevit , & omnia , quæ in eo continebantur , coram Synodo fideliter propalari , quæ utique omnia ſtrenuè perſcrutata eſt . Nam venerabilis Pontifex omni Senatorio , populari que conventu apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum in defenſionem ſuæ Eccleſiæ , Deceſſoriſque ſui ſacrum Concilium convocavit . Et primò quidem per Legatos Conſtantinopoleos veritate luculenter audita , Deceſſoris ſui ſuper hujuſmodi litteras legens , ſiniſtram ipſius famam purgavit . Deindè Photium cum Conciliabulo , complicibuſque ſuis tertio anathemate perculit . Ad extremum verò cæterorum ſubſcriptionibus & ſententiis roboratum præ foribus graduum nefandi dogmatis librum cunctorum pedibus conculcatum exuſſit . Quem nimirùm rogus ut fomentum quoddam ignis excepit , & penè antequam ſemiuſtum credi potuiſſet , cum magno fœtore piceoque colore conſumpſit . Et cùm fortè focus inundatione pluviæ naturaliter debuiſſet extingui , ad pluviam quaſi ad olei guttas flamma convaluit , & in laudes Dei , ſanctiſſimique Papæ Nicolai , ſimulque Adriani ſummi Pontificis miraculi ſtupor tam Latinorum quàm Græcorum corda reſolvit .*

Eamdem Synodum in Synodi præſentia præfatione laudat Anaſtaſius Bibliothecarius , alloquens Pontificem Adrianum ſecundum . *Joannes Sylæi Metropolita & Baſilius Spatharius Romam pervenientes , Epiſtolas ac profanum codicem , in quo continebantur geſta Conciliabuli , quæ Photius adversùm Apoſtolicæ memoriæ Papam Nicolaum falsò fuerat commentatus , atque omnia , quæ memorato eximio Præſuli deſtinata fuerant , quia ille ad meliorem vitam migraverat , ſibi præclaro Succeſſori ejus , Domine Junior Adriane , Præſul eximie , Sedis Apoſtolicæ moderamina egregiè moderanti , præſentant : Qui accingens ſicut vir lumbos tuos , quæ ille decreverat decreviſti , & quæ ſtatuerat ſtatuiſti , atque omne providi Patris Edictum pius hæres executus , injurias propriæ ſedis protinùs vindicaſti . Nam Synodo mox apud beatum Petrum Apoſtolum collecta , profanum codicem illum cremari cenſuiſti , & ità fieri apud Conſtantinopolim , ſiqua fortè exemplaria ejus invenirentur , jure mandaſti . Quod & factum eſt . Et auctorem ejus pro tanta temeritate denuò damnans , hujus paria occultantes cenſura ſimili ſequeſtrati .* Omnia hæc Synodus apud ſeptimam noſtræ præſentis Actionem fuit lecta & probata , habetque tres allocutiones ſeu Actiones , & quinque Capitula ſeu Decreta , ſingulatim hìc adducenda.

Primæ igitur Actioni præcipua Photii facinora expoſuit Pontifex . Primò , quod Patriarchatus ambitu adhuc laicus Sanctum Ignatium ſemper odiſſet , ideòque Gregorio Syracuſano , Petro Sardenſi , ac Eulampio Apameenſi damnatis Epiſcopis adhærens ejus conſecrationem turbaſſet , ac ob illius communione ſine cauſa ſeſe ſeparans inter Schiſmaticos conſtituiſſet , atque hocce præſens ſchiſma ex tunc initiaſſet . Secundò , quod contra Apoſtolicos Canones , utique trigeſimum primum vulgarem , vivi ac innoxii Ignatii Patriarchatum tamquam Eccleſiæ adulter per laicas poteſtates invaſiſſet . Tertiò , quod in Patriarchatu non Chriſtianum Epiſcopum , ſed tyrannum Diocletianum egiſſet , adverſantes iniquitati ſuæ Epiſcopos , Clericos , monachos , & laicos affligens exiliis , carceribus , tormentis , morte . Quartò , quod ob hoſce exceſſus fuiſſet per Sanctum Nicolaum Pontificem correptus , meliora ſapere admonitus , tandemque ex Patriarchatu latrocinaliter invaſo dejectus . Quintò , quod ſilice durior nec iſta verbera ſenſerit , ſed Diabolum , qui nec è cœlo expulſus deſiit ſuperbire , imitatus varia malignantium conventicula & ſanguinum ſynagogas tamquam latronum Princeps celebraſſet , propriumque Patrem & Patriarcham Ignatium damnaſſet in morem atrocium viperarum , quæ niſi parentis crudeli nece non poſſunt venire ad lucem . Sextum facinus exponere libet verbis Apoſtolicis : *Poſt hæc poſuit in cœlum os ſuum , & lingua ejus tranſiit ſuper terram , dum videlicèt contra Divinam ordinationem , cœlitùs in Beati Petri Principis Apoſtolorum Primatu diſpoſitam , putridi gurgitis guttur aperuit , & adversùs ejuſdem Regni cœleſtis Clavigeri Apoſtolicam Sedem , & præcipuam ac ſummam dignitatem & poteſtatem , linguam ſuam more ſerpentis exacuit , vitam ſcilicet Deceſſoris mei beatæ recordationis Papæ Nicolai laceſſere nullo modo metuens , nec nobis , qui ejus vix digni famuli , ut non dicam ſequaces exſtitimus , parcere utcumque conſentiens , ſed utroſque maledictis impetere , quantùm in ſe fuit , ac blaſphemis inficere verbis exiſtimans falſitatis præſtigia fingere conatus , & neſcio quæ Pythonica ſomnia vel argumenta compilando proculdubiò eſt commentatus .* Ex quo liquet Photium , ubi poſt ſubmerſum Petrum Sardenſem audiit cauſam ſuam Romæ non proſperari , dentes ſuos etiam in hunc Pontificem acuiſſe .

Exindè expoſuit Pontifex , qualis & quantus fuiſſet Anteceſſor ſuus Nicolaus , per imaginariam Photii Synodum nequiſſimè ac peſſimè laceratus . Eum fuiſſe dixit noviſſimi , per varias calamitates nebuloſi , temporis novum ſidus , immò & ſolem , nullis unquam proſperis infractum , nullis adverſis perturbatum , uti docuit

ejus

ejus conſtantia adverſùm violentias Bardæ Cæſaris & Michaelis Auguſti. Hinc quid de imaginaria Synodo, ac ejus ſubſcriptoribus aut cooperatoribus Epiſcopis definiri placeret, rogavit Synodum, ſeſe pro lege Dei, paternis Canonibus, privilegiis Apoſtolicæ Sedis, nec non Nicolai Pontificis veneranda memoria atque Decretis profeſſus paratum *non ſolùm varia incommoda perpeti, verùm etiam more ſanctorum Prædeceſſorum ſuorum Pontificum in promptu habere, ſi neceſſe fuerit, mortis ſuſtinere diſcrimen*. De Romanis Sedis Apoſtolicæ Synodis ſcribit ad Bythiniæ Provinciæ & urbis Conſtantinopolitanæ Clerum Felix tertius: *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, ut Succeſſor Præſulum Apoſtolicæ Sedis ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium*. Hac poteſtate, quod de ſui etiam ipſius injuria vindicandam ageretur, uti noluit Pontifex, ſed ſynodaliter adſidentium Epiſcoporum & Cleri judicium expoſtulavit.

Verùm Synodus antiquam conſuetudinem, & avitam Apoſtolicæ Cathedræ dignitatem etiam in hoc articulo duxit retinendam. Imitata eſt Sanctum Petrum Chryſologum, Ravennæ Metropolitam, qui ab Eutychete Hæreſiarcha de
Part. 1. Con. Chal. Epiſt. 21. nata tunc quæſtione judicium rogatus reſpondit: *Nos pro ſtudio pacis & fidei, extra conſenſum Romanæ civitatis Epiſcopi, cauſas fidei audire non poſſumus*. Eadem humilitate noluit hæc Synodus ante auditum Pontificem quidquam definire. Ejus in Deceſſoris Nicolai Decreta obſervantiæ egit gratias, ab ipſo memorata Photii crimina repetivit, & ſupplicando concluſit: *Oramus te, Domine Coangelice Papa, ut eumdem habens ſpiritum fidei, eundemque zelum pietatis, quem & Patres tui ferventiſſimi Præſules, Conciliabulum cum geſtis ſuis ità ſententiæ veſtræ falce ſuccidatur, ut nullum de eo monumentum, nullum remaneat omninò veſtigium, ſed ad ſui damnationem vel execrationem Ariminenſi Synodo vel Epheſino latrocinio ſit modis omnibus comparandum. Illi verò, qui vel interfuiſſe vel ſubſcripſiſſe in eo noſcuntur, nec non & ii, qui vel ipſius conſcripta profani conciliabuli geſta defendunt, vel quoquo modo celare conatur, iteratò vinculis anathematis innodentur, & niſi propria voce & ſubſcriptione illa, quæ in eodem latrocinio fœtidis è faucibus eructata ſunt, anathematizaverint, nullatenùs ſaltem inter laicos communione Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ recipi mereantur*.

Synodi in Apoſtolicam Sedem reverentia Pontifici placuit, ideòque in ſecunda Actione adverſùs Conſtantinopoli allatum imaginariæ Synodi codicem pronunciavit: *Quia nihil ab Hæreticorum vel Schiſmaticorum pravitatum commentis eo den iſte diſſentit, nimirùm qui & à Schiſmatico, Dioſcorum in hoc imitante, & totus mendaciis & perverſis dogmatibus fabricatus exiſtit, hinc æquè ut illa perpetuo anathemati duco ſubdendum, & contemplantibus cunctis, & præcipuè Græcorum Legatis, igni traditum in cineres quoque conjicio redigendum, quatenùs nec ſimpliciorum puritas illius contagione polluatur, nec fidelium mentes hujuſmodi colluvione quoquo modo ſaucientur. A planta quippè pedis, ut ità dixerim, uſque ad verticem ejus nulla eſt in eo ſanitas*. Et per Formoſum Portuenſem Epiſcopum Synodus repoſuit: *Pia conſideratio ſummi Pontificis, juſta ſententia univerſalis Eccleſiæ Præſulis omnibus placet, omnes ità dicimus, omnes ità volumus, omnes hoc rogamus, omnes hoc totis præcordiis conſentimus*: Ità fœdus iſte Codex fuit publicè exuſtus. Michaelis Auguſti blaſphemas in Romanam Eccleſiam litteras, quas ignibus dignas jam pridem Nicolaus Pontifex judicarat, ei fuiſſe inſertas, atque ità ſimul combuſtas, non vane conjecturat Cardinalis Baronius.

In tertia Actione Photii Romanum Epiſcopum damnare & degradare auſi intolerabilem audaciam admodùm exaggeravit Pontifex, & avitæ omnium ſub cœlo Eccleſiarum traditioni ac pietati adverſam oſtendit ex tribus partim auctoritatibus, partim exemplis. Primum exemplum fuit Honorii Pontificis, quem non dogmatizatæ, ſed negligenter dumtaxàt non extinctæ hæreſeos accuſatum nullus unquam Patriarcha, nec ipſa ſexta generalis Synodus jam mortuum damnare præſumpſiſſet, *niſi ejuſdem primæ ſedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet auctoritas*. Alterum fuit Symmachi Pontificis, quem criminaliter accuſatum damnare non præſumpſit totius Italiæ ac vicinarum Inſularum Synodus, profeſſa ſeſe ſine ſui diſcrimine non poſſe in proprium Caput manus extendere, ſed omnem ejus cauſam Divino reſervavit judicio, quoniam prima ſedes ab hominum nullo, ſed à ſolo Jeſu Chriſto judicatur. Tertium exemplum fuit Joannis Patriarchæ Antiocheni, de quo Sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham in Epheſino ſuo conventiculo degradare auſo ſcripſit ad Celeſtinum Pontificem ſancta Epheſina Synodus: *Indignetur tua Religioſitas competenter pro his, quæ facta ſunt. Si enim data fuerit volentibus licentia & majores ſedes injuria afficere & contra Canones proferre ſententias, ibunt ad ultimam confuſionem Eccleſiæ res*. A minori ad majus ratiocinans Pontifex ait ſine grandi facinore ſecundam ſedem Alexandrinam judicari non potuiſſe à tertia Antiochena, adeòque longè minùs primam à ſecunda, aut quavis alia: Quod iſtic ſolus Nicænus, hic verò Divinus Canon, ipſumque ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium lædantur & conculcentur. Exindè rogavit Pontifex per Synodum adduci & alia exempla.

Repoſuit illa nullis hìc opus eſſe Canonibus aut exemplis, quod qui iſtam Photii temeritatem non extrema damnatione dignam judicet, nec Evangelium legerit, nec Apoſtolum prorſùs audiverit. Etenim Dominus diſcipulum diſertè aſſerit non eſſe ſupra magiſtrum, & omnia ſecundùm ordinem fieri Apoſtolus præcipit, atque ità ambò adſeverant Romanum Epiſcopum à nemine poſſe judicari. Deindè in Africano Cap. 53.
Canonum codice habemus: *Unuſquiſque noſtrum ordinem ſibi decretum à Deo cognoſcat, ut Poſteriores Anterioribus deferant, nec eis inconſultis aliquid agere præſumant*. Ex hac Regula Sanctus Cyrillus Alexandrinus adfirmat ſe judicari non potuiſſe à Joanne Patriarcha Antiocheno. Ex eadem Dioſcorum Alexandrinum, auſum latrare in San-

ctum Leonem Pontificem, damnavit magna Synodus Chalcedonenſis. Et ad Rufum Archi-Epiſcopum Theſſalonicenſem, eique ſubjectos univerſi Illyrici Epiſcopos ſcribit Sanctus Ponti-
Epiſt. 10. fex Bonifacius primus. *Apud* Romanum Epiſcopum *Chriſtus noſter Sacerdotii ſummam locavit, in cujus contumeliam quiſquis inſurgit, habitator cæleſtium non poterit eſſe Regnorum, in quæ nullus ſine gratia Janitoris intrabit*. Et inferiùs in eadem Epiſtola: *Nemo unquam Apoſtolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exſtitit, niſi qui de ſe voluit judicari*. Latuit huc uſque iſta per Sanctum Pontificem Nicolaum etiam laudata Epiſtola, magno nuper Eccleſiaſticæ eruditionis bono per illuſtriſſimum Lucam Holſtenium Romæ vulgata.

Ex hiſce fundamentis Photium temerarii ſchiſmatis auctorem damnati, & ſine reparatioois ſpe degradari longè digniſſimum judicavit Synodus, pro Epiſcopis & Clericis ab ipſo ordinatis, ſeductis, aut quovis modo in ejus ſchiſma delapſis ſupplicans: *Domine beatiſſime Papa, & Apoſtolice ſumme Præſul & Pontifex, omnes pro his rogamus, omnes unanimiter obſecramus, ſubveni miſeris, erige lapſos, & reſipiſcentibus concede veniam & miſerationem, quam non merentur adhibe medicinam, quatenùs erroris auctore Photio amputato, cæteri Sedis Apoſtolicæ circa ſe patula reperiant more ſolito viſcera pietatis, ità ut ſi rectè mota ſit Sedis Apoſtolicæ auctoritas, vel ſe recognoverint, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem concurrentes omnia, quæ ab his malè ſunt geſta, viva voce & præſenti ſubſcriptione damnaverint, non ſit erga eos inflexibilis miſeratio, ſed ſit humana ſanctæ ſedis per omnia moderatio*. Antiquum Eccleſiæ Canonem, à Sancto Athanaſio laudatum, qui ſolos Hæreſiarchas aut Schiſmatum auctores damnari mandat, eorum ſeductos aut ſequaces reparari gratioſè indulgens, etiam in Photianos Epiſcopos & Clericos ſervari ſupplicavit Synodus, addens Joannem Antiochenum, licèt adverſùs Sanctum Cyrillum & ſanctam Epheſinam Synodum temeritatis & ſchiſmatis auctorem ac ducem, fuiſſe tamen à Romana Eccleſia reparatum, relictumque in throno Patriarchali. Et de Eutychete Hæreſiarcha ad Sanctum Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcripſit Sanctus Leo Ma-
Epiſt. 10 c. 6. gnus: *Dominus noſter, bonus & verus Paſtor, qui animam ſuam pro ovibus ſuis poſuit, & qui venit animas hominum ſalvare, non perdere, imitatores nos vult eſſe ſuæ pietatis, ut peccantes quidem juſtitia coerceat, converſos autem miſericordia non repellat*. Pœnitenti Hæreſiarchæ etiam ſui Preſbyteratus atque Archi-Mandritici Ordinis communionem voluit doctiſſimus atque juſtiſſimus Pontifex per ſecundam Epheſinam Synodum reparari. Ejus imitatorem in hac cauſâ Photianorum fieri Adrianum ſecundum ſupplicavit Synodus, & coram Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Legatis edi regulas, quibus lamentabile hoc ſchiſma tandem extinguatur.

Et ſtatim edixit Pontifex quinque Regulas. Prima imaginariam Photii & Michaelis Auguſti adverſùs Sanctum Nicolaum Pontificem Synodum definivit eſſe concilium vanitatis, Apoſtolicæ Sedis reverentiæ ac privilegio adverſum, veritati inimicum, omni falſitate repletum, ideòque Epheſino latrocinio comparandum. Addidit ejus omnia geſta & exemplaria penitùs abolenda, voranda ignibus & perpetuo anathemate percellenda, eodemque rigore tractanda quævis dictorum Michaelis & Photii adverſùs Sedem Apoſtolicam ſcripta, ac proindè etiam ſuprà memoratam Epiſtolam Michaelis. Secundus Canon eamdem habet ſententiam in duas Photii Synodos adverſùs Sanctum Ignatium factioſè collectas: Eas ut parricidales damnavit. Tertius Photium jam pridem à Sancto Nicolao Pontifice damnatum atque anathematizatum denuò ob imaginariæ Synodi nequitiam damnavit atque anathematizavit, addito hoc gratiæ moderamine: *Sanè ſi viva voce & proprio ſcripto nobis in omnibus, quæ tùm per nos, tum per Deceſſorem noſtrum ſtatuta ſunt, obedire ſpoponderit, & prædicti profani Conciliabuli, ad ſatisfactionem pœnitentiæ motus, geſta damnaverit, laicæ communionis gratiam ei non denegamus*. Quartus Canon omnibus imaginariæ Synodi cooperatoribus, conſentientibus, & ſubſcriptoribus ex animo pœnitentibus eamdem facit gratiam, & Baſilium Auguſtum, cujus nomen fuerat doloſè ſubſcriptum, liberat & immunem declarat ab omni complicitatis ſuſpicione atque infamia, illum laudans orthodoxiſſimum & diligentiſſimum Sedis Apoſtolicæ conſtitutionum obſervatorem, atque ideò recipiens inter piorum & Catholicorum Imperatorum numerum, ſtatuenſque, ſi ità perſeveratit, ſemper recipiendum. Sic omnia ejus, quod Baſilius Spatharius obnixè rogarat, de Sancto Ignatio & Photio Acta Pontifex confirmavit. Quintus Caoon omnem illum, qui imaginariæ Synodi exemplaria retinuerit, celaverit, defenderit, non revelarit, aut non cremarit, damnat laicum anathemate, Clericum degradatione. Etiam illum, *qui hæc occultare putatur, & ipſe hinc impetitus nec reſpondere, nec Decretis Apoſtolicæ Sedis in hac parte parere conſenſerit*. Et adjungit: *Quæ non ſolùm de Conſtantinopolitanis, ſed & Alexandrinis, Antiochenis, Hieroſolymitanis, atque de omnibus omninò fidelibus Apoſtolica ſanctione decernimus*.

Huic Synodo poſt Pontificem ſubſcripſere triginta & unus Epiſcopi, novem Preſbyteri, & quinque Diaconi Cardinales. Epiſcoporum primus fuit *Joannes Archi-Epiſcopus Perges Pamphyliæ, Apocriſarius Sanctiſſimi Ignatii Patriarchæ Conſtantinopoleos, locum & perſonam ejus retinens, & totius ſanctæ Synodi, quæ ſub ipſo eſt*. Ex quo rurſùm vides Ignatium à Pontifice agnitum fuiſſe ut Patriarcham, omniaque pro ipſo à Baſilio Auguſto Acta firmata. Joannes verò Pergenſium in Pamphylia Archi-Epiſcopus eſt idem ille ſuprà laudatus Metropolita Sylæi: Etenim Sylæum & Pergen fuiſſe varia ejuſdem Metropoleos nomina, liquet ex Metropoleon & Epiſcopatuum Orientalium notitia, confecta ſub Leone & Andronico Auguſtis, quam ex Nilo Doxopatrio inſeruit ſuæ Occidentalis ac Orientalis Eccleſiarum L. 2. c. 24.
concordiæ vir eruditus Leo Allatius. Donatus Oſtienſis, Formoſus Portuenſis, Sergius Sabinenſis,

nenſis, ac Paulus Albanenſis Epiſcopi Cardinales ſederunt & ſubſcripſerunt aliis permixti juxta ſuæ conſecrationis ætatem: Quod nempe tunc Cardinales Epiſcopi necdum gauderent loci & dignitatis prærogativa. Non dudum poſt gaudere cœperunt. Etenim ad Cadaloum Parmenſem Epiſcopum, Romani Pontificatus ſchiſmaticum ambitorem, ſcribit Sanctus Petrus Damiani:
L. 1. Epiſt. 20. *Quid tibi videtur de Cardinalibus Epiſcopis? Qui videlicet Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam aliis prærogativis, non modò quorumlibet Epiſcoporum, ſed & Patriarcharum atque Primatum jura tranſcendunt.* Eos eſſe dicit ſeptem Romanæ Eccleſiæ oculos, candelabra, lucernas, per Zachariam Prophetam & Sancti Joannis Apocalypſin laudata, atque ità datam illis eſſe dictam prærogativam *ſalvo univerſalis Eccleſiæ Sacramento*, id eſt, citra omnem injuriam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Quis Pontifex, & quæ occaſio dederit, ignoro. Eadem poſtmodùm etiam ad Presbyteros ac Diaconos Cardinales eſt extenſa. Neque id mirandum. Etenim de Patriarchæ Conſtantinopolitanæ Syncellis, ſimplicibus quandoque monachis, ſcribit ad Romani Argyri imperium Georgius Cedrenus: *Die Pentecoſtes tumultuatum eſt ob ſeſſionem in ſancto officio, Metropolitis non ferentibus ſuperiore loco Syncellos ſedere.* Contentionis ſucceſſum & finem non edicit Cedrenus: Liquet interim iſtam loci eminentiam fuiſſe ipſis, idque non ità pridem, à Patriarchis indultam. Eandem, & ſine omni contentione, habuere ſeptem ejuſdem Eccleſiæ Cruciferi, quos ſcimus dumtaxàt Diaconos fuiſſe.

Hæc Decreta per Theognoſtum Archi-Mandritam & Euthymium Spatharium Baſilio Auguſto & Sancto Ignatio Patriarchæ tranſmiſit Adrianus Pontifex, proteſtatus ſeſe à ſui Deceſſoris Nicolai pro Ignatio & ejus fidelibus adversùs Photium Decretis nec receſſiſſe unquam, nec receſſurum. *Tantò*, inquit, *volumus illius Decretis concordare, quantò ipſe, dùm hæc ageret, Divinis præceptis concordare ſtudebat. Nam & hoc neceſſarium eſt, ut cuſtodiens Prædeceſſorum meorum Decreta doceam poſt deceſſum meum & mea quoque ab iis, qui poſt me fuerint, nullo modo violanda.* De ſpretis Sancti Nicolai Decretis ſuſpectus, & ſeſe tam apud Latinos quàm Græcos ſolenniter expurgare coactus fuerat, ideòque tam zeloſo verborum impetu eadem apud Eccleſiam Conſtantinopolitanam commendat. Baſilio Auguſto de facta eorumdem executione laudes & gratias dixit, Patriarchæ Ignatio eſt reſtitutionem adgratulatus. Et quoniam non ſolùm Ignatium, ſed & omnes ejus cauſa ejectos Epiſcopos, Abbates, Clericos, & monachos Baſilius reſtituerat, in Mandram ſuam ſeu Abbatialem dignitatem reſtitui voluit ac rogavit etiam Hegumenum, cujus laudas & pro Sancto Ignatio & omni Conſtantinopolitana Eccleſia conſtantes labores ſuprà andivimus, Theognoſtum. Datæ ſunt hæ Epiſtolæ Calendis Auguſti, indictione prima, anno Domini octingenteſimo ſexsgeſimo octavo.

CAPUT IX.

Exponuntur proxima præparamenta, Præſes, Epiſcopi, locus, tempus octavæ generalis Synodi.

JOannem Pergenſium Metropolitam ac Baſilium Spatharium adhuc apud ſe detinuit, de poſtulata per ipſos generali Synodo deliberavit, tandem quartò idus Junias indictione ſecunda in ipſam conſenſit, ac iſtos dimiſit Adrianus Pontifex, adjungens eis Donatum Oſtienſem, ac Stephanum Nepeſinum Epiſcopum, nec non Marinum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Diaconum, futuros in Synodo Præſides ac ſuos Vicarios Legatos, de quibus Guilielmus Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius: *Eis præcepit Pontifex, ut ſcandalum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſolerter ſopirent, conſecratiſque à Methodio & Ignatio* Epiſcopis & Clericis *ſub ſatisfactione libelli, quem de Scrinio ſuſceperant, proprias Eccleſias redderent; Photianis verò ſub eadem ac diſtinctiori ſatisfactione communicarent quidem, ſed Sacerdotum judicium, uſque ad Sedis Apoſtolicæ ſententiam, manente ſanctiſſimi Papæ Nicolai judicio, protelarent.* Conſonat Anaſtaſius Bibliothecarius in Synodi noſtræ præfatione alloquens Pontificem Adrianum: *Miſſis cum auctoritate Apoſtolica Vicariis, ac Epiſtolis Decretalibus, juſſiſti fieri Conſtantinopoli Synodum pro multis quidem neceſſitatibus Eccleſiæ, ſed pro his præcipuè, quæ huc uſque adnotata ſunt, quæque in hujus Synodi geſtis inveniuntur, in qua ſcilicet Photius ob id etiam ſpecialiter condemnatur, quoniam depoſitionem vel anathema præſumpſit in ſanctæ memoriæ Pontificem Nicolaum nominare.*

Ejus prima decretalis Epiſtola fuit inſcripta Baſilio Auguſto, habuitque varia capita. Primùm laudato Principi, tamquam Regi pacifico & novo Eccleſiæ Salomoni, de executioni mandatis Papæ Nicolai Decretis egit gratias, agique dixit à tota Occidentali Eccleſia, præſertim à jam expoſita Synodo Romana. Secundò, Photianorum Epiſcoporum lapſus & cauſas reſpondet eſſe varias, ideòque tractandas modo vario, per Legatos ſuos & Patriarcham Ignatium definiendo. Tertiò, eundem lapſum dixit damnari graviſſimè à ſacris Canonibus, ideòque doluit Epiſcopos iſtos in Nicolai Pontificis Decreta fuiſſe rebelles: Etenim omnem miſericordiæ januam ità illi ſibi ipſis clauſere. Quartò dixit ſeſe in inferioribus poſitum Decretis iſtis ſubſcripſiſſe, atque ità ab eorum executione recedere non poſſe ſine nota prævaricationis. Quintò promiſit omnem nihilominùs poſſibilem gratiam, imitatus Sanctum Pontificem Gelaſium, lucrandorum fratrum amore paternos Canones in multis diſpenſatoriè moderatum. Sextò ab hujus gratiæ ſpe penitùs excluſit Photium, cujus intruſio atque Ordinatio ſit Maximi Cynici, per primam Conſtantinopolitanam Synodum damnati, intruſioni

ac Ordinationi penitùs ſimilia, ideòque juxta quartum ejuſdem Synodi Canonem tractanda. Et altiſona Eccleſiæ tuba, cujus Decreta tamquam cœleſtia oracula omnia Eccleſia veneratur, Sanctus Leo Magnus de Epiſcopia intruſis ſcribit
Epiſt. 87. c. 1. ad Epiſcopos Mauritaniæ Cæſareenſis: *Difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio*. Intruſionis vitium ex nulla dicit poſſe cauſa purgari. Septimò Baſilium Spatharium, ut legationis officio quàm optimè functum, Adrianus Pontifex laudat, utpotè qui Regias pro ſeparandis Photianis Epiſcopia preces, non ſolùm opportunè, ſed & importunè urſerit, & pro Epiſcopis à Photio conſecratis quædam Canonibus adverſa propemodùm extorſerit. Octavò dandam in Photianæ conſecrationis Epiſcopos à ſuis Legatis ſententiam ait non ſorte irretractabilem, ſingulorum cauſas poſt horum reditum à ſeſe revidendas, & ſeſe non futurum in ipſos inflexibilem. Et hìnc rectè Guilielmus Bibliothecarius ait mandatum fuiſſe Legatis, ut Epiſcopis à Photio conſecratis, ex corde pœnitentibus, communicarent ſolummodò ut laicis, & de reſtituendo illis gradu judicium uſque ad Sedis Apoſtolicæ ſententiam, manente Sanctiſſimi Papæ Nicolai judicio, protelarent. Nonò mandat Pontifex fieri numeroſam ac plenè generalem Conſtantinopoli Synodum, cui præſideant ſui Legati, & plenam poteſtatem ac libertatem habeant hæc omnia exequendi. Decimò imaginariam Photii in Nicolaum Pontificem Synodum damnari mandat ut conventum Ariminenſem, aut Epheſinum latrocinium, ac omnia ejus exemplaria publicè exuri. Undecimò ſuam Romanam in Photium Synodum vult ab omnibus iſtic Epiſcopis probari, ſubſcribi, ac referri in archiva omnium Eccleſiarum. Duodecimò Baſilium, Petrum, Zozymum, ac alterum Baſilium, Romanos Presbyteros ac monachos, qui damnati Conſtantinopolim ad Photium apoſtatarant, haberi ut excommunicatos voluit, & ſibi puniendos remitti. Photius enim cunctis Latinis nebulonibus Romuli aſylum reſerarat. Decimò tertiò Baſilium Auguſtum ſeriò Pontifex monet, ut Patriarchæ Ignatio pergat adſiſtere, & à Romana Eccleſia nunquam reſiliat, quòd non benè incipientibus, ſed in bono opere perſeverantibus promiſſa ſit à Domino merces. Decimò quartò tres ſuos Legatos commendat, audiri rogat uti ſemetipſum, & tamquam Sancti Petri Apoſtoli Miſſos honorari. Poſtremò etiam Joannem Sylæi Metropolitam, ac denuò Baſilium Spatharium laudat & commendat, ſeſe de illis dudùm retentis ex omnium Eccleſiarum ſollicitudine, & præſentia negotii gravitate excuſans. Hincmari & aliorum Franciæ Epiſcoporum Reſponſa priùs diſcutere voluerat, ac etiam illis ſuos armare Legatos: Quòd enim non ſolos in Caroli Calvi, ſed & in Ludovici Regis regno conſtitutos Epiſcopos Nicolaus Pontifex conſuluiſſet,
A. 868. teſtantur Fuldenſes Francorum Annales. Addunt ab hiſce Pontificii reſponſuris factam fuiſſe Synodum Wormatienſem.

Eadem fermè omnia in litteris ad Sanctum Patriarcham Ignatium repetivit Adrianus Pontifex, proteſtatus ſe velle omnia pro ipſo in Photium, Gregorium Syracuſanum, ac eorum complices ſui Anteceſſoris Nicolai Decreta ſervari pleniſſimè, quoniam Sedis Apoſtolicæ Judicium non poſſit retractari. Etiam quædam addidit. Primò de Paulo Cæſareenſium in Cappadocia Archi-Epiſcopo, per Photium conſecrato: *Quod de cæteris, qui à Photio conſecrati ſunt, decrevimus, obſervandum etiam de ipſo jure ſtatuimus*. Etiam ejus conſecrationem voluit haberi irritam, ipſumque abjiei ad laicos, cum hoc tamen moderamine: *Perſecutionum tolerantia, quas adversùs tyrannum* Photium *pro veritate exercuit, ſuam habent mercedem, & immarceſcibilem præſtolantur à cœleſtium bonorum largitore coronam. Sanè cætera Eccleſiæ* infrà Epiſcopatum *beneficia largiſſimè conſequatur, & honori competenti tam apud Sanctimoniam tuam, quam penès omnes meritò perfruatur*. Secundò voluit Pontifex omnes ab Ignatio aut ejus Anteceſſore Sancto Methodio conſecratos, ac per Photium ſedibus ſuis ejectos & crudelia paſſos Epiſcopos & Clericos, uti Chriſti confeſſores, plenè reſtitui & honorari, ad Photium verò lapſos permiſit reparari per pœnitentiam, dummodò alio crimine non forent maculoſi, & dummodò imaginariæ Synodo ſubſcriptione aut alio modo non fuiſſent cooperati. Etenim in Romanum Epiſcopum degradationis aut excommunicationis convitium latrare eſt crimen criminum: *Et univerſalis Chalcedone habita Synodus adeò hujuſmodi temeritatem deteſtata eſt, ut in ſententia, quam in Dioſcorum protulit, hoc maximè memorare videatur, cùm de ipſo dicit;* SECUNDIS EXCESSIBUS PRIOREM INIQUITATEM VALDE TRANSCENDIT, PRÆSUMPSIT ENIM ET EXCOMMUNICATIONEM DICTARE ADVERSUS SANCTISSIMUM AC BEATISSIMUM ARCHI-EPISCOPUM MAGNÆ ROMÆ LEONEM. *Priorem autem iniquitatem, pravitatem ubique dicit hæreticam. Undè nota, quod Dioſcorus ſecundis exceſſibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictata patravit, etiam hæreſin Eutychianam valdè tranſcendiſſe referatur. Hinc & Anatolius ait;* PROPTER FIDEM NON EST DAMNATUS DIOSCORUS, SED QUIA EXCOMMUNICATIONEM FECIT DOMINO ARCHI-EPISCOPO LEONI.

Quibus in verbis rei veritatem omninò tradit Adrianus Pontifex, verùm ab Actorum Chalcedonenſium littera non nihil recedit. Etenim Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Dioſcorum, cujus nuper fuerat Archi-Diaconus, & in Regia civitate Apocriſarius, & à quo in Epheſino latrocinio fuerat in Epiſcopum conſecratus, nequaquam gravare, ſed alleviare conatus eſt, dicens non habendum uti damnatum hæreticum, utpotè qui non ob hæreſin, ſed ob ſolas in Romanum Epiſcopum illatas rebellionis manus, & alia regularia crimina eſſet degradatus. Quo in dicto certum ac lucidum eſt Anatolium erraſſe. Etenim primum, quod Dioſcoro impegerunt, & ut legitimè probatum in ejus damnatoriam ſententiam inſeruerunt Legati Apoſtolici, crimen

erat,

Digitized by Google

erat, quod paria cum Eutychete ſenſiſſet, illumque de hæreſi à Sancto Flaviano Epiſcopo ſuo, nec non à Sancto Leone Pontifice damnatum, tamquam innoxium in communionem & gradum reſtituiſſet. Quocircà ſecundos ejus in Sanctum Leonem Pontificem exceſſus fuiſſe ipſa Eutychiana hæreſi majores judicatos à Synodo Chalcedonenſi dixit rectiſſimè Pontifex Adrianus. Et ob iſtud Anatolii errorem Acephali ſeu Hæſitantes & Eutychianiſtæ & Neſtoriani omnem laudatam Chalcedonenſem Synodum fuere abominati, utpotè in qua non quivis Epiſcopus, ſed qui primus poſt Apoſtolicos Legatos ſederat & ſuffragatus fuerat, Patriarcha Conſtantinopolitanus paria cum Dioſcoro ſenſerit, ab illo in Epiſcopum fuerat conſecratus, eratque hæreticus Eutychianus. Reſpondet verò Facundus
L. 5. c. 3. Epiſcopus Hermianenſis: *De interlocutione Sancti Anatolii, quam ſuper Dioſcori perſona protulit, reſpondemus, quia non ad hæreſis crimen pertinere dicendum eſt aliqua parte cum*, legendum videtur, *de Dioſcoro benè ſenſiſſet. Non enim ipſam perfidiam Dioſcori Sanctus Anatolius approbavit, ſed eum potiùs ab ipſa perfidia voluit excuſatum. Aliud eſt enim ideò hæreticum excuſare, quod Catholicus putetur, & aliud ipſam hæreſin probare atque defendere: Quemadmodùm aliud eſt ideò accuſare Catholicum, quod hæreticus putetur, & aliud ipſam improbare & reprehendere Catholicam fidem.*

Non nihil diſſonat in libro de Sectis Leontius
Cap. 6. Advocatus Conſtantinopolitanus. *Duo quædam objiciunt Eccleſiæ dubia qui Hæſitantes vocantur. Primum, ſi Chalcedonenſis Synodus non propter fidem depoſitum Dioſcorum dixit, cur nos rejicit? Sic enim credimus, ut ille credebat. Reſpondemus autem, ſi veritatem quis conſideraverit, non propter fidem abdicatum eſſe Dioſcorum, nec illam fuiſſe depoſitionis ipſius cauſam (quippè nec adiit propterea Synodum, ut hoc nomine de ipſo judicaretur) ſed quoniam reipſa tertiò vocatus venire recuſavit. Si tamen veniſſet, etiam propter fidem fuiſſet abdicatus. Nihilominùs ad iſta reſpiciens Anatolius dixit non propter fidem depoſitum fuiſſe Dioſcorum.* At verius eſt etiam cauſa fidei fuiſſe dejectum. Et factam trinæ ſynodali evocationi contumaciam non fuiſſe palmarem ejus damnati cauſam liquet luciḋiſſimè ex ipſa ſynodali in ipſum ſententia & Relatione ad Principes Valentinianum tertium & Marcianum. Item Anatolii interlocutio non fuit totius Synodi judicium, eumque Facundus Hermianenſis ſine pleno fundamento appellat Sanctum.

Hiſce duabus Epiſtolis & Pœnitentiæ ſeu potiùs Romanæ profeſſionis pro Photianis Epiſcopis & Clericis libello, laudato per Guilielmum Bibliothecarium, addidit Adrianus Pontifex *Nicolai Pontificis Epiſtolas ſuo tantùm nomine titulatas, & Commonitorium*. Hoc eſt, ſecretam nec Principi, nec Patriarchæ, nec Synodo exhibendam inſtructionem. Porrò Nicolai Pontificis litteras ſuo nomine intitulavit, atque ità ſuas fecit Adrianus ad majorem authoritatem: Eas eſſe voluit Synodi directricem regulam & lumen. Pergit laudatus Guilielmus. *Itàque multorum anfractuum laborioſos circuitus penetrantes, tandem Chriſto præduce, Theſſalonicam Legati Apoſtolici veniunt, in quam Baſilius Imperator Euſtatium Spatharium Candidatum cum ſuæ ſalutationis officio obviam deſtinavit. Qui eos admodùm honorificè per contigua itineris loca ducentes Selembriam pervenerunt, ubi à Siſinnio Proto-Spathario & Theognoſto Patriarchali Hegumeno, qui Romæ apud ſanctiſſimum Papam Nicolaum pro reſtituendo Ignatio ſedulus interceſſor extiterat, cum quadraginta equis de ſtabulo Imperiali, & totius menſæ argenteo apparatu, Officialibuſque, qui eis ad omnem libitum famularentur, ſunt excepti.* Per omnem viam ac in ipſa item Regia civitate & aula fuiſſe ſimili honore ab ipſo etiam Principe celebratos enarrat largè idem Guilielmus.

Et hinc prima illis cum eodem Principe quæſtio fuit de Epiſcopis ad Synodi conſeſſum & ſuffragium admittendis. *Neminem*, dixere, *Orientalium veſtrorum Epiſcoporum in noſtram Synodum ſuſcipere poſſumus, niſi oblato Libello, cujus formam de Scrinio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſumpſimus, nobis fuerit ſatisfactum.* Repoſuere Imperator & Ignatius Patriarcha. *Quia novum hoc & inauditum de libello proferendo adſeritis, neceſſè eſt ut tenoris illius formam videamus.* Eundem libellum in marginalibus ad primam Actionem Scholiis laudat Anaſtaſius Cardinalis: *Notandum eſt, & memoriæ commendandum, quoniam libelli hujus tenorem beatæ recordationis Papa Nicolaus expoſuit, ſed quia tunc à prævaricatoribus non eſt admiſſus, rursùs ab Adriano ſanctiſſimo Papa, mutato nomine Pontificis, Conſtantinopolim eſt tranſmiſſus, ſecundùm cujus firmationes Archi Epiſcopi, Metropolitani, & cæteri Epiſcopi Conſtantinopolitanæ diœceſeos, nec non & omnes omninò Clerici, qui vel in honore, vel in communione eſſent, ſyngraphum Sedi Apoſtolicæ græcè ſcriptum, & tam propriæ manus ſcripto, quam teſtium à ſe rogatorum teſtimonio & ſubſcriptione roboravere, nomina & tempus ſignantes, quo ſinguli chyrographum ſuum ſcribebant, & Sedis Apoſtolicæ Vicariis porrigebant, ita ut nullus Antiſtitum vel reliquorum Clericorum in Synodalem fuerit conventum receptus, qui non ſecundùm exemplar hujus codicilli chyrographum ſcripſit, & Miſſis Apoſtolicæ Sedis Eccleſiæ Romanæ minimè deferendum porrexit.*

A lapſis in hæreſin aut Schiſma, & ad Matrem Eccleſiam venientibus aut redeuntibus Epiſcopis, Clericis, ac etiam Laicis ſcriptum pœnitentiæ Libellum ac etiam orthodoxæ fidei & pacis profeſſionem exigere eſt longè antiquiſſima totius Eccleſiæ conſuetudo, & traditio haud dubiè Apoſtolica. Hinc meritò quæritur, quomodò Baſilius Auguſtus & Patriarcha Ignatius dixerint Libelli prolationem eſſe novam & inauditam? Reſpondent quidam Pœnitentiæ & abjurationis libellum ſolere ab ipſa Synodo componi, non autem Roma ad ipſam tranſmitti, & iſthoc in præſenti libello arguit novitatis. Aſt falluntur. Etenim Acaciani Schiſmatis ejuratorium libellum compoſuit ac in omnem Orientem tranſmiſit Hormiſda Pontifex, fuitque ille ab omnibus ibi Epiſcopis ſine contradictione admiſſus. Et Occidentalium libellus, per quintum primæ Conſtantinopolitanæ Synodi Canonem laudatus &

proba-

probatus, eſt ſolemnis illa fidei profeſſio, Romæ à Sancto Pontifice Damaſo compoſita, tranſmiſſaque in Orientem ad Paulinum Patriarcham Antiochenum. Eum ad Sancti Baſilii conſilia fuiſſe compoſitum audivimus ſuprà ab ejuſdem Doctoris Epiſtola ad Meletium Paulini in Antiochena Cathedra Corrivalem. Reſpondeo itaque iſtos pœnitentiæ ac fidei libellos exigi conſuetos à ſolis palàm lapſis, aut certè de ſecreto lapſu graviter ſuſpectis Epiſcopis & Clericis; at verò Adrianus Pontifex à cunctis omninò diœceſeos Conſtantinopolitanæ Epiſcopis & Clericis exegit, nullum aliter admitti volens ad conſeſſum & ſuffragium Synodale. Omnes Romanæ Eccleſiæ veraciter fideles Photius in exilia abjecerat, aut barbarè vexarat, ideoque cunctos ab ipſo nihil paſſos potuit meritò Pontifex habere prævaricatricis & Schiſmaticæ factionis ſuſpectos. Hanc igitur generalem libelli exactionem Baſilius Auguſtus & Ignatius Patriarcha notarunt novitatis.

Nihilominùs Apoſtolicum Adriani Pontificis mandatum omninò obtinuit. Pergit enim Guilielmus Bibliothecarius. *Libelli forma à Romanis legatis prolata eſt, & de latino in græcum conversa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidam libellum preferentes in ſancta Synodo reſederunt, proferre nolentes extrà Synodum inglorii relicti ſunt, ſed dietim fervore Sancti Spiritus temperati præmiſſa libelli ſatisfactione ad unitatem ſacræ Synodi reverſi ſunt*. Et hinc primæ actioni interfuerunt præter Apoſtolicos, ſediumque Orientalium Legatos,
Act. 1. & Patriarcham Ignatium ſoli duodecim Epiſcopi, *qui pro verbo veritatis*, Patriarchæ jam dicti juſta cauſa, & Romanæ Eccleſiæ Decretis atque Primatu, *Laboraverant & certarant*, ideoque Pœnitentiæ libello & diſtincta Romani Primatus profeſſione palàm non habebant opus. Non fuiſſe plures disertè etiam Nicetas Paphlago teſtatur. Actio ſecunda libellum protulit, eum Epiſcopi varii cœperunt profiteri, atque ita augeri Epiſcoporum numerus. Et hinc Actionem quintam hocce marginali Scholio illuſtrat Anaſtaſius Cardinalis: *Nota quod per ſingulas Actiones paulatim multiplicetur numerus Epiſcoporum, quoniam cum in principio Synodi non omnes ſunt in urbe reperti, tunc ſolùm recipiebantur in Synodali conventu, cùm ſingulos à ſuis Eccleſiis venientes Romanam libellum propria manu ſcripſiſſe pateſceret*. Pergit ad Epiſcoporum ſubſcriptiones factas in Actione decima: *Non te ſcandalizet ſubſcribentium paucitas, quia dum Photius diu tyrannidem exercuiſſet, & in loca eorum fautores ſuos tantummodò provexiſſet, quorum nullus in hac Synodo eſt receptus, iſti ſoli ex priorum Patriarcharum conſecratione ſuſceptibiles ſunt inventi. Verùm quotquot ſub Nicolao & Adriano, ſummis Pontificibus, Epiſcopi fuerunt, hujus Synodi ſenſui conſenſerunt, licèt hac paucitas gregi illi pro ſui juſtitia comparetur, cui Dominus dicit:* NOLITE TIMERE PUSILLUS GREX.

Erat reverà puſillus grex: Synodo enim ſubſcripſerunt ſoli Epiſcopi centum & novem. Nicetas Paphlago adfuiſſe dicens ſolos centum & duos, tres Romanos Legatos, Legatos item trium Orientalium Patriarcharum, nec non & Ignatium Patriarcham tamquam Synodi Primates habet, & reliquis Epiſcopis non adnumerat. Thomam Tyriorum Epiſcopum Metropolitam fallitur fuiſſe Vicarium Michaelis Patriarchæ Antiocheni; Etenim vacaſſe tunc Antiochenam Eccleſiam edicunt lucidiſſimè & frequenter Acta Synodalia. Joſephus Eccleſiæ Alexandrinæ Archi-Diaconus habebat Patriarcham nomine Michaelem, eratque ejus Vicarius; Circa hæc nomina fuit Nicetas memoria lapſus. Addit ſolos Legatos Romanos Synodo præſediſſe, & habuiſſe omnem judicandi poteſtatem: *Ex Eccleſiaſtica antiqua traditione*. Quod ipſum Acta Synodalia abundè demonſtrant. Baſilius Auguſtus ſoli ſextæ Actioni interfuit. Et dat cauſam: *Noſtrum Imperium in nulla alia hujus Concilii Actione ſeu conſeſſu adfuit, ne quis diceret à Regia potentia manuque judicium fuiſſe corruptum*. Eum Acta ſynodalia adfirmant præſediſſe, Nicetas Paphlago dumtaxàt adſediſſe. Loquitur ex ſenſu Romanæ Eccleſiæ; quæ ſacras Græcorum Auguſtorum juſſiones, aliaſque in Eccleſiaſticam dignitatem violentias jam pridem excuſſerat, adeòque vacuum ſynodalia Præſidentiæ titulum illis ægrè indulgebat. Eadem de cauſa Auguſti Imperatoris Vicarios viros Principes, quos aliarum Synodorum Acta Patriarchis & Legatis Apoſtolicis paſſim prænominant, hæc poſtponunt & poſtſcribunt, eoſque dicunt, non præſediſſe, ſed fuiſſe dumtaxàt præſentes, & audiviſſe, quod utique in generalibus Synodis eſt unicum officium laicorum. Michaelis Auguſti in latrocinali adversùs Sanctum Ignatium Synodo inſolentiam ità hæc Synodus damnavit. Facta fuit in Patriarchali Eccleſia Sanctæ Sophiæ.

Et ob tantam præſentium Epiſcoporum paucitatem quærit Anaſtaſius Bibliothecarius, An hæc Synodus veraciter ſit ac vocari poſſit œcumenica ſeu generalis? Et reſpondet. *Univerſos Patriarchales thronos, ſicut aliarum ulla, in eorum loci Servantibus Præſules habens* noſtra Synodus, *univerſalis non inconvenienter ab omnibus appellatur. Univerſalis eſt enim primò, quia Catholica fides in ea & ſanctæ Leges, quæ non ſolùm à Sacerdotibus, ſed & ab univerſis Chriſtianis coli debent, & venerari, contra hoſtes eorum conſona voce defenduntur. Deindè, quia cùm Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, tot Patriarchales ſedes, quot in mortalis cujuſque corpore ſenſus locaverit, profectò nihil generalitati deeſt Eccleſiæ, ſi omnes illæ ſedes unius fuerint voluntatis, ſicut nihil deeſt motui corporis, ſi omnes quinque ſenſus integræ communiſque fuerint ſanitatis. Tertiò, quia cùm Photius tot exceſſuum ſuorum morbo univerſam Eccleſiam macularit, univerſalis curatio adhibita eſt, ut totum curaretur, quod totum fuerat maculatum*. Quæ ſingulæ rationes abundè ſunt in ſuperioribus elucidatæ. Addit Anaſtaſius proprium Synodi noſtræ nomen eſſe: *Synodus generalis octava*.

Porrò Pœnitentiæ atque obedientiæ libellus, Roma miſſus, habebat varia capita. Primò Photium, Gregorium Syracuſanum, Synodum imaginariam, aliaque iſtorum in Romanam præſertim Eccleſiam facinora deteſtabatur ſub anathemate; ſecundò Romanæ Eccleſiæ Primatum, atque immobile & infallibile de fidei quæſtionibus

bus judicium profitebatur ampliſſimè, his Domini ad Petrum Apoſtolum verbis, *Tu es Petrus, & ſuper banc Peteam ædificabo Eccleſiam meam,* adjungens hoc commentarium: *Quæ dicta ſunt, verum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica immaculata ſemper eſt Catbolica reſervata Religio, & ſancta celebrata doctrina. Ab bujus ergo fide atque doctrina ſeparari minimè cupiens, Patrum & præcipuè Sedis Apoſtolicæ Præſulum ſequimur Conſtituta.* Et inferiùs. *Sequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & obſervantes ejus omnia Conſtituta, ſperamus ut in una communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt integra & vera Chriſtianæ Religionis ſoliditas, promittentes etiam ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catbolicæ, id eſt, non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe myſteria.* Juxta vetuſtam, quam ſuo etism Dictatui inſeruit Pontifex Gregorius ſeptimus, totius Chriſtianitatis Regulam: *Qui Romanæ Eccleſiæ non communicat, Catbolicus non babeatur.* Quidquid pro Rnmsnæ communionis dignitate ſuprema ac neceſſitate adversùs Acacianum ſchiſma dixerunt Gelaſius & Hormiſda Pontifices, ex eadem Regula hauſerunt. Et hìne Romanis Legatis, Synodum noſtram de laudato libello percunctantibus, *Placet omnibus vobis libellus iſte, qui plenus fide, & canonizatus atque perfectus omni ſapientia exiſtit, eſt ortbodoxus, gratia Divina à Romanorum Eccleſia miſſus?* acclamarunt omnes Epiſcopi: *Juſtè & convenienter lectus nobis libellus eſt expoſitus à ſancta Romanorum Eccleſia, & proindè omnibus placet.* Et ſedium Orientalium Legati, à Bahsne Patritio ſingulariter rogati, *Dicite & ipſi manifeſtiùs, quid videatur vobis ſuper lecto libello, putas concordatis Romanis, an non?* reſponderunt: *Concordamus.* Ità Nicolaus & Adeianus Pontifices, nec non plena Synndus irrogatas Romanæ Eccleſiæ per Photium injurias reſtaurarunt.

Apoſtolicis Legatis magnum adjutorium præſtitit Anaſtaſius Bibliothecarius, de qno ejus in officio & dignitate ſucceſſor Guilielmns in vita Adriani ſecundi: *Tunc temporis pre cauſa Ludovici ſecundi, ſereniſſimi noſtei Auguſti, cum Suppone Archi-Miniſteo poſt Apoſtolicos Legatos Conſtantinopolim Divina, ut creditur, diſpenſatione pervenit.* Et ipſe in Synodi noſtræ præſtinne Anaſtaſius, alloquens Adrianum Pontificem: *Cùm bæc celebraretur venerabilis Synodus, accidit me famulum veſtrum, miſſum à Ludovico piiſſimo Imperatore, cum duobus aliis viris inſignibus intereſſe, ferentem etiam legationem ab Apoſtolicis meritis decorato Præſulatu veſteo, cauſa Imperialis commercii, quod efficiendum en filio Imperatoris Baſilii & Genita præfati Dei cultoris, & augeri ab utraque parte ſperabatur ſimul & parabatur. In tam enim pio negotio, & quod ad utriuſque imperii unitatem, immò totius Chriſti Eccleſiæ libertatem pertinere proculdubio credebatur, præcipuè ſummi Pontificii veſtri quærebatur adſenſus. Dei ergo nutu actum eſt, ut tanti negotii cum loci Servatoribus Apoſtolicæ Sedis & ipſe fine gauderem, fructum in exultatione portarem, manipulos qui per ſeptennium pro eo laboraveram, & per totum orbem verborum ſemina ſedulò ſcribendo diſperſeram.* Et in marginali primæ Actionis ſcholio: *Pro cauſa nuptialis contractus inter utrumque Imperatorem efficiendi aderamus.* Eamdem Legstionem in Francorum hiſtoria laudat mnnachus Aimoinus. L.5.c.11. Suppo Comes & Archi-Miniſter erat Engilbertæ Auguſtæ conſobrinus, alter Anaſtaſii ſocius erat Everardus Præpoſitus menſæ Imperialis. Occidentale Imperium, Francis à Leone tertio Pontifice delatnm, nunquam agnoſcere voluerunt Græcorum Auguſti: Hìue mediis matrimoniis conatus eſt Ludnvicus pacem iſtam conciliare. Notanda ſunt Anaſtaſii verba: *Præcipuè ſummi Pontificii veſtei quærebatue adſenſus.* Etenim Pippinus Francorum Rex, ejuſque filii Carolus & Carolomannus ſpoſponderant ſine Sedis Apoſtolicæ beneplacito non inire conjugia, & ſub ſtipulatis ejuſmodi condicionibus acceperant Franciæ Regnum ac Imperium Occidentis.

CAPUT X.

Exponuntur Acta octavæ generalis Synodi.

ACTIO I.

PRima Actio celebrata fuit tertio Baſilii Auguſti, Adriani Pontificis ſecundo, Chriſti Domini anno octingenteſimo ſexageſimo nono, indictione tertia, menſis Octobris die quinta, feria qusrta ſeptimanæ. Inchoata fuit à ſolis ſex perſonis: Tribus Legatis Apoſtnlicis, Patriarcha Ignatio, Thoma Tyriorum Metropolita, ſedis Antiochenæ Legato, & Elia Theodoſii Patriarchæ Hieroſolymitani Vicario & Legato, ante omnia diſcutientibus, quinam Epiſcopi ſine Romani libelli profeſſione, tamquam ſani palàm & integri, ad Synodi conſeſſum admitti poſſent, repereruntque ſolos duodecim: Nicephorum Amaſenum, Joannem Petgenſem, Nicetam Athenienſem, Metrophanem Smyrnenſem, Michaelem Rhodiorum, Georgium Iliopolitanum, Petrum Troadis, Nicetam Cephsludii, Anaſtaſium Magneſianum, Nicephnrum Crotonienſem, Antonium Aliſenſem, & Michselem Epiſcopum Cercyrorum. Quibus advocatis dixere Romani Legati: *Ingrediantur Epiſcopi omnes, quotquot laboraverunt, & certaverunt pro verbo veritatis, utpotè conſentanei Ignatii ſanctiſſimi Archi-Epiſcopi Conſtantinopoleos.* Et ad jam ingreſſos: *Sedeant ſecundùm ordinem ſuum, quia digni ſunt, & beatos & ter beatos bos æſtimamus.*

Ad jam conſidentes ſtans Bshanes Patricius, Baſilii Auguſti Vicsrius, edixit: *Imperator noſter ſanctus Epanagnoſticon tranſmiſit, & ſi jubetis & placet vobis, recitetur coram ſancta Synodo.* Vocem, *Epanagnoſticon*, exponit ſcholion msrginale Anaſtaſii: *Epanagnoſticon dicitur ſcriptum, quod palàm legitur.* Επὶ *enim græcè non ſolùm ſuper, ſed & coràm interpretatur.* Repoſuerunt

Apo-

Apoſtolicæ atque Orientalium ſedium Legati: *Placuit nobis ſermo*. Quare Theodorus Principi à Secretis ſacras Principis ad Synodum litteras legit, quibus ille proteſtabatur unicè ſibi eſſe, ac à primo Imperii ſui die ſemper fuiſſe in votis pacificare & purgare Eccleſiam Conſtantinopolitanam per generalem Synodum, ideòque laudatos Legatos ac alios præſentes Epiſcopos expoſtulabat, ut ſine amore, odio, & perſonarum acceptione lamentabiles haſce contentiones diſcuterent, ſanarent, finirent.

Marinum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconum ac Legatum vocat *unum de Definitis ſeptem*. Ad quæ verba habet marginale Anaſtaſii ſcholion: *Definitum eſt, ut ſeptem tantummodò ſint in Eccleſia Diaconi*. Definitum eſt à quinto decimo Canone Synodi Neo-Cæſareenſis: *Diaconi ſeptem eſſe debent, etiamſi ſit magna civitas. Ejus autem rei fidem facit liber Actorum*. Quem numerum ſervatum olim fuiſſe etiam à Romana Eccleſia docet apud Euſebium Cæſareenſem Sanctus Pontifex Cornelius, ad Fabium Patriarcham Antiochenum
L.6. c.35. ſcribens iſtic fuiſſe *Presbyteros quadraginta*
L.7.c.19. *ſex, Diaconos ſeptem*. Et Hermias Zozomenus: *Diaconi apud Romanos hactenùs non plures ſunt, quam ſeptem, apud alios verò numerus horum promiſcuus eſt*. Errat tamen prima Epiſtola Sancto Fabiano Pontifici per Iſidori Mercatoris collectionem falsò adſcripta: *Septem Diaconos in urbe Roma per ſeptem regiones civitatis, ſicut à Patribus accepimus, habemus*. Romanam quippè urbem à Cæſare Auguſto in quatuordecim regiones fuiſſe
Cap 30. diviſam Svetonius teſtatur. Proindè quiſque olim Romanus Diaconus regebat duas regiones. Eorum unus erat Archi-Diaconus, atque is ſolus dicebatur Cardinalis. At verò Conſtantinopolitana ſub Menna Patriarcha Synodus laudat Ro-
F. 455. manæ Eccleſiæ Archi-Diaconos: Quòd nempe tunc quævis Regio ſuum haberet Diaconum, ſed unus tamen eſſet inter quoſque binos præcipuus, duabus regionibus & uni Collegæ Præfectus, atque ità Archi-Diaconus & Cardinalis. Erant igitur tum ſeptem Archi-Diaconi ſeu Diaconi Cardinales. Poſtmodùm Cardinalatus ab Archi-Diaconatu ſeparatus fuit, & hic ad unum contractus. Et ità erat tempore præſentis Synodi. At verò circa milleſimum Domini annum omnes Diaconi Regionarii in Cardinalem dignitatem profecerunt. Acceſſerunt poſteà quatuor Diaconi Palatini, Lateranenſi & Vaticanæ Baſilicis, & celebranti in ipſis Pontifici miniſtrantes, dicti quandoque Miniſtri Altaris Lateranenſis: Ità fuerunt decem & octo Diaconi Cardinales. Quem numerum primus exceſſit Paulus tertius, creans Diaconos Cardinales decem & novem. Pius quartus creavit viginti quinque. Et octodecim dumtaxàt antiquas Diaconias habet Romana Eccleſia, quarum prima, olim Archi-Diaconalis, erat Sanctæ Mariæ in Dominica, quouſque Leo decimus addidit Diaconiam Sancti Onuphrii in Vaticano, quam contulit creato à ſe Cardinali Joanni Lotharingiæ Duci.

Porrò Baſilii Auguſti Epanagnoſticon omnibus placuit. Hinc Bahanes Patricius à Legatis Apoſtolicis legationis & poteſtatis eorum litteras poſtulavit, id non ad Apoſtolicæ Sedis contumeliam, ſed ad evadendos nuperos Rhadoaldi & Zachariæ Epiſcoporum à Nicolao Pontifice miſſorum dolos, & de præſentis Synodi legitimitate certificandam omnem Eccleſiam fieri proteſtatus. Repoſuerunt illi: *Hoc nos uſque nunc non invenimus in univerſali Synodo factum, ut Vicarii ſenioris Romæ à quolibet perpendantur, utrùm talem exiſtimationem habeant*. Addidere Rhodoaldi & Zachariæ facinus de ſe non metuendum, ſeſe enim per Baſilii Auguſti & Patriarchæ Ignatii legationem, Joannem Sylæi Metropolitam ac Baſilium Spatharium, fuiſſe poſtulatos, cum eiſdem Conſtantinopolim deſtinatos ab Adriano Pontifice, habere ſe ejus ad Principem litteras, eis contineri Apoſtolica ad omnem Synodum mandata, ſuam item & Synodi poteſtatem, eaſdemque proindè poſtularunt legi. Et ſatisfactionem habens omnis Synodus dixit: *Legantur*. Unica enim generalium Synodorum directrix regula eſt ſimilis Apoſtolica Epiſtola, cujus in[illegible]iſſa per Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum lectio ſecundam Epheſinam Synodum demutavit in factionem latrocinalem. Laudatam igitur Epiſtolam Marinus Romanæ Eccleſiæ Diaconus & Legatus protulit ac latinè legit, Damianus Principis Clericus & interpres Græcè tranſtulit, & poſt lectam Patriarcha Ignatius, plena Synodus, ac omnis Senatus Romanis Legatis adclamavit: *Benedictus Deus, qui dignatus eſt nos ſatisfactionem accipere de Sanctitate veſtra*. Aliud legationis aut poteſtatis teſtimonium non fuit ab illis poſtulatum.

Exindè *ſanctiſſimi Vicarii ſenioris Romæ & tota ſancta Synodus expetierunt, ut legerentur Orientalium Vicariorum commendatitiæ litteræ, ad cognoſcendum undè & ipſi venerint, & quam poteſtatem acceperint à propriis ſedibus*. Etenim quorumvis Epiſcoporum, etiam ipſorum Patriarcharum ad generalem Synodum Legati Apoſtolicis Legatis exhibere ſuæ legationis ac poteſtatis litteras ſemper fuerunt obligati. Thomas Tyriorum Metropolita, ſedis Antiochenæ Legatus, debuerat loqui primus, verùm quod *græcè difficilè loqueretur*, verbi vices detulit Eliæ monacho, Theodoſii Patriarchæ Hieroſolymitani Presbytero Syncello & Legato. Neque mireris iſtum Archi-Epiſcopum linguæ græcæ fuiſſe imperitum: Etenim Syrus erat, apud quos imperitia iſta familiaris. Etiam Uranium Himerorum in Oſrhoena Provincia Epiſcopum, Barſumam Archi-Mandritam, ac varios Edeſſenæ Eccleſiæ Clericos fuiſſe in eadem, ideòque per interpretem in ſecunda Epheſina, Berytenſi, & Chalcedonenſi Synodo locutos, ac Syriacè ſubſcripſiſſe liquet ex earumdem Synodorum Actis. Quod ipſum Cap. 13.
de Macedonio Syriæ monacho, ac Abrahame Cap. 17.
Carrhenſi Epiſcopo ſcribit in monaſtica hiſtoria Theodoretus. Etiam Conſtantinopolitanæ ſub Menna Patriarcha Synodo quidam Syrorum Epiſcopi & monachi Syriacè ſubſcripſerunt. Et F.122.227
Conſtantinus Apameenſis in ſecunda Syria Eccleſiæ Presbyter dixit ad ſextam Synodum: *Græcè neſcio*. Et Antiochum Ptolomaidis in Phœnicia maritima Epiſcopum à græcæ linguæ peritia

ut re

ut re magna laudat Socrates, addens: *Ut Syrus pronunciavit*. Quin & Sanctus Ephreem, doctiſſimus Eccleſiæ Edeſſenæ Diaconus, græcè ignoravit, omneſque iſtic Eccleſiæ Divina officia Syriacè perſolvebant.

Elias itàque Presbyter primùm communiter & pro ſe & pro collega ſuo Thoma reſpondit Legatis Apoſtolicis: *Non ignorat Chriſto amica Dilectio veſtra, fratres, nec ignoravit tam à nobis ipſis, quam à Dictatoribus noſtris Imperatoribus diſcens, qui ſumus, & undè & quales. Verumtamen ad pleniorem ſatisfactionem dicimus & nunc rursùm ad vos*. Etenim & ipſe & Thomas, Legatos Apoſtolicos expectantes, Conſtantinopoli fermè per biennium hæſerant, edentes illuſtria fidei & pietatis documenta. Deindè pro Thoma ſpecialiter fuit Elias locutus: *Sanctiſſimus Thomas Metropolita Tyri, ſicut & vobis notum eſt, primæ ſedis exiſtens Antiochiæ, uſque dum fiat Patriarcha in eadem ſede, ob hoc non oportuit eum deferre litteras miſſas ab alio aliquo, cùm ipſe auctoritatem & poteſtatem haberet in eadem ſede*. Idem Thomas infrà vocatur *Primus Seſſor & Primas ſedis Theopoleos Antiochiæ*. Ad quæ verba notat marginale Anaſtaſii ſcholion: *Primum Seſſorem, id eſt, Proto-Thronum ſive primum Seſſorem dicit eorum Epiſcoporum, qui ad Theopolitanam, hoc eſt, Antiochenam ſpectant Eccleſiam*. In hac eadem prima Actione vocatur *Proto thronus Antiochiæ*, rursùmque expooit Anaſtaſius: *Id eſt, primæ ſedis Antiochiæ diœceſeos*. Joſephus monachus, Michaelis Patriarchæ Alexandrini Archi-Diaconus Syncellus & Legatus vocat *Præſulem Tyri, primę metropoleos Antiochenſium Throni*. Tyriorum Eccleſia, primæ Phæniciæ Metropolitana, erat Antiochenæ diœceſeos prima poſt Patriarchalem ſedem, ac illa vacante totius Patriarchatus vicaria adminiſtratrix, ideòque Thomas nullius delegatione aut commendatitiis egebat litteris, otpotè cujus erat eas omnibus dare. Quam regiminis formam certum eſt iſtic non eſſe antiquam. Ejus originem ignoro. Ità interim apud nobis vicinos Anglus Roffenſis olim Epiſcopus vacantis Cantuarienſis Eccleſiæ erat Rector Vicarius; verùm ſolius Parochiæ, nequaquam totius Provinciæ aut Primatus.

Exindè etiam pro ſemetipſo Elias reſpondit: *Ego, quia Syncellus ſum ſedis Hieroſolymitanę, ſequens juſſiones Theodoſii ſummi Sacerdotis noſtri, litteras ejus pręmanibus habens huc veni, quas & vos audiſtis; ſi verò anteà quidam non audierunt, & maximè propter Vicarios ſenioris Romę, ecce prę ſtò ſunt, & legantur, quatenùs ſinguli cum diligentia cognoſcentes veritatem certificemini*. Epiſcopalium atque etiam Abbatialium Syncellorum antiqua eſt memoria. Etenim Sophronius civis Alexandrinus in libellis Synodo Chalcedonenſi adversùs Dioſcorum Patriarcham ſuum exhibitis
Act. 3. memorat *Agoraſtum ejus Syncellum*. Et in Sancti Flaviani Patriarchæ Conſtantinopolitani adversùs Eutychetem Archi-Mandritam Synodo Euſebius Doryleenſis Epiſcopus adducit *Narſeten Presbyterum & Syncellum ejus*. Et Epiphanium
Act. 6. Patriarcham Conſtantinopolitanum fuiſſe Prædeceſſoris ſui Joannis ſecundi Presbyterum ac Syncellum ſcribit ad Hormiſdam Pontificem Dioſcorus Romanæ Eccleſiæ Diaconus & apud Juſtinum
Imperatorem Legatus. Et Theophilus Heracleenſium in Europæ Provincia Archi-Epiſcopus ad Poſt Epiſt. 57. Relat. 6.
laudati Epiphanii à ſe in Patriarcham conſecrati confirmationem ab eodem Pontifice Hormiſda petendam legavit *Heraclium Presbyterum ſanctę majoris Eccleſię, & cohabitatorem prædicti Archi-Epiſcopi ſanctiſſimi & Patriarchę Epiphanii*. Etenim græcè Syncellus eſt latinè domeſticus ſeu cohabitator. Et Eliam noſtrum, ſuum Syncellum, in litteris ad Sanctum Ignatium Theodoſius Patriarcha *ſuum oculum* appellat. Et Ignatium Tornohi, Joaſaph Amaſenum, & Damianum Moldoblachienſem Metropolitam, ſibi in unione facienda Florentiæ reſiſtentes, hunc in modum apud Sylveſtrum Sguropulum adloquitur
Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Voſne eſtis peculiares mei & intimi? Nonne ego vos promovi ad ea faſtigia, & auctor ſum omnium bonorum, quibus nunc fruimini? Numquid non eſtis intimæ admiſſionis conſiliarii mei, & inſcripti in familiam Domeſtici? Cur igitur mihi non obſecundatis?* Eſſe igitur Patriarchæ Syncellum erat eſſe ejus Domeſticum: Dignitas etiam à Metropolitis exoptata. Etiam Anaſtaſium Presbyterum, quem ſecum Antiochia duxerat Neſtorius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & qui illic in Eccleſia primus blaſphemus in *Deiparam* Virginem dentes aperuit, fuiſſe ejuſdem Neſtorii fidum conſiliarium atque Syncellum affirmant Theophanes & Anaſtaſius, quod tamen nomen apud Socratem illi coævum non reperitur. Nempe tunc necdum nata erat iſta dignitas. Nata eſt non ità dudum poſteà; inter tempora Neſtorii & Eutychetis. L. 9. c. 8.

Dicitur à Cella. Etenim omnis Epiſcopalia domus olim cella dicebatur, non à Græcis tantùm, ſed & à Latinis. Ità disertè vocat Synodus Cap. 7.
Emeritenſis. Et Epiſcopalis *cellarii*, ſeu domus Cap. 4.
ſecretum laudat ſecunda Synodus Arelatenſis. Et Cap. 14.
quarta Carthaginenſis mandat, *Ut Epiſcopus non longè ab Eccleſia hoſpitiolum habeat*. Nihilominùs illi, qui Epiſcopalium Palatiorum nomen & rem eſſe nova exiſtimant, palàm falluntur. Etenim Epiſcopi Conſtantinopolitani palatium laudant
in precibus Theodoſio Auguſto exhibitis Baſilius L. 1. Conc.
ejuſdem Eccleſiæ Diaconus & Archi-Mandrita, Eph. c. 30.
nec non in prima Epheſini Concilii Actione Theopemptus Epiſcopus Cabaſorum. Et Lateranenſe Fauſtæ Auguſtæ palatium Melchiadi Pontifici dedit Conſtantinus Magnus. Et Epheſini Epiſcopi domus fuit adeò ampla, ut ibi celebratæ fuerint quædam Actiones Synodi generalis. Et hinc temporis ſucceſſu vox *Palatium* magis placuit Epiſcopis, & vox *Cella* manſit ſolis monachis, quin & poſtmodùm ad ſola parva illa, majori alicui ſubjecta, quæ paſſim Obedientias ſeu Prioratus vocamus, monaſteria tranſiit: Apud mediorum ſæculorum Scriptores frequentiſſimè leges hujus aut iſtius monaſterii Cellam. Semper tamen apud Græcos honorata manſit vox *Syncellus*. Etenim Græcorum Epiſcopi, paſſim è monachis adſumpti, vitam monaſticam in Epiſcopali Palatio retinentes, habere voluerunt domeſticos conſiliarios & commenſales monachos,

eoſque honoris cauſa vocavere ſuos Syncellos. Et quia apud Epiſcopum ſuùm illi valebant & agebant omnia, in tantam dignitatem profecit iſta cohabitatio, ut eam nactus eſſet Domini ſui quaſi coadjutor, & paſſim ſucceſſor. Ita Epiphanium Syncellum jam audivimus ſucceſſiſſe Joanni Patriarchæ Conſtantinopolitano: Et ipſe Joannes fuerat Anteceſſoris ſui Timothei Syncellus. Etiam Anaſtaſius Presbyter, quem in ejecti Sancti Germani ſedem intruſit Leo Iſaurus, Syncellus ejus fuerat. Et Leo ſapiens, Baſilii Auguſti filius & ſucceſſor, fratri ſuo Stephano, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono, à Photio in Patriarchatum per Joannem octavum Pontificem reſtituto impetravit Syncellatus dignitatem, quò ipſi in Patriarchatum ſuccederet. Et expulſo Photio Stephanus omninò ſucceſſit. Etiam Euthymius Patriarcha factus eſt ex Syncello. Et de Romano Lecapeno Imperatore ſcribit Georgius Cedrenus: *Theophylactum ejus filium Patriarcha tandem, Clericum facit & Subdiaconum, ac Syncellum deſignat.* Ut nempe, quod & factum, ſuccederet in Patriarchatum. Adeò antiqua apud Eccleſiam Conſtantinopolitanam eſt iſta conſuetudo, de qua Joannes Zonaras in Conſtantino Monomacho: *Sultanus Legatum ad Imperatorem miſit, quem illi Seriphen vocant. Cujus eadem ferè conditio fuit, quæ olim apud nos Syncellis. Nam ut is Patriarchæ mortui locum occupabat, ſic etiam Seriphes Caliphæ defuncto ſuccedebat.* Idem Patriarchæ Syncellatus erat gradus proximus ad dignitatem Metropoliticam aut inſignem aliquem Epiſcopatum. Hinc de Romano Argyro Imperatore ſcribit laudatus Cedrenus: *Tres Syncellos fecit Metropolitas, Cyriacum Epheſi, Demetrium Cyzici, & Michaelem Euchaitarum.* Quod in publico Eccleſiæ conſeſſu locum ante Metropolitas, licèt ipſi dumtaxàt eſſent ſimplices monachi, habuerint aut ſaltem ambiverint, eſt ſuprà oſtenſum. Et hinc uti Auguſtorum filii, ità & ipſi Metropolitæ dignitatem iſtam ambiebant. Idque ab antiquo: Nam Stephanum Nicomediæ Metropolitam ad Patriarchæ Syncellum memorat in Baſilio Porphyrogenito Romani filio jam dictus Cedrenus. Quocircà quod etiamnum hodie apud nos Latinos Epiſcopi & Archi-Epiſcopi ſint Romano Pontifici officiales & Prælati Domeſtici, neque carpendum eſt, neque mirandum.

Etiam alii Patriarchæ habuere Syncellos. Nam de Macarii Antiocheni Syncello audivimus memoriam in ſexta Synodo, laudavimus Eliam Theodoſii Hieroſolymitani Syncellum, & infrà laudabimus Joſephum Syncellum Michaelis Patriarchæ Alexandrini. Eos fuiſſe cunctis Epiſcopis eſt manifeſtum. Quin & Eutychetis Archi-Mandritæ Syncellum nobis prodidit Euſebius Epiſcopus Dorylæenſis. Poſteriora tempora videntur habuiſſe etiam Syncellos Palatinos Auguſti Principis. Etenim Georgius Cedrenus memorat Leonem Proto-Syncellum, cognomento Strabo-Spondylus, qui ſub Theodora Auguſta & ejus ſucceſſore Michaele Stratiotico res imperii adminiſtrarit. Verùm res eſt incerta. Poſſit enim ille fuiſſe Patriarchæ Proto-Syncellus, unàque Palatinus Clericus, dirigendæ Reipublicæ à dictis Principibus admotus, uti olim apud Francos admovebatur Palatii Archi-Capellanus.

Vox, *Proto-Syncellus*, evincit uni Patriarchæ aut Epiſcopo fuiſſe Syncellos plures. Hinc enim multorum dignitatem iſtam venantium ambitu offenſus Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus ab Heraclio Auguſto obtinuit legem ſibi permittentem duos ſolummodò Syncellos. Extat illa in Paratitlis Joannis Leunclavii. Verùm recrevit paulatim numerus, atque ita non dumtaxat Proto-Syncellus, ſed & magnus Proto-Syncellus apud vana fumoſorum titulorum pompa gaudentes Græculos eſt tandem natus, habens jus, uti ad Sancti Joannis Chryſoſtomi Liturgiam notat Euchologium, ad ſacrificium portandi hypogonatium ſeu ſubgenuale, & in Patriarchæ ſacrificio ſolemniter dicendi orationem pro Patriarcha. Etenim pro Romano Pontifice, Patriarcha, Metropolita, ac proprio Epiſcopo ad ſacrificium orare eſt antiquiſſimus & Latinorum & Græcorum mos; verùm Græci neminem pro ſemetipſo id voluerunt agere, rati ſuperbiæ aut vanitatis ſuſpectum: Faciebat id in Cathedralibus Eccleſiis quis dignior Presbyter, Conſtantinopoli autem magnus Proto-Syncellus. Hujus tamen dignitatis Codinus, Joannes Citri, ac alii officiorum magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ digeſtores non meminerunt: Quòd nuda eſſet dignitas, non officium. Redeamus ad Acta Synodalia.

Ex Romanorum Legatorum juſſu Stephanus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Notarius mox legit Theodoſii Hieroſolymitani ad Sanctum Patriarcham Ignatium litteras, habentes hæc capita. Primò dolet de fœdo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Schiſmate, optans brevì componendum. Deindè ait ſe huc uſque nihil potuiſſe pro ipſo agere, ne Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ac Romani imperii negotiis mixtus offenderet aut in pravam ſuſpicionem duceret Agarenos. Tertiò dicit ſe ab Amera ſuo impetraſſe licentiam legandi unius Epiſcopi & unius Presbyteri Conſtantinopolim, idque ſub fuco liberandi captivos Agarenos. Quartò cum plena ad Synodum poteſtate, venire à ſe affirmat Eliam Presbyterum ac ſuum Syncellum, à ſede autem Antiochena vacante Thomam Tyri Metropolitam, futuros Vicarios & Legatos utriuſque Patriarchatus. Quintò in tranſactæ calamitatis ſolatium Sancto Ignatio mittit Sancti Jacobi Apoſtoli, primi Epiſcopi Hieroſolymitani, poderem, ſuperhumerale, & mitram, nec non è ſancta Reſurrectionis Eccleſia argenteum calicem: Ex quo liquet mitræ Epiſcopalis uſum etiam in quibuſdam Græcorum Eccleſiis eſſe Apoſtolicam traditionem. Porrò Epiſtola placuit & Romanis Legatis & Bahani Patricio, qui proindè ex totius Synodi ſententia eſt interlocutus: *Per formatas, quæ lectæ ſunt, credidimus eſſe per omnia in perfecta certitudine eos, qui miſſi ſunt à ſeniori Roma ad nos, veraces; ſimilitèr & Orientis duarum ſedium, Antiochiæ ſcilicet & Hieroſolymæ.*

Hinc Romani Legati ſunt interlocuti: *Legatur libellus, quem ſancta Romanorum Eccleſia expoſuit.*

poſuit. Photiaoum Schiſma abjurans, & Romanum ſupremnm ac univerſalem Primatum profitens libellus, à Sancto Nicolao Pootifice compoſitus, ſine cujus ſolenni admiſſione & ſubſcriptione Adrianus Pontifex nullum Conſtantinopolitanæ diœceſeos Epiſcopum ſanxerat acceptari ad Synodale ſuffragium & conſeſſum. *Et accipiens eum Damianus reverendiſſimus Imperatoris Clericus & interpres prædictum libellum legit latinè magna voce in audientiam omnium. Et poſt lectionem libelli adſcendens Stephanus Deo amabilis Diaconus & devotus Notarius legit eundem libellum græcè*. Nullus præter Romaoos Legatos erat iſtic latinus Epiſcopus, & tameo primùm latinè libellus legitur ex antiquo Syoodorum oſu propter reverentiam Eccleſiæ Romanæ. Ita damnata fuit Michaelis Auguſti Epiſtola, qua ad Sanctum Nicolaum Pontificem per Photii manum ſcripſerat linguam latinam eſſe Barbaram & Scbyticam. Et lectum libellom fuiſſe ab omni Synodo comprobatum eſt ſoperiùs oſtenſnm.

An ſolus ſine generali Synodo Romanus Epiſcopus in decidendis fidei Chriſtianæ quæſtionibus ſit ex ſpeciali Spiritus Saocti adſiſtentia Judex inſallibilis, eſt inter Latinos & Græcos contentio antiqua. Latinorum ſenſum lucidè apud Sylveſtrum Sgoropnlnm exponit Joſephus Patriar-
L. 6. c. 11. cha Conſtantinopolitanus: *Nobis Latini ab initio adſeverarunt, quidquid per ſe ſolus Papa decernit ita firmum ab omnibus excipi, ac ſi ab ipſo Deo promulgatum humano generi promanaſſet*. Græcorum ſenſum ibidem exponit Joannes Palæologus ipſo-
L. 7. c. 7. rum Imperator: *Definiant Latini inter ſe quidquid velint, at definitio Synodica non valebit, quam ego dumtaxat ſic intelligo, ut ea ſola ſit Synodica definitio, quando utraque pars*, & Latina & Græca Ec-
Cap. 1. cleſia, *in unum idemque conſenſerint*. Eamdem quæſtionem Flnrentiæ apud ſuos in oratione de complenda Eccleſiarum pace tractavit io utramque partem, ac indeciſam reliqnit venerabilis Beſſarion Metropolita Nicænns. Opioionem Græci hanſerunt à Sancto Firmiliaoo Cæſareenſium in Cappadocia Archi Epiſcopo, clamante per Sanctum Stephanum Pontificem, datum in hæreſi Baptiſma ſtabilientem adversùs Sanctum Cypriannm, lædi Chriſtianum dogma, *Et Petrum ac Paulum, Beatos Apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint, infamari*. Addidit de Romana Eccleſia: *Eos, qui Romæ ſunt, non ea in omnibus obſervare quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtrà Apoſtolorum auctoritatem prætendere, ſcire quis etiam indè poteſt, quòd circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia Divinæ rei Sacramenta videat apud illos eſſe aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur*. Romanam Eccleſiam, quòd cum Judæis non celebraret Paſcha, garrit ab Apoſtolica traditione deviaſſe. Et Firmiliano oimiùm adhærens ſucceſſor Sanctus Baſilius de Occidentalibus Epiſcopis, Marcellum Ancyræ in prima Galatia Metropolitam à Sardicenſi Synodo purgatnm damoare no-
Epiſt. 10. lentibus, ſcribit ad Saoctum Gregorium Nazianzenom: *Veritatem neque norunt, neque diſcere ſuſtinent, verùm falſis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt, nempe cum iis, qui veritatem ipſis adnunciant, contendentes, hæreſin autem per ſemetipſos ſtabilientes*. Eadem fieri addit ab *eorum Anteſignano* ſeu Patriarcha, utique Pontifice Romano. Et hinc Julianus Capuanus Epiſcopus, Pelagianæ hæreſeos à ſola Romana Eccleſia damnatæ reſuſcitator, Goliath, ſignifer, & tympaniſta, uti ad generalem appellavit Syoodum, ità & ad Græcos Eccleſiæ Patres, quòd oempe eorum quidam Romanam Eccleſiam non eſſe iofallibilem Chriſtianarum qnæſtionum judicem adfirmarent. Repoſuit verò in opere perfecto Sanctus Auguſtinus: L. 1. c. 4.
Non eſt, quòd provoces ad Orientis Antiſtites, quia & ipſi utique Chriſtiani ſunt, & utriuſque partis terrarum fides iſta una eſt, quia & fides iſta Chriſtiana eſt. Et te certè Occidentalis terra generavit, Occidentalis regeneravit Eccleſia. Hoc eſt, de Romana credere te oportet Eccleſia, quod credit omnis Occidentalis, credens illam eſſe judicem infallibilem, & damnati ab ipſa dogmatis ſectatoribus oullam poſtolandam generalem Syoodum aot aliam audientiam, ſed ſolam ſupereſſe pœnitentiam agendam. Quapropter non miremut Romanos in hac Synodo Legatos pro ſui libelli comprobatione ſtrenuùm adeò laboraſſe. Latinam adversùs quoſdam Græcos de hac ſuprema Romanæ Eccleſiæ dignirate ſententiam libellus profitebatur: Fuitque omninò à plena Synodo in Canonem admiſſus. Et jure merito. Nam quidquid Sanctus Firmilianus, Sanctus Baſilius, & quidam alii Græcorum Patres adversùs dignitatem iſtam ex humano ſpiritu quandoque moverunt, omnis poſtmodùm etiam Orientalis Eccleſia exſufflavit & damnavit, veriſſimèque de Domini ad Petrum Apoſtolum verbis, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, dicit libellus: *Hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica eſt immaculata ſemper Catholica reſervata Religio, & ſancta celebrata doctrina*. Reverà enim Eccleſiam iſtam ac ejus Cathedram nullus unquam hæreticus inſedit Epiſcopus, nullum leproſum dogma maculavit. Quocircà qui hodie vetuſtum quorumdam Græcorum errorem in Latinam Eccleſiam moliuotur intrudere, Julianiſtas agunt, caveantque ne non prævaricentur Synodum octavam. In Photii adversùs Romanam Eccleſiam calumnias fuit compoſitus libellus.

Ei per omnia ſeſe concordare dixerunt etiam ſedium Orientalium Legati, & addidere: *Legatur & definitio, quæ hic à nobis expoſita eſt, cujus & ſuperiùs mentionem fecimus, ut cognoſcatis concordiam noſtram*. Landata ſuperiùs & explanata Definitio, qna Legati iſti de longa Romanorum Legaiorum mora adflicti, & ad propria ob Agarenorum metum properare coacti, omnia pro Sancto Ignatio in Phntium Nicolai primi & Adriani ſecundi Pontificum Decreta ac mandata diſcuſſerant, probarant, & executioni citra moram mandanda judicarant. Hac expoſitione decreverant foturam ſioe ſua præſeotia Synodum inſtruere, ac ipſi ſaltem per iſtas liuteras adeſſe. Verùm excnſſo Agarenorum metu manſernot perſonaliter præſentes. Lectæ definitioni acclamavit uoiverſa Synodus: *Ecce audivimus & ſententiam*

Orientalium, ſequentem & faventem judicio ſanctiſſimi Papæ Nicolai, & convenimus in eam. Ei Romani Legsri rogarunt Definitionis Auctores: *Vos fratres noſtri dicite, veſtra eſt definitio? Et ſcriptum hoc, quod lectum eſt, vos dediſtis?* Repoſuerunt illi eſſe ſuum, & exclamavit omnis Synodus: *Placet omnibus.*

Pertexi ad Legatos Apoſtolicos Bshanes Patricius: *Rogamus vos, ſanate contritionem noſtram. Nos quidem acquieſcimus iis, quæ juſſit judicium veſtrum, ſed convenit ut jubeatis ipſi alia, quæ ſi audiverimus, juvent nos. Photium aliquando non videntes, quomodò damnaſtis eum?* Ex Photii sc Photianorum ſuggeſtu locutus eſt Bahanes: dixerunt vero Legati: *Beato Petro Apoſtolo donavit Chriſtus & Deus noſter, dicens ei,* EGO ROGAVI PRO TE PETRE, UT NON DEFICIAT FIDES TUA, ET TU ALIQUANDO CONVERSUS CONFIRMA FRATRES TUOS. *Non ergo poterat ter beatiſſimus ac ſanctiſſimus Papa Nicolaus in ſede illa tantùm tendere tempus, ut non confortaret fratres ſuos, & ſanctiſſimum Patriarcham Ignatium. Nam ſanctiſſimus Papa Nicolaus videns litteras Photii pervaſoris abſentem tamquam præſentem per Epiſtolas ejus & Apocriſarios judicavit.* Elucidst marginali ſcholio Anaſtsſius: *Quamvis totus mundus noſſet Photium ſubitò ex laico factum Epiſcopum, & viventis Præſulis ſedem invaſiſſe, quia tamen abſens erat, non eum anteà judicavit, quàm bis per Miſſos & Epiſtolas ipſius illum noxium comperiſſet, & rursùs hunc per Miſſos ſuos & Epiſtolas bis, ut corrigeretur, admonuiſſet.* Enarrarunt Legsti cunctas Michselis Auguſti & intruſi Photii sd Nicolaum Pontificem, & ad illos hujus legstiones & Epiſtolas, atque ità evicerunt illum fuiſſe legitimè damnatum.

Sedium Orientalium Legati, morati in Regia civitate ferè per biennium, Photium nec videre, longè minùs adſari, dignsti fuerant, probarant nihilominùs Romsnas in ipſum ſententias, ideoque etiam ipſos interrogsvit Patricius Bahanes: *Et vos tempus multum feciſtis hic enſpectantes à Roma Vicarios, quomodò propè habentes Photium non quæſiſtis & vidiſtis, & ità condemnaſtis eum?* Repoſuit Elias Theodoſii Patriſrchæ Hieroſolymitani Vicarins & Legatus: *Patriarchalia capita poſuit in mundo Spiritus Sanctus, ut in Eccleſia Dei pullulantia ſcandala per ea exterminarentur, & pacifica conſtitutio in ipſa interveniat & concedatur. Igitur cùm præſidens & præcedens ſedes ſenioris Romæ nequaquam receperat Photium, nec etiam Orientis tres Throni, videlicet Alexandriæ, & Antiochiæ, & Hieroſolymorum, non erat opus vocare illum ad enaminationem vel rejudicationem. Hujuſmodi enim actiones de iis, qui recepti ſunt in Eccleſiis Dei & cunctis ſedibus, ſolent fieri. De iis autem, qui nunquam in ſeniori Roma & reliquis ſedibus recepti ſunt, nullum omninò debet haberi iteratum judicium. Hujuſmodi enim evidentem in ſemetipſis habens damnationem propriam, ità ut nos benè fecerimus eum, qui nunquam à ſeniori Roma & Orientalibus Thronis receptus eſt, nullatenùs adducentes ad retractationem examinis: Habebat enim hanc ſecum ferens manifeſtiſſimam ſui damnationem. Alium itàque nos Patriarcham Conſtantinopoleos neque cognovimus neque recepimus temporibus iſtis, præter hunc Sanctum virum Patriarcham Ignatium.* Illuſtre teſtimonium docens Romanam Eccleſiam omnibus præſidere Eccleſiis, ejus judicium à nullo poſſe retrsctari, Patriarcham ab illa non confirmatum non poſſe ut Patriarcham, ſed ſolummodò ut laicum aut priùs habiti ordinis Clericum ab omnibus haberi, & in omnibus judicari.

Inſuper ignotam quampiam hnc uſque Photii verſutiam detexit idem Eliss: *Photius miſit per quemdam Imperialis dignitatis ad ſanctiſſimum Metropolitam Tyri, ſi fortè aliquo modo receperit ſe in Throno Antiochiæ. Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, Quia nunquam ſuſcepimus Photium in Throno Antiochiæ.* Hinc patent duo. Primò, quod intruſus Photius mox Synodicam ſusm ad omnes Patriarchsles ſedes miſerit, & conſecrationis ſuæ confirmationem poſtularit, at nullibi impetrsrit, ne quidem à vscante ſede Antiochens. Secundò, quod etiam per Baſilium Auguſtum ejectus ambitui & mschinationibus non renunciarit. Pergit Elias: *Itàque neque in ſeniori Roma, neque in Throno Hieroſolymorum, neque in Throno Antiochiæ ſuſceptus Photius quomodò putas eſſe apud nos retractatione judicii dignus? Hæc nunc dicimus ſufficienter valentia exhibere voluntatem & reſponſionem noſtram ſuper quibus interrogati ſumus.*

Ità plenè ſatisfactum fuit & Bahani Patritio & toti magnificentiſſimo Senatui, rursùm interloquenti sd Romanos & Orientales Legatos: *Ecce contritionem noſtram ſanaſtis atque curaſtis, & omnes confitemur à Deo judicatum eſſe judicium ſanctarum trium ſedium,* UBI *enim* SUNT DUO VEL TRES CONGREGATI IN NOMINE MEO, *Chriſtus ait,* IBI SUM IN MEDIO EORUM. Reſponderunt Romani Legati: *Ità moris eſt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ canonicam diligentiam poſſidendi, & propter Eccleſiaſticum ordinem, eum, qui per feneſtram ingreſſus eſt in caulas ovium, ut lupum perſequendi, & gaudet ſancta hæc Synodus de veſtra honorabili reſponſione. Etiam hodie auribus noſtris induxiſtis & oſtendiſtis veram fidem: Quod enim ore dicitis, opere deſideratis finire.* Epiſcopalis ſuperordinationis ac intruſionis vitium dicunt nunqusm purgsri aut diſpenſari à Romana Eccleſis, ideoque nullsm eſſe Photio ſpem reparationis, aut datæ in ipſum à Sancto Pontifice Nicolao ſententiæ retractandæ. Et rectè dicunt. Etenim sntiquum Eccleſiæ Canonem, qui vivo & necdum csnonicè dsmnato, aut per ſpontsnesm ceſſionem abſoluto Epiſcopo slium ſuperordinari atque intrudi rigidiſſimè vetst, laudat in litteris ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Clerum, apud Hermiam Zozomenum exſtsntibus, Innocentius primus Pontifex, & addit: *Nec Epiſcopus eſſe poteſt ille, qui injuſtè ſurrogatur.* Ex hac Regula Arſacium, Sancto Joanni Chryſoſtomo perperàm ejecto ſuperordinstum, mandat nunquam haberi pro Epiſcopo, nominari Epiſcopum, aut inſcribi in tabulam Epiſcoporum. Ex eadem Regula Epiſcopos omnes, quos variis perperàm ejectis ſuperordinarat L. 8. c. 26.

dinarat

L. 1. Conc. Chalced. Epiſt. 40. Epiſt. 21. dinarat Epheſinum latrocininm, ejici per Synodum Chalcedonenſem mandavit Sanctus Leo Magnus, & laudata Synodus omninò ejecit. Eorum nnus erat Sancto Flaviano ſuperordinatus Anatolius Conſtantinopolitanns, de qno idem Pontifex ad ejuſdem Eccleſiæ Clerum: *Quiſquis incolumi atque ſuperſtite Flaviano Epiſcopo veſtro, Sacerdotium ejus fuerit auſus invadere, nunquam in communione noſtra babebitur, nec inter Epiſcopos poterit numerari*. Ad nullas Theodoſii Auguſti preces vitium iſtud voluit io Anatolio purgare. Etiam in Elia Cæſareenſium intruſo Epiſcopo ad
Poſt Epiſt. 67 Relat. 8. nullas Juſtini Auguſti preces purgare voluit Pontifex Hormiſda. Plurima ſunt exempla talia. Clamant paſſim Canones intruſionem iſtam eſſe adulterium, Epiſcopalis conſecrationis, veri cum Eccleſia matrimonii, Sacramento penitùs adverſum.

Legati Orientales, ſecuti Decretum Sancti Nicolai Pontificis, in definitione ſua diſtinxerant inter Epiſcopos à Photio conſecratos, ac Epiſcopos in ipſius dumtaxàt factionem ſeductos & lapſos. Quidam Conſtantinopolitani videntur diſtinctionem improbaſſe, voluiſſeque & hos & illos eodem rigore aut gratia tractari. Hinc Legati iſti addiderunt: *Si dixerint aliqui, quia illi, qui manus impoſitionem Photii fecerunt, & qui ſimul inventi ſunt, digni eadem cum ipſo pœna & damnatione ſint, hoc non veraciter dixerint. Etenim cùm ſimus infirmæ naturæ, non ſemper ferimus mortem imminentem nobis. Et ideò formidantes nonnunquam etiam ea, quæ nolumus, agere inviti compellimur. Denique & iſti, qui ex conſecratione Beati Methodii & Sanctiſſimi Ignatii timoribus ſubacti, & pavore Regio & poteſtativa tyrannide incurvati ſunt, & concurrerunt propter violentiam, deindè confeſtim & poſt pauxillùm reprobaverunt quæ ab illo præſumpta ſunt contra Ignatium ſanctiſſimum Patriarcham, & receſſerunt ab eo, venia ſunt digni, & maximè illi, qui mala paſſi ſunt, & diverſas ab eo tribulationes & depoſitiones, & cuſtodias, & exilia pertulerunt, quos beatos eſſe & nos quoque judicamus, quemadmodùm & ante nos definierunt Nicolaus & Adrianus ſanctiſſimi Patriarchæ Romani. Hæc ergo & nos & his ſimilia in poſterum cognoſcentes, verùm & à primordiis compertentes, neque Photium recepimus, neque manus impoſitiones ejus admiſimus: Nihil enim incertum factum eſt nobis tanto hic tempore demorantibus*. Romana Eccleſis Epiſcopalis intruſionis vitium nunquam purgans etiam datos ab Epiſcopo intruſo Eccleſiaſticos Ordines aut gradus nunquam habuit ratos: Semper irritos ac nullos habuit & fecit. Quam ejus ſaluberrimam Regulam etiam in Maximi Cynici Ordinatos executa eſt prima Synodus Conſtantinópolitana. Eamdem laudant Legati hi Orientales, ideòque à Photio conſecratos Epiſcopos & Clericos ajunt perpetuùm rejiciendos in communionem laicam, nullaque ex cauſa unquam in gradum malè acceptum reparandos. Aliam eſſe adfirmant rationem eorum, qui à Sancto Ignatio aut ejus Anteceſſore Sancto Methodio conſecrari fuerunt lapſi ad Photium: Eos fatentur gradu ſuo excidiſſe. Excidiſſe gradu, qui habuerit canonicam originem & firmam radicem. Hinc addunt eos per variam pro vario lapſu pœnitentiam poſſe reparari.

Hinc ad Apoſtolicos Legatos denuò ſe convertit Patricius Bahanes: *Habet aliquid veſtra Sanctitas hodie, ut diſponat?* Qui repoſuere: *Vellemus ordinare de libello, quantùm poſſemus, ſed quia tranſacta eſt hora, hujus rei gratia in alio conventu, Deo favente, faciemus quod debemus*. Quapropter illis obediens ſacer Senatus ſurrexit, & dixit: *Benedictus Deus, quia meruimus videre ſanctam diem iſtam, & honorabilem cœtum veſtrum, ecce hæc omnia ſecundùm rationem veritatis terminata ſunt*. Neque enim ſolus Bahanes Patritius adſuit Synodo, ſed & Senatus omnis, ac plures Principes Palatini. Porrò Stephanus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus ac Notarius, ſtans in medio, Baſilio Auguſto, ejus filio Conſtantino, Eudoxiæ Auguſtæ, Adriano Pontifici, Ignatio Patriarchæ, Legatis ſedium Orientalium, & cunctis Synodi Patribus multos annos, Sancto autem Pontifici Nicolao acclamavit ſempiternam memoriam, ità illum canonizavit, & primam Actionem concluſit.

ACTIO II.

AD ſecundam Actionem, factam nonis Octobribus, habentem cum Apoſtolicis & Orientalibus Legatis & Patriarcha Ignatio ſolos ſuperiùs laudatos duodecim Epiſcopos, loqui cœpit Paulus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Carthophylax, de quo Anaſtaſii marginale ſcholion: *Paulus iſte Archi-Epiſcopus quondam fuit* Cæſareenſis in Cappadocia, *à Photio conſecratus, ſed quia cum cæteris, qui à Photio manus impoſitionem ſuſcepere, ſecundùm ſententiam Papæ Nicolai condemnatus eſt, & quoniam is erat utilis, pro conſolatione damnationis ab Ignatio Patriarcha Carthophylax effectus eſt. Scripſerat enim Papa Romanus* Adrianus ſecundus, *ut alia illum, excepto Sacerdotio, quantacumque vellet, dignitate ditaret*. Etenim ad Ignatium reverſus in agnitas Photii iniquitates ſtrenuè pugnarat. Eleganti compendio Anaſtaſius etiam exponit, quid ſit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Carthophylax. *Carthophylax interpretatur carthamm cuſtos. Fungitur autem officio Carthophylax apud Eccleſiam Conſtantinopolitanam, quo Bibliothecarius apud Romanos, indutus videlicet infulis Eccleſiaſticorum Miniſtrorum, & agens Eccleſiaſtica cuncta prorsùs obſequia, exceptis illis ſolis, quæ ad Sacerdotale ſpecialiter ac propriè ſpectare probantur officium. Sine illo præter eà nullus Præſulum aut Clericorum à foris veniens in conſpectum Patriarchæ intromittitur: Nullus Eccleſiaſtico conventui præſentatur, nullius Epiſtola Patriarchæ miſſa recipitur, niſi fortè à cæteris Patriarchis mittatur. Nullus ad Præſulatum vel alterius Ordinis Clericatum, ſive ad monaſteriorum Præpoſituram provehitur, niſi iſte hunc approbet & commendet, atque de illo ipſi Patriarchæ ſuggerat, & ipſe præſentet*. Erat unus ex Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Crucigeris, cujus dignitatem & varia munera

nera

Digitized by Google

gera deſcribit in libro de ſacris Ordinationibus etiam Symeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis, nec non antiqua notitia officiorum magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & de quo ad decimum octavum Canonem Nicænum ſcribit L. 2. c. 1. Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus: *Qui nunc eſt ſanctiſſimæ Eccleſiæ Carthophylax, in congregationibus, quæ fiunt extra Synodum, ſedet non ſolùm ante Sacerdotes, ſed etiam ante Pontifices, ex conſtitutione incly ti Imperatoris Domini Alexii Comneni*. Et in ſcholiis ad Photii Nomo-Canonem: Tit. 8. c. *Jus habet Carthophylax equitandi in feſto ſanctorum Notariorum equum Patriarchalem cum albo linteamine. Oporteret autem etiam ejus caput, utpotè Patriarchalis Caddenarii, tegi aurea thiara, quæ etiam in Carthophylacio ſeu tabulario ſita eſt*. Ordine erat dumtaxàt Diaconus. Proindè non mireris etiam Romanæ Eccleſiæ Diaconos Cardinales Epiſcopis præferri. Cyralem Carthophylacem, quod altiorem dignitatem promeritus recuſaret, Andronicus Auguſtus junior ornavit titulo *Magni*, ut in ſua hiſtoria refert Joannes L. 3. c. 4. Cantacuzenus. Eum illius ſucceſſores retinuerunt.

Paulus itàque Carthophylax dixit ad ſanctam Synodum: *Ipſi, qui ceciderunt ſub Photio, venerunt cum libello, quid videtur vobis? Expetunt enim ingredi ſanctam hanc & univerſalem Synodum*. Repoſuerunt Legati Apoſtolici: *Ingrediantur*. Et ingreſſus eſt Theodorus Stauropolitanus Epiſcopus, Cariæ Metropolita, cum tanta Epiſcoporum turba, ut à Legatis Apoſtolicis rogatus, *Quot eſtis*, reſponderit: *Numerum neſcimus*. Eos omnes ingreſſos rogarunt eidem Legati: *Qui eſtis vos, qui intraſtis huc, Epiſcopi, & à quo conſecrati eſtis?* Repoſuerunt per memoratum Theodorum: *A Domino noſtro ſanctiſſimo Patriarcha Ignatio, & beatiſſimo Methodio*. Nullus à Photio conſecratus eis ſeſe adjunxit, quòd ſciret ejuſmodi omnis ſeſe à Romana Eccleſia citra reparationis ſpem abjectum ad laicos, & nullam Legatis ab Adriano Pontifice datam poteſtatem, niſi reddendæ laicæ communionis. Perrexerunt Legati: *Quid dicitis, quid habetis, quid vultis?* Et illi: *Procidimus ſanctæ & univerſali huic Synodo pœnitentiam expectantes*. Lapſum ſuum humillimè agnoverunt, ſinguli manu geſtantes pœnitentiæ libellum, rogantes ad Synodum legi, probari aut emendari, atque tum per ejus profeſſionem ad Sancti Patriarchæ Ignatii gratiam, nec non ad gradum Epiſcopalem & ſynodale ſuffragium miſericorditer admitti.

Libellus varia continebat. Primum erant laudes Sancti Pontificis Nicolai. *Sanctiſſimus*, inquit, *Papa Nicolaus, lucerna Eccleſiæ, & luminare totius orbis, incomparabilis in Sacerdotibus, vita & ſermone reſplendens, quem penè nec macula tetigit*. Et infrà deprecatur *per interceſſiones ſanctæ & intemeratæ Dei genitricis Mariæ, & ſanctiſſimorum Apoſtolorum, & ſanctiſſimi ac beatiſſimi Papæ Nicolai*. Quibus verbis Anaſtaſius adpoſuit hoc marginale ſcholion: *Nota, quod non ſolùm interceſſiones Dei genitricis & Apoſtolorum, verùm etiam ſanctiſſimi quondam Papæ Nicolai ſe ſperare fatentur*. Secundò libellus graviſſimè exaggerat imaginariam Photii Synodum, qua tantum Pontificem auſua fuit nequiſſimis mendaciis incruſtare, & in ipſum latrare convitium degradationis. Tertiò deteſtatur ejuſdem ſchiſmaticam atque hæreticam pravitatem, qua ſeſe Patriarcharum Patriarcham & Epiſcoporum omnium Epiſcopum ſcripſit, & ad iſtius ſuæ ſuperbiæ & erroris juratam profeſſionem omnes totius Orientis Epiſcopos adegit. Quartò damnavit ejuſdem in Sanctum Ignatium Acta latrocinalia, & barbarica tormenta, Diocletiani aut Neronis, non Chriſtiani Epiſcopi ingenio digna. Quintò tormenta paria etiam ſibi fuiſſe à Photio illata proteſtati ſunt, atque ita ſeſe ex humana imbecillitate in ejus ſchiſma ſolo corpore, non animo fuiſſe lapſos. Sextò veram ex cordis intimo pœnitentiam profeſſi ſunt, petierunt ſibi definiri Epitimia, ſupplicarunt erigi in amiſſum gradum Epiſcopalem, & addidere: *Si poſt hanc erectionem, quæ in nos ſine calliditate atque conturbatione facta eſt, nos callidè agere contra Eccleſiam Dei in aliquo voluerimus, ſit nobis depoſitio à Patre & Filio & Spiritu Sancto, & nulla ad erectionem ulteriùs revocatio*. Libelli exordium habet hocce marginale Scholion Anaſtaſii: *Vox iſtius libelli ſolùm ad Romanos Vicarios in finem uſque dirigitur*. Et in Sancti Ignatii vita ſcribit Nicetas Paphlago: *Patriarchæ Ignatio in Synodo non erat authoritas agendi quæ vellet, Romanis enim pro antiqua Eccleſiaſtica traditione judicandi poteſtatem permittebat*. Rectè dicit eam eſſe antiquam Eccleſiaſticam traditionem: Etenim etiam libelli omnes Synodo Chalcedo- Act. 3. nenſi adversùs Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum à diverſis exhibiti fuerunt ad Sanctum Leonem Pontificem principaliter directi. Et in quavis generali Synodo omnis ſententia à ſolis Romanis Legatis fuit data & pronunciata, & tum comprobata per Synodum, ac ſingulorum Epiſcoporum ſuffragiis roborata.

Hunc igitur pœnitentium Epiſcoporum libellum ex Romanorum Legatorum juſſu legit Stephanus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus ac Notarius, ac tum eidem Legati Epiſcopos iſtos denuò rogarunt: *Cujus eſtis Conſecratio?* Quod nempè in conſecratos à Photio Epiſcopos nullam, niſi donandæ laicæ communionis haberent poteſtatem. In Apoſtolici mandati exceſſum noluerunt circumſcribi. Et reſpondentibus: *Diximus, quia beati Methodii & Sanctiſſimi Ignatii*; repoſuere Legati: *Suſcipimus vos ſecundum præceptionem ſanctiſſimi Papæ noſtri Adriani propter confeſſionem libelli pœnitentiæ veſtræ*. Egerunt illi gratias: *Et nos adoramus vos, & ſuſcipimus vos Judices, & judicium veſtrum tamquam judicium Filii Dei tenemus*. Verùm his minimè contenti Legati addiderunt: *Detulimus libellum à ſancta Romana Eccleſia, à Sanctiſſimo Papa Adriano, mandatum ab eo accipientes exigere à vobis fieri ipſum libellum, & ſic vos ſuſcipere; vultis ergò facere, quòd juſſum eſt à Papa Adriano?* A Photio impugnatum Romanæ Eccleſiæ Primatum, omnimodamque Conſtantinopolitanæ ſub illa ſubjectionem profitebatur Romanus libellus, & ſine ejus jurata profeſſione ſanxerant Nicolaus & Adrianus Pontifices nullum Photianum, nullumque generaliter diœ-

ceſeos

ceſeos Conſtantinopolitanæ Epiſcopum aut Clericum admitti ad Eccleſiæ licèt dumtaxat laicam communionem, longè minùs ad Epiſcopalem gradum & ſuffragium Synodale. Eum admiſerunt & ſubſcripſerunt pœnitentium Epiſcoporum Dux Theodorus Cariæ Metropolita, Euthymius Catanenſis Epiſcopus, Photius Natoliæ, Stephanus Cypriorum, Stephanus Cyliræ, Theodorus Synopes, Euſtachius Armoniæ, Senopbio Milaſſi, Leo Damphnnſæ, Paulus Neles. *Omnes iſti ſcripſerunt Romanum libellum, & dederunt hunc ſanctiſſimis Vicariis Romanis etiam cum ſubſcriptione teſtium.*

Omnis profeſſio fit in dextera alicujus manu. Et apud gentiles & apud Chriſtianos. Hìnc apud
L.11. Juſtinum Darius Perſarum Rex ait *Dexteram eſſe unicum Regiæ fidei pignus.* Et Nebridio Galliarum Prætorii Præfecto, in periclitantis vitæ ſecuritatem poſtulanti ſibi porrigi dexteram, reſpondet
L.21.c.10. apud Ammianum Marcellinum Julianus Apoſtata Auguſtus: *Quid amicis præcipuum ſervavero, ſi tu manum meam tetigeris?* Petere, dare, accipere, fallere dexteram frequentiſſimè leges apud antiquos Scriptores, eſtque idem quod petere, dare, accipere, fallere fidem, ex appoſito dexteræ ſigillo factam inviolabilem ac ſacroſanctam.
L.3. c.11. Hìnc apud Lucium Florum Parthi Craſſo Romanorum Conſuli, quod fæderum fidem violaſſet, dexteram, qua illam ſtipulatus fuerat, amputarunt. Et dudùm poſteà Rudolfus Sveviæ Dux à Gregorio ſeptimo Pontifice adversùs Henricum quartum conſtitutus Imperator, in prælio victus, ac ex dexteræ manus vulnere poſtmodùm mortuus, caſum ſuum violatæ, quam manu iſta profeſſus Henrico fuerat, ſubjectionis fidei tulit ac-
L.1.c.29. ceptum. Ita in Sclavorum chronico Presbyter Hemboldus teſtatur. Hìnc item de Petro & Jacobo Sanctis Apoſtolis ſcribit ad Galatas Sanctus Paulus: *Dexteras dederunt mihi & Barnabę ſocie-*
Cap. 23. *tatis.* Exponit in Præſcriptionum libro Tertullianus: *Dexteram dederunt ſignum concordię & convenientię.* Et in Synodo Claromontana ſtatuit
Cap. 17. Urbanus ſecundus Pontifex: *Ne Epiſcopus vel Sacerdos Regi vel alicui Laico in manibus ligiam fidelitatem faciat.* Exprimit cauſam apud Rogerum Hovedenſem: *Nimis execrabile videtur, ut manus, quę in tantam eminentiam excreverant, ut quod nulli Angelorum conceſſum eſt, Deum cuncta creantem ſuo ſignaculo creent, & eumdem ipſum pro ſalute totius mundi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignaviam vel ſtultitiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, quę dies & noctes obſcœnis contactibus inquinantur, ſive rapinis ac injuſtæ ſanguinis effuſioni addictę maculantur.* Dum quis ſubjectionem & obedientiam profitetur, manum ſuam alienæ manui implicat & ſupponit, ideòque & ancillari facit: Sacram autem profanæ manui implicari & ancillari eſt penitùs indignum.

Hìnc igitur quæſivit noſtra Synodus, cui & in cujus manibus lapſi in Photianum ſchiſma Epiſcopi & Clerici deberent profiteri pœnitentiam? Reſpondit verò Patriarcha Ignatius: *Ponatur libellus ſuper pretioſa ligna & ſancta Evangelia, & ſic eum accipiant, & dent mihi.* Placuit hoc & Romanis & Orientalibus Legatis, atque ita mox *ponentes Epiſcopi libellum ſuper ſancta Evangelia & pretioſa ligna, & rursùs ſumentes eum dederunt Ignatio Sanctiſſimo Patriarchæ Conſtantinopoleos, inſuper Patriarcha ſuperhumeralia tradidit eis.* Primò autem omnium dedit Theodoro Stauropolitano Epiſcopo, Cariæ Metropolitæ, & dixit ei: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid fiat.* In Sanctum Ignatium, factamque in ejus manibus profeſſionem prævaricati fuerant conſecrati ab ipſo Epiſcopi, ideòque dignum fuit ac juſtum, ut in ejuſdem manibus læſam obedientiæ profeſſionem nova pœnitentiæ profeſſione renovarent. Rectè libellus ſacroſanctis Evangeliis & benedicto Dominicæ Crucis ligno fuit ſuperpoſitus: Profeſſio enim eſt ſolenniſſimi juramenti ſpecies, & ſuper ſancta Evangelia ac Dominicam Crucem jurare eſt vetuſtiſſima Chriſtianorum conſuetudo. Amiſſus item Epiſcopatus rectè redditur per reddita ſuperhumeralia ſeu pallia. Ita de Remenſis Diœceſeos Epiſcopis in malè acceptum Epiſcopatum ab Ebbone Metropolita reſtitutis ſcribit ad Sanctum Nicolaum Pontificem Francorum Rex Carolus Calvus: *Annulos & baculos & ſuæ confirmationis ſcripta, more Gallicarum Eccleſiarum, ab eo acceperunt.* Exſtat Epiſtola apud Jacobum Sirmondum in Synodo Tricaſſina. Dicit, *Gallicarum Eccleſiarum more*: Etenim apud Latinos baculus & annulus, apud Græcos ſuperhumerale ſeu pallium ſunt præcipuum ornamentum Epiſcopi, ideòque per eorum dationem & ablationem ſolebat olim apud illos quis Epiſcopatu & inveſtiri & expoliari. Ita inveſtitus Theodorus Metropolita egit Ignatio gratias, & dixit: *Confugimus ad Sanctitatem tuam tota anima & mente munda, tradentes propria manu libellum Confeſſionis noſtræ, & profitentes uſque ad totam vitam noſtram conſervare, quæ illic ſcripta ſunt, inconvulſa.* Et Patriarcha: *Ecce ſuſcipio vos, ſicut miſericors & benevolus Pater prodigum Filium ſuum reverſum ad pœnitentiam. Propterea quia & ſancta Romanorum Eccleſia benigniori affectu mota eſt erga Reverentiam veſtram, quibus & concordaverunt etiam Orientales Sedes.* Eodem modo fecerunt & alii lapſi Epiſcopi: *Et poſtquam acceperant ſuperhumeralia ſua, ſederunt ſinguli in ordine ſuo.* Utpotè in gradum Epiſcopalem reſtituti.

Ad ſanctam Synodum perrexit de lapſis Preſbyteris Paulus Carthophylax; *Poſtquam ingreſſi ſunt in hanc ſanctam Synodum Epiſcopi, qui ceciderunt, ecce preſtò ſunt & Presbyteri, habentes eumdem libellum, & rogantes Sanctitatem veſtram, ut intrent in hanc ſanctam Synodum: Quid ergo placet Sanctitati veſtræ?* Rogavit Synodus, *Cujus conſecrationem haberent*, & audito quòd à Sancto Ignatio aut Sancto Methodio eſſent conſecrati, reſpondit: *Intrent.* Intravit cum undecim Collegis Thomas Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter, tradens libellum pœnitentiæ, & ſcribens libellum Romanum, accipienſque orarium ſeu Presbyteralem ſtolam de manu Patriarchæ, dicentis ad eos: *Cognoſcite, quia verax homo ſum,*

& ſermo

Digitized by Google

& ſermo meus finem habet. Ecce enim magnam meruiſtis compaſſionem & veniam à ſancta Romanorum Eccleſia, & ab omnibus nobis.

Ad Eccleſiæ fores ſtabant etiam lapſi Diaconi, de quibus ad ſanctam Synodum profecutus eſt Paulus Carthophylax: *Similiter & Diaconi, qui ceciderunt, habentes præ manibus libellum pœnitentiæ, deprecantur ſanctam Synodum, ut introeant.* Et illa, quod à Sancto Ignatio aut Methodio conſecrati eſſent, certificata dixit: *Introeant.* Introjerunt Diaconi novem, ad quos Sanctus Patriarcha: *Utique ex propoſito feciſtis libellum, quem fertis?* Et illi: *Deus ſcit, Domine, quia ex multa alacritate illum fecimus, ipſe enim novit conſcientias noſtras, quomodò erant circa Sanctitatem tuam, cùm tyrannidem patereris. Quæ verò Photio fecimus, coactè & inviti fecimus, ſed gratias agimus Deo & Sanctitati tuæ, ò Domine, quia non retribuiſti nobis ſecundùm peccata noſtra.* Fecerunt omnia Epiſcopis & Presbyteris ſimilia, illis Patriarcha oraria reddidit, atque ità de amiſſo Diaconatu reinveſtivit.

Et tunc iterùm Paulus Carthophylax: *Venerunt & Subdiaconi, qui ceciderunt, in ſanctam hanc Synodum, eumdem libellum præ manibus habentes, ingredi poſtulantes.* Ad quæ Legati Romani: *Ingrediantur, placet enim nobis.* Et cum quinque Collegis ingreſſus eſt Thomas Domeſticus Subdiaconorum, quibus ſimilia pari modo facientibus Patriarcha Ignatius *dedit & ipſis proprii honoris inſignia.* Addiderunt Romani Legati: *Secundùm formam hanc hodierna die ſuſcepimus Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, & Subdiaconos, qui ceciderunt, ſuſcipi deinceps decernimus omnes, qui ſimiliter peccaverunt, & pœnitentiam agunt.* Ex quibus liquet Ignatium, quidquid hac in re egit, egiſſe non ex Patriarchali ſua poteſtate, ſed ex delegatione Romana. Etenim ſchiſma & hæreſin ſemper fuiſſe crimina Sedi Apoſtolicæ reſervata, ex antiquiſſimis & authenticis teſtimoniis poſſit oſtendi. Quis fuerit Subdiaconorum Domeſticus, docet marginale Anaſtaſii ſcholion: *Primum Subdiaconorum Græci Domeſticum vocant, quem Romani Oblationarium.*

Omnes hoſce lapſos Epiſcopos & Clericos Sanctus quidem Ignatius in gradum repoſuit, eiſdemque Epitimia impoſuit, taxata tamen per plenam Synodum, lecta verò per Stephanum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconum ac Notarium: *Sit remedium, & ſalutem animæ ferens, & valdè diſcretum Epitimium Sacerdotum, qui per multam conſuetudinem ceciderunt, & negaverunt propria chyrographa, quæ benè & regulariter edita ſunt ad ſpiritalem conflictum, & unitatem ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ.* Hoc eſt, qui juratam obedientiæ profeſſionem, Sancto Ignatio aut Methodio in Epiſcopali conſecratione factam, & pro ſtabilienda Eccleſiarum unitate exigi meritò conſuetam, fuerunt ſchiſmaticam Photii factionem ſequendo prævaricati. *Siquidem carnibus veſcuntur, abſtinere ſe à carne, caſeo, & ovo; ii verò, qui carnes non comedunt, abſtinere à caſeo, ovo, & piſcibus, quarta feria & Paraſceve: Edere legumina, & olera cum oleo & pauco vino, facereque genu flexiones quinquaginta per ſingulos dies, & dicere* KYRIE ELEISON *centies, &* DOMINE PECCAVI *centies, &* DOMINE IGNOSCE MIHI PECCATORI, *centies, recenſereque ſextum Pſalmum, & trigeſimum ſeptimum, & quinquageſimum. Hæc mando tibi cuſtodire uſque ad Chriſti nativitatem, non autem habeas poteſtatem miniſtrandi, nec agendi quoquo modo quæ Sacerdotum ſunt, & tunc in Natalitiis magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti recipiens Sacerdotium tuum, & mecum eris Sacerdotio fungens, & miniſtrans immortali Deo.* Epitimium diſtinguit inter Epiſcopos & Clericos carne veſcentes & inter carne non veſcentes, quod quidam è ſæcularibus, quidam è monachis eſſent in Clerum adſumpti, & hi carnibus veſci non poſſent.

ACTIO III.

ACTIO TERTIA, quintò Idus Octobres celebrata, habuit plures Epiſcopos. Adfuerunt enim omnes lapſi Epiſcopi in ſecunda Actione reſtituti, etiam Theodorus Stauropolitanus, Cariæ Metropolita, de quo Anaſtaſii ſcholion marginale: *Quamvis iſte Theodorus poſt ſcriptum Romanum libellum, indictaque culpa, quam contra Patriarcham Ignatium, ab illo recedendo, & contra ſubſcriptionem ſuam agendo, commiſerat, per libellum pœnitentiæ receptus ſit, poſteà tamen deprehenſus, quod in depoſitione & anathemate Papæ Nicolai ſcripſerit, ab univerſa Synodo pro hac ſola cauſa dejectus eſt, duntaxàt Beati Petri Apoſtoli judicio reſervatus.* Et hinc Synodo noſtræ non ſubſcripſit. Imaginariæ enim Synodi ſubſcriptores aut quovis modo cooperatores Epiſcopos in eorum, quos Photius conſecrarat, parem damnationis ſortem rejecerat Pontifex Adrianus.

Hujus Actionis verbum inceperunt Nicephorus Amaſenus, & Nicetas Athenienſis per os Metrophanis Metropolitæ Smyrnenſis: *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem facere Paulus magnus Apoſtolus jubet & ſancit. Videtur autem omnibus nobis honeſtum eſſe & perfecto ordini proximum, ut deinceps hæc ſancta & univerſalis Synodus audiat Epiſtolas amici Chriſti Imperatoris noſtri, quas miſit ad ſanctiſſimum Papam Romanum & Orientis Præſules, & rursùs ſanctiſſimi Patriarchæ noſtri, deindè beatiſſimi Papæ Adriani ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum, ut & ſancta Synodus ſatisfactionem adhuc majorem accipiens glorificet Deum, qui cooperatus eſt piiſſimo Imperatori noſtro in conſiliis & optimis ſtudiis, gratiaſque agat & ſanctiſſimo Patriarchæ noſtro, & vobis ſanctiſſimis Apoſtolicæ Romanæ ac Orientalium ſedium Vicariis* Legatis. Erat juſtiſſima poſtulatio: Etenim Auguſti Principis ac Patriarchæ Ignatii ad Romanum Pontificem litteræ Synodi neceſſitatem, & cauſas, hujus ad illos Epiſtolæ continebant graſſantis quæſtionis definitionem, & modum in omni cauſa à Synodo ſervandum.

Ni-

Nihilominùs Legati Romani intercesſerunt: *Audivimus, quia ſunt quidam errantes ex conſecratione Beatiſſimi Methodii & Sanctiſſimi Ignatii, & neſciunt quid ſit pietas & miſericordia ſanctæ Dei Eccleſiæ atque judicium, & ideò renuunt ſcribere Romanum libellum, quem miſit Sanctiſſimus Papa Adrianus. Ante omnia ergò mandamus bono cultui veſtro, ut eatis ad eos, & ſecundùm canonicam auctoritatem accerſatis eos, ità dicentes: Sancta Synodus advocat vos, ut faciatis quod decretum & cenſitum eſt auctoritate, & ſuſcipiamini à ſancta Synodo, neque enim vult claudere viſcera ſua, invitat ergo vos venire, ac ſecundùm libelli ſatisfactionem facite, quemadmodùm & cæteri veſtri fratres fecerunt, & ſuſcipit vos ſancta & univerſalis Synodus*. Placuit hoc ſedium Orientalium Legatis, miſſique ſunt ad Theodulum Ancyræ & Nicephorum Nicææ Metropolitam tres jam laudati Metropolitæ, & acceperunt hoc Reſponſum: *De propoſita ſubſcriptione rationem reddimus Sanctitati veſtræ, quia propter rationabiles & irrationabiles ſubſcriptiones, quæ antè factæ ſunt, gravati definimus nos & vinculum impoſuimus non ulteriùs ſubſcribere præter id, quod ſubſcripſimus & profeſſi ſumus fidei noſtræ Symbolum, quod jacet in Carthophylacio venerabilis Patriarchæ tempore conſecrationis noſtræ. Propter quod dicimus vobis, & rogamus ſanctam Synodum, ſi poſſibile eſt, indulgeat nobis, quod deliberavimus ſervare, uſque dum vixerimus*. Diverſa ac adverſa juratarum profeſſionum chyrographa & formulas, graſſante hoc ſchiſmate, & Patriarcha Ignatius & adulter Photius exegerant, atque ità multorum etiam Epiſcoporum conſcientias multis ſcrupulis illaquearant: Hinc memorati Metropolitæ Theodulus & Nicephorus orthodoxæ fidei ac Patriarchalis obedientiæ profeſſionem in ſua conſecratione factam proteſtati à ſe ſemper ſervandam, & ad eandem innovandam parati, dixere Romanum libellum non eſſe neceſſarium, ideòque ab ejus profeſſione ſupplicarunt excuſari.

Verùm latebat anguis in herba, qui poſt factam Synodum exſeruit caput nequiſſimum, de quo in primæ Actionis marginali ſcholio ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Poſtquam omnes* Græcorum Epiſcopi *chyrographa ſua fecerunt, & teſtibus roborata tradiderunt, ſurrexerunt quidam eorum, & ad Sanctiſſimum Patriarcham Ignatium atque ad Baſilium Imperatorem accedentes ſecretò dixerunt non benè factum fuiſſe, quod Eccleſiam Conſtantinopolitanam tanta ſubjectione ſubdi Romanæ Eccleſiæ permiſerint, ità ut hanc ei tamquam Dominæ ancillam tradiderint. Quibus verbis Imperator commotus juſſit Primoribus, qui Vicariorum Sedis Apoſtolicæ ſervitio deputaverint unum, illi ad aliquam Eccleſiam cum ſuis pergerent, ipſi manſionem eorum ingreſſi chyrographa illa latenter arriperent. Nam eos palàm ſcandalizare penitùs recuſabat. Cùm ergo Vicarii Romani ad collocutionem Patriarchæ proceſſiſſent, cuſtodes fures facti, penetrantes domum, quamdam partem clanculò ex numeroſis illis chyrographis abſtulere. Quo Vicarii reverſi comperto, talia inter cætera Imperatori dixere: Nos quidem Romam ob amiſſa chyrographa redire non audebimus, tu tamen inchoatæ pro Eccleſiæ ſtatu pietatis nihil omninò mercedis lucraberis*.

Locus mendoſus.

Aderat cum Collegis ſuis Ludovici Auguſti Legatis Anaſtaſius Bibliothecarius, & dixit: *Non decet Imperatoriam Poteſtatem antea facere quæ deſtruenda ſunt, vel deſtruere quæ non deſtruenda conſiſtunt. Cùm ergò conſenſu tuo chyrographa facta fuerint, ſi malè conſenſiſti, palàm pœnitentiam age, & quod feciſti, non clàm, ſed palàm deſtrue; jam verò ſi benè feceris conſentiendo, ut Sedi Apoſtolicæ pro futura cautela fierent ab Epiſcopis chyrographa, quamobrem ea pœnitens de bono ſublata tegi conſentis? Jam verò ſi fateris, quod non verbo tuo factum fuerit, ut auferrentur chyrographa, reſpondemus: Tùm liquidò patebit voto tuo non fuiſſe tantum piaculum commiſſum, cùm hos diſtringeas, quos Vicariis pro cuſtodia dediſti, quæ ablata ſunt eos reddere jure coegeris. Neque enim alii debent reſtituere vel reddere, ſi quid Vicarii perdiderint, vel ſi quid ſiniſtri perpeſſi ſint, niſi illi, qui hos cum ſuis omnibus ad cuſtodiendum reverenter & ſalvandum integriter Imperatoria pietate receperunt. At verò Imperator his auditis, accerſivit Vicarios, & eis omnia chyrographa reddidit, ità ut ne unum ſaltem deficere pateretur*. Reddens dixit ad Legatos: *Chyrographa, quæ à noſtris Sacerdotibus & cunctis Clericis ſalubriter exegiſtis, recipite, & ſpirituali Patri noſtro ſanctiſſimo Papæ repræſentate, ità ut ſi quis eorum per abrupta vitiorum ſolito more incedere tentaverit, his quodammodò habenis ab eo refrænetur*. Quod ipſum in vita Adriani ſecundi refert Guilielmus Bibliothecarius. Photiano ſpiritu ſeductis Græcorum Epiſcopis vehementer diſplicuit, quod plenam Romanæ Eccleſiæ Decretis, tamquam infallibilibus regulis, obedientiam profiteri cogerentur, aut eſſent profeſſi.

Relicta igitur Theoduli & Nicephori Metropolitarum contumacia, perrexerunt Legati Apoſtolici ad Metrophanis Smyrnenſis, Nicephori Amaſeni, & Nicetæ Athenienſis Metropolitæ poſtulationem: *Legatur Epiſtola à Deo muniti Imperatoris noſtri, quam miſit ad Sanctiſſimum Papam Nicolaum*. Legi juſſerunt etiam Sancti Ignatii ad eumdem Pontificem per Joannem Sylæi Metropolitam & Baſilium Spatharium litteras, nec non & Adriani ſecundi ad priores Reſponſum, de quo lecto rogata ab eiſdem Legatis, *Eſt canonicè & ſynodicè acta Epiſtola hæc?* Synodus repoſuit: *Canonica, & ordinata, & Juſtitiæ plena eſt*. Et Metrophanes Metropolita Smyrnenſis: *Cognovimus ſanctiſſimi Papæ Romani ſolertem locutionem & pudorem, quem in Divinis & circa Divinorum Canonum cuſtodiam & obſervantiam habet, & Dei imitantem, quantùm fieri poteſt, miſericordiam & benignitatem*. Pergit de Legatis Apoſtolicis: *Gratias agimus Deo, qui dignos nos fecit hujuſmodi ſanctiſſimos Vicarios intueri*.

ACTIO IV.

AD quartam Actionem, inchoatam tertiò idus Octobres, & per duos dies continuatam, loqui cœpit Bahanes Patricius: *Sunt Epiſcopi duo, conſecrationem habentes beati Methodii, Theophilus & Zacharias vocati, qui Photium recipientes diffamant, quod recepiſſet Romanorum Eccleſia Photium. Si ergò placet Sanctitati veſtræ, ingrediantur in ſanctam & univerſalem Synodum, & rejudicentur.* Erant Zacharias Tauromeniæ, & Theophilus Amorienſis Epiſcopus, de quibus ſuprà eſt abundè dictum. Eorum Romæ inſolentiam Marinus Eccleſiæ Romanæ Diaconus & Legatus viderat, ideòque & ipſe & ejus Collegæ judicarunt non ità facilè admittendos. Ad eos miſerunt ſuum Clericum Pancratium, Ananiam Clericum Legatorum Orientalium, & Gregorium Spatharii Cubicularium, rogaturos cujus eſſent conſecrationis, & cui communicarent. Reſponderunt ipſi: *Nos Domini Methodii ſumus conſecratio, communicamus autem Domino Photio Patriarchæ.* Ad quæ verba ſibi relata exclamavit omnis Synodus: *Sit portio Theophili & Zachariæ cum Photio.* Eos judicavit nec audiendos, nec videndos.

Verùm apud Legatos Romanos graviter interceſſit Patricius Bahanes: *Imperatores noſtri ſancti miſerunt ſervos ſuos, qui vocatur Senatus, ut ſimus diſtricti eorum, quæ geruntur, auditores. Si vultis ergò à nobis, ſicut ſe habet ordo Synodicus, in fine ſanctæ hujus & univerſalis Synodi exigere proprias ſubſcriptiones, per me indignum ſervum ſanctorum Imperatorum noſtrorum cuncti fratres mei & Compatricii dicunt ſanctiſſimo Domino noſtro Patriarchæ, & ſanctiſſimis Vicariis tam ſenioris Romæ quàm ſedium Orientalium: Niſi audierimus & ab ipſo Photio in conſpectu noſtro ſtante, & ab Epiſcopis ejus, & ab iis, qui habentes conſecrationem beatiſſimi Methodii & Sanctiſſimi Ignatii, apoſtatæ facti ſunt, ut in conſpectu noſtro obſtruantur ora ipſorum ex canonicis & ſynodicis præceptionibus, non ſcribet manus noſtra unam litteram in Synodo iſta. Audiant quæ judicata ſunt à ſeniori Roma in conſpectu noſtro, & ſi nihil contradicere potuerint, ſanabitur mundus ex conſenſu ipſorum; ſi hoc autem factum non fuerit, ſcimus quia noſtri non egetis ad ſubſcribendum in fine à vobis geſtorum. Quomodò enim ſubſcribemus in hujuſmodi judicio, illis clamantibus atque dicentibus: Audiamus depoſitionem noſtram, damnemur audientibus nobis, ut poſtulat Juſtitiæ ratio? Et nullus ſermo ipſorum ſit. Hoc non eſt juſtum, uti nos arbitramur.* Photium, & ab ipſo conſecratos aut ad ipſum lapſos Epiſcopos non potentia opprimendos, ſed coram audiendos, adversùm Nicolai Pontificis Decreta ex ſacris Canonibus excipiendi facultate donandos voluit Bahanes, credens ipſos ità aut purgandos, aut palàm confundendos, atque ſic omnem Eccleſiam pacificandam. Calidè locutus fuerat, hinc temperamentum addidit, alloquens ſolos Romanos Legatos: *Suſcepimus vos tamquam Sanctos Apoſtolos, rogamus ergò, ut hi, qui languent, ſanentur, & corrigamus qui non habent certitudinem veritatis, & erigamus, qui deorsùm jacent. Niſi enim hæc omnia diſcutiantur, conſcientiæ hominum non curabuntur.* Quod Photius ſeſe inauditum eſſe damnatum eſſet ſemper clamaturus. Bahani ac reliquo Senatui adſtipulati ſunt omnes Græcorum Epiſcopi, per Metrophanem Metropolitam Smyrnenſem dicentes: *Sanctiſſimos Vicarios ſenioris Romæ ut Prophetas ſuſcipientes nequaquam ſpernimus, probantes autem verba magnificentiſſimorum Principum, invenimus ea juſta & congruentia, & propterea etiam Epiſcopi omnes & ſancta hæc Synodus favemus poſtulationi magnificentiſſimorum Principum, ut examinentur illi, Theophilus & Zacharias, & interrogentur, ſi recipiant eos Judices, & accepto loco ſatisfactionis, ſi quidem juſtificati fuerint, ut cuncti libenter ſuſcipiamus; ſi verò damnati extiterint, ut omnes acquieſcant. Nunc ergò exigantur in ſcriptis fateri, ſi hanc ſanctam & univerſalem Synodum, & quæ ab ea judicantur, admittunt, & jure ingrediantur.*

Nihilominùs Legati Apoſtolici perſtiterunt in ſua ſententia, adſerentes à Theophilo & Zacharia non ignorari Romanæ Eccleſiæ de Photio ac ſemetipſis judicium, ipſos Romæ à Sancto Nicolao Pontifice fuiſſe damnatos, modò turbas ciere, & effugiendæ novæ damnationis ſpe tergiverſari. Addiderunt: *Nobis non licet reſcindere judicium ſacrorum Romanorum Pontificum*, adeòque nec S. Nicolai Pontificis Decreta exceptionibus, reclamationibus, aut retractationi ſubdere: *Hoc enim contrarium eſt Canonicis inſtitutis.* Facta eſt longa contentio, tandemque Theophilum & Zachariam ingredi permiſerunt Legati Apoſtolici, *non propter contentionem*, ſeu cauſæ retractationem, *ſed ut tantum beatiſſimi Papæ Nicolai Epiſtolam audiant.* Acquievit Patricius Bahanes: *Hoc bonum eſt & optimum. Audiant Judicium beatiſſimi Papæ Nicolai in conſpectu noſtro, & ſi habuerint quod ad contradictionem, dicant, aut perſuaſi acquieſcant; quod ſi non habent contradicendi, ſuſcipiant propriam damnationem; ſi verò non ſuſceperint, tunc fiet quod fuerit viſum Canonibus.*

At ſolo horum duorum ingreſſu non contenti magnificentiſſimi Principes perrexerunt ad Legatos: *Rogamus Sanctitatem veſtram, ut convocentur & ex iis, qui Photii ſunt, ſaltem tres vel quatuor, & audiant vel ut iſti ſæculares, qui ſtant poſt nos.* Ad Synodi valvas unà cum Theophilo & Zacharia ſtabant & alii à Photio conſecrati Epiſcopi, eoſque etiam intromitti poſtulabant laudati Principes: Intromitti, non ut Epiſcopos, ſed ut ſæculares qui poſt ipſos ſtabant, id eſt, tamquam laicos, in laicam communionem à Romana Eccleſia regradatos. Repoſuere Legati: *Si fateantur tres illi, quod ex omnibus illis veniant, qui ſunt ex parte ſua*, id eſt, cum pleno totius Photianæ partis mandato, *patiemur ingredi eos huc.* Et miſſi ſunt qui eos quærerent ac introducerent; verùm gratiæ hujus ſibi faciendæ neſcii abſceſſerant, inventuſque eſt ſolus cum Theophilo Zacharias.

Suſpectum id habuere Legati Romani, ideòque de duobus iſtis introducendis denuò hærentes rogarunt: *Duæ perſonæ illæ habent* Romanam

Pœni-

Pœnitentiæ *libellum, quem porrigant, an ſermonem tantùm habent ad Synodum?* Et magnificentiſſimi Judices: *Non*, id eſt, neque libellum neque ſermonem habent, *ſed iſti ſunt illi duo, qui omnimodis lædunt multitudinem illam, eò quod certificent eos hujuſmodi, quia comminiſtravit nobis Papa Nicolaus. Et in hoc habet ſatisfactionem multitudo, quoniam ſi receperit hos duos & communicavit eis, recepit utique & Photium & communicavit ei, ſi autem illum recepit & communicavit, utique una die vocatus eſt Patriarcha: Et ſi una die vocatus eſt Patriarcha, habemus quod dicamus multùm.* Mendacia iſta conſtantiſſimè & in vulgò & in Palatio adſeverabant. Erant mendacia momentoſiſſima: Etenim ſi Photius vel ad unum diem fuiſſet à Romana Eccleſia in Patriarcham admiſſus & confirmatus, purgatus erat ab intruſionis vitio, adeòque & ipſe & conſecrati per ipſum Epiſcopi erant longè aliter tractandi. Datam ſemel confirmationem nec ipſe Nicolaus Pontifex, nec ejus ſucceſſor Adrianus potuerant ſine competentibus cauſis exſufflare. Hinc non ſine fundamento dixit ſeducta à duobus iſtis Pſeudo-Epiſcopis multitudo: *Habemus quod dicamus multùm.* Poſt varias variorum interlocutiones tandem Legati concluſerunt: *Intrent.*

At ecce tunc alia quæſtio. Magnificentiſſimi Principes voluere ipſos non ſolummodò ad Synodi locum & audientiam admitti, ſed & invitari ad profitendum Romanum libellum, & ſic recuperandum Epiſcopatum, interlocuti ad Legatos: *Ipſi conſecratio ſunt Methodii, & omninò expoſitio libelli veſtri ſancit eos, qui conſecrationem habent beatiſſimi Methodii aut Sanctiſſimi Ignatii, quæcumque & quantacumque deliquiſſent in eum, volentes pœnitere, veniam & juſtificationem mereri, at ideò vos etiam hujuſmodi advocantes nihil peccatis.* Adversùs Sanctum Ignatium pro Gregorio Syracuſano & Photio pertinaciſſimi ſemper fuerant Theophilus & Zacharias, pro illis functi Romana Legatione, & imaginariæ Synodo ſubſcripti, ideòque meritò in illos fuerunt Legati duriores. In Synodum tandem intromiſſos per Bahanem Patricium interrogarunt: *Si volunt facere libellum, qui miſſus eſt à ſancta Romana Eccleſia?* Et illi: *Nec libellum deſideramus audire, nec volebamus huc venire. Juſſit Imperator ut inveniremur in palatio, & coram præſentia ejus reperti ſumus illic hoc modo, non propter libellum.* Etiam coram plena Synodo effrontes mentiri perrexerunt ſeſe Photii Legatos Romæ à Sancto Nicolao Pontifice fuiſſe admiſſos ad Epiſcopalem communionem & honorem, illi ut Epiſcopos comminiſtraſſe, & in mendacii teſtem advocarunt præſentem Marinum Romanæ Eccleſiæ Diaconum & Legatum. At ille obſtupefactus repoſuit: *Ego Subdiaconus Romanæ Eccleſiæ eram in diebus illis, quando illi venerunt Romam cum Arzabir: Ego miniſtrabam in Eccleſia Romana ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ dicitur Præſepis. Illic eos ſuſcepit Sanctiſſimus Papa Nicolaus per ſatisfactionem libelli & juramenti, & non contulit eis communionem in loco Epiſcoporum. Si verò contradixerint, oſtendant quod ſuſceperit eos in communionem ut Epiſcopos.* Id oſtendere non potuerunt, atque ità manſerunt de ſolemni mendacio notati.

Notanda ſunt & Marini Diaconi verba: *Non contulit eis communionem in loco Epiſcoporum.* Quid ſit laica, quid Clericalis, quid Epiſcopalis communio, abundè dixi ad primum & ſecundum Canonem Sardicenſem. Oſtendi à voce, *Communio*, non ſemper ſignificari ſacroſanctam Euchariſtiam, ideòque varias ab antiquis Canonibus & Patribus laudatas communionis ſpecies ex vario ſumendæ Euchariſtiæ modo non poſſe deſumi. Addo Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, reliquis Clericis, ſæculari Plebi, viris, fœminis illam alio & alio loco atque ordine fuiſſe datam. Etenim de Diacono labris duntaxàt polluto ſcribit ad Sanctum Amphilochium Iconienſem Metropolitam Sanctus Baſilius Magnus: *A miniſterio* Cap. 6.
prohibebitur, ut autem ſit Sacramentorum cum Diaconis particeps, dignus habebitur. Hoc eſt, abjicietur ad laicos, quia tamen flagitium ejus eſt incompletum, conſueto cum Diaconis ordine & loco percipiet Euchariſtiam. Et de vacantivis ſeu extra provincias ſuas vagantibus Epiſcopis & Clericis ſcribit ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, ſuum Patriarcham, Sanctus Syneſius Ptolomaidis Epiſcopus, Metropolita Lybiæ Epiſt. 67.
Pentapolitanæ: *Mihi videtur oportere iis omni Eccleſia interdici, & neminem ad altare eos admittere, neque ad primas ſedes invitare, ſed inter gregarios in plebeis ſubſelliis relinquere, cùm Eccleſias adibunt.* Hoc eſt, non in hoſpitum Epiſcoporum, ſed in plebei populi loco oportet illis Euchariſtiam dare, atque ità habere ut merè laicos. Et ità Theophilum & Zachariam habuerat Sanctus Pontifex Nicolaus.

Eoſdem mendacii plenè & palàm convictos volentes Legati Apoſtolici dixere ad ſanctam Synodum: *Ut certificemini, quia veritatem dicimus, legantur Epiſtolæ Beatiſſimi Papæ Nicolai, tam quæ ad Michaelem Imperatorem, & ad ipſum Photium, quam quæ diverſo tempore per nonnullos Apocriſarios huc miſſæ ſunt.* Et primùm per Stephanum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconum ac Notarium lecta eſt Epiſtola ad Michaelem Auguſtum per Rhodoaldum & Zachariam Epiſcopos Legatos miſſa, poſt cujus lectionem dixere glorioſiſſimi Principes ad Apoſtolicos Legatos: *Ex his quæ nunc audimus ſatisfacti ſumus, quia veritatem dixiſtis. Epiſtola enim refellit* Theophilum & Zachariam, *& innotuit nobis, quia Photium & manus impoſitionem ejus Sanctiſſimus Papa Nicolaus non recepit.*

Legati poſtularunt legi & aliam ejuſdem Pontificis ad eumdem Principem per Leonem à ſecretis miſſam Epiſtolam, legitque laudatus Stephanus: Et illa Photium, ejus ordinationes, & quævis Acta acerrimè damnabat. Expreſſo nomine damnabat ſolùm Photium & ejus principalem Conſecratorem Gregorium Syracuſanum, Petrum Sardenſem & Eulampium Apameenſem, Gregorio adſiſtentes & cooperatos, tacens, ideòque in ipſam Theophilus inſiluit: *Si damnentur Photius, damnentur & introducentes & conſecrantes eum.* Solum malè conſecratum Epiſcopum, & non ejus conſecratores damnantem Epiſtolam, eſt de imperitia ac injuſtitia calumniatus. Ad hominem verò argumentata ſancta Synodus intu-

 lit:

lit: *Ergò & tu damnatus es, tamquam qui ſuſceperis, & communicaveris ei*. Neque enim ſoli intrudentes, ſed & omnes intruſo Epiſcopo communicantes pariter cum illo damnantut à Sacris Canonibus.

Et hæc ſplendida Theophili & Zachariæ mendacia audiens Theodorus Stauropòlitanus Epiſcopus, Cariæ Metropolita, ſurrexit & dixit ad omnem Synodum: *Uſque in præſentem horam ego humilis certitudinem habebam in mente mea, & ideò rejiciebam Beatiſſimum Papam Nicolaum, & cauſabar eum, quia credens hominibus iſtis putabam, quod priùs receperit Photium, & noviſſimè hunc interimere tentaverit*. Et hinc liquet Theophilum & Zachariam, non ſola mentiendi voluntate, ſed & arte fuiſſe inſigniter inſtructos. Nam lucidiſſimè convictus perrexit in mendacio Theophilus: *Det mihi verbum*, perſonæ meæ adversùm Synodi volentias ſecuritatem, *Imperator in ſcriptis, & hinc huic demonſtro. In conſpectu Dei dico, quia communicavi Papæ Nicolao, & comminiſtravi ei. Etenim iterùm dico, & comminiſtravimus ei & communicavimus*.

Exindè per laudatum Stephanum Diaconum Synodus legi juſſit Nicolai Pontificis ad intruſum Photium litteras, quarum ſola Epigraphe, *Viro Photio*, ejus de Photii Epiſcopatu & cauſa judicium abundè demonſtrabat. Photii laici, & omnium generaliter iſtius modi Neophytorum Epiſcopalem promotionem acertimè atque doctiſſimè inſectabatur iſta Epiſtola, ex Sancti Ambroſii Mediolanenſis & Nectarii Conſtantinopolitani Epiſcoporum exemplo oſtendens non poſſe figi regulam, & rationes, ex quibus ipſos diſpenſavit Romana Eccleſia, in Photio non habere locum. Neophytorum enim, ſeu è gentili ſeu è laico, Epiſcopales promotiones ſemper eguerunt gratioſa diſpenſatione Eccleſiæ Romanæ. Hinc de ſua Ordinatione ad Eccleſiam Vercellenſem ſcribit ipſe Sanctus Ambroſius: *Ordinationem*
Epiſt. 25. *meam Eccleſia Occidentalis judicio probavit*. Et de
Epiſt. 10 Nectatii Ordinatione ſcribit ad Ruſum Theſſalonicenſem Atchi-Epiſcopum, omnemque ei ſubjectam diœceſim Illyricianam Sanctus Pontiſex Boniſacius primus: *Clementiſſimæ recordationis Princeps Theodoſius Nectarii ordinationem, propterea quia in noſtra notitia non eſſet, habere non exiſtimans firmitatem, miſſis è latere ſuo Aulicis cùm Epiſcopis, formatam huic à ſede Romana dirigi regulariter depopoſcit, quæ ejus Sacerdotium roboraret*. Grandem hanc pro Apoſtolica Sede veritatem huc uſque ignoravimus: Lucas Holſtenius Romanam Boniſacii ſecundi Pontificis Synodum vulgando fecit maniſeſtam. Eodem modo Photii ordinationem fuiſſe à Nicolao Pontifice admiſſam & roboratam dixit Theophilus Pſeudo-Epiſcopus, ideòque nec ab ipſo, nec ab ejus ſucceſſore Adriano potuiſſe caſſari. Et addidit: *En hoc diſcite, qualis ſit Nicolaus*. Hoc eſt, hinc diſcite fuiſſe hominem verſipellem, vertumnum, propriorum Decretorum verſatilem prævaricatorem. Et ab iſto ſolenni mendacio nunquam voluit reſilire.

Photii Ordinationem aſſeruit probatam etiam ab Antiochena & Hieroſolymitana Eccleſia, ideòque ad ipſarum Legatos Thomam & Eliam dixere glorioſiſſimi Principes: *Habemus quod dicamus etiam ad vos. Interrogamus etiam Sanctitatem veſtram. Utique audiſtis ſententiam Romanorum Eccleſiæ: Quomodò habet Antiochenſium Eccleſia de prædicto Photio? Suſcepiſtis eum? Miſiſtis ad eum litteras receptionis?* Thomas Tyriorum Metropolita, ſedis Antiochenæ Legatus, reſpondit: *Non ſuſcepimus aliquando Photium in Antiochenſium Eccleſia, neque miſimus ei litteram receptionis, neque ab illo recepimus*. Et Elias Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Legatus: *Si quidem credulus*, id eſt, fide dignus eſt, *tam apud Photium, quàm apud communicatores ejus, piiſſimus & à Deo coronatus noſter Imperator, ipſe certificabit per proprios Apocriſarios, Eſaiam ſcilicet & Spiridionem Cyprios cum litteris ſuis, quas ad Patriarcham noſtrum miſit, quia de manu Theodoſii ſanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymorum extorſit me, cùm eſſem Syncellus Apoſtolici throni Sancti Jacobi Hieroſolymorum. Dico igitur, ac ſi coram Deo & electis Angelis ejus, quia nequaquam Photium in Epiſcopatu, neque litteras ab eo ſuſcepimus, neque ad eum tranſmiſimus. Si verò incredulus*, id eſt, fide indignus *eſt apud eos Dei cultor Imperator noſter, quod viſum fuerit piiſſimo ac juſtiſſimo ejus imperio, in eos faciat. Nos enim, quod novimus certiſſimè, hoc & teſtamur*. Ex quibus verbis diſce Eſaiam & Spiridionem Cypriorum Epiſcopos fuiſſe Baſilii Auguſti Legatos ad Antiochenam & Hieroſolymitanam Eccleſias, & per ipſos Eliam Legatum à Theodoſio Patriarcha extortum potiùs quam impetratum. Etiam Cyprus tum Agarenis ſuberat, ideòque ejus Epiſcopi ſecuriùs poterant Antiochiam & Hieroſolymam legari. Attamen neque Eſaia neque Spiridion noſtræ Synodo adſuit; qood Romani imperii fines, Regiam præſertim civitatem, ſine Ameræ ſui licentia nequirent intrare. Ex eiſdem Orientalium Legatorum verbis concluſit Metrophanes Metropolita Smyrnenſis: *Intelleximus & cognovimus ex iis, quæ hodie geſta ſunt, quia nunquam aliquando admiſſus eſt Photius in ſancta Romana Eccleſia ut Epiſcopus, neque in aliis Patriarchalibus thronis, ſed abjectus erat, & reprobatus, atque damnatus ab initio uſque ad finem*.

Tempus effluxerat, omniſque quæſtio erat de admittendis Sancti Pontificis Nicolai in Photium Decretis, & profitendo Romano libello, ideòque Theophilum & Zachariam alia via ad ſanam mentem reducere conati magnificentiſſimi Principes dixere ad Apoſtolicos Legatos: *Mos eſt in Romana Eccleſia ab omni homine hoſpite libellum fidei exigendi, & ità permitti hunc in Sanctum Petrum intrare. Fecerunt iſti ſecundùm hanc formam, an non?* Reſponſum eſt à Legatis: *Ità fecerunt*. Theophilus & Zachatias viderunt, quò hæc tenderent, ideòque ſunt interlocuti: *Unum, an duos fecimus?* Et Legati: *Duos libellos feciſtis*. Et illi de Legatis: *Ergò non erant ibi*. Negavere duos à ſe factos libellos, & adverſum Legatorum teſtimonium dixere non curandum, quòd eo tempore præſentes in urbe non fuiſſent. At rurſùm fuiſſe mentitos oſtendit marginale ſcholion Anaſtaſii: *Reverà duos libellos fecerunt, unum*

ſcilicet

ſcilicet fidei, antequam urbem ingrederentur, & alterum pro ſequendis Decretis Apoſtolicæ Sedis, antequam in communionem, utique laicam, *reciperentur*. Omnis quæſtio erat de hoc poſteriori libello: Etenim illum Romæ tunc profeſſi non poterant nunc Nicolai Pontificis Decreta ſine manifeſta prævaricatione refutare. Hinc Legatos denuò percunctatus eſt Patricius Bahanes: *Quid circumferebat libellus?* Et Legati: *Ut ſecundùm Eccleſiam Catholicam teneant, & defendant veritatem, & per omnia ſequantur judicium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Erant non ſolummodò convicti, ſed & *confeſſi heri ità fuerant in Secretariis* Eccleſiæ, coram Bahane Patricio, qui & ipſum illis in faciem coram plena Synodo improperavit. Hinc ipſos tamquam perjuros in ſchiſma relapſos judicari voluerunt Legati, ad Senatum interlocuti: *Interrogate prævaricatores, utrùm faciant Romanum libellum, nec ne?* Et illum facere rogati repoſuere: *Nec audire illum volumus*. Ità tamquam incorrigibiles ſunt extra Synodum ejecti. Et Bahanes Patricius agnovit audientiam ac defenſionis locum fuiſſe illis fruſtrà indultum.

Addidit de Zacharia Tauromeniæ Epiſcopo: *Cauſam Zachariæ non quæſivimus, heri enim confeſſus eſt, quia obligatus eſt à Benedicto Papa* tertio, *ut non haberet poteſtatem Pontificium peragere, donec veniret & deſcenderet iterùm cum iis, qui ſe abſciderant à ſanctiſſimo Patriarcha Ignatio, & ſumerent judicium, & hoc non cuſtodivit, neque deſcendit illuc*. Zacharias, qui ſe à Nicolao Pontifice admiſſum jactabat ad Epiſcopalem communionem, faſſus fuerat ſe per ejus Anteceſſorem Benedictum tertium fuiſſe ab officio Pontificali ſuſpenſum, quin & ejus mandatis contumacem: Hæc duo invicem adverſa noluit Bahanes dimitti indiſcuſſa. Reſponderunt Apoſtolici Legati: *Partem habet cum iis, qui non concordant cum Eccleſia, & comparticeps eorum eſt, qui fecerunt contra Eccleſiam Conſtantinopoleos, & contra Sanctiſſimum Patriarcham Ignatium. Sed quoniam hora tarda eſt, non poſſumus hodie hoc requirere, in alia verò examinatione id faciemus*. Rursùm laudant antiquam Chriſtianitatis Regulam: *Qui cum Romana Eccleſia non concordat, Catholicus non habeatur*. Bahanes autem Patricius laudavit appellationem & evocationem Romanam, conſuetam etiam ea Patriarchatu Conſtantinopolitano. Ejus ex verbis liquet eam uſque ad Photianum ſchiſma liberrimè per omnem Orientalem Eccleſiam ambulaſſe. Et hinc ſchiſma iſtud in Florentina Synodo compoſiturus Eugenius quartus Pontifex
Seſſ. 25. Græcis poſtulantibus, *Ut ſi quis putet ſe ab aliquo Patriarcharum pati injuriam, & veniat qui interpoſuit appellationem, ne Patriarchæ ipſi ſeſe ſiſtant judicandos, ſed Papa mittat in provinciam quamque inquiſitores, & ibi per eos præſentibus negotiis in partibus injuriam paſſi jus ſuum obtineant*, meritò reſpondit *ſe velle omnia Eccleſiæ ſuæ privilegia, velleque ad ſe fieri appellationes, nec non regere & paſcere univerſam Chriſti Eccleſiam, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati*.

ACTIO V.

QUintam Actionem, decimo tertio Calendas Novembres celebratam, & plures pedetentim habentem Epiſcopos, Baſilius Auguſtus accedere denuò juſſit Zachariam Tauromeniæ Epiſcopum, audiendum rursùs de memoratis ejus contradictoriis adſertionibus, nec non & ipſum ſchiſmatis caput Photium, cum grandiſonis ubique querimoniis ebuccinantem ſeſe à Romana Eccleſia damnatum inauditum. Eum Princeps voluit coram plena Synodo convinci, atque ità coram omni ſub cœlo Eccleſia confundi. Hinc igitur ad confidentem Synodum dixit Paulus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Carthophylax: *Secundùm præcedentem Actionem, ut juſſit Sanctitas veſtra, præſens eſt hic iterùm Zacharias ſolus*, utique ſine collega Theophilo, *ſed & Chriſtianiſſimus Imperator noſter miſit ad Synodum Photium*. An hic intrare & audiri vellet, neſcierunt Legati Apoſtolici, ideòque ſunt interlocuti: *Interrogetur, ſi deſideret venire in ſanctam & univerſalem Synodum hanc*. Hominem jam tertiò à Romana Eccleſia damnatum noluerunt citatum ac denuò auditum, ſed ad importunas Principis preces dumtaxàt permiſere pœnitentia & meliori mente tentandum. Et eidem Paulo roganti, *Quem jubet Sanctitas veſtra ire, & interrogare eum*, repoſuerunt: *Laici vadant*. Eum nequaquam ut Epiſcopum aut Patriarcham, ſed ut ſæcularem laicum, & quidem à Romana Eccleſia anathematizatum, voluere tractari, ideòque vocari non per Epiſcopos, ſed per laicos. Miſſi ſunt quinque laici, ad quos ille: *Me in Synodo nunquam aliquando advocaſtis, & modò miror, quia hoc feciſtis & advocaſtis me. Verumtamen ſponte non venio. Nunquam enim interrogantes me de Synodo hac, quam dicitis, quomodò me in eam trahitis? Dixi*, CUSTODIAM VIAS MEAS, UT NON DELINQUAM IN LINGUA MEA: POSUI ORI MEO CUSTODIAM. Ad quæ ſibi relata indignati ſunt Legati Apoſtolici, & dixere: *Nos non convocavimus eum, ut diſcamus aliquid ab eo, ſed ut laborem, quem habuit ſancta Romana Eccleſia, ſimul & Orientales Eccleſiæ propter eum, nunc terminemus eodem ipſo præſente*. Et Elias Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Presbyter ac Legatus: *Concluſione tacita peccatores hanc à Deo electam Synodum pronunciavit*. Etenim poſt adducta à Photio verba, *Poſui ori meo cuſtodiam*, ſequitur in Pſalmo: *Cùm conſiſteret peccator adversùm me*.

Hinc de illo intromittendo rursùs diſceptatum eſt inter Patres: eſt tandem intromiſſus, eoque viſo Romani Legati dixere: *Ille eſt Photius, propter quem ſancta Romana Eccleſia per ſeptem annos & ampliùs ſuſtinuit labores multos?* Quibus ex verbis colligi videtur hominem fuiſſe abjectæ ſtaturæ. Perrexerunt Legati ad ipſum: *Recipis Conſtituta ſanctorum Romanorum Pontificum?* At ille à variis idipſum rogatus nec verbum reddere dignatus eſt, oſtentans ſe ſtare ante Synodum, quomodò Do-

minus

Digitized by Google

minus noſter Jeſus Chriſtus ſtetit ante Caypham Pontificem, aut Præſidem Pilatum. Eis minantibus, *Tacendo non effugies damnationem*, hoc unum repoſuit: *Nec Jeſus tacendo damnationem evaſit. Vocem meam, etiam me taceate, Deus audit*. Quare poſt multam iteratæ frequanter interrogationis patientiam Legati pronunciarunt: *Ecce homo, qui obturavit aures ſuas ſicut aſpidis ſurdæ, & non audit vocem, quam et ſancta Synodus objicit, ſed vult per ſilentium effugere hanc condemnationem, quam ſancta Romana Eccleſia ante multos annos promulgavit adverſùm eum. Verùm legantur Epiſtolæ, quæ de eo miſſæ ſunt à ſancta Romana Eccleſia*. Et mox per Stephanum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconum ac Notarium lectæ ſunt variæ Sancti Nicolai Pontificis Epiſtolæ, quibus jam pridem reſtituerat Sanctum Ignatium, & Photium damnarat. Quibus illa an acquieſceret, frequenter rogatus & ſuaſus oppoſuit altiſſimum ſilentium, atque iſto contemptu omnem Synodum graviſſimè offendit.

Quapropter Elias Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Legatus, quo ab omni Synodo plenè intelligeretur, ex ſede ſua loqui noluit, ſed conſcenſo ambone eſt in Photium acerrimè concionatus, oſtendens eum, uti à Romana, ità & ab Antiochena ac Hieroſolymitana Eccleſia nequaquam fuiſſe in Epiſcopatu receptum, ſed ab omnibus damnatum & anathematizatum, tandemque illum ad pœnitentiam, laicamque ſaltem communionem & vitæ futuræ ſpem recuperandam exhortatus eſt, proteſtatus ſe ſine affectu humano loqui juxta adjurationem Baſilii Auguſti, qui ſuo & collegæ ſui Thomæ, Tyriorum Metropolitæ, in Regiam civitatem venientium collo Encolpium ſuum impoſuerat, dicens: *Ecce, Judicium Eccleſiæ exigat Deus à cervicibus veſtris in die judicii, ut nihil faciatis per favorem, neque per gratiam, vel odium*. Quid ſit Encolpion, exponit in ſcholio marginali Anaſtaſius: *Encolpion eſt, quod in ſinu portatur*. Κόλπος *enim græcè, latinè ſinus dicitur. Moris enim Græcorum eſt crucem cum pretioſo ligno, vel cum reliquiis Sanctorum ante pectus geſtare ſuſpenſam ad collum, & hoc eſt quod vocant Encolpion*. Pietatem eſſe antiquiſſimam liquet ex ſynodali Epiſtola Conventiculi Philippopolitani. Eamdem viguiſſe apud Latinos docent plures Epiſtolæ Sancti Gregorii Magni. Legenda eſt integrè jam dicta concio, cui ſubnexuit Bahanes Patricius: *Et nos hoc commonemus Photium, & conſiliamur*.

Similem ex eodem ambone concionem per Interpretem Theodorum à Secretis habuere Legati Apoſtolici, commendantes Romanarum in Photium ſententiarum juſtitiam, acclamavitque univerſa Synodus: *Recipimus omnia, valdè quippe diſcreta ſunt, & congrua & conſona Eccleſiaſticis regulis atque legibus*. Hìnc proprio etiam ore Legati ſunt Photium allocuti: *Admonemus eum, ut procidat ſanctæ huic Synodo, & inclinet cervicem ſuam Sanctiſſimo Patriarchæ Ignatio ſuo ad pœnitendum, & efficiendum membrum ſanctæ Eccleſiæ, ac ſe ſociandum ſanctæ Chriſtianorum communioni, uti mos eſt fidelium laicorum*. Et Bahanes Patricius: *Loquere, Domine Photi, quodcumque habes juſtitiæ opus, dic homo Dei, quam habes juſtificationem?* At ille Dominum Jeſum Chriſtum coram Caypha aut Pilato ſtantem agere pergens repoſuit: *Meæ juſtificationes non ſunt in hoc mundo; ſi in mundo hoc eſſent, indè videretis*. Papatum Roma Conſtantinopolim migraſſe, & ſe eſſe primum ibidem Papam etiamnùm inſaniebat, ideòque à nulla Synodo, ſed à ſolo Deo poſſe judicari. Quare meritò reddidit Patricius Bahanes: *Nos tenemus, quia confuſione & metu depreſſus deſipis, neſciens quid dicas, propter quod concedit tibi ſancta & univerſalis Synodus ſpatium ad meditandum ſalutem tuam, & rursùs tibi jubet venire huc*. Sanctè ſpopondit Synodum ſine affectu judicare: Ejus verbum confirmavit plena Synodus, dicens ad Photium: *Vadat, & perpendat quid ſibi conveniens ſit*. Quinta Actio ſic eſt finita.

ACTIO VI.

ACtio ſexta, omnium celeberrima, facta octavo Calendas Novembres, præſentem ac præſidentem habuit Baſilium Auguſtum. Ad eam intromiſſi quivis Photiani Epiſcopi pro ſuo adversùs Romanam Eccleſiam malevolo ſpiritu omnes ingenii nervos exeruerunt. Sermonis exordium fecit in medio Patrum ſtans Metrophanes Metropolita Smyrnenſis, ſanctam Synodum, cui quatuor Patriarchales ſedes aderant, tamquam quatuor fluminum fontem paradiſum laudans, & Baſilium Auguſtum tamquam Noe novi teſtamenti, qui Synodum hanc, novam Chriſtianorum arcam, adversùs concitatum in univerſo orbe à Photio ſchiſmatis diluvium ad omnium electorum ſalutem ex Divino inſtinctu fabricarit. Similem Epanagnoſticon ſermonem per Leonem à Secretis dixere Legati Romani, inculcantes Photium nec à Romana, nec ab ulla Patriarchali Eccleſia fuiſſe unquam in Patriarchatu receptum aut confirmatum, ideòque à præſente Principe expoſtulantes Romanorum de hac cauſa Decretorum tandem aliquando fieri plenam executionem.

Et mox à Principe juſſus Theophilus Protoſpatharius *introduxit in ſanctam Synodum eos, qui Epiſcopi Photii dicebantur*. Eis in medio ſtantibus Stephanus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus ac Notarius relegit omnes huc uſque lectas Nicolai Pontificis Epiſtolas, ac tunc ſuum ſermonem Epanagnoſticon inchoavit etiam Elias Theodoſii Patriarchæ Hieroſolymitani Presbyter ac Legatus, apologum agens pro Nicolai & Adriani Pontificum Decretis, adversùm Photianos contradictionis ipſa arguentes, utpotè quæ damnarent Photium, & Petrum Sardenſem ac Eulampium Apameenſem Epiſcopum, ejus cum Gregorio Syracuſano conſecratores nulla facta ipſorum mentione dimitterent impunes. Eum, qui leproſo capiti Eccleſiaſticæ Ordinationis manum imponit, ex Apoſtolo dixerunt communicare peccatis alienis, & ſibi ipſis adſtricare eamdem lepram, adeòque Romana Decreta, damnantia

damnantia

nantia Photium, & ejus Conſecratores dimittentia impunes, eſſe Eccleſiaſticæ Regulæ palàm prævaricatoria, & ſibi ipſis non cohærere.

Reſpondet verò Elias Photium Maximo Cynico, in ſedem Conſtantinopolitanam olim etiam intruſo, ac per primam Synodum Conſtantinopolitanam damnato, eſſe per omnia ſimilem, idèòque & utriuſque conſecratores in omnibus æquiparari. *Maximus*, inquit, *Cynicus*, *& omnis manus ejus impoſitio repulſa eſt, qui autem promovit eum ad Præſulatum dejectus non eſt à ſorte ſua Timotheus Alexandrinorum Epiſcopus. Non ſolùm autem ipſe minimè eſt repulſus, ſed nec quiſquam Epiſcoporum Timothei, qui pariter inventi, & in Maximi Ordinationem & promotionem cooperati ſunt, damnatus eſt, quia potiùs honores & præmia meruerunt, quoniam Timotheus primus factus eſt* Conſtantinopolitanæ *ſanctæ Synodi Præſidens, utpotè Alexandriæ Patriarcha.* Hinc intulit etiam Eulampium ac Petrum non debuiſſe damnari, utpotè ad Gregorio cooperandum violenter à Michaele Auguſto compulſos, proindèque Timotheo Alexandrino, qui proprio motu citra vim operatus fuerat, longè juſtiores. Pergit de Gregorio Syracuſano: *Ille ſolus, qui anteà depoſitus & anathematizatus eſt, Gregorius Syracuſanus damnatus & depoſitus eſt.* Docet Gregorium non ob ſolam & nudam Photii conſecrationem fuiſſe damnatum, ſed quod eam attentaſſet jam ob alia crimina canonicè degradatus, atque ità palàm impegiſſet in quartum Canonem Antiochenum.

Verùm enim verò manifeſtum eſt Eliam in quibuſdam fuiſſe hallucinatum. Primò falſum eſt, quod vitioſæ ſeu irregularis perſonæ in Epiſcopum Conſecratores ſeu intruſores non debeant degradatione puniri. Etenim tres Epiſcopos, L. 6. c. 35. Novatiani in Romanam Cathedram intruſores, fuiſſe degradatos, & eorum unum pœnitentem in laicam dumtaxàt communionem receptum ſcribit apud Euſebium Cæſareenſem Sanctus Cornelius Papa. Et ad Synodum Toletanam Innocentius primus: *Qui poſt hæc adversùs formas Canonum vel ad Eccleſiaſticum ordinem, vel ad ipſum Sacerdotium venire tentaverit, unà cum Creatoribus ſuis ipſo, in quo inventi fuerint, ordine & honore priventur.* Et de Pſeudo-Epiſcopo Daniele ad Viennenſis ac Narbonenſis Provinciæ Epiſcopos ſcribit Celeſtinus primus: *Facilius eſt, ut hanc dignitatem tali dando amiſerit ipſe Ordinator, quam eam obtineat Ordinatus. Cui convictus ſociabitur, qui eum ſibi credidit largiendo Pontificium ſociandum.* Eſt ſuprà laudatus Canon Apoſtolicus, definiens omnem Epiſcopum, qui indigno manus imponit, quoad culpam & pœnam communicare peccatis alienis.

Secundò falſum eſt Maximum Cynicum à Timotheo Patriarcha Alexandrino fuiſſe conſecratum. Conſecratus fuit à frumentariis, id eſt, vectigale Ægypti frumentum Conſtantinopolim deportantibus Ægyptiacæ diœceſeos Epiſcopis, non Timothei juſſu, ſed proximi ejus Deceſſoris Petri, quem jam defunctum damnare omninò potuiſſet Conſtantinopolitana Synodus, verùm Epiſcoporum in Eccleſiæ pace defunctorum damnatio tunc necdum erat in Eccleſiarum uſu, & Petrus fuerat magnorum meritorum Epiſcopus, atque ità unicus hic exceſſus in ipſo erat venia & oblivione dignus.

Tertiò falſum eſt Petrum Sardenſem ac Eulampium Apameenſem Epiſcopum à Nicolao primo Pontifice non fuiſſe damnatos. Dum Gregorium Syracuſæ Archi-Epiſcopum, Principalem Photii conſecratorem, Nicolaus damnavit, damnavit omninò & ejus adſiſtentes atque cooperatores, licèt non nominatos. Iſtum ſolum in damnationis ſententia exprimere eſt antiqua Eccleſiæ conſuetudo. Ità Donatiſtæ, Cæciliani Carthaginenſis Archi-Epiſcopi conſecrationem ex conſecrantium ſcabie maculare conati, accuſarunt ſolum principalem conſecratorem, Felicem Epiſcopum Aptungenſem. Eiſdem in Carthaginenſi collatione de Sancto Auguſtino quærentibus, *A quo ordinatus eſt*, repoſuit Auguſtinus ſolum Megalium Calamenſem Epiſcopum, tunc Numidiæ Primatem. Et de primi Anti-Papæ Novatiani, quem à tribus Epiſcopis ordinatum conſtat, intruſione agens in Sancti Cornelii vita liber Pontificalis nominat ſolummodò unum: *Novatus Novatianum extra Eccleſiam ordinavit.* Eamdem ſecutus regulam Sanctus Pontifex Nicolaus in Photianæ Ordinationis damnatione ſolum Gregorium Syracuſanum expreſſit.

Exindè ad præſentes Photianos Epiſcopos Baſilius Auguſtus eſt interlocutus: *Ecce audiſtis ſenſum Patriarcharum, tam Romani, quàm Hieroſolymitani & Antiocheni, quid vobis videtur ad hæc?* Eos, quod ſuas latrocinales Synodos quaſi cœleſtia conſiſtoria prædicarent, & hanc noſtram veraciter œcumenicam ſpernerent, & præſentibus quatuor Patriarchalibus ſedibus non crederent, durè increpavit. Reſpondit verò Zacharias à Photio conſecratus Metropolita Chalcedonenſis: *Et Papæ Nicolai & cæterorum Patriarcharum Canon princeps eſt, & ſecundùm illum agentes non faciunt id, quod extrà docetur. Cùm verò extra hunc faciant, ſive Papa Nicolaus, ſive quis alius, non acquieſcimus.* Canones eſſe dicit Papa & Patriarchis ſuperiores, & hoſce obligari ad iſtorum obſervantiam, ideòque ipſorum his adverſantia Conſtituta eſſe habenda, non ut Patriarchalia aut Papalia Decreta, ſed tamquam prævaricatoria attentata. Et probavit exemplis: *Marcellum Ancyranum Julius Romanus ſuſcepit, & Sardicenſis Synodus trecentos Epiſcopos habens juſtificavit eum; ſed uſque in præſens ut hæreticus anathemati ſubjicitur. Et lugendum Apiarium juſtificatum à Romanis Præſulibus Africana Synodus non juſtificavit, ſed repulit, mittens ut propria curaret, & extra fines ſuos non excederet. Et alia dena millia paradigmata habemus hujuſmodi.*

Hujuſmodi eſſe dixit Nicolai Pontificis in Photium ac Photianos Decreta, ad ſingula illorum fundamenta reſpondere conatus. Primum eorum fundamentum erat Canon Sardicenſis vetans ex laicis ſtatim creari Epiſcopos, reſpondit verò Zacharias: *Conſecrantes is Canon cautos reddit, conſecratum autem non damnat, & conſuetudo illum exſuperavit.* Etenim Sanctus *Tharaſius* Patriarcha Conſtantinopolitanus *ità conſecratus eſt*, & *Nicephorus* proximus illius ſucceſſor, & *Ne-*

ctarius,

ſtarius, & *Thalaſſius Cæſareæ* Cappadociæ, & ejus Prædeceſſor *Euſebius*, & *Ambroſius Mediolanenſis*, *atque alii mille*. *Si ergo ſunt illi obnoxii*, & *hic*; *quod ſi illi innoxii*, & *ille utique*.

Alterum Nicolai Pontificis fundamentum erat, quòd Photius à depoſitis ac degradatis Epiſcopis eſſet conſecratus. Reſpondit Zacharias: *Primùm non opinamur hoc verum eſſe*. *Neque enim pro criminibus iſti depoſiti fuerunt*, *ſed pro eo quod reſtiterunt Eccleſiæ*: *Uniti autem rursùs*, & *apoſtaſiam illam reprobantes*, *ſuſcipiendi conſiſtunt*. *Verumtamen licèt Gregorius* Syracuſanus *ſit depoſitus*, *qui eum conſecravit*, *non eſt Photius obnoxius*, *ſed ii*, *qui illum promoverunt*, *obnoxii comprobantur*. *Verumtamen licèt Gregorius ſit depoſitus*, *poſſunt* & *promoventes eum nullas pœnas perpeti*. Dicit non omnes Photii conſecratores fuiſſe degradatos, ſed ſolum Gregorium Syracuſanum: Petrum Sardenſem atque Eulampium Apameenſem fuiſſe reos ſolius paraſynagogæ, quam pœnitenti ad Eccleſiam reditu plenè purgari ſcribit in Canoni-
Cap. 3. cis ad SanctumAmphilochium litteris Sanctus Baſilius Magnus. Et Gregorii Syracuſani vitium, non conſecratum Photium, ſed ſolos ejus cooperatores Petrum ac Eulampium maculare potuit: Potuit & non maculare. *Etenim Flavianus depoſuit Eutychen*, & *Anatolius ſuſcepit eum*. *Et Epiſcopi*, *qui quartam fecerunt Synodum*, *Comminiſtrum eum habuerunt*, & *nequaquam damnati ſunt*. *Sed* & *Petrus Mogus depoſitus eſt à Proterio*, *eò quod eſſet hæreticus*, & *quartam non ſuſciperet Synodum*, *deindè cooperatus eſt in mortem ejuſdem Proterii*, & *poſteà poſt Timotheum factus eſt Patriarcha*, *ſed nullus eorum*, *qui ab eo conſecrati ſunt*, *condemnatus eſt*. *Sed* & *Acacius Conſtantinopolitanus damnatus eſt à Papa Romano*, *eò quod cum hæreticis haberet communionem*, & *ille quidem damnationis ſermonem nullum fecit*: *At verò poſt eum Patriarchæ Flavitas*, *Euſemius*, & *Macedonius*, *recipientes eum*, *ſuſcepti ab Eccleſia* & *ſunt* & *putantur*. Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Eutychianæ factioni in Epheſino latrocinio cooperatus, & ibidem à Dioſcoro Patriarcha ſuo in Epiſcopum conſecratus ex Archi-Diacono, à Sancto Leone Pontifice damnatus fuerat, & tamen poſtmodùm illi in cunctis ſuis actionibus communicavit ſancta Synodus Chalcedonenſis. Etiam Petrus Mogus, Patriarcha Alexandrinus, & de hæreſi & de vario facinore damnatus fuit à Romana Eccleſia, quæ tamen omnes ejus & communicatores & conſecratos Epiſcopos & Clericos in ſuis gradibus ſuſcepit. Acacii item Conſtantinopolitani Epiſcopi damnato per Romanam Eccleſiam nomini ac memoriæ communicarunt ſucceſſores Flavitas, Euphemius, ac Macedonius, neque exindè fuerunt maculati. Ex hiſce fundamentis etiam Petrum & Eulampium, ipſumque unà Photium à Gregorii Syracuſani ſcabie potuiſſe non maculari concluſit Zacharias, & addidit: *Si ſit Canon*, *qui deponit nos*, *depoſitionem recipimus*; *ſi verò non eſt*, *nequaquam*. *Etenim Flavianum Antiochiæ Patriarcham Romani non receperunt*, *ſed eum Canon nullatenùs condemnavit*. Hoc eſt, Nicolai Pontificis adversùm nos decreta & ſententias non curamus, ſed eorum juſtitiam per Canones demonſtrari cupimus, imitati paſſum à Romanis ſimilia Flavianum Patriarcham Antiochenum.

Militarium, quam Eccleſiaſticarum rerum peritior erat Baſilius Auguſtus, ad haſce tamen nugas repoſuit: *Non adduximus vos latrare*, & *ſine ordine facere verba*: *omnia enim veſtra mendacia ſunt* & *ſeductio*. Anatolii, Acacii, Petri Mogi, ac aliorum Epiſcoporum memoratos lapſus, aut certè nata ex illis vitia dixit per Romanam Eccleſiam fuiſſe reparata, atque ita ad rem non facere; Photii autem ſuperſtites Conſecratores in nequitiæ ſuæ tumulo mortuos etiamnum fœtere, ideòque Photium ab illis non potuiſſe niſi leproſè conſecrari. Eorum unum adſtantem Eulampium Apameenſem addidit Theophili Proto-Spatharii, dum coram Michaele Auguſto Scænicum Patriarcham agens tremenda Chriſtianitatis myſteria blaſphemabat, fuiſſe ſpectatorem, proindeque eſſe non ſolummodò degradatum, ſed & nova degradatione ex iſto crimine digniſſimum. Negavit iſtud, & quidem cum execratorio juramento, Eulampius, conatuſque tunc eſt producendi cum Principe ſermonis & ſeſe expurgandi anſam arripere; verùm Legati Romani intercesſerunt: *Iſte eſt qui depoſitus eſt* & *anathematizatus à ſancta Romana Eccleſia*, & *quomodo talia præſumpſit loqui in conſpectu imperii tui*? *Nos cum depoſito* & *anathematizato loqui non patimur*. *Etenim Pater noſter ſpiritualis Adrianus Papa Romanus Sancto Imperio tuo demonſtravit legem* & *judicium*, *quod ſancta Romana Eccleſia de nefandis* & *prævaricatoribus definivit*. *Et nos cum eis colloqui te non patimur*, *eò quòd ſcriptum ſit*: CONTRADICTIONES EXCITAT OMNIS MALUS. Ex quo liquet lapſum fuiſſe Eliam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ legatum, dum ſolùm Gregorium Syracuſanum, non Eulampium hunc aut Petrum Sardenſem dixit fuiſſe à Nicolao Pontifice damnatum.

Reliquis Photianæ conſecrationis adſtantibus Epiſcopis pœnitentiam ac Romani libelli profeſſionem ſuadere, laicamque communionem promittere perrexerunt Legati Apoſtolici, addiditque Baſilius Auguſtus: *Ego crebrò* & *multò rogavi*, *ne perirent*, & *ideò eos dimiſi huc*; *ſi velint concurrere ad Eccleſiam*, *quidquid judicaverint Patriarchæ*, *etiamſi noluerint*, *confirmamus*. At illi manſerunt ſaxo duriores. Hinc Legati ad Joannem Heracleenſem, nec non ad Metropolitas Cretenſem & Celerderenſem converſi dixere: *Juxta libellum*, *qui à ſancta Romana Eccleſia expoſitus eſt*, *facitis*, *an non*? Et illi æquè duri: *Ne fiat*, *Deus*.

Hinc Zachariæ Chalcedonenſi, & ejus pro Photio & Photiana parte argumentis reſpondere cœpit Metrophanes Metropolita Smyrnenſis: *Leges ſanciunt*, *tam Eccleſiaſticæ quàm civiles*, *omnem*, *qui elegerit aliquem Judicem*, *modis omnibus ſequi ac obedire præceptis ejus*, & *nequaquam refutare penitùs ac repellere prolatas ab eo* & *depromptas definitiones* & *leges*. *Cùm itàque pars veſtræ petierit ac popoſcerit Judicem beatiſſimum Papam Nicolaum*, *quomodò vos extra poſitas Eccleſiæ ac Reipublicæ leges aut regulas eum redarguere* & *judicare*

care

tuæ præſumpſiſtis, adſerentes non ſecundùm Canonem egiſſe, neque ſecundùm juſtitiæ ac veritatis rationem decreviſſe, quæ ſibi viſa ſunt definiendo? Inveniminí ergò in parte hac & Eccleſiaſticas & civiles reprobare leges pro eo, quod quem elegiſtis & prætuliſtis judicem, nunc abjiciatis. Nemo enim electum à ſe judicem ex propria optione, vice verſa judicare vel condemnare penitùs debet. Etenim Photius & in prima ſua adversùs Sanctum Ignatium inſtantia, & per varias appellationes in Judicem omninò elegerat Sanctum Pontificem Nicolaum, ideòque licet ille, non ſupremus omnium Eccleſiarum Judex, ſed electus tantummodò in hac cauſa fuiſſet arbiter, non poterat Photiana factio ejus judicium refutare, aut ad Canones provocare. Verùm æmulabatur Photius ſuum in invadenda Conſtantinopolitana cathedra Anteceſſorem Euſebium Nicomedienſem, qui etiam in Sancti Athanaſii cauſa Julium Pontificem Judicem elegerat, & cujus poſtmodùm in conventiculo Philippopolitano factio ab ejus Judicio ad Canones provocans ſupremum Sancti Petri Apoſtoli Primatum evertere, & Romanum Epiſcopum in communem Patriarcharum ordinem redigere tentavit. Ab Euſebio ad Acacium, ab Acacio ad Photium hæc iniquitas manavit.

Secundò dixit Metrophanes Sardicenſem adversùs Neophytorum promotiones Canonem omninò adhuc eſſe in Eccleſiarum uſu: Etenim Ambroſii, Nectarii, Euſebii, Thalaſſii, Tharaſii, Nicephori, & aliæ paucæ Neophytorum promotiones, *quæ rarò ſiunt, poſitas leges non ſubvertunt, neque particularia univerſalibus & generalibus dominantur, & maximè cum plurima eſſe differentia reperiatur, in Photio & præcedentibus, qui ex Laico provecti ſunt.* Omnes enim præcedentes, quòd legitimè electi eſſent, ex cauſis præviè diſpenſavit, aut jam promotos toleravit, laica autem violentia in vivi Ignatii ſedem intruſum Photium conſtantiſſimè ſemper abjecit Eccleſia Romana. Idque ex Zachariæ Chalcedonenſis commentario in adductum Canonem Sardicenſem: *Conſecrantes Canon cautes reddit.* Cautum reddit etiam confirmantem, ideòque Photii conſecrationem confirmare meritò noluit Pontifex Nicolaus.

Tertiò exempla, quibus Romanam Eccleſiam in ſuo de perſonis judicio erraſſe, ideòque ipſum ab aliis Eccleſiis refutari poſſe Zacharias oſtendere tentarat, adgreditus Metrophanes, & dicit: *Falſum eſt, & procul à veritate.* Antè omnia reſpondet ad exemplum Marcelli Metropolitæ Ancyrani. *Marcellum anathematizantem omnem hæreſin, & eam maximè quam habere dicebatur, juſtè ac regularitèr Julius Papa Romanus & Sardicenſis Synodus recepit. Similiter enim eum facientem & Athanaſius Magnus, & Paulus Confeſſor, turres & columnæ Orthodoxæ fidei, & acceptaverunt & Comminiſtrum habuerunt: Noviſſimè autem ad proprium vomitum reverſum, & deprehenſum hæreticum hi, qui circa Sylvanum erant, anathematizaverunt, quibus & Liberius per litteras ſuas, qui poſt Julium fuit, concordat, dicens:* MARCELLUM DENUO IMPIE DOGMATIZANTEM. *Hoc autem non eſt reprobatio judicii Julii vel Sardicenſis Synodi, ob factam Marcelli mentis mutationem.* Marcelli cauſam diſcuſſi abundè ſuperiùs ad Synodum Sardicenſem. Laudatus à Metrophane Paulus Confeſſor videtur eſſe Sanctus Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, à Philippopolitano Euſebianæ factionis conventiculo damnatus, poſtmodùm ab eiſdem Euſebianis ſuffocatus in balneo, qui unà cum Marcello & Sancto Athanaſio appellarat ad Julium Pontificem, Romam acceſſerat, ac per laudatum Pontificem fuerat Eccleſiæ ſuæ reſtitutus. Labitur tamen Metrophanes Marcelli damnationem fuiſſe à Liberio Pontifice receptam ac probatam. Etenim Sanctus Baſilius Magnus, Liberio coævus, ac omnes ejus ad Synodum Thyanenſem litteras optimè callens, poſt ejus mortem ſub ſucceſſoris Damaſi Pontificatu ſcribit ad Sanctum Athanaſium de Marcello, deque Romana Eccleſia & omnibus Epiſt. 46.
Latinis: *Marcellum nequaquam reprobare viſi ſunt, & per hoc culpandi veniunt, ut qui ab initio illum per ignorantiam veritatis in Eccleſiaſticam*, id eſt, Epiſcopalem, *etiam Communionem receperint.* Perpetuò uſque ad mortem eſt iſta Baſilius de Romanis & cunctis Occidentalibus conqueſtus. Quocirca Marcelli damnationem priùs poſt Synodum Conſtantinopolitanam recepit Romana Eccleſia, dum recepit ejuſdem Synodi Symbolum, in quo profitemur: *Cujus Regni non erit finis.* Hoc enim inſertum fuiſſe adversùs Marcellum teſtatur disertè, qui Synodo interſuit, in quinta decima Catecheſi Sanctus Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus.

Quartò exponit Metrophanes cauſam Apiarii Presbyteri. *Apiarium, cùm eſſet Presbyter Eccleſiæ Siccenſis, Africanæ Provinciæ*, Mauritaniæ Sitifenſis, *propter aliquam cauſam ſegregavit proprius Epiſcopus Urbanus, poſteà verò depoſuit omnimodis Synodus, quæ ibidem collecta eſt; Zozimus autem Papa recurrentem ad ſeſe, & ſemet inſontem exhibentem juſtificavit, & ad Africanam Synodum mittens cum litteris, ut iterum ſuſciperetur egit.* Oſtendit eum ab Africanis Epiſcopis fuiſſe omninò receptum, ac Zozymi mandatis obeditum, & pergit: *invenitur igitur Africana Synodus paruiſſe potiùs Judicio Zozymi Romani Papæ, ac per hoc propriam reprobaſſe ſententiam, & juſtificaſſe Apiarium, non reſtitiſſe vota Romanorum Pontificum.* Apiarius Romam appellans egerat contra vetuſtiſſimam Eccleſiæ Africanæ conſuetudinem, cauſamque dedit multæ inter hanc & Romanam ſedem contentionis. Africanæ Eccleſiæ Clerus inferior Romam appellare non poterat: Primus id attentavit Apiarius. Hinc omnis illa cum Zozymo Pontifice & ejus ſucceſſoribus longa & dura de Romana appellatione lis, per ſextam Carthaginenſem Synodum memorata, per Bonifacium ſecundum Pontificem & Juſtinianum Auguſtum tandem exſtincta, ac per Marcum Antonium de Dominis ad Romanum Primatum arietandum imperitè aut nequiter adſumpta. Etenim etiamnùm hodie ex Adriani quarti Pontificis per Innocentium tertium roborato indulto inferior Siciliæ Clerus Romam appellare non poteſt, & tamen non dubitat de Primatu Romano. Et quidem Zozymi de Apiario gratioſum judicium

quaſi *per interim* citra ſuæ conſuetudinis, alibi latiùs diſcutiendæ, injuriam recepit Africana Eccleſia, atque ita hocce exemplum adjuvare non potuit Zachariam Chalcedonenſem.

Quintò etiam Flaviani Patriarchæ Antiocheni quæſtiones elucidat Metrophanes. *Flavianum recipere recuſabat Romana Eccleſia, propter magni Euſtatii dilectionem Paulinum ſtabilientes, qui Princeps erat eorum, qui propter Euſtatium reſiſtebant, & disjungebantur, non tamen & uſque in finem hanc habuerunt mentem. Piiſſimo enim Imperatore Theodoſio mediante acceptum reddiderunt eum, & Patriarcham habuerunt Antiochiæ, ita ut in hoc mendaciter loquens apparueris.* Sanctum Euſtatium, ab ipſa Nicæna Synodo promotum, factio Euſebiana dejecit, atque ita germanè Orthodoxa Cleri & populi Antiocheni pars, intruſis Arianis Epiſcopis communicare nolens, ſeorſim conventus egit duce Paulino Presbytero, cui tanden Romana Sedes Patriarchatum detulit, atque ita Eccleſia illa in duos aut tres Patriarchas diviſa longo ſchiſmate laboravit. Flavianus, licèt inſignitèr orthodoxus, non tamen Sancto Euſtatio, ſed poſt Sanctum Meletium Euſebianis, & quidem cum fœdo perjurio, omninò ſucceſſerat, ideòque illum Romana Sedes dudùm meritò refutavit. Mali finem edicit Socrates: *Theophilus*
L. 5. c. 15. *Alexandriæ Epiſcopus, odio in Flavianum reſtincto, Iſidorum Presbyterum miſit, ut Damaſi* Romani Pontificis *animum in Flavianum exulceratum mitigaret, doceretque ex uſu Eccleſiæ eſſe, ſi propter populi concordiam peccatum à Flaviano commiſſum remitteret. Quocircà communione Flaviano ad hunc modum reddita, populus Antiochenus pedetentim ad concordiam reducitur.* Socrates à Damaſo, Metrophanes errat id factum ad preces Theodoſii Auguſti ſenioris: Sub Innocentio primo Ponti-
L. 8. c. 23. fice & Arcadio Auguſto fuiſſe factum docent litteræ Sancti Ambroſii, laudata per ipſas Capoana Synodus, ac in Eccleſiaſtica hiſtoria Theodoretus. Liquet interim Flavianum ſine Romani Pontificis confirmatione non potuiſſe eſſe Patriarcham, atque ita hoc exemplo non adjuvabatur Photius, ſed penitùs evertebatur.

Quintò perrexit Metrophanes de Petro Mogo Alexandrino & Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano: *Dicere Petrum Mogum depoſitum eſſe, quin etiam & Acacium, nequaquam verò depoſitos eos, qui ab utroque manus impoſitionem acceperant, nihil confert ad veſtram vel Photii juſtificationem, eò quod aliter Eccleſiaſticæ leges eos, qui ex hæreſibus redeunt, Epiſcopos judicant, & aliter eos, qui à mœchis, & ſine Canone promoventur.* Illuſtrat in marginali ſcholio ad litteras Adriani ſecundi, in fine Synodi exſtantes, Anaſtaſius Bibliothecarius: *Quæritur, cur Sedes Apoſtolica eos, qui à Photio damnato in diverſis Eccleſiæ gradibus conſtituti ſunt, ſine recuperatione depoſuerit, cùm ab Ebbone* Remenſium Archi-Epiſcopo nuper damnato *ſacratos, & poſt adſtantibus Epiſcopis depoſitos inſtaurari decreverit. Sed ſciendum eſt, quia Photius tamquam Neophytus & adulter, qui ſcilicèt Eccleſiam viventis invaſerat, nunquam fuiſſe Epiſcopus dictus & promulgatus eſt. Sed nec ii, qui ab illo manus impoſitionem acceperant, comparati videlicet Maximo Cynico, & ordinatis ab eo, à ſecunda Synodo cum ordinatis repulſi. Ebbo autem, licèt poſteà ſit depoſitus, quandoque tamen Epiſcopus fuit, quemadmodum & Acacius, de cujus Ordinatione ſcribit Papa Anaſtaſius, ut ſcilicet quos poſt damnationem ordinavit Acacius, nulla portio læſionis attingeret. Denique ſi pater meus adulter eſt, & ego ex adulterio naſcor, profectò ut non legitimus ex hæreditate repellor, quod tamen non paterer, etiamſi pater meus probaretur veraciter homicida.* Intruſus Epiſcopus irritam habet Ordinationem, neque reputatur Epiſcopus, ſed laicus, ideòque & omnis per ipſum data manus impoſitio vana judicatur & irrita, tamquam per laicum attentata: Hinc uti Maximum Cynicum & Photium, ità & omnes eorum ordinatos ſecunda & hæc noſtra octava Synodus ſine reparationis ſpe ad laicos abjecerunt. At verò Ebbo Remenſis & Acacius Conſtantinopolitanus, licèt criminoſi & ob crimina degradati, legitimæ tamen promotionis ac originis fuerant Epiſcopi, ideòque datæ per ipſos Ordinationes à pia matre Romana Eccleſia poterant diſpenſatoriè purgari. Errat tamen Joannes Morinus datos per Photium Ordines à Romana Eccleſia fuiſſe exſufflatos ac repetitos: Eos namque quoad ſolam executionem, non quoad ſubſtantiam irritos eadem Eccleſia judicavit. Et non ſolùm Photianos plures, ſed & ipſum Photium in ſuis poſteà gradibus recepit Joannes octavus Pontifex; quòd ullum reordinari juſſerit, nullo teſtimonio aut argumento poſſit oſtendi. Longè fœdiùs erravit Zacharias Chalcedonenſis Euſemium & Macedonium Conſtantinopolitanos Epiſcopos, damnatæ Anteceſſoris ſui Acacii memoriæ & nomini communicantes, exindè non fuiſſe maculatos: Longè aliter docent Gelaſii, Anaſtaſii ſecundi, Symmachi, & Hormiſdæ Pontificum Acta adversùs ſchiſma Acacianum.

Quæſtio eſt, Quomodò Metrophanes Acacio æquiparet Petrum Mogum, quem conſtat fuiſſe intruſum, & Joanni Thalaiæ legitimo Alexandrinorum Patriarchæ per laicas & violentas Zenonis Auguſti juſſiones ſuperordinatum? Quomodò ejus Ordinationes Romana Eccleſia ſuſcepit? Reſpondeo Metrophanem fuiſſe memoria lapſum. Romana porrò Eccleſia reparandæ pacis neceſſitate Petri Mogi Ordinationes admiſit: Nam & anteà per Sanctum Leonem Magnum ad Marciani Auguſti & Auguſtæ Pulcheriæ preces ſuſceperat non tantummodò Ordinationes, ſed & perſonam Anatolii Conſtantinopolitani Epiſcopi, per Dioſcorum ac ejus Epheſinum latrocinium intruſi, & Sancto Flaviano iniquiſſimè ſuperordinati. Dirum malorum calamitas quandoque adigit ad Canones diſpenſatoriè ità vulnerandos. Et ejuſmodi exemplis poſt Sancti Ignatii mortem inflexus Joannes octavus Pontifex etiam Photii Ordinationes purgavit, & perſonam reddidit ſedi Patriarchali. Porrò Petrus Mogus ab uno duntaxàt Epiſcopo fuerat ordinatus Epiſcopus, atque ità ejus Ordinationes ſuſcipiens Romana Eccleſia ſenſit ab uno factam Epiſcopalem conſecrationem omninò tenere. Nam & omnes Epiſcopos Evagrianos, id eſt, ab Evagrio

grio Patriarcha Antiocheno per ſolum Anteceſſorem Paulinum creato conſecratos, admiſerat non ità pridem Pontifex Innocentius primus.

Adversùs Meirophanem replicare parabat Zacharias Chalcedonenſis, verùm Legati Romani interceſſerunt, ad Baſilium Auguſtum interlocuti: *Ecce multoties audivimus contradictiones, & verborum pugnas eorum, quæ nihil illis proſunt, eò quod diſſonantes ſint à recta ratione, ac ſynodicis & regularibus diſpoſitionibus*. Et ad contumaces Pſeudo-Epiſcopos: *Sinite excuſare excuſationes in peccatis, & in verba malitiæ declinare, atque in vanum laborare, & procedite ſanctæ huic Synodo, & ſalvamini ab anathematis condemnatione*. Eos ad reſipiſcendum ſunt ſeriò hortati. Qund ipſum per lectum à Conſtantino Secretario Epanagnoſticon ſermonem fecit Baſilius Auguſtus, offerens pro ipſis procidere, calcari omnium pedibus, in ſacco & cinere palàm volutari.

ACTIO VII.

IN ſeptimam Actionem, factam quartò Calendas Novembres, rursùm ex Baſilii Auguſti mandato, & Romanorum Legatorum permiſſu *eſt introductus Photius, baculo innixus, & cum eo Gregorius Syracuſanus*. Verùm adversùs baculum Marinus Romanæ Eccleſiæ Diaconus ac Legatus interceſſit: *Tollite baculum de manu ejus, ſignum eſt enim dignitatis paſtoralis, quod hic habere nullatenùs debet, quia lupus eſt, & non Paſtor*. Baculus iſte non ſenectutis fulcrum erat, ſed Epiſcopale pedum. Pedum iſtud in ſolennibus actubus ſibi præferre aut præferendum curare eſt antiquus mos Patriarcharum Conſtantinopolitanorum. Hinc etiam Joſephus Patriarcha Ferrariæ ad Eugenium quartum Pontificem ingreſſurus Patriarchale pedum, quod elevatum famulus ante ejus equum uſque ad Papale palatium portarat, ſumpſit in manus; verùm à Papa regreſſus occultari juſſit in thecam geſtatoriam: Quod nempe iſto honoris inſigni extra proprium Patriarchatum non poſſet uti. Rem latè in Synndi Florentinæ
L. 4. c. 24. hiſtoria deſcribit Sylveſter Sguropulus. Græcorum pedum eſt Latinorum Epiſcoporum pedo longè brevius: Etenim incedens Epiſcopus ipſi innititur ut ſcipioni. Eſt planè rectum, ac ejus ſummitas in utramque partem incurvatur, quaſi in adverſas facies invicem adſpicientium ſerpentum. Eſt virga argentea, deaurata, arte & pulchritudine notabilis. Etiam de Sancto Thoma Cantuarienſi Archi-Epiſcopo, pro Eccleſiaſtica libertate adversùs Regem ſuum Henricum ſecundum certaturo, ſcribit Guilielmus Neubrigenſis: *Curiam ingreſſus eſt crucem argenteam ante ſe portari ſolitam manu propria bajulans, volentibuſque quibuſdam Epiſcoporum, qui aderant, miniſterium portandæ ante Metropolitam proprium crucis ſuſcipere abnuit, nec alium in illo conventu publico crucis bajulum, quantumcumque rogatus, admiſit*.

Baculo igitur Photius fuit omninò ſpoliatus.

Et illum alloquio ſuo dedignati Legati Apoſtolici dixere ad Bahanem Patritium: *In præcedenti Actione venit ad nos vir iſte forenſis & curialis Photius, & admonuimus illum per Apoſtolicam auctoritatem ad revertendum in Eccleſiam per libelli expoſitionem, ut recipiamus eum in communionem ſæcularis. Interrogate illum, ſi fortè intelligit bonum & conveniens ſibi, ſi vult facere libellum*. Verùm in nequitia ille obduratus Patritio repoſuit: *Omnes Imperatorem noſtrum ſanctum cuſtodiant in multos annos*. Et Gregorius Syracuſanus: *Et nos ſimiliter oramus Imperatori noſtro ſancto, Vicariis autem rationem non præbemus*. Et rursùm Photius: *Si audiſſent* Legati Romani *quæ diximus audiùs tertiùs, non utique hanc interrogationem prætendiſſent: ſi verò definitionem ſuam poſuerint in pœnitentia, hanc per opera ſua demonſtrent*. Et Gregorius Syracuſanus: *Ipſi pœniteatiam agant, ſuper quibus deliquerunt*. Nec aliud ab ipſo potuit extorqueri.

Poſt hæc ingreſſi ſunt Epiſcopi Photii, à Photio conſecrati, de quibus Legati Apoſtolici ad Bahanem: *In præcedenti Actione admonuimus eos, ut faciant libelli ſatisfactionem, & recipiamus eos in* laicam *communionem tamquam ſæculares, & non declinent in contrariam viam, ſicut magiſter illorum. Interrogate ergo illos ſingulatim, utrùm faciat quis ex ipſis libellum. Aliud nolumus ex ipſis audire. Etenim & ſanctiſſimi Orientales Vicarii atque nos eadem dicimus*. Ab ipſis fieri voluerunt, non ſimplicem orthodoxæ fidei, ſed Romanum libellum, expreſſimque Photium & Gregorium Syracuſanum anathematizari. Reſpondit verò Joannes Heracleæ Epiſcopus, Europæ Metropolita, à Photio conſecratus: *Nos iis, quæ contra rationem facta, vel acta, vel agenda ſunt, parere neque diſpoſuimus neque volumus, & ſuper quibus nos exigitis, quoniam novimus ea, quæ facta ſunt, ſecundùm nullum modum ſuſcipimus*. Et in Pauli Carthophylacis locum ſuffectus Euſchemon Cæſareenſis in Cappadocia Archi-Epiſcopus: *Ego iis, quæ per rationem non ſunt acta, & qui non ſectantur Canones Sanctorum Apoſtolorum & ſanctarum ac univerſalium Synodorum, non tantùm ſi Romanus vel Hieroſolymitanus ſit, ſed etſi Angelus de cœlo veniat, & non conveniat ſano verbo, neque pareo neque ſequor*. A manifeſtis ac perduellibus Canonum prævaricatoribus ſperni quatuor Patriarchalium ſedium unanimem ſententiam, & adſiduè ad Canones appellari indignatus eſt Baſilius Auguſtus, ac per Bahanem Patritium ad illos locutus: *Dicite, quis Canon vos adjuvet. Et ubi poſuerit Dominus Canones, in Eccleſiis ſuis, an in aliquo alto loco? Et ubi Eccleſiæ ſint hodie, & ubi prædicetur Evangelium? Eſt alius locus, præter quem tenent ſanctiſſimi Vicarii?* Ad Cannnes eadem temeritate provocanti factioni Acacianæ ità etiam reſpondit Sanctus Pontifex Gelaſius: *Viderint, ſi alios ha-* Epiſt. 4.
bent Canones, quibus ineptias ſuas exequantur. Veri enim Canones ſunt, qui à quinque Patriarchalibus ſedibus probantur, & ſecundùm illos Photium & factionem ejus Romana Eccleſia omninò judicarai.

At vide Schiſmaticorum impudentiam. Baſilio Auguſto in faciem dixere: *Deus cuſtodiat ſanctiſſimum imperium veſtrum, verbum petivimus im-*

punitatis, ut diceremus negotia noſtra cum fiducia, & non accepimus. Qualiter ergo habemus loqui? Tranquillus Princeps repoſuit: *Deus ideò audivit deprecationem meam, & adduxit hos ſanctos viros ex omnibus partibus mundi, ne quid ſecundùm faciem fiat, ſed ex æquo ponatur judicium juſtiſſimum. Dicitis uti accipiatis verbum ſecuritatis, & quando quis à me triſtatus vel læſus fuerit, volo ut dicatis. Idcircò ſunt hic ſanctiſſimi Vicarii omnium ſedium, ut quidquid habetis in juſtificationem veſtram, loquamini.* Et Patritius Bahanes: *Propter Imperatorem noſtrum ſanctum nihil prohibemini, jubet enim, & vult, & acquieſcit ut loquamini, ſed videntes Judices convicia veſtra nec audire vos volunt.* Completa erat ipſorum iniquitas, ideòque reſponderunt: *Nos Judices eos non ſuſcipimus.* Bahanes rogavit cauſam: *Rejicit regula Patriarchia, & irrationabiliter judicant?* Rogavit duo. Primò, An Romanæ ſedis, præſertim dum aliæ Patriarchales ipſi adſiſterent, judicium poſſet recuſari? Secundò, An omnes iſtæ ſedes erraſſent in Photii cauſa, & etiam nunc irrationabiliter & contra Canones judicarent? Amphilochius Pſeudo-Epiſcopus Cyzicenus Helleſponti Metropolita, reſpondit ad ſolum ſecundum: *Irrationabiliſſimè.* Papatum Roma Conſtantipolim in Photii caput migraſſe, ideòque illum à ſolo Deo judicari poſſe cenſebat omninò idem Amphilochius, verùm nænias iſtas coram Principe non fuit auſus effutire. Perrexit Bahanes de ſedium Patriarchalium Legatis: *Extra ſenſum regulæ & Patriarcharum ſuorum judicant?* Et Epiſcopi Photiani: *Extra.* Quare in contumaces aliud neſciens Patritius concluſit: *Ite ad Patriarchia, & certificamini.* Ita olim Macarium Patriarcham Antiochenum, ſextæ Synodo acquieſcere nolentem, Romam ad Agathonem Papam miſit Imperator Conſtantinus Pogonatus. Et adversùm ſimiles in Synodo Chalcedonenſi clamaverunt Epiſcopi Illyricia- Act. 8. ni: *Qui contradicunt, Romam ambulent.* Patriarchalium Legatorum fidem & rectum juxta Patriarcharum ſuorum mandata proceſſum multis ſuaſit, at perſuadere non potuit Baſilius Auguſtus, ideòque Bahanis interlocutionem probavit & dixit: *Ne dicatis, Fratres, quod velim vos mittere illuc, ut pereat quis veſtrum, teſtis eſt Deus, quoniam quem miſero illò, in conſpectu totius Senatus & ſanctæ Synodi dico, iterùm reducam eum huc.* Verùm ad Ruffinum Eccleſiæ Aquilejenſis Preſbyterum, Romam ab Anaſtaſio primo Pontifice l. 3. c. 6. evocatum, ſcribit Sanctus Hieronymus: *Tantùm Romanæ urbis judicium fugis, ut magis obſidionem Barbaricam quàm pacatæ urbis velis ſententiam ſuſtinere.* Ex eodem timore Photianæ conſecrationis Epiſcopi reſponderunt: *Hic examinentur negotia.* Quare tanta contumacia laſſati Apoſtolici Vicarii per Stephanum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconum ac Notarium legi curarunt Sancti Pontificis Nicolai ad Diœceſeos Conſtantinopolitanæ Epiſcopos & Clericos de hac cauſa litteras, nec non & ſuprà expoſitam Adriani ſecundi Romanam Synodum, eam multis encomiis Sanctus Ignatius & Orientales Legati ſunt proſecuti, atque tum laudatus Stephanus in Photium & factionem ejus ex ambone pronunciavit hunc Synodalem anathematiſmum: *Photio ſæculari & forenſi anathema, Photio tyranno & neophyto anathema, Photio ſchiſmatico & damnato anathema, Photio mœcho & Parricidæ anathema, Fabricatori mendaciorum anathema, Inventori perverſorum dogmatum anathema, Photio novo Maximo Cynico anathema, novo Dioſcoro anathema, novo Judæ anathema, omnibus ſequentibus & fautoribus ejus anathema, Gregorio dudùm Epiſcopo Syracuſano anathema, Eulampio depoſito & Schiſmatico anathema.* De Petro Sardenſi Epiſcopo, Lydiæ Metropolita, nulla fit mentio, quod mare Adriaticum jam pridem de illo judicaſſet.

ACTIO VIII.

AD Actionem octavam, factam nonis Novembribus, loqui cœpit de imaginariæ Synodi exemplaribus, ac de exactis per Photium in ſcripto juramentis ac profeſſionibus Baſilius Auguſtus per Bahanem Patricium: *Propter multam verſutiam ac malitiam præcedentibus temporibus ſubſcripſit Sacerdotium, & Senatus, & tota civitas in cauſis injuſtis, quas noluerunt.* Coacti enim fuerant à Michaele Auguſto. *Hodie autem vult Divinitus gubernatum imperium noſtrum, intuens in miſericordiam Dei benigniſſimi & compatientiſſimi, manibus veſtris eas incendi, & ſperat in miſerationem ejus & in ſanctas orationes veſtras, quòd ignoſcatur omni homini ignorantia hæc, tam à ſancta Eccleſia Catholica, quàm à ſacro Senatu, & tota civitate noſtra, ſimul & cæteris regionibus. Quid ergò videtur ſanctitati veſtræ? Placet hoc Deo & vobis?* Placuit toti Synodo. Quare *jubente Baſilio Chriſti amico & magno Imperatore, poſitum eſt in medio Synodi vas Æneum, ad id aptum, plenum igne, & delati ſunt in marſupio à Theophylacto, reverendiſſimo Diacono & Referendario, omnes tomi chyrographorum, qui exacti ſunt à Photio, ab omni ſacrato Catalogo & ordine Clericorum, tam magnæ Eccleſiæ, quàm earum, quæ foris ſunt, quamque etiam à magnis & parvis, & omnibus Senatoriæ dignitatis, & multis aliis, tam illuſtribus quàm ignobilibus, atque iis qui in omni arte & diſciplina, & diverſo ſtudio eſſe videbantur, uſque ad pellarios & piſces vendentes, & lignarios, & acus facientes. Inſuper & libri, qui fictè conſcripti ſunt contra Beatiſſimum Nicolaum Papam, & geſtorum relationes ac Synodi, quæ contra Sacratiſſimum Patriarcham Ignatium factæ ſunt à Photio. Et accipiens Georgius reverendiſſimus Orphanotrophus ſingulos libellos & tomos tribuit hominibus utrorumque Sanctiſſimorum Vicariorum, qui miſerunt omnia in ignem, & cremata ſunt, & redacta in nihilum.* Profeſſionum iſtarum chyrographa exuri voluerunt Legati ad evertendum errorem de obligatione juramenti Herodiani, in quod etiam ſtatuit ſecunda Sancti Baſilii Magni ad Sanctum Amphilochium cano- Cap. 29. nica Epiſtola: Adeò olim ille error eſt apud Græcos graſſatus. Quis porrò ſit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Referendarius, exponit Anaſtaſii

ſcholion

ſcholion marginale: *Patriarcha Conſtantinopolitanus Referendarium quempiam ſemper habet, qui Imperatori omnem ejus denunciat voluntatem, qui aditum in Palatio ſemper habet ad referendum Imperatori quæcumque ſunt Patriarchæ & Eccleſiæ neceſſaria, per quem etiam Imperator, quòd placet, Patriarchæ tranſmittit.* Conſonat antiqua notitia officiorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: *Referendarius ad Principes, viroſque magnos ad Epiſcopi Secreta quædam indicanda, & quidquid libuerit, mittitur,*

Exindè falſos Vicarios, qui imaginariæ in Sanctum Pontificem Nicolaum Synodo tamquam Patriarchales Legati ſubſcripſerant, inquiri voluit Baſilius Auguſtus. Et ante omnes accuſatus fuit neſcio quis Petrus monachus, Roma huc adductus: Videtur fuiſſe ille Nicolao Pontifici rebellis, & Conſtantinopolim ad Photium cum quibuſdam aliis fugitivus Apoſtata, quos ſibi caſtigandos remitti ſuprà à Baſilio Auguſto poſtulavit Pontifex Adrianus ſecundus. Ad Petrum iſtum dixit Patricius Bahanes: *Hæc jubet ſanctus Imperator noſter, & tota ſancta Synodus interrogari te, Quis es, & undè venis, & quid dicis, & quod eſt opus tuum quod egiſti? Inventus es in concilio, quod fecit Photius contra Beatiſſimum Papam Nicolaum, aut dediſti libellum contra eum?* Reſpondit verò monachus: *Neque præſens illic inventus ſum, neque hanc conſcriptionem novi. Etenim nunquid ego ſolus ſum Petrus in hanc urbem à Roma adſcendens? Alii dena millia adſcenderunt Petri. Verùmtamen legatur iſte libellus meus, quem defero, & hic manifeſta faciet, quæ mea ſunt.* Libellus continebat tria. Primò proteſtabatur ſeſe ab omni imaginariæ Synodi cooperatione & conſcientia innoxium. Secundò habebat hæc verba: *Imperialibus auditibus moleſtiam non intuli.* Hoc eſt, apud Michaelem Auguſtum non accuſavi Sanctum Pontificem Nicolaum, nec in ipſum poſtulavi fieri Synodum: Conſueta enim nequitia uſi Photius & Michael Auguſtus videri noluerunt ſua ſponte, ſed ad accuſantium preces imaginariam Synodum in optimum Pontificem concinnaſſe. Hìnc & fictos Synodi petitores ſubornarunt. Et huc etiam reſpiciunt verba Patricii Bahanis; *Aut non dediſti libellum contra eum?* Tertiò petebat apoſtaſiæ & aliorum criminum veniam, gratioſamque & à pœnis immunem licentiam ad ſanctorum Apoſtolorum limina remeandi. Libellus Synodo placuit, eſtque monachus à criminis ſuſpicione abſolutus.

Hæc ejus verba, *Alii dena millia Petri Romæ adſcenderunt*, exponit in hiſtoria Eccleſiaſtica
L. 5. c. 10. Euſebius Epiſcopus Cæſareenſis: *Petri & Pauli nomina fidelium liberi crebrò ferunt.* Qui mos præſertim viguit in Eccleſia Romana. Addit Euſebius etiam Sancti Joannis Apoſtoli nomen fuiſſe fidelibus frequentiſſimum. Etenim in Baptiſmo profanum nomen in ſanctum mutare eſt vetuſtiſſima Eccleſiarum diſciplina. Rem inſignem refert in Sigeberti Gemblacenſis ſupplemento Robertus
A. 1173. Abbas Montenſis: *Henricus Rex junior*, Henrici ſecundi Anglorum Regis filius, *ad* Domini *Natalem fuit in Bur propè Bajoc. Et quia tunc primùm tenebat curiam in Normannia, voluit ut magnificè feſtivitas celebraretur. Interfuerunt Epiſcopi, Abbates, Comites, Barones: Et multa multis largitus eſt. Et ut appareat multitudo eorum, qui interfuerunt, cùm VVilhelmus de Sancto Joanne Normanniæ Procurator, & VVilhelmus filius Hamonis Seneſcallus Britanniæ comederent in quadam camera, prohibuerunt ne quis miles comederet in eadem camera, qui non vocaretur VVilhelmus. Et ejectis aliis de camera, remanſerunt centum & decem milites*, hoc eſt, nobiles equites, *qui omnes vocabantur VVilhelmus, exceptis plurimis aliis ejuſdem nominis, qui comederunt in aula cum Rege.* Guilhelmum Regni conqueſtorem placare ſatagentes ſubacti Angli adſumpſerant paſſim ejus nomen.

Etiam quidam Baſilius Tripolitanus, & quidam Leontius mercator Alexandrinus venere in ſuſpicionem ficti Patriarchalis Vicariatus: Et aucta eſt ſuſpicio, quod illi figmentum iſtud nollent palàm anathematizare. Hìnc ad ipſos Senatus: *Quoniam non vultis anathematizare, apparet quia comparticipes ejus eſtis, ut aut anathematizemini & ipſi, aut tradamini legibus.* Et Legati Romani: *Quoniam non patiuntur anathematizare, qui fecit malum hoc, Photium, tradantur nobis, & deſcendant nobiſcum Romam.* Hìnc ambo territi mox dixere: *Anathema ei, qui dedit libellum contra Papam Nicolaum.* Libellum Synodi imaginariæ petitorem. Exindè Legati Romani rogavere Principem, ut legeretur Canon Sancti Martini Pontificis, damnans quemvis fictum & ſcenicum Vicarium. Fuit lectus & innovatus.

Hoc item loco *interrogati ſunt Metropolitæ, qui ſubſcripti erant in* imaginariæ Synodi *libro, de propriis ſubſcriptionibus, quæ erant in libro, veſtræ ſunt hæ ſubſcriptiones? Et dixerunt omnes:* ABSIT. Excepto tamen Theodoro Stauropolitano Epiſcopo, Cariæ Metropolita. Subſcripſiſſe fuit convictus aut confeſſus; Hìnc ad laicos abjectus Synodo deinceps non interfuit. Honoris cauſa hæc ſubtexuit ſynodalium Actorum Digeſtor: Quod vir magnorum meritorum eſſet Theodorus, quod Regia vi compulſus deliquiſſet, & quod cum Baſilio Auguſto Patriarcha Ignatius diſponeret Adriano Pontifici pro ipſo ſupplicare.

Exindè introductus eſt Theodorus Crithinus, Iconoclaſtiæ in Regia civitate reſuſcitator & Doctor, qui ab Apoſtolicis & Orientalibus Legatis ad reſipiſcendum ſeriò ſuaſus perſuaderi non potuit, ſed nec verbum voluit reſpondere. Hìnc ei Patricius Bahanes dedit Principis effigie inſignitum numiſma, & dixit; *Imperator noſter ſanctus mandat ad te monens, Suſcipis numiſma characteris mei?* Et Theodorus; *Indignus ſum, ſed ſuſcipio illud ſuper millia auri & argenti.* Perrexit Bahanes: *Imperator noſter ſanctus admonens dicit ad te, Honoras numiſma exarationis meæ?* Et Theodorus: *Secundùm quod oportet honorari numiſma Regium, honoro.* Rurſùm Bahanes: *Jubet Imperator, Inhonoras illud?* Et Theodorus: *Ut quid? Non inhonoro illud.* Hìnc Bahanes concluſit: *Jubet Imperator noſter ſanctus dicere tibi, Si imaginem meam, id eſt, mortalis Regis non vis inhonorare, ſed honorabiliter ſuſcepiſti à manu mea, quomodò Dei virilem imaginem Domini noſtri Jeſu*

Chriſti,

Chriſti , & ſanctiſſimæ Matris ejus , quæ propriè & veraciter eſt Dei genitrix , & omnium Saactorum dicis inhonorare ? Dic nobis , Inhonoras has , an honoras ? Repoſuit pertinax Iconoclaſta : *Si oſtenſum fuerit , quod ſit hoc Chriſti præceptum , faciam quidquid juſſeris .* Et Bahanes : *Imperator noſter ſanctus non adduxit vos ad hanc ſanctam & univerſalem Synodum ad diſputandum , ſed ad commonendum .* Juxtà præceptum Apoſtoli , mandantis hæreticum corripi , nequaquam ad diſputandum, præſertim de dogmate per Eccleſiam jam definito, admitti . Extra Synodi conſeſſum à Bahane Patricio & Leone Procooſule diſcuſſus fuerat Theodorus , ideò ad relatas ejus voces dixere Legsti Romani , & Vicarii Orientales : *Legatur ſanctiſſimi Papæ Nicolai capitulum de imaginibus .* Lectum eſt , & ab omnibus probatum . Et ipſum , & Bahanes Patricius , & Syoodi noſtræ Terminus ſeu Decretum laudant ſolas Chriſti Domini , Deiparæ Virginis , & aliorum Sanctorum ſscras imagines : Dei Patris imagines Eccleſia tunc needum norat . Cum Theodoro Crithino , *Si oſtenſum fuerit , quod hoc ſit Chriſti præceptum* , loquuntur hodie Calviniſtæ : At peſſimè . Fatemur & nos ſacrss imagioes noo eſſe Chriſti præceptum : Eſſe dicimos utiles , à Chriſto Domino & Sanctis Apoſtolis probatas , ideòque retinendas , & non latris , ſed ſola ſalutatione honorandas .

Ad Romanos ac Orientsles Legatos eſt tum Baſilius Aoguſtus interlocutus : *Sunt hic & alii quidam Crithino concordantes , intrent , ſi videtur Sanctitati veſtræ , in medium Synodi , & interrogentur , ſi fortè velint pœaitere , & profiteri orthodoxam fidem .* Et intromiſſi ſunt Nicetas Clericus , Theophilus ſæcularis , & Theophsnes tabellio , ad quos Romani Legati : *Anathematizatis Iconomachorum hæreſin ? Profitemini ſanctæ catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ orthodoxam fidem , quæ tradita eſt ia orbis terrarum finibus à Chriſto , & Apoſtolis , & omnibus ſanctiſſimis Doctoribus Eccleſiæ !* Reſponderunt illi : *Decepti ſumus anteà malitioſis ſermonibus impiorum hominum , & malè ſapiebamus ; nunc autem ſanctæ hujus & univerſalis Synodi concordiam & conſpirationem videates parvipendimus Iconomachorum hæreſin , & anathematizamus omnem , qui non adorat ſanctas & venerabiles imagines .* Addont Acta ſynodalia . *Et ſurgeas unuſquiſque ſingulatim ſuper tribunal excelſum anathematizavit hæreſin Iconomachorum , & primores ejus Patriarchas , Theodorum videlicet , Antonium , Joannem , & Theodorum Crithinum . Deindè advocans Baſilius Imperator unumquemque ipſorum oſculatus eſt , & dixit : Nunc erepti eſtis à diabolica poſſeſſione , & facti Chriſtiani veriſſimi , & ſalvandi eſtis cum omnibus orthodoxis à Chriſto Deo noſtro , & vita æterna efficimiai digni . Nam niſi hæreſin Iconomachorum anathematizaſſetis , nihil vobis Chriſtus prodeſſet .*

Actionem concluſit Stephanus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Notarius , ex ambone pronuncians anathema ſibi traditum à Legatis Romanis : *Omaibus hæreticis anathema . Concilio , quod adhuc fremit contra veaerabiles imagines , anathema . Eis , qui recipit impias hæreſes ipſorum ratiunculas , anathema . Eis , qui ſumunt Divinæ Scripturæ dicta , quæ ſunt adverſùs idola , contra venerandas imagines , anathema . Eis , qui non amplectuntur ſanctas & veneraadas imagines , anathema . Eis , qui ſacras iconas vocant idola , anathema . Eis , qui dicunt , quia ut ad Deos Chriſtiani ad imagines acceſſerunt , anathema . Eis , qui illis communicant ſcienter , anathema . Eis , qui conviciantur & inhonorant venerabiles iconas , anathema . Eis , qui dicunt , quod præter Chriſtum Dominum noſtrum alius quiſquam nos liberavit ab idolis , anathema . Eis , qui audeat dicere Catholicam Eccleſiam idola aliquando ſuſcepiſſe , anathema . Anaſtaſio , Conſtaatino , & Nicetæ , qui ſub Iſauricis* Imperaroribus fuere Patriarchæ Conſtantinopolitani , & Iconoclaſtarum *hæreſibus præfuerunt , ut In-Epiſcopis iaſacratis anathema . Theodoro , Antonio , & Joanni , qui ſibi invicem malorum omnium exſtiterunt conciliatores , & alter alterius ſibi impietati ſucceſſerunt , anathema . Paulo , qui in Saulum converſus eſt , & Theodoro , qui dicebatur Gaſta , & Stephano Molatæ , & his ſimilibus anathema . Theodoro , qui cùm ſine ratione conſiſtat , loqui ſe rationabiliter fingit , & qui vocatur Crithinus , anathema . Eis , qui adhuc in dubio quidem ſunt ſenſu , inſenſati verò ſunt ambiguitate , & obſeſſi quidem à tenebris impietatis ſuæ ſuſpicantur à quibuſdam conſequi reverſionem , anathema . Laludio , Leoni , & quiſquis hinc ſimiliter ſapit , tam in Epiſcopis & Presbyteris ac monachis , quam in iis , qui quomodocumque attonſi conſiſtunt , anathema .* Theodorus , Antonius , & Joannes ſunt Pſeudo-Epiſcopi Conſtsntioopolitani , qui inter Sanctum Nicephorum & Sanctum Methodium per Iconoclaſtas Imperatores intruſi macularant Eccleſiam Conſtantinopolitsnam . Paulus , Theodorus Gaſta , Stephanus Molata , Laludius & Leo ſunt ſolo ſcelere famoſi nebulones , indigni ut in ipſorum inquirendo geoere bonas horas perdamus . Nicetas , Theophilus ac Theophanes , quod veraci pœnitentia correcti eſſent , admiſſi ſunt in cooſpectum Synodi ; Theodorus Crithious ob contumaciam , uti indignus , excluſus , & foris per laicos examinatus . Et in fide dubium eſſe plenè hæreticum docet te hic anathematiſmus . Confirmat in populari ſermone , exponens Domini verbum ad Sanctum Petrum , *Modicæ fidei quare dubitaſti* , Sanctus Gaudentius Ser. 19.
Epiſcopus Brixienſis : *Hoc in loco illud Adriani conſiderent , quod dubiis in fide Chriſti exitialis quædam ſit parata ſubmerſio , niſi per confeſſionem veram ſupplices ad ejus omnipotentiam convertantur .* Et Capitula ab Adriano primo Pontifice data Angilramno Epiſcopo Metenſi : *Dubius in fide infidelis eſt .* Quod dictum Stephano Papæ adſcribunt Decretalia Gregorii noni . Cap. 4. L. 5. tit. 7. c. 1.

ACTIO IX.

AD Actionem oonam , factam snoo ſequenti , pridie idus Februarias , loqui cœpit Patri-

Patricius Bahanes: *Noſtis, Patres mei ſanctiſſimi, quia in precedentibus Actionibus Eccleſiaſtica diſpoſitio facta eſt à vobis ſanctiſſimis Loci-Servatoribus ſenioris Romæ & Orientalium ſedium, ſecundùm congruentiam & ordinem ſynodicum; nunc verò Patriarchæ Alexandriæ venit Vicarius: Et hoc proculdubio Dei cooperatione & voluntate factam eſt. Quid ergo de cætero videtur Sanctitati veſtræ?* Joſephus monachus, Eccleſiæ Alexandrinæ Archi-Diaconus, & Michaelis Patriarchæ Syncellus ac Legatus advenerat, adeòque Synodo noſtræ adeſſe fecerat omnes quinque Patriarchas. Reſponderunt Legati Romani: *Et nos quidem vidimus eum, & locuti ſumus ei, & per ſermonem ejus ſatisfactionem accepimus. Verùmtamen juxta canonica præcepta legatur commendatitia ejus Epiſtola in audientiam omnium in hac ſancta & univerſali Synodo, & ità connumerentur omnibus nobis Vicariis Patriarchalium ſedium.* Univerſa Synodus adclamavit: *Bonum & juſtum eſt, & ideò cunctis placet, & hoc manifeſtè habetis à conſequentia Eccleſiaſtica & ſynodica.* Quod ergo quivis Patriarcharum ad generalem Synodum Legati Legatis Romanis exhibere debeant legationis & poteſtatis ſuæ litteras, eſt conſequentia ſeu perpetua traditio & praxis Eccleſiæ & generalium Synodorum.

Per Gregorium Divinorum Secretariorum Notarium lecta eſt Michaelis Patriarchæ Alexandrini ad Baſilium Auguſtum Epiſtola, habens varia capita. Primò dicit Michael ſe frequenter voluiſſe ſcribere, ſed fuiſſe ab Agarenis huc uſque prohibitum, ac tandem modò ſacris Principis juſſionibus obedire. *Arbiter*, inquit, *Palæſtinorum regionis, & Tiberiadem & Tyrum obtinens, & horum Præſidatum creditum habens, his diebus mittens ad nos nunciavit Dominicorum & nobiliſſimorum apicum ad ſe deſtinatorum adventum, jubentium, quò ſibi quemquam à ſede Alexandrina ad imperia dirigeremus.* Quæ verba docent quædam adhuc Palæſtinæ, Syriæ, ac Phæniciæ munita loca ſpectaſſe in Agarenorum medio ad Romanum imperium, eiſque ſuum Præſidem fuiſſe. Secundò Michael Patriarcha ait Joſephum monachum à ſe legari Conſtantinopolim ſub liberandorum captivorum fuco, ideòque reverſuro rogat aliquot captivos Agarenos donari. Tertiò Sancti Ignatii cauſam ait ſibi eſſe incognitam, proindèque non à ſe, ſed à ſuo Legato definiendam. Quartò dicit certis in caſibus uni Eccleſiæ poſſe duos eſſe ſimul Epiſcopos: Etenim Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Sanctus Narciſſus quandoque ſolus, quandoque cum collega Gordio, quandoque cum Sancto Alexandro præſedit. Ignotam ſibi Sancti Ignatii & Photii cauſam ſuſpicatus eſt ità forſan poſſe pacari. Haſce litteras probavit omnis Synodus, & Joſephum in legitimum Eccleſiæ Alexandrinæ ac Michaelis Patriarchæ Vicarium Legatum duxit admittendum. Quidquid huc uſque per octo Actiones pro Sancto Ignatio aut ſacris imaginibus definierat Synodus, Joſephus pleniſſimè firmavit, atque ità in Patriarchalis Legati ſedem eſt glorioſè receptus.

Septuaginta falſos teſtes, qui Ignatium non canonica electione, ſed laica Theodoræ Auguſtæ violentia fuiſſe intruſum Patriarchatui coram Rhodoaldo & Zacharia Nicolai Papæ Legatis jurati mentirentur, donis & terroribus ſeduxerat Michael Auguſtus: Etiam hos Legati Romani cenſuerunt diſcutiendos ac puniendos. Primò introductus eſt Theodorus Spatharius, perjurium deflens, addenſque ſe illud cuidam monacho, *qui quadraginta annos in columna ſecerat*, fuiſſe ſacramentaliter confeſſum, accepiſſe Epitimium, huc uſque illud adimpleſſe, & etiam hodie adimplere. Ex quo patet ſacramentalis pœnitentiæ adminiſtrationem jam pridem monachis fuiſſe ab Eccleſia commiſſam. Bonifacii quarti Edictum, praxeos iſtius adversùm monachorum æmulos L. 5. Epiſt.
confirmatorium, adducit in Epiſtola ad Canonicos & monachos Sanctus Petrus Damiani. 19.
Epiſtolam iſtam vanè quidam hodie vocant in ſuſpicionem ſuppoſitionis. Quinimmò de Græcis ſcribit Conſtantinopolitanus Patrum Prædicatorum Tractatus: *Prælatio Sacerdotii apud eos tantùm inter monachos eſſe videtur. Soli enim monachi poteſtatem ſolvendi atque ligandi exercent.* Soli apud illos monachi in Epiſcopos promoventur: Hinc enim ſæcularis in Epiſcopum promovendus Photius ante omnia fuit in monachum attonſus. Iſtam adminiſtrandæ Pœnitentiæ praxim Tractatus iſte notat: Non quod monachi illam exerceant, ſed quod exerceant ſoli. Synodum hanc eſſe legitimam ac verè œcumenicam, omniaque ejus adversùs Photium pro Sancto Ignatio Acta profeſſus eſt Theodorus, ac dimiſſus.

Exindè introductus eſt Leo Conſul, qui crimen dolens fatebatur, ſed ipſum huc uſque non fuerat ſacramentaliter confeſſus, neque acceperat Epitimium. Præſentem Synodum ut legitimam agnovit, verùm Apoſtolicis Legatis rogantibus, *Anathematizas Photium, & omnes quos Synodus anathematizavit*, repoſuit: *Quis ſum ego, ut anathematizem? Anathematiſmus in cauſa fidei fit; at verò Photius orthodoxus eſt, & ut quid anathematizabo eum?* Et Legati: *Opera ejus pejora ſunt omni hæreſi, quia diaboli operarius eſt.* Etenim in Romanum Epiſcopum latrare excommunicationis aut degradationis convicium eſſe Eutychiana hæreſi pejus, eſt ſuprà abundè oſtenſum. Et quæ de duabus in eodem homine animabus, & quæ adversùs Romanum Primatum dogmatizarat Photius, erant omninò hæreſes: Verùm de his cum homine laico & criminoſo noluerunt Legati tempus & verba perdere. Et hinc acquieſcens Leo reſpondit: *Cùm vos judicetis fieri & excepta hæreſi anathematiſmum, anathematizo & ego cunctos, quos anathematizavit hæc ſancta & univerſalis Synodus.* Et hinc liquet ex tunc in Eccleſia cœpiſſe morem illum, de quo ad Alexandrum ſecundum Pontificem ſcribit Sanctus Petrus Damiani: *Cunctis ferè Decretalibus paginis* L. 1. Epiſt.
anathema ſubjungitur. Dicitur enim: Quiſquis hæc 12.
vel illa non fecerit, anathema ſit. Eſſe dicit abuſum intolerabilem, & pergit: *Nec Beatus Papa Gregorius, vel cæteri Patres, qui diverſis temporibus in Apoſtolicæ Sedis regimine floruerunt, hunc morem in ſuis reperiuntur obſervaſſe Decretis.* Antiquum morem, ſolis hæreſeon aut ſchiſmatum damnationibus apponentem anathema, ſervat hodie Eccleſia Romana.

Hinc

Digitized by Google

Hinc introducti ſunt alii undecim nobiles laici, qui omnes ſeſe Regio Michaelis Auguſti & Bardæ Cæſaris terrore fuiſſe in iſtud perjurii facinus compulſos ſunt proteſtati. Et quidam Epitimia acceperant à Presbyteris Pœnitentiariis, quidam uſque huc manſerant impœnitentes. Erant & plures alii abſentes, de quibus Legati Romani: *Expectemus eos*. Ante ipſorum adventum noluerunt præſentibus decerni Epitimia. Verùm magnificentiſſimi Principes interceſſerunt, non poſſe ipſorum cauſa differri Synodum; nihilominùs Legati perſtiterunt: *Multi ex eis aurigarii, & ſtatuarii, ac equorum medici ſunt, propter quod juſtum eſt, ut veniant in conſpectum hujus ſanctæ Synodi, & arguantur, & confiteantur veritatem, quemadmodùm & iſti*. Tandem tamen acquieſcentes ſeptem annorum Epitimium illis definierunt, ſingulis à Patriarcha Ignatio, cui & ex cauſis moderandi poteſtas conceſſa, poſteà imponendum.

Eoſdem tandem Legatos rogavit Patricius Bahanes: *Habetis aliud quid ad diſponendum, an non? Nam hora præteriit. Quod ſi non habetis, dicite*. Ex quo vides omnium ſynodaliter tractandorum atque definiendorum propoſitionem ſemper ad Legatos Apoſtolicos ſpectaſſe. Quare illi reſponderunt. *Habemus & aliud quid ad requirendum hodie*. Diſcutiendos & puniendos voluere eos Spathatios ac alios Palatinos laicos, qui ſub Michaele Auguſto egerant ſcœnicos cum Theophilo Proto-Spathario Epiſcopos, nec non & jam repertos Orientalium Patriarcharum in imaginaria Synodo fictos Vicarios, Leontium, Gregorium, ac Sergium, homines ruſticos & ſtercorales, quorum omnium judicium eſt ſuprà ad Canones abundè expoſitum.

ACTIO X.

NOviſſimam ac decimam Actionem, factam pridie Calendas Martias feria tertia, ex Baſilii Auguſti præſentis mandato alloqui cœpit Bahanes Patricius: *Quid videtur Sanctitati veſtræ? Quid agemus hodie?* Repoſuerunt Legati ſedium Patriarchalium: *Præ omnibus neceſſarium arbitramur, ut primum legantur Canones, quos debet hæc ſancta Synodus firmare*. Et omnis Synodus exclamavit: *Placet:* Et ſtatim Thomas Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus ac Notarius legit viginti ſeptem Canones, ſuprà adductos ac explanatos. Erant non ità pridem anteà compoſiti: Etenim de ſexto in fictos Vicarios edito dixere ad præcedentem Actionem Legati Romani: *Volumus componere Capitulum de illicito hoc tonamine, quod in alio conventu legetur*.

Exindè Metrophanes Smyrnenſis ad ſuperiorem, & Cyprianus Claudiopolitanus Epiſcopus, Provinciæ Honoriadis Metropolita, ad inferiorem Synodi partem legit *Synodi Terminum*, id eſt, ſynodale Decretum, eruditiſſimum ac in fonte legendum. Ipſum ex more innovat ſeptem priorum generalium Synodorum de fide Decreta ac anathematiſmos, deindè ſtabilit Eccleſiæ fidem de ſacris Chriſti Domini ac aliorum Sanctorum imaginibus, docens Iconoclaſticam hæreſin eſſe Erronibus Chriſti Domini naturas confundentibus propriam, ac denuò anathematizans Anaſtaſium, Conſtantinum, ac Nicetam, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Patriarchas ſtercorales, id eſt, copronymi ſeu ſtercoralis Conſtantini fœdam ſectam ſequentes, nec non eorum nuperos in ſede ac impietate ſucceſſores Theodorum, Antonium, & Joannem, unàque Theodorum Crithinum. *Et quia non ſola verorum dogmatum privatio novit turbare Eccleſiam, ſed & Divinorum mandatorum prævaricatio*, ſimiliter anathematizat Photium, omniaque ejus in Sanctum Patriarcham Ignatium, Sanctum Nicolaum Pontificem, & omnem Eccleſiæ gradum Acta peſſima: Et cuncta ejuſdem Nicolai & ſucceſſoris Adriani in ipſum & ejus factionem Decreta pleniſſimè confirmat.

De ipſo ſolenniter ad Patres lecto quæſivit Baſilius Auguſtus: *Dicat nunc ſancta & univerſalis Synodus, ſi omnibus ſanctiſſimis Epiſcopis concordantibus atque conſentientibus præſens Terminus ſit depromptus?* Norat à Photiana factione quoſvis calumniarum fucos adversùs Synodum fore excogitandos. Exclamavit verò omnis Synodus: *Omnes ità ſapimus, omnes ità prædicamus, omnes convenientes & conſentientes promptè ſubſcribimus. Hoc eſt veritatis judicium, hoc eſt Juſtitiæ Decretum, hæc eſt Canonum expoſitio, hæc eſt Eccleſiaſticæ ordinationis defenſio*. Et fauſtiſſimis in Auguſtos Principes, Adrianum Pontificem, Orientales Patriarchas ac ipſorum Legatos adclamationibus adjunxit: *Photio invaſori & adultero Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ anathema; Gregorio Syracuſæ & Eulampio Apameæ depoſitis, & veritatis apoſtatis & hoſtibus anathema: Repulerunt Divinarum juſtificationum agnitionem, & repulit illos Dominus. Photio, & Gregorio, & Eulampio, triplici fermento nequitiæ anathema: Vivifica Trinitas trium typhum depoſuit. Omnibus conſentaneis & ſequacibus eorum anathema. Nicolai beatiſſimi Papæ ſenioris Romæ æterna memoria: Propugnatoris veritatis æterna memoria*. Sic illum plena Synodus canonizavit.

Patribus de tranſactis in Synodo ac itinere ad ipſam laboribus gratias tum egit Princeps, ac denuò interrogavit: *Utique audiſtis quæ lecta ſunt, quid ergò videtur Reverentiæ veſtræ? Benè expoſitus eſt terminus iſte? Placuit vobis Canonum expoſitio? An eſt aliquid in mente veſtra ad ambiguam opinionem pertrahens?* Et iterùm. *Quiſquis habet aliquid adversùs hanc ſanctam & univerſalem Synodum, dicendum contra hunc terminum aut Canones, ſtet in medio, & quæ ſibi videntur dicat, ſive Epiſcopus ſit, ſive quiſquam de Eccleſiaſtico Clero, ſive laicus, ſive ex iis qui civilibus officiis mancipatus exiſtit: Quamquam non datum ſit iſtis ſecundùm Canonem dicendi quidquam penitùs de Eccleſiaſticis cauſis. Opus enim hoc Pontificum & Sacerdotum eſt, ſed ex abundanti omne os iniquum obſtruere volentes licentiam præſtamus omnibus, ut qui in mente habet quid ambiguum de his, quæ decreta ſunt ab hac ſancta Synodo, hoc in medium exhibeat, & ſuſcipiat ſatiſ-*

ſatisfactionis ſalubre remedium. Exindè omnes Epiſcopos ad funditùs extirpandum è ſuis Eccleſiis & territoriis præſens ſchiſma, omneſque generaliter errores & hæreſes, ac præſentem Synodum integrè exequendam & obſervandam eſt religioſiſſimè adhortatus. Et rursùm edixit: *Dicat nunc quicunque voluerit ex ſedentibus in hac ſancta & univerſali Synodo, in quo iſtorum hæſitet vel ambigat, quæ nunc lecta ſunt*. Et cuncti exclamarunt: *Omnibus placent quæ lecta ſunt, omnes eiſdem ipſis concordamus, omnes libenter ſubſcribimus*.

Principis pietas mirè placuit Legatis Apoſtolicis, ideòque de ſubſcriptionis ordine ſunt interlocuti: *Volumus, ut ſubſcribant primitùs Chriſti amatores Imperatores*, Baſilius ac ejus filii Conſtantinus & Leo, *ac deindè ſecundùm ordinem ſancta hæc Synodus*. Repoſuit verò Princeps: *Tranquilliſſimum Imperium noſtrum, ſecutum præcedentes & juſtiſſimos Imperatores, Conſtantinum videlicet magnum, & Theodoſium, & Marcianum, & cæteros, vult ſubſcribere poſt ſubſcriptionem omnium Deo amabilium Epiſcoporum. Sed quoniam poſtulat præferri nos Sanctitas veſtra, ſubſcribam poſt ſubſcriptionem omnium ſanctiſſimorum Vicariorum. Edocti enim ſumus à Chriſto vero Deo noſtro habere exultantem humilitatem*. Et ità fuit omninò factum. Poſt Apoſtolicos Legatos ſemper ſedit ac ſubſcripſit Patriarcha Ignatius ante Legatos Eccleſiæ Alexandrinæ & Antiochenæ: Erat Romanæ ſedis, iſtum Epiſcopi Conſtantinopolitani irregularem ambitum huc uſque refutantia, ſenſui ac Decretis adverſum; verùm diſpenſatorius pacis amor ſuaſit diſſimulari. Subſcripſerunt Epiſcopi omnes *in quinque libris*: Ut quævis Patriarchalis ſedes ſuum librum ſeu exemplar haberet. Addit in Synodi præfationem Anaſtaſius Bibliothecarius *ſingulos codices plumbea bulla fuiſſe munitos, atque ſingulatim Loci-Servatoribus traditos, Patriarchalibus ſedibus deferendos*. Subſcribens Baſilius Auguſtus *fixit pretioſæ crucis figuram*. Fixit proximè ante ſuum nomen. Ità olim à quovis fideli in re graviori ſubſcribi conſuetum docent infinita antiqua inſtrumenta. Et de quibuſdam Photianis Epiſcopis dixit ad ſextam actionem Elias Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Legatus: *Propria ſcripta, & juramenta, & cruces, quas fecerunt, reprobare nolunt*. Itàque ſubſcriptioni ſuæ crucem addere erat facere ſubſcriptionem juratam. Addit Nicetas Paphlago: *Epiſcopi ſubſcripſerunt depoſitioni Photii calamis, non nudo atramento, ſed, in quo penitùs contremiſcas, ut eos, qui rem norant, adſeverantes audivi, ipſo Salvatoris ſanguine tinctis. Ità, inquam, Photium exauctorarunt, unàque omnes ab ipſo ſacris initiatos*.

Poſt factas Epiſcoporum ſubſcriptiones rogavit Baſilius Auguſtus Senatum, Magiſtros, & Patricios, *quid de ſancta & univerſali Synodo exiſtimarent, & quomodò eam ſubſcriberent*? Primus reſpondit Theodorus Proconſul & Magiſter: *Omnia, quæ facta ſunt à Photio contra ſanctiſſimum Patriarcham noſtrum Ignatium, & contra beatiſſimum Papam Nicolaum, anathematizans, & hanc ſanctam & univerſalem Synodum ſuſcipiens, recipio quos recipit, & anathematizo quos anathematizat; ſi verò recepero aliquando quos Synodus abjicit, anathema ſim à Chriſto*. Eodem modo reliqui omnes *proprio ore per vivam vocem* dixerunt, *velocibus Scriptoribus excipientibus quæ dicebantur ab unoquoque ipſorum, quæ etiam lecta ſunt in audientiam omnium per Leonem à Secretis voce grandi*. Porrò Domini Imperatores ſolam crucem & ſuum nomen propria manu ſcripſerunt, reſiduum ſcripſit Chriſtophorus Proto-à-Secretis, & Præfectus Caniculi, de quo Anaſtaſii marginale ſcholion: *Præpoſitus Caniculi apud Græcos eſt, qui curam & cuſtodiam gerit Caniculi, id eſt, atramentarii, ex quo Imperator ſæniceas litteras ſcribit in chartis*. Auguſtum atramentarium habebat Caniculi formam.

Exindè ſcriptæ ſunt duæ Epiſtolæ ſynodales. Prima eſt ad omnes ſub cœlo orthodoxos Encyclica, omnia Photii in Sanctum Ignatium, ac Synodi in Photium, nec non in Theodorum Crithinum, ac utriuſque factionem geſta ediſſerens: Eruditiſſima eſt, ac omninò legenda. Secunda eſt ad Adrianum Pontificem, Eccleſiaſticæ navis gubernacula Romano Epiſcopo eſſe per Jeſum Chriſtum commiſſa, ac omnia Synodi Decreta ex Sedis Apoſtolicæ mandato proceſſiſſe profitens, ideòque poſtulans eadem confirmari. Hic eſt conſuetus Epilogus omnium generalium Synodorum. Famoſiſſima fuit hæc decima Actio. Etenim non tantummodò cum filiis Conſtantino & Leone Baſilius Auguſtus adfuit, ſed etiam *Apocriſarii perſpicui Ludovici Imperatoris Italorum atque Francorum, videlicet Anaſtaſius Deo amabilis Bibliothecarius Romæ, Suppo primus Contoſanariorum, & conſobrinus uxoris ejus, & Evernardus Præpoſitus menſæ illius. Similiter glorioſiſſimi Judices Michaelis ſublimiſſimi Principis Bulgariæ Staſizereo, Neſundicus, Vagartus*. Ità in ſcholiis ipſe Anaſtaſius teſtatur. Bulgarorum Legati ad Romanos Legatos ſalutandos venerant, & ad finiendas ſuas inter Romanum & Conſtantinopolitanum Patriarchatum quæſtiones.

Synodalium Actorum Compilator Actioni huic adjunxit & duas alias Epiſtolas, verùm Synodo & Romanorum Legatorum diſceſſu poſteriores. Sunt Synodi appendix, & omninò ſpectant ad ejus Acta. Prima eſt Baſilii ac filiorum Conſtantini & Leonis ad eumdem Adrianum Pontificem, laudans geſta Synodi, & adjungens: *Specialis Pater noſter, & magnæ civitatis noſtræ Patriarcha Ignatius poſtulavit à nobis ſcribere Sanctitati veſtræ de his Lectoribus, qui à Photio promoti ſunt, multis & innumerabilibus exiſtentibus in diverſis Provinciis. Inſuper autem & de Paulo reverendiſſimo Bibliothecario, verbo & vita præfulgido, ac Theodoro* Cariæ *Metropolita, qui & ipſe nimis Eccleſiæ utilis eſt: Quatenùs diſpenſatio fiat à Sanctitate veſtra ſuper ipſis, quibuſdam quidem ad adſcenſus majores ſacrorum graduum, quibuſdam verò ad receptionem ſedium ſuarum*. Paulus à Photio conſecratus fuerat, Theodorus imaginariæ Synodo ſubſcripſerat, ideòque ſuprà dixi utrumque ſine reparationis ſpe fuiſſe Epiſcopatu privatum. Norat Baſilius à ſe poſtulari rem graviſſimam, & ſeſe poſt Synodum graviſſimè in Romanam Eccleſiam deliquiſſe; hinc Epiſtolam hanc miſit per magnum Legatum, Adriano Pontifici cariſ-

ſimum, Abbatem Theognoſtum. Altera Epiſtola, eorumdem trium poſtulatrix, eſt Sancti Patriarchæ Ignatii, habens hanc Epigraphen: *Subſequens Epiſtola pro tribus capitulis, quæ quidem nec omnes Patriarchales ſedes cum tota Synodo auſæ ſunt definire, ſed horam diſpoſitionem per Patriarcham Ignatium à Sede Apoſtolica cenſuerunt humiliter poſtulari.* Reſpondit verò Pontifex Adrianus: *Nihil poſſumus ab eo, quod jam conſtitutum eſt, ordinare diverſum, maximè de Photii conſecratione aliquantiſper verſum, niſi fortè nos quibuſdam ex utraque parte in præſentia noſtra repertis contigerit ſcire, quæ uſque nunc neſcimus, vel diſcere quæ nunc penitùs ignoramus. Non enim eſt in nobis* EST & NON EST. Addidit Anteceſſoris ſui Nicolai per generalem Synodum jam confirmata Decreta non poſſe à ſe immutari, & concluſit: *Neque enim nobis moris eſt, ut pro libitu proprio paternis ſanctionibus abutamur, quemadmodùm quibuſdam, qui apud vos ſumma Eccleſiaſticarum rerum gubernacula moderantes, tunc Synodorum ſtatuta vel etiam Apoſtolicæ Sedis Decreta proferunt, cùm vel alios lædere vel ſe juvare cupiunt, & hæc ſilentio tegant quando fortaſſe contra ſe vel pro aliis proponerentur.* Notat & Baſilium Auguſtum & Patriarcham Ignatium, Romanæ Eccleſiæ in ſe beneficia oblitos, & ejus dignitatem inſigniter prævaricatos.

CAPUT XI.

Succeſſus & finis contentionis de Provinciis Bulgarorum.

Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, reliquæ uſque ferè Romam Italiæ, ac totius Illyricianæ diœceſeos Eccleſias, per Leonem Iſaurum violenter tranſcriptas in Patriarchicam poteſtatem Epiſcopi Conſtantinopolitani, præſertim invaſas iſtic à Bulgaris Provincias, repetere numquam deſiit Eccleſia Romana. Fuiſſe quinque provincias, Daciam mediterraneam, Daciam Ripenſem, Prævalim, Dardaniam, ac Myſiam ſuperiorem, quas primæ Juſtinianæ Epiſcopo ad Juſtiniani Auguſti preces ſubjecerat Vigilius Pontifex, teſtatur in ſcholiis ad Photii Nomo-Canonem Theodorus Balſamon, Patriarcha Antiochenus. Porrò de Michaele Bulgarorum Rege, qui ſeſe Apoſtolicæ Sedis Patriarchali poteſtati ſubdiderat, ſcribit in præſentis Synodi præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius: *Ille ut columna manſit immobilis, donec Græcorum fraude deciperetur, ſcribentium et atque dicentium, quod Patria illa utrùm Romano, an Conſtantinopolitano Pontifici ſubdi debeat, inter Vicarios Romanos Patriarchamque Ignatium Conſtantinopoli diſceptatio fuiſſet canonicè ventilata, & convictis Romanis Orientis ſedium Loci-Servatores judicaverint Bulgarorum diœceſin illi urbi fore ſubjiciendam, cui ante Bulgarorum adventum ſubjiciebatur.* Quod Legati Romani fuerint ab Orientalium Legatis convicti, eſt penitùs falſum: Longè minùs noſtra Synodus adversùm ipſos judicavit. Poſt Synodum à Baſilio Auguſto, Legatis Romanis, Patriarcha Ignatio, Legatis Patriarcharum Orientalium, nec non & Regis Bulgarici Legatis facta quædam fuit privata congreſſio, cujus definitiva ſententia fuit merum nullius auctoritatis. Attentatum, & diſtinctè ignoratur. Pergit enim Anaſtaſius: *Quamvis Romani Loci-Servatores & Bulgarorum Miſſi cum Imperatore ſeu Patriarcha, nec non & Orientis Loci-Servatoribus conveniſſent, his tamen omnibus in uno conclavi poſitis, nulli deforis patebat aditus, niſi cui vel Imperator vel Patriarcha forſitan permiſiſſet. Undè factum eſt, ut quidquid Romani aſſererent, nec Orientis Loci-Servatores intelligerent, nec rurſùs quidquid Orientales dicerent, nec Romani Loci-Servatores nec Bulgarorum Miſſi cognoſcerent. Dum videlicet nullus adeſſet, niſi unus Imperatoris Interpres, qui nec Romanorum nec Orientalium Loci-Servatorum voces aliter audebat edere, niſi ut jam Imperator ad Bulgarorum ſubverſionem imperarat: Excepto quod datum eſt Miſſis Bulgarorum quoddam ſcriptum, græcis verbis & litteris exaratum, continens quaſi Loci-Servatores Orientis inter Loci-Servatores Romanos & Patriarcham Ignatium arbitri exiſtentes judicaverint Bulgarorum Patriam, quæ in Illyrico conſtituta eſt, diœceſi Conſtantinopolitanæ ſubjiciendam, cùm ab olim in utraque Epiro, Dardania, Dacia, Theſſalia, & reliquis in Illyrico ſitis Provinciis ſemper Sedis Apoſtolicæ diſpoſitio facta clareat.* Clarere id dicit ex Sancti Damaſi Pontificia & Succeſſorum ejus Epiſtolis, quod nempe ille Apoſtolicas in illis Provinciis vices Patriarchales committere cœperit Metropolitæ Theſſalonicenſi.

Congreſſionem iſtam accuratè deſcribit in vita Adriani ſecundi Pontificis Guilielmus Bibliothecarius. *Poſt diem tertium, quo ſacratiſſima Synodus cum ſuis ſcriptionibus omninò in codice conſummata, retractaque ad omnem elegantiam in Eccleſia Sanctæ Sophiæ fuerat, ab Imperatore in domo cum Vicariis Patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, ſimulque Patriarcha Ignatio, qui cum aliquibus ibi reſidebat, callidè convocati ſedere jubentur Legati Romani, & quod Principes Bulgarorum eis litteras & dona per Petrum* Comitem ac Michaelis Regis Legatum, *alioſque* Principes, qui decimæ Actioni adfuerant, *direxerunt, audiunt.* Legatio per Baſilium Auguſtum fuit ſubornata, & Legati per ipſum in malo inſtructi. Hìnc enim poſt exhibitas Regis ſui litteras dixere ad Apoſtolicos & omnes Patriarchales Legatos: *Uſque hodie Pagani fuimus, & nuper ad gratiam Chriſtianitatis acceſſimus, ideòque ne in aliquo errare videamur, cui Eccleſiæ ſubdi debeamus, à vobis, qui vices ſummorum Patriarcharum geritis, noſſe deſideramus.* Repoſuerunt Legati Romani: *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui per te, ò Petre, tuus Senior,* id eſt, Dominus tuus Michael Rex, *Beato Apoſtolorum Principi Petro cum omni gentis ſuæ regno ſe tradidit, à cujus ſucceſſore, videlicèt egregio Papa Nicolao, & præcepta vivendi, & Epiſcopos & Presbyteros ſuſcipere meruit, vos & pertinuiſſe & pertinere debere etiam in eo monſtratis, quod poſtulatos noſtros Sacerdotes & ſuſcepiſtis, &*

hactenus

hactenùs veneratione congrua retinetis. Etenim hoc tempore Bulgaricam Eccleſiam adminiſtrabant Epiſcopi illi, de quibus laudatus Guilielmus: *Adrianus* ſecundus, Apoſtolicæ Sedi impoſitus, *è veſtigio Dominicum & Grimoaldum Epiſcopos, quos Deceſſor ſuus ſanctæ recordationis Papa Nicolaus in Bulgariam ire præceperat, & à ſe in ipſo articulo ſui deceſſus abſolverat, quique videntes tanti Paſtoris obitum ire diſtulerant, eadem fungentes Legatione direxit, & quaſdam Epiſtolarum, quas ille mittendas delegerat, ut ſe ejuſdem voluntatis & ſtudii fore oſtenderet, ſuo nomine titulari præcipiens, in quantum fluctuoſi temporis tempeſtas permittebat, piiſſimi Patris votum pius hæres implevit*. Dominicus Tarvienſis, Grimoaldus erat Epiſcopus Polymartienſis.

Michael Bulgarorum Rex non ampliùs Legatos, ſed fixos & Cardinales Epiſcopos, ac præſertim totius Regni Archi-Epiſcopum ſeu Primatem, qui à Vigilii Pontificis tempore fuerat, poſtulabat, ideòque hiſce Epiſcopis Legatis non erat contentus. Hinc Petrum Comitem rursùs legavit Romam, de quo pergit Guilielmus Bibliothecarius. *Cum donis Regalibus Regias quoque litteras obtulit, ſummum Præſulem* Adrianum ſecundum *ſummoperè deprecantes, ut aut Marinum ſibi bené compertum Diaconum Archi-Epiſcopum conſecratum remitteret, aut aliquem è* Presbyteris vel Diaconis *Cardinalibus dumtaxàt ſuæ Eccleſiæ, virum ſapientia, perſona, vitaque Archi-Epiſcopatu digniſſimum Bulgaris eligendum dirigeret, quem poſt approbationem eorumdem denuò remeantem Archiepiſcopali miniſterio ſublimaret*. Verùm Marinus noſtræ Synodo Legatus omnimodò neceſſarius præſidebat, ideòque Pontifex Sylveſtrum quemdam, non Diaconum aut Presbyterum Cardinalem, ſed Romanæ Eccleſiæ dumtaxàt Subdiaconum miſit à Bulgaris eligendum in Archi-Epiſcopum; at illum ſibi non placentem Rex remiſit *cum Leopardo Anconitano & Dominico Tarvienſi Epiſcopis, ſimul & litteras pro Marino Archi-Epiſcopo ordinando, aut Formoſo Portuenſi Epiſcopo remittendo importuniſſimè deprecantes*. Marinum dare non poterat, Formoſum mittere ex cauſis nolebat Pontifex, atque ità *reſcripſit, ut quemcumque devotio Regalis exprimeret; eum ſine dubio proviſio Pontificalis Bulgaris Archi-Epiſcopum commodaret, Marino atque Formoſo exceptis*. Hæc omnia erant peſſimæ & clandeſtinæ Formoſi artes, & proſecutio ſuprà memoratæ inter ipſum & Michaelem Regem conjurationis. Quare illum non ſine cauſa degradavit Joannes octavus. *At verò Bulgarorum Rex exſpectationum moras diutiùs ferre non valens, eumdem* Comitem *Petrum, quem à Roma ſine deſiderii ſui effectu ſerò receperat, cum aliis à latere ſuo Conſtantinopolim, inquiſitionis gratia, cui potiſſimum* Patriarchæ *Bulgaria pertinere deberet, emiſit, ibique à Legatis noſtris, quod Juri Romano pertinerent, ſunt convicti*. Hæc eſt vera, quam Baſilius Auguſtus fovit & adjuvit, occaſio præſentis Conſtantinopolitanæ congregationis.

Porrò Bulgarorum Legati adductæ ſuperiùs Romanorum Legatorum interlocutioni reſponderunt: *A ſancta Romana Eccleſia Sacerdotes nos petiiſſe, & ſuſcepiſſe, & hactenùs habere nos confitemur, & ei in omnibus obedire decernimus, verùm utrum Romanæ, an Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ rationabiliùs ſubdi debeamus, cum his Patriarcharum Vicariis diffinite*. Papalem Romanæ Eccleſiæ poteſtatem in omnibus agnoſcere tamquam veri Chriſtiani profitentur, quæri & definiri voluere de ſola Patriarchali. Ad quod Legati Romani: *Propter quæ nos ſancta Sedes Apoſtolica cum Orientalibus definienda mandaverat, Domino juvante finivimus; de cauſa autem veſtra ſecùs, quam definita eſt, finienda, quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel definimus, vel in præjudicium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ definiendum cenſemus. Quin immò quia omnis veſtra Patria noſtris Sacerdotibus plena eſt, nulli vos, niſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinere debere, definitiva ſententia, quantùm ex nobis eſt, promulgamus*. Etiam ad Patriarchalium ſedium Legatos, cauſæ huic miſceri prurientes, dixere: *Sancta Sedes Apoſtolica vos, qui reverà inferiores eſtis, ſuper ſua cauſa judices non elegit, nec per nos eligit, utpotè quæ de omni Eccleſia ſola ſpecialiter fas habeat judicandi. Sed neque nobis de hac cauſa ſententiam proferre commiſit. Quapropter quod ab ea faciendum non accepimus, ejus cognitionis judicium ei, qui librorum multiplicitate ad defenſionem ſui multa proferre prævalet, ex integro reſervamus: A quo omnis veſtra ſententia tanta facilitate deſpicitur, quanta levitate profertur*. Dixere quæſtionem hanc à ſolo Domino Papa, ſui Patriarchalis Juris peritiſſimo, & plurimis authenticis armis ad ejus defenſionem inſtructo, debere ac poſſe judicari.

Audiamus tamen Græculorum adversùs jus iſtud argumenta. Primum erat, quod Bulgari in ſuis Provinciis, dum illas armis è Græcorum poteſtate evincerent, non Latinos à Romano Pontifice, ſed Græcos à Patriarcha Conſtantinopolitano conſecratos aut confirmatos Epiſcopos & Clericos reperiſſent. Nempe poſt Leonis Iſauri in Romanam Eccleſiam violentias irruperant illuc Bulgari, adeòque tunc Provinciæ illæ à Romano Patriarchatu erant omninò divulſæ. Verùm per hæreticam rapinam.

Secundum fundamentum erat, quod Provinciæ illæ Græco ritu & ſermone in re Eccleſiaſtica uterentur. Romani Legati reſponderunt: *Linguarum diverſitas Eccleſiaſticum ordinem non confundit. Nam Sedes Apoſtolica, cùm ipſa Latina ſit, in multis tamen locis pro ratione Patriæ Græcos Sacerdotes & ſemper & nunc uſque inſtituens privilegii ſui detrimenta ſentire nec debet nec debuit*. Nam etiam omnis Macedonia, Achaja, Creta, & utraque Epirus, licèt græci ſermonis & ritus ſemper fuerint, ad Romanum Patriarchatum ſemper pertinuerunt. Quin immò ad Metropoliticum Romanæ Eccleſiæ jus proximè ſine medio olim ſpectans Sicilia fuit quandoque Græci ſermonis.

Tertium argumentum erat, quod Bulgaria ſemper fuiſſet in Orientali imperio, ac in regno Græcorum. Reſponderunt Legati Romani: *Bulgariam ex Græcorum regno fuiſſe numquam negavimus. Nos de diviſione Regnorum non agimus, ſed de jure ſedium loquimur*. Addo ego provincias illas ad Orientale imperium non ſemper ſpectaſſe. Etenim antiquus Occidentalis & Orientalis im-

perii limes ſunt diœceſes Illyriciana & Thracica: Et omnis Bulgaria eſt manifeſtè intra Illyricianam. De Illyrico, an ad Orientalis, an Occidentalis Auguſti partem ſpectare debuerit, primi ex ambiguo patris Theodoſii teſtamento infeliciſſimè litigare cœperunt Arcadius & Honorius; primus ipſum in Orientale & Occidentale diviſit cum Valentiniano tertio per antenuptialem filiæ ſuæ contractum Theodoſius junior, atque ità Dacia, Prævalis, Dardania, & Myſia ſecunda, quæ poſtmodum fuere Bulgaria, ſpectare cœperunt ad imperium Orientis. Ex quo fundamento etiam Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ac ejus poſtmodùm ſucceſſor Epiphanius conati ſunt aut integram diœceſim iſtam, aut ejus Orientalem partem tranſcribere in ſuum jus Patriarchicum. Verùm & ipſi tunc à Romana Eccleſia audierunt: *Aliud ordinant jura ſedium, aliud patiuntur diviſiones Regnorum.*

Quartum argumentum hiſce ad Romanos Legatos verbis expreſſerunt Orientalium Patriarcharum Legati: *Satis indecens eſt, ut vos, qui Græcorum imperium detrectantes Francorum fœderibus inhæretis, in Regno noſtri Principis ordinando jura ſervetis. Quapropter Bulgarorum Patriam ex Græcorum poteſtate dudùm fuiſſe, & Græcos Sacerdotes habuiſſe comperimus ſanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, à qua quia per Paganiſmum receſſerat, nunc per Chriſtianiſmum reſtitui judicamus.* Gregorium ſecundum Pontificem, qui Leonis Iſauri Romanæ urbi & ſuperiori Italiæ adhuc imperantis hæreticas & tyrannicas juſſiones ſtiterat, æmulati ſucceſſores Pontifices omnem Græcorum poteſtatem paulatim excuſſerunt, tandemque Leo tertius Occidentis imperium detulit Carolo Magno, Regi Francorum, à Græcis tunc uſque numeratorum inter barbaros ac latrocinales Romani imperii dilaceratores. Exindè illi cunctos Latinos habuere pro rebellibus & læſæ majeſtatis reis, Romanamque Eccleſiam ut mali auctricem ſunt præſertim averſati. Hinc intulere ipſam eſſe ſimilium etiam deinceps motuum ciendorum ſuſpectam, ideòque intra Græci imperii terminos non poſſe fungi ulla Patriarchica poteſtate. Ex hoc fundamento, ut palmari & irrefragabili, Orientalium Patriarcharum Legati pro Patriarcha Conſtantinopolitano definierunt ac pronunciarunt.

Verùm adversùs iniquiſſimam ſententiam Legati Romani cum clamore ſunt proteſtati: *Sententiam, quam non elecli, neque admiſſi, ſive timore, ſive gratia, vel quidquid illud eſt, præcipitaſtis potiùs, quàm protuliſtis, auctoritate Sancti Spiritus uſque ad definitionem ſanctæ Sedis Apoſtolicę omninò reſcindimus, ità ut nullo modo vel nomen ſententiæ habere mereatur. Teque adjuramus, Patriarcha Ignati, auctoritate Sanctorum Apoſtolorum Principum coram Deo, ſuiſque Angelis, omnibuſque præſentibus, ut ſecundùm hanc Epiſtolam ſanctiſſimi Reſtitutoris tui, Domini Adriani, ſummi Pontificis, quam tibi ecce offerimus, induſtriam tuam ab omni Bulgariæ ordinatione immunem, nullum tuorum illuc mittendo, cuſtodias, ne ſancta Sedes Apoſtolica, quæ tibi tua reſtituit, per te ſua perdere videatur. Quin potiùs ſi, quod non credimus, juſtam te habere querimoniam exiſtimas, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, reſtitutrici tuæ, ſolenniter ſuggerere non omittas.*

Quæſtio eſt, undè Legati Apoſtolici, nullum de Bulgaricis quæſtionibus habentes mandatum, ad manum ſtatim habuerint haſce litteras Apoſtolicas? Reſpondeo cum libro Pontificali dicente de Hormiſdæ Pontificis ad Anaſtaſium Auguſtum Legatis: *Portabant Epiſtolas confortatorias fidei, & conteſtationes ſecretas.* Hoc eſt, ſecretas litteras non niſi certo eventu porrigendas. Futuras Græcorum de re Bulgarica doloſas artes Adrianus Pontifex præviderat, ideòque Legatos ſuos iſtiuſmodi litteris armarat. Pergit Guilielmus Bibliothecarius. *Patriarcha Ignatius Apoſtolicam Epiſtolam ſuſcipiens, licèt magnoperè monitus legere diſtuliſſet, reſpondit: Abſit à me, ut ego his præſumptionibus contra decorem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ implicer, qui nec ità juveniliter ago, ut mihi ſubripi valeat, nec ità ſeniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipſe committam.* Erant ſpecioſa promiſſa: *Et hoc fine collocutio iſta finita eſt.* Quæ omnia in Synodi præſentis præfatione habet etiam Anaſtaſius Bibliothecarius, & adjungit e *Hæc diximus, intentos ſtudioſos reddere curantes, ne fortè proceſſu temporis quidquam de ſubjicienda Conſtantinopolitanæ diœceſi Bulgarorum terra ſtatutum vel definitum ab univerſali & octava putetur Synodo, vel Actionum illius codici à Græcis huic adjici aliquid præſumatur.* Nam generalibus Synodis nugas ſuas adſuere, aut rerum ſeriarum truncatrices manus inſerere eſt antiqua Græcorum vafrities, ibidem exemplis ab Anaſtaſio demonſtrata.

Et ejus ſuſpicio non fuit vana. Etenim Bulgaricas Provincias fuiſſe per octavam Synodum ſedi Conſtantinopolitanæ adſcriptas plenis ubique buccis cecinerunt, atque ità Michaelem Regem in errorem, & à Romanæ Eccleſiæ Patriarchali poteſtate ſeduxerunt. Et hiſce omnibus cooperatus fuit etiam Patriarcha Ignatius, Romanæ Eccleſiæ in ſe beneficia nimiùm citò oblitus. Hinc de illo apud Baſilium Auguſtum queritur Pontifex Adrianus: *Favore veſtro frater & Coepiſcopus noſter Ignatius in Bulgarorum regione conſecrare præſumpſit Antiſtitem*, utique Archi-Epiſcopum ſeu Primatem, nomine Theophylactum. *Undè mirati ſumus, & quia à pia intentione veſtra retrò reverſi ſitis, admodùm obſtupuimus.* Iſta temeritate periiſſe ait omnia utriuſque anteriora merita, rogans tandem aliquando ab ipſa ceſſari, Ignatioque & cunctis per ipſum iſtic conſecratis aut conſecrandis Epiſcopis & Clericis minatus perpetuam degradationem.

Rei ſucceſſum edicit Guilielmus Bibliothecarius. *Bulgari per Orientales, Conſtantinopolitanoſque donis & promiſſionibus perſuaſi Græcos Sacerdotes, juxta quod dicit Grimoaldus Epiſcopus, qui ab iis ſe repulſum fatetur, ſuſcipientes, noſtros ejiciunt, & per eumdem Grimoaldum Epiſcopum, qui ſine conſcientia Sedis Apoſtolicæ commiſſum ſibi prædicationis officium deſerens Romam ditiſſimus remeavit, magnum Epiſtolæ volumen falſis allegationibus, tamquam ſub prætextu deliberatæ ſententiæ Synodo Præſidentium, implicatum Sedi Apoſtolicæ remiſit.*

In

In quo facto quia Epiſcopus à Bulgaris expulſum Epiſtola fatente ſe aſſerit, & Presbyteri non ſe pulſos à Græcis vel Bulgaris, ſed ab eo Epiſcopo circumventos, profectò dubium, quin mutuæ ſubſit proditionis imago, donec Chriſtus rerum cimator & cordium in ſuorum ſervorum examine hanc in lucem protulerit, non videtur. Græci itàque & Bulgari, publica manifeſtæ expulſionis injuria afficere nolentes Romanam Eccleſiam & ſibi ab illa tranſmiſſum Latinum Clerum, Grimoaldum Epiſcopum Polymartienſem, Sedis ibidem Apoſtolicæ Legatum, ad ſponte exeundum, & omnem Latinum Clerum ſecum educendum pecuoia corruperunt. De hac tamen georali expulſione exſtat Adriani Pontificis ad Patriarcham Ignatium Epiſtola, lameotans omnes Latinos Epiſcopos & Clericos cum gravi ignominia & dedecore, ac non mediocri contemptu è Bulgarorum regione expulſos. Et addit: *Quod ſi dicas priùs à nobis Conſtantinopolitanæ diœceſeos Presbyteros in ea regione ſacrificare prohibitos, haud inficias imus. Erant Photiani, illiuſque Symmiſtæ, quibus non ſolùm in Bulgarorum Provincia, ſed ubique gentium Sacerdotali munere interdiximus, interdicimuſque.* Palmare Græcorum fundamentum erat, quod Provincias iſtas Patriarcha Conſtantinopolitanus aliquando poſſediſſet. Fuerat furtiva & latrocinalis poſſeſſio, ideòque frivolum fundamentum: Nam eas ab Apoſtolorum tempore uſque ad Leonis Iſauri hæreticam tyrannidem legitimè poſſederat Eccleſia Romana.

Adriano ſecuodo in Apoſtolicam Cathedram ſucceſſit Joannes octavus, Romanæ Eccleſiæ Archi-Diaconus, qui etiam pro eadem Bulgaria Baſilium Auguſtum inſtantiſſimè expoſtulavit, Patriarchæ Ignatio excommunicatiooem comminatus ac perpetuam degradationem. Varias hac de re in ejus Regeſto habemus litteras. Tandem Cooſtantinopolim legavit Paulum Oſtienſem ac Eugenium Anconitanum Epiſcopos, de quibus Stylianus Mappa, Neo-Cæſareæ ad Euphratem Epiſcopus, in litteris ad Stephanum ſextum Pootificem: *Paulum & Eugenium Epiſcopos Joannes Papa ad Patriarcham Ignatium de cauſa Bulgaricæ Provinciæ miſerat, quos defuncto jam Ignatio Photius excepit, partimque donis corrupit, partim Regiis minis perculſos impulit, ut in conventu Cleri, Epiſcoporum, & univerſi populi teſtarentur ſe à Papa Joanne adversùs Ignatium miſſos, ut Ignatium anathemate ferirent, & Photium Patriarcham eenunciarent.* Etenim defuncti Sancti Ignatii thronum propria ſtatim temeritate reinvaſit Photius: Et iſta dictorum Legatorum ſeductrice arte pacavit & circumvenit multos zeloſè orthodoxos, *qui aſſerebant illum à ſe non ceceptum iri, donec à Romana & Apoſtolica Sede eſſet confirmatus.* Eamdem Photii nequitiam refert Syoodi noſtræ Breviarium, exſtans in editione Biniana: *Joannes, cùm*
F. 1051.
Adriani thronum ſucceſſor occupaſſet, idem Photium damnavit, quando Eugenium & alios in Bulgariam miſſos per fraudem circumvenit & corrupit. Nam Joannes accepto Evangelio ambonem conſcendit, cunctiſque audientibus dixit: Quicumque Photium non juſto Dei judicio judicatum judicat, anathema ſit. Et aliud Synodi noſtræ Breviarium ad magnæ Eccleſiæ ingreſſum in porticu deſcriptum: *Eugenius & Paulus Romam reverſi à Joanne Papa in ambone publicitùs ſunt damnati & exauctorati.* Nihilominùs pacis amore ad Baſilii Auguſti importunas preces Photium in Patriarchalem dignitatem & ſedem recepit tandem & coofirmavit idem Pontifex Joannes, adjecta hac inter cæteras conditione: *Diœceſin noſtram Bulgaricam ſumma* Epiſt. 199.
nobis celeritate reſtitui volumus, & de cætero om- 200. 201.
nem ordinationem Eccleſiaſticam ab Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Præſulibus in eadem amputamus, ipſos autem ordinatos ibidem Epiſcopos, & omnes alios inferioris oedinis Clericos, ut indè ſe ſubtrahant, & ab invaſione Bulgaricæ noſtræ Diœceſis omninò ſe compeſcant, decertare procures. Quibus ſi tu aut Pallium dederis, aut quamcumque illic ordinationem feceris, vel donec nobis obediant, cum eis communicaveris, pari excommunicatione teneberis annexus. Et hiſce mandatis fuit omnindòobeditum, & rurſùm Græcorum Epiſcopi & Clerici de Bulgaria
ejecti. Etenim Baſilio Auguſto idem Pontifex Epiſt. 251.
agit gratias, quod uti Sancti Sergii in urbe Conſtantinopolitana mooaſterium, ità etiam Bulgarorum diœceſin Eccleſiæ Romanæ reſtituiſſet. Et tunc factum eſt, quod in damnatoria Formoſi Portuenſis Epiſcopi ſententia expreſſit idem Pontifex Joannes: *Formoſus à nobis in Bulgariam proficiſcendi licentiam, litteras, & neceſſaria adjutoria impetravit.* Nempe Latinos Epiſcopos & Clericos recipere coactus Rex Michael rehabere voluit dilectum ſibi Formoſum. Verùm & Photius & Baſilius Auguſtus ad ingeoium redierunt, ejectiſque denuò Latinis Epiſcopis & Clericis Bulgariam ſedi Conſtantinopolitanæ immobiliter adfixerunt. Ità manſit uſque ad Innocentium tertium Pontificem, qui quomodò Bulgariam Romanæ Eccleſiæ, & toti Illyricianæ diœceſi reddiderit Theſſalonicenſem Vicarium, largè narrat antiqua & authentica ejuſdem Pontificis vita, publicata per Franciſcum Boſquettum Epiſcopum montis Peſſulani.

Etiam Siciliæ & Italiæ Eccleſias, Eccleſiæ Romanæ Metropolitico juri ſine medio ſubjectas, Romano Patriarchatui reddere Græci nunquam voluerunt. Qnomodò Syracuſanam Eccleſiam in Archi-Epiſcopatum erexerat Leo Iſaurus; ità Eccleſiæ Hydruntinæ fecit Nicephorus Phocas, quod in legationis ſuæ hiſtoria ſcribit ad Joannem decimum tertium Pootificem Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis: *Nicephorus livore, quo in vos abundat, Conſtantinopolitano Patriarchæ præcepit, ut Hydruntinam Eccleſiam in Archi-Epiſcopatus honorem dilatet, nec permittat in Apulia ſeu Calabria latinè amplius, ſed græcè Divina myſteria celebrari. Scripſit itàque Polieuctus Conſtantinopolitanus Patriarcha privilegium Hydruntino Epiſcopo, quatenùs ſua auctoritate habeat licentiam Epiſcopos conſecrandi in Aricentila, Turcico, Gravina, Maceeia, Teicario, qui ad conſecrationem Domini Apoſtolici pertinere videntur.* Omnes enim per Italiam uſque ad Ravennatis ac Mediolanenſis Provinciarum fines Epiſcopi fuerunt tunc Romanæ Metropoleos ſuffraganei, ideòque à Domino Papa tamquam proprio Metropolita erant conſecrandi. Cuncti in Regno Neapolitano Archi-Epiſcopi

habuere

habuere ſimiles natales, demptis paucis à Romana Eccleſia erectis. Verùm Divina Juſtitia pro Apoſtolica Sede pugnavit. Etenim paucis poſt præſentem Synodum annis nobiliſſimam Syracuſæ civitatem funditùs deſtruxerunt Agareni, atque irâ Nicolai & Adriani Pontificum, nec non noſtræ Synodi, quas ipſi à Schiſmaticis impediri non potuerant, in Gregorium Asbeſtam degradationis ſententias fuerunt executi. Et hac occaſione doloſum iſtum operarium Photius tranſtulit ad Metropolim Cyzicenam. Et ad undecimi ſæculi annum trigeſimum primum ſcribit Sigebertus Gemblacenſis: *Robertus & Richardus, minuendæ domo multitudinis cauſa, hoc tempore à Nortmannia Franciæ digreſſi Apuliam expetunt, & Italis inter ſe diſſidentibus, dùm alteri contra alterum auxilium præſtant, hac opportunitate Italos callidè & fortiter debellant, & ſucceſſus urgendo ſuos nomen ſuum dilatant, & futuræ proſperitatis ſibi viam parant.* Ex univerſa Sicilia, Calabria, Apulia, ac reliqua ulteriori Italia & Græcos & Saracenos ejecerunt, ſeſeque priùs in Comites aut Duces, deindè etiam in utriuſque Siciliæ Reges per Petrum Leonis Anti-Papam, cujus factum poſteà confirmavit Pontifex Innocentius ſecundus, exaltarunt. Siciliæ Archi-Epiſcopatum tranſtulerunt Syracuſa Panormum, Romanum in Divinis officiis ritum ac Latinam linguam reſtituerunt, exſtirparunt ſchiſma, Sedis Apoſtolicæ fidem, obedientiam, Patriarchicam poteſtatem redintegrarunt. Et huc reſpicit ſchiſmatica querimonia Theodori Balſamonis, ex Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Carthophylace Patriarchæ Antiocheni, in commentario undecimi Canonis Nicæni: *Sicilia certis ab hinc annis urbis Conſtantinopolitanæ Throno ſubjecta, tyrannicis manibus ab eo avulſa eſt, eamque ad jus ſuum priſtinum redire cupio, tamquam quæ in ſervitutem abducta filia ad liberam matrem revertatur.* Libera ejus per ipſos Apoſtolos data mater fuit Romana Eccleſia, Conſtantinopolitana dumtaxàt noverca obtruſa per Leonem Iſaurum. Attamen Romanas appellationes, evocationes, legationes, ac Epiſcoporum conſecrationes Sedi Apoſtolicæ unà reſtituere Nortmanni dudùm noluerunt. Utriuſque Siciliæ proprietatem, jure ſibi ſpectantem, prætendebat Romana Eccleſia: Hinc populos ſuos Romanis Legatis ſubjici, Epiſcopos verò frequenter Romam accedere, & Romano Pontifici in ſua conſecratione profiteri ſuſpicioſi Nortmanni rebus ſuis adverſum judicarunt. Hinc Guaimarius Princeps Salernitanus Joanni Salernitano Archi-Epiſcopo, ac ejus in perpetuum ſucceſſoribus extorſit à Clemente ſecundo

Epiſt. 1. hocce privilegium: *Licentiam damus & poteſtatem ordinandi & conſecrandi Epiſcopos in ſubjectis vobis locis.* Enumeratis Pontifex ejus ſuffraganeas Eccleſias, & pergit: *Et non habeant poteſtatem Succeſſores noſtri in cunctis prædictis Epiſcopatibus deinceps Epiſcopos conſecrare.* Hinc item proceſſit Monarchia Sicula, per Urbanum ſecundum indulta, aut indulgeri cœpta. Et quis neſciat Guilielmi mali Regis cum Adriano quarto Pontifice violentas tragædias, quibus captivus Pontifex fuit compulſus Romanas appellationes ac Evocationes cedere, etiam Epiſcoporum? Erant barbaricæ in ſupremum Sancti Apoſtoli Petri Primatum violentiæ: Et hinc Henrico ſecundo Anglorum Regi, Henricianas ſuas conſuetudines Siculorum & Hungarorum Regum exemplis defendenti, rectè reſpondit glorioſus Cantuarienſium Martyr & Archi-Epiſcopus Thomas eas eſſe conſuetudines Jeſu Chriſti Evangelio adverſas, & violentias barbarorum. Et cuncta iſta per vim extorta indulta ſucceſſores meritò ſpernentes non deſierunt per utramque Siciliam Epiſcoporum conſecrationes, & totius Cleri ac populi appellationes inſtanter repetere. Epiſcoporum appellationes Innocentio tertio Conſtantia Regina, Henrici ſexti Auguſti vidua, ac Frederici ſecundi mater, eorumdem conſecrationem Adriano quarto reddidit Rex Guilielmus malus, de quo in Sigeberti Gemblacenſis appendice Robertus Abbas Montenſis: *VVilhelmus Siciliæ Rex cum Papa* A. 1157.
Adriano pacem fecit, concedendo ei conſecrationes Epiſcoporum Regni ſui & Ducatus, ſicut antiquitùs eas habuerat Romana Eccleſia, undè diſcordia fuerat inter Patrem ſuum Regem Rogerium, & Innocentium ſecundum *ac Eugenium* tertium *Romanos Pontifices. Idem verò Apoſtolicus conceſſit ei regnum Siciliæ, & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ.* Ità Romana ſedes plenum ſui Patriarchatus jus pedetentim in iſtas Eccleſias recuperavit.

CAPUT XII.

Exponuntur Romanorum Legatorum Acta Conſtantinopoli poſt Synodum.

PRima Legatorum poſt Synodum Actio fuit lis cum Græcorum Epiſcopis & Baſilio Auguſto de Romano Pœnitentiæ libello, ſuperiùs abundè expoſita. Dico, *Et Baſilio Auguſto*: Omninò enim ille Epiſcopis colluſit. Et verum litis finem edicit in Adriani Pontificis vita Guilielmus Bibliothecarius: *Libellos Legati Romani vix tandem recipiunt, ſed Imperatoris iram pro nimia fidei ſuæ diſtrictione vehementer incurrunt.* Euſebiana ac Acaciana in ſupremum Romanæ Eccleſiæ primatum invidia ac rebellio, ex qua Anaſtaſius Auguſtus *libello* per Hormiſdam Pontificem tranſ- Lib. Pont.
miſſo *aſſentire noluit*, in Græcorum Epiſcopis & in Hormiſ.
Auguſtis paſſim ſub doloſo cinere quaſdam ſuo tempore erumpentes retinuit ſcintillas.

Alteram Actionem narrat idem Guilielmus: *Legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ textum Synodi, ne quid græca levitas falſum in eam congeſſerit, Anaſtaſio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Bibliothecario, qui tunc temporis pro cauſa Ludovici* ſecundi *ſereniſſimi noſtri Auguſti cum Suppone Archi-Miniſtro* & Everardo imperialis menſæ Præfecto *Conſtantinopolim advenerat, ſubtiliter inquirendum, antequam ſubſcribant, committunt. A quo, quia in utriſque linguis eloquentiſſimus exiſtebat, ſtudioſiſſimè perſcrutatus,*

omne

omne quod ad laudem ſereniſſimi noſtri Cæſaris San-
ctiſſimus Dominus Adrianus Pontifex, Arſenio Epi-
ſcopo imminente, adjecerat, reſecatum inveniunt.
Quapropter Epiſtolam Sedis Apoſtolicæ fraudulenter
corroſam ſummis clamoribus conquerunt, fatentes ſe
nullo modo ſynodalibus Actionibus ſubſcripturos, niſi
totius Epiſtolæ integritas geſtis ſynodicis jungeretur.
Hoc modo Romanis certantibus, Græcis verò non eſſe
in Synodo de laude Imperatoris, ſed de ſolius Dei
tractandum altiſonè reſpondentibus, nomenque im-
periale noſtro Cæſari penitùs invidentibus, tandem
ad hoc uſque perventum eſt, ut interpoſita conditione
voluntatis Apoſtolicæ definitis ſententiis minùs finitè
ſubſcriberent, ità legentes: Ego ille vices agens Do-
mini mei ſanctiſſimi & univerſalis Papæ Adriani,
in hac ſancta Synodo Præſidens, uſque ad volunta-
tem ejuſdem Eximii Præſulis ad omnia, ut ſuperiùs
legitur, conſenſi & manu propria ſubſcripſi. Arſe-
nius ille erat Hortenſis in Italia Epiſcopus, San-
cti Pontificis Nicolai frequens in Francia Lega-
tus, Francorum Regibus ac Epiſcopis cariſſi-
mus, de quo in Sancti Gregorii Magni Pontifi-
cis vita habet Joannes ſanctæ Romanæ Eccleſiæ
L.4.c.51. Diaconus: *Reverendæ memoriæ Nicolaus Pontifex*
Arſenium quendam Hortanæ civitatis Epiſcopum,
Judaicas tunc primùm pelliceas introducere molien-
tem, adeò averſatus eſt, ut ei Palatinam proceſſio-
nem vellet adimere, niſi ſuperſtitioſæ gentis veſtes
abjurando, cum Sacerdotalibus infulis conſuetudina-
liter vellet procedere. Eum, quod Ludovico Ger-
maniæ Regi potiùs quàm Carolo Calvo Galliæ
F.888. Regi faveret, aterrimè notant Francorum An-
nales Bertiniani. Per Ludovicum Auguſtum in
Adriani Pontificis gratiam rediit, atque ità ad
ejuſdem Auguſti laudes Apoſtolicis litteris inſe-
rendas Pontificem induxit.

Palmare fundamentum, ex quo Græci Fran-
cos uti legitimos Occidentalis Imperii Auguſtos
noluerunt adnoſcere, edicit in opere de rebus
Geticis Jornandes Ravennæ Archi-Epiſcopus:
Juſſu Marciani Imperatoris. Orientalis Majoranus
Occidentale ſuſcepit Imperium gubernandum. Et
Leo Imperator, qui in Orientali regno Marciano ſuc-
ceſſerat, Anthemium Patricium ſuum ordinans Romæ
Principem deſtinavit. Et infrà: *Glycerius apud Ra-*
vennam plus præſumptione, quam electione Cæſar
effectus eſt. Quod nempe Occidentis imperium
de Orientalis Auguſti manu non ſuſcepiſſet.
Hìnc etiam de Severo Occidentis Auguſto per
Orientalem non promoto ſcribit: *Majorani locum*
Severus invaſit. Exiſtimat Jornandes Imperium
Occidentale fuiſſe Orientalis quaſi beneficium:
Hìnc Francos Leonis tertii Pontificis, non ſua
Auguſta manu creatos Auguſtos tamquam legi-
timos agnoſcere Græci dudum noluerunt. Quod
fundamentum non latuit Carolum Magnum.
Hìnc enim de illo ſcribit Guilielmus Malmesbe-
rienſis: *Carolus ab imperatoria appellatione, quam-*
vis ſæpè ab Adriano Papa primo *invitaretur, tem-*
peravit, & à Leone tertio ac Romano populo
adclamatum Auguſti nomen invitus accepit; Quod
noſſet illud ab Auguſtis Conſtantinopolitanis
nullo pacto probandum, & armis adversùs ipſos
defendendum. Hìnc pergit Malmesberienſis:
Poſteà tamen animoſitate, qua debebat, contra Im-
peratores Conſtantinopolitanos ipſum defendit. Quod
ipſum fundamentum in litteris ad jam dictum Lu-
dovicum Auguſtum urſit jam dictus Auguſtus Ba-
ſilius, uti liquet ex iſtius per Cardinalem Baro-
nium adducto ad hunc Reſponſo, quo & illud &
alia Græcorum fundamenta evertit. Etiam ad
Fredericum primum Imperatorem, moventem
cum pleno exercitu in bellum ſanctum, ſcripſit
apud magnum Belgii chronicon Græcorum Im-
perator Emmanuel Comnenus: *Sacratiſſimus Im-* F.181.
perator Conſtantinopolitanus mandat tibi Advocato
Romanæ urbis gratiam ſuam, ſi digneris. Eam ſi
dedigneris, ſcire tamen te oportet, monarchiam
Romanæ urbis penes eum eſſe, eum ſuperiorem tibi
imperare debere. Secutus eſt regulam ab Ammia- L.14.c.36.
no Marcellino adductam, ex qua Conſtantius
Auguſtus Gallo Cæſari ſcripſit, & Diocletiani
exemplo confirmavit Romanum Imperium non
poſſe dividi, ideòque Cæſares Auguſto non eſſe
niſi Apparitores. Reſpondit verò commotus
Fredericus: *Sciat ille tuus, quem ſacratiſſimum*
Imperatorem vocas, me electione Principum & con-
ſecratione univerſalis Papæ urbis Romæ nomen Im-
peratoris & Romani Imperii dignitatem ſuſcepiſſe.
Lis dura & longa, deſcripta largiùs à Godefrido A. 1189.
monacho Coloniæ Agrippinæ ad Sanctum Panta-
leonem, & Tagenone Decano Eccleſiæ Paſſa-
vienſis. Tandem fuiſſe compoſitam, inflexum-
que Emmanoelem, ut ſe *novæ* dumtaxàt *Romæ* L.2.c.76.
Imperatorem ſcriberet, adfirmat in Ottonis Fri-
ſingenſis ſupplemento Radevicus Presbyter Fri-
ſingenſis.

Jure merito permiſit ſe inflecti. Quod addu-
ctum à Jornande fundamentum non ſubſiſtat.
Etenim Romanum Imperium fuiſſe primum à
duobus Antoninis, Marco & Vero, ſocero &
genero, in duos paris poteſtatis Auguſtos divi-
ſum teſtantur Sextus Rufus, Eutropius, Ælius Cap. 8.
Spartianus, & Ammianus Marcellinus: Quo- L. 8. c. 3.
circa quod ipſum non in duos Auguſtos, ſed Cap. 24.
dumtaxàt in Auguſtum & Cæſarem ſit diviſibile, L.27.c.14.
quod item Cæſar ſit Auguſti ſolummodò appari-
tor & ſatelles, fuere zelotypa ſomnia Conſtan-
tii, adversùm imperii corrivales longè ſuſpica-
ciſſimi. Fateor tamen Collegam non à Senatu
aut exercitu, ſed à ſolo ſeniori ſeu principali
Auguſto ſemper fuiſſe electum. Etenim Colle-
gam obtrudere volenti exercitui reſpondit apud
Theodoretum, Hermiam Zozomenum, & Am- L.4.c.5.
mianum Marcellinum Valentinianus Auguſtus: L.4.c.6.
Me ad imperandum deligere, ò milites, penes vos L. 26. c.5.
erat, ſed cùm jam à vobis delectus ſim, conſortem 6.7.9.10.
imperii, quem poſtulatis, non in veſtra, ſed mea 14.
ſolius poteſtate deligere ſitum eſt. Verùm quod Oc-
cidentis Imperium ſemper fuerit Orientalis Au-
guſti donum ac beneficium, eſt penitùs falſum.
Etenim hic ipſe Valentinianus ſibi Occidentem,
fratri Valenti, priùs dumtaxàt Cæſari creato,
adſcripſit imperium Orientis. Ejus item filius
Gratianus, ſolius Occidentis Auguſtus, defun-
cti patrui Valentis Orientale imperium dedit
Theodoſio Magno. Idipſum Licinio Sororio
dedit Conſtantinus Magnus. Quoties plures Cæ-
ſares vel etiam Auguſtos habuit imperium, æta-
te ſenior fuit ſemper dignitate potior, & ad il-

lum

jum ſpectabat electio Collegæ. Quare fateor jus iſtud ad Leonem Iſaurum ſpectaſſe, niſi ſeſe per hæreſin illo ſpoliaſſet. Ipſum per hæreſin perdi docuit ſemper & Græca & Latina Eccleſia: Uti Romanus Pontifex, ità quoque Patriarcha Conſtantinopolitanus. Qoare qui id hodie negant, blaterant Carolum Magnum fuiſſe imperio perperàm intruſum.

Neque mireris Legatos Apoſtolicos de hac civili quæſtione adeò acriter certaſſe. Ab Adriano Pontifice acceperant iſta mandata. Et Anaſtaſius Bibliothecarius, Suppo Comes, & Everardus menſæ Præfectus, Ludovici Imperatoris Legati, non deſierunt illus accendere. Tertiam rationem edicit in laudati Pontificis vita Guilielmus Bibliothecarius: *Adrianus Pontifex Stephanum Nepeſinum Epiſcopum, quem procaciſſima falſitas sereniſſimo Ludovico Auguſto incuſans, domo, Patriaque proſcripſerat, ab Auguſta manſuetudine multis Epiſtolarum documentis requirere ſtuduit*, tandemque obtinuit. Stephanus ille erat Legatorum unus, ideòque priorem ſuſpicionem inſigni pro Ludovici dignitate zelo conatus eſt radicitùs expungere. Attamen nec ipſe, nec ejus Collegæ potuerunt à Græcis Auguſti titulum extorquere, atque ità Synodo noſtræ ſubſcripſerunt, non abſolutè, ſed ſub condicione: *Uſque ad voluntatem Eximii Præſulis Adriani*. Qui ſubſcribendi mos non eſt novus. Etenim etiam ſecundo Vaſenſi Concilio ità ſubſcripſit Contumelioſus Epiſcopus Regenſis. Metenſi item, in qua Guntharius Coloonienſis & Theutgandus Treverenſis Metropolita Lotharii Francorum Regis legitimas nuptias peſſimè exſufflarunt, Synodo quidam Epiſcopus ſubſcribens addidit: *Uſque ad Sedis Apoſtolicæ deliberationem*. Quam appendicem quia dictus Guntharius *arrepto cultello raſerat*, Sancti Nicolai Pontificis iram graviter accendit. Supra memoratas Baſilii Auguſti ad Ludovicum Auguſtum litteras exiſtimo hujus quæſtionis ergò ad Romanorum Legatorum, ſeſe & apud Pontificem & apud Auguſtum ſuum purgare & de omni conatu commendare ſatagentium, preces fuiſſe conſcriptas.

Tertia Legatorum poſt Synodum actio fuit ad urbem Romanam reditus, & ſalvus per viam conductus, de quo in marginali ad primam Actionem ſcholio Anaſtaſius Bibliothecarius: *Vicarii* Apoſtolici *gaviſi* Romanos Epiſcoporum *libellos* à Baſilio Auguſto *receptos nobis deferendos tradiderunt, qui videlicèt antequam remeandi ad Patriam iter arripuiſſent, ſeparati ſumus, qui Dyrrachio venimus Sipontum, deindè terreno itinere Beneventum, poſt hæc Romam, eoſdem libellos portantes. Miſſi verò Sedis Apoſtolicæ à Dyrrachio ſimili modo navem ingreſſi Anconam petebant; ſed Exadavenorum piratas incurrentes omnia, quæ poſſidere videbantur, penitùs amiſerunt, & ſimul codicem Actionum præſentis Synodi. Verùm ego, qui Romanæ Bibliothecæ curam gerebam, ſtudium habui à Conſtantinopoli mecum ipſius Synodi codicem deferendi, delatum ſummo Pontifici præſentavi, ac per hæc factum eſt, ut Sedes Apoſtolica, Deo authore, codicem Synodi per nos ſuſciperet, & libellos Miſſi quidem à nobis redditos, ſed per nos ſalvatos haberet: Quos nimirùm Miſſi, ſi penès ſe ut codicem Synodi & cætera ſcripta haberent, hos proculdubiò perderent.* Addit Guilielmus Bibliothecarius. *Legati navigantes in Sclavorum manus dudum incideruut. Bonis omnibus, & authentico, in quo ſubſcriptiones omnium fuerunt, exemplari denudati ſunt, ipſique capite plexi eſſent, niſi ab his, qui ab illis aufugerant, timeretur. Tandem Apoſtolicis, Imperialibuſque* Ludovici Auguſti *litteris ab exilio liberati, undecimo Calendarum Januariarum die, indictione quarta, Romam reverſi, omnia coram ſummo Pontifice & Proceribus retulere, nihil aliud ſcripturarum, quàm librum Actionis Ignatii, & libellos quos à Sclavis receperant, & reliquos libellos, quos Supponi Archi Miniſtro Imperiali & Anaſtaſio prudentiſſimo Bibliothecario ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, cujus præſcientiæ ſolicitudine exemplar amiſſæ Synodi, quod ſibi ſcribendum impetraverat, Eccleſia Romana ſuſcepit, dudum Conſtantinopoli commendaverant, oſtendere potuerunt.* Apoſtolicos Legatos è generalis Synodi loco Romam ſolenni evectione aut Regali dromone reducere eſt antiqua Romani Imperii pietas, cui etiam in Nicolai Pontificis Legatos deeſſe non præſumpſit Michael Auguſtus: Primus ob repetitos Romanæ Profeſſionis libellos, repetitam diœceſin Bulgaricam, ac defenſum Ludovici Auguſti Occidentale imperium defuit iratus Baſilius Auguſtus: Et quidem de colluſione cum barbaris & paganis Sclavis ſuſpectus. Quavis enim via Romanos libellos perdi voluit, & Epiſcopis ſuis fieri impunem libertatem Acta ſynodalia per additamenta aut truncationem vitiandi. Et hinc purgare ſe ſtudens in litteris de tribus capitulis, miſſis ad Adrianum ſecundum per Abbatem Theognoſtum, admiratur & dolet de Legatorum felicì in urbem Romanam adventu nihil intellexiſſe. At Pontifex meritò reſpondit: *Apocriſarios noſtros, ſuper quorum reverſione ſcripſiſtis, licèt ſerò, poſt multa tamen pericula, deprædationes, atque propriorum hominum trucidationem, nudos recepimus, non cujuslibet hominis fretos auxilio, ſed Dei ſolius præditos adminiculo. Undè audientes hæc univerſi gemunt, & quia iſti pertulerunt, quæ ſub nullo priorum Principum quemquam Sedis Apoſtolicæ Miſſum pertuliſſe recolunt, omnes ſtupefacti mirantur, ſitque continui clamoris ab Eccleſia noſtra murmur, quod ità diſpoſitionis veſtræ conſtitutio improvidè prodire potuerit, ut in barbarorum gladios nullo imperii veſtri præſidio inciderint.* Addit vel Michaelem Auguſtum fuiſſe ab ipſo imitandum. Porrò de Synodi codice per ſe Romam allato ſcribit in ejuſdem præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius: *Quidquid in Latino Actionum octavæ Synodi codice reperitur, ab omni eſt fuco falſitatis extraneum; quidquid verò ampliùs vel de diœceſi Bulgarica, ſive aliundè in ejuſdem Synodi codice forſan invenietur, totum eſt mendacii veneno infectum.* Seriò monet, ne quis à vitiatis codicibus ſe patiatur circumſcribi.

Quocircà Guilielmus Bibliothecarius verè ait hocce tempore Anaſtaſium Divina diſpenſatione Conſtantinopolim adveniſſe. Erat omninò neceſſarius. Attamen & quid humani illic eſt infeliciter operatus. Exſtat damnati Photii ad

ipſum

ipſum Epiſtola, dolentis ſe ejus ſanis conſiliis non acquieviſſe, ſperantiſque omnem acquieſcendi occaſionem non evanuiſſe. Grandem inter ipſos fiduciam Epiſtola demonſtrat. Quare videtur Anaſtaſius Photio, ad pœnitentiam & ſubmiſſionem hortatus, & hominem, quod Sancti Tharaſii Pattiarchæ ex fratre nepos eſſet, miſeratus, recuperandi per maternam Romanæ Eccleſiæ pietatem Epiſcopatus ſpem feciſſe, adeòque & poſt Sancti Ignatii mortem omninò exhibuiſſe officium mediatoris: Ejus ſuaſu videtur Joannes octavus Pontifex Phntium Patriarchatui reddidiſſe. Tale etenim fuiſſe Anaſtaſii ingenium docet in Remenſis Eccleſiæ hiſtoria Flndnardus:
L. 3. c. 23. *Hincmarus* Remenſium Archi-Epiſcopus *ſcripſit Anaſtaſio venerabili Abbati, & Bibliothecario ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, gratiarum referens actiones pro beneficiis ſibi ab eo collatis, & ut ſuggeſtionem ſuam Domino Papæ* Adriano ſecundo *acceptabilem faciat.* Hincmarus ob peſſimas in Sedem Apoſtolicam contumacias fuerat à Nicnlan Pontifice alter Pharao & novus Dioſcorus appellatus, appellarique potuerat ſecundus Photius: Ei tamen Anaſtaſius fuit familiaris, reddiditque Adriani Pontificis gratiam. At infeliciter: Etenim uti Photius, ità Hincmarus pellem non mutavit.

CAPUT XIII.

Acta Photii poſt Synodum.

A Noſtra Synodo degradatus, ad laicos abjectus, ac anathematizatus Photius Conſtantinopolitani Pattiarchatus ambitum, in Romanam Eccleſiam & Sanctum Ignatium odia, conſuetaſque nequitiæ verſutias non depoſuit, ſed auxit. Theodoro Santabarenn, quem poſteà creavit Euchaitarum Metropolitam, monacho longè viliſſimo, homine Manichæo & necromantico nſus, uti imaginariam Synodum in Nicolaum Pontificem, ità pro Baſilio Auguſto imaginariam Bycladem, id eſt, antiquæ nobilitatis fictam genealogiam compoſuit, in circumſcripti Principis gratiam tediit, à Patriarchalis officii clandeſtina functione, etiam Aphantopolitanorum, id eſt, titnlarium nullius civitatis Metropolitarum creatione nunquam ceſſavir, defuncti Sancti Ignatii thronnm reinvaſit, ac tandem ad Baſilii Auguſti preces & Anaſtaſii Bibliothecarii conſilia eſt in ipſo confirmatus. Ejus facinora requirant grande volnmen. Etenim & Synodum coegit, cujus os & lingua fuit Zacharias Pſeudo-Metropolita Chalcedonenſis, ſuprà damnatus, & in qua noſtram veram octavam generalem Synodum proſcripſit & abolevit, omnia ſua in ſupremum Romanæ Eccleſiæ Primatum attentata & nugamenta ſtabilire conatus, oſtendereque omnia pro Sancto Ignatio in ſe Decreta fuiſſe iniqua. Ei trecentos octuaginta tres Epiſcopos adfuiſſe mentitus eſt, præſedit ipſe Romanis Legatis dumtaxàt adſidentibus, tamquam Epheſino latrocinio novus Dioſcorus, eamque fecit in Eccleſia, ubi & noſtra eſt facta, Sanctæ Sophiæ, imitatus Arianos, qui per ſuum Nicææ in Thracia factum conventiculum ſperarant è vulgi memoria delere & confundere magnam Synodum Nicænam.

Edidit tres dumtaxàt Canones, relatu & explanatu dignos. Ptimum integrum ex Theodoro Balſamone adducit incogniti apud Chriſtophorum Juſtellum Auctoris libellns ſynodicus: *Statuit ſancta & univerſalis Synodus, ut ſi qui ex Italiæ* Cap. 153.
Clericis, vel laicis, vel Epiſcopis in Aſia vel Europa, vel Lybia verſantes ſub vinculo vel depoſitione, vel anathematizatione apud ſanctiſſimum Papam Joannem fuerunt, ut ii quoque ſint ejuſmodi etiam apud Photium ſanctiſſimum Patriarcham Conſtantinopolitanum in eadem pœnæ definitione, id eſt, depoſiti, vel anathematizati, vel ſegregati; & quos Photius quidem ſanctiſſimus noſter Patriarcha Clericos vel laicos, vel Epiſcopalis vel Sacerdotalis Ordinis in quacumque Parochia ſegregationi, vel depoſitioni, vel anathematizationi ſubjecerit, ſanctiſſimus quoque Papa Joannes, & ſancta Romanorum Eccleſia eoſdem in eodem pœnæ judicio habeat: Privilegiis, quæ adſunt ſanctiſſimæ Romanorum Eccleſiæ ſedi & ejus Antiſtiti, nihil penitùs novatis, nec nunc, nec in poſterum. Exponit antiqua de Pſeudo-Synndo Phntii admnnitio, exſtans poſt Synodum octavam: *Photius nititur non modò parem ſibi ac Pontifici tribuere poteſtatem, ſed ſibi quidem Provincias* ſeu Parochias *omnes, Pontifici verò ſolos ex Italia Clericos adſignat. Videtur etiam tollere appellationes ad Apoſtolicam Sedem, ut ſcilicèt abſolvere non poſſit Romanus Pontifex, quos Photius condemnarit.* Quapropter clauſula illa, *Privilegiis non innovatis*, eſt doli plena: Continet Euſebianum virus, adſerens omnes Patriarchas eſſe Jure Divino æquales, alterumque, etiam Romanum, in alterum nihil poſſe. Inſanas nugas, quibus Papatum Romà Conſtantinopolim migraſſe frequenter effutiverat, hac in Pſeudo-Synodo auſus non fuit ſtabilire. Eas poſtmodùm reſorbere & ſtabilire non erubuerunt Nilus Doxopatrius, in Romana hiſtoria Joannes Cinnamus, Michael Anchialus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Dialogo cum Manuele Comneno, & Chriſtinus in opere de topographia Chriſtiana. Eos, qui non ob imperii Chriſtiani ſedem, ſed ob Sancti Apoſtoli Petri merita adſerunt Eccleſiæ Primatum fuiſſe Romæ poſitum, Nilus Doxopatrius arguit uti homines malè feriatos. Et quoniam Primatus ille debet uſque ad noviſſimi Judicii diem eſſe perpetuus, Chriſtinus impudenter ac imprudenter ait iſtam ſedem nunquam Conſtantinopoli dimovendam. Verùm Turcica tyrannis evacuavit hanc ſapientiam, adimplevitque impia vota Michaelis Anchiali, malentis tyrannidem iſtam ſubire, quam hæreſin Latinorum. Omnium ſtultiſſimus fuit Hieremias Patriarcha Con- Cap. 13.
ſtantinopolitanus, in cenſura adversùm Lutheranos auſus eadem hæc delirare.

Secundum Photiani Conciliabuli Canonem L. 1. tit. 9.
citat apud Gregorium nonum Innocentius tertius c. 12.
Pontifex in litteris ad Epiſcopum Faventinum, à Ravennatibus poſtulatum in Archi-Epiſcopum:

Poſtulationi videbatur Concilii Conſtantinopolitani capitulum obviare, in quo ſtatutum eſt, ut quicumque de Pontificali dignitate ad monachorum vitam & pœnitentiæ locum deſcenderit, nequaquam ulteriùs ad Pontificatum reſurgat. Undè contra dictum Concilium, cùm ſit unum è quatuor principalibus, quæ ſicut quatuor Evangelia Eccleſia Catholica veneratur, nullatenùs videbatur poſtulatio admittenda. Doctiſſimi Pontificis Scriniarius memoria fuit lapſus Canonem hunc eſſe primi Concilii Conſtantinopolitani:
2.q 2.c 45 Rectè Gratianus eum eſſe dixit *ex quinta Actione Conſtantinopolitanæ Synodi trecentorum octuaginta trium Patrum ſub Joanne octavo Pontifice, cui præfuit Petrus Cardinalis Presbyter, Paulus Anconitanus Epiſcopus, & Eugenius Epiſcopus Oſtienſis, Apocriſarii Papæ.* Hi ſunt illi Paulus & Eugenius, quos ſuprà diximus a Photio fuiſſe ſeductos, & à Joanne octavo Pontifice degradatos. Pſeudo-Synodus illa tot Epiſcopos non habuit, ſed per numerum mendaciter à Photio exaltata eſt, neque Legati Apoſtolici ipſi præſederunt. Pergit enim ſuperiùs laudata admonitio: *In hac Pſeudo-Synodo Photius ipſe, non Romani Legati præſederunt, immò conficta Synodo adveniſſe illi dicuntur, & à Photio ad Synodum admiſſi, contra Canones, contraque veterem omnium generalium Synodorum conſuetudinem. Ejuſque præcipuum conſilium illud fuit, ut omnia, quæ contra ſe ante decreta erant, hujus Synodi auctoritate antiquarentur. Quare initio tum ipſe, tum corrupti Legati ſe à Pontifice miſſos ajunt, non ad ejus electionem confirmandum, ſed ad eos, qui Photio obedire recuſabant, reprimendos.* Non pro Photio, ſed pro Romana Eccleſia, tamquam horum malorum auctrice, corrigenda & punienda conveniſſe hanc Synodum effutire non erubuit homo mendax & impurus, Zacharias Pſeudo Metropolita Chalcedonenſis. Schiſmaticus de veteris Romæ à Græcis ſeparatione Auctor conveniſſe dicit. *contra Italorum multiplicem hæreſin, quam convellit ac anathematizat.*

Quare illam, & illius cauſa Photium denuò & meritò damnavit Joannes octavus, & Conſtantinopoli ad Baſiliom Auguſtum legavit Marinum Diaconum Cardinalem, doctiſſimum & conſtantiſſimum Synodi noſtræ Præſidem, de quo Stephanus ſextus Pontifex in litteris ad eumdem Baſilium: *Marinus ſumma pietate præditus, cum ea ſentiret, ea defenderet, quæ decreta erant à Prædeceſſore noſtro, Doctore ſanctiſſimo, Papa Nicolao, velletque illa ad unguem exequi, in ſummum apud vos contemptum venit. Et quia cum iis, qui aliena ſentiebant, conſentire recuſavit, nec Acta ſynodica, coram tua Majeſtate à ſe tranſacta, reſcindere & antiquare voluit, ad triginta dies in carcere eſt habitus: Quod ipſum ſibi pro veritate paſſo gloriæ potiùs, quam contumeliæ duxit.* Hocce Conciliabulum probare, & damnare veram octavam Synodum nolens, Photiumque juxtà Nicolai Pontificis Decreta è throno ad laicos rejicere volens Marinus eſt à Photio & per ipſum ſeducto Baſilio Auguſto in vincula conjectus. Vincula glorioſa: E quibus in Apoſtolicam Cathedram poſt Joannis Papæ mortem eſt promotus.

Attamen Conciliabuli ſecundus Canon eſt utilis, & Romanæ Eccleſiæ regulis in ſano ſenſu conformis, ideòque adducendus. Photius Patriarcha dixit: *Quid cenſetis de iis, qui ex Antiſtitum ordine ſeipſos in monachorum locum conferunt? Num qui ſeipſo ſubjectos eſſe voluerunt, poſſunt adhuc iidem imperium in gregem tenere?* Sanctiſſimi Locum-tenentes ſenioris Romæ dixerunt: *Id apud nos minimè fit, neque in more eſt poſitum. Quicumque enim ex Antiſtitum ordine monachorum, id eſt, pœnitentium ordini adnumeratus fuerit, is Antiſtitis dignitatem non poteſt ſibi ampliùs vindicare.* Baſilius & Elias locum tenentes Orientalium ſedium dixerunt: *Neque apud nos id unquam eveniſſe obſervatum eſt. Nam contrà monachi ad Antiſtitum ordinem provehuntur; at qui ex Antiſtitibus ad monachos deſcendunt, hi Antiſtites manere non poſſunt.* Sancta Synodus dixit: *De hac etiam re Canon conſtituatur. Nam & apud nos ſæpè de hac cauſa dubitationes enoriuntur, nonnullis quidem ità dicentibus non prohiberi Antiſtites, quò minùs, cùm monachi facti fuerint, Antiſtitum muneribus fungantur, nonnullis verò hanc ſententiam minimè probantibus.* Sanctiſſimi Locum-tenentes dixerunt: *Feratur Canon.* Photius Patriarcha dixit: *Si veſtra Sanctitas jubet, legantur Canones.* Eoſque in manus ſumens Petrus Deo amiciſſimus Diaconus & Proto-Notarius legit: *Quamvis huc uſque nonnulli Antiſtites ad monachorum habitum deſcendentes conati ſint in Antiſtitum faſtigio manere, cùmque id facerent, ea res neglecta eſt. Sancta tamen & Œcumenica hæc Synodus hanc quoque negligentiam corrigens, atque inordinatam hanc actionem ad leges, quæ de ſtatu Eccleſiaſtico ſunt, revocans ſtatuit, ut ſi quis Epiſcopus, ſive quis alius Antiſtitis dignitatem obtinens ad vitam monaſticam deſcendere, & pœnitentiæ locum implere voluerit, hic Antiſtitis dignitatem non ampliùs retineat: Monachorum enim inſtituta ad obedientiæ & diſciplinæ rationem pertinent, minimè verò ad magiſterii & præfecturæ, atque eorum ſunt, qui non alios paſcere, ſed paſci profitentur. Quocircà decernimus, ne quis poſthac eorum, qui in Antiſtitum catalogo ſunt, atque in Doctorum numero cenſentur, in eorum qui paſcuntur & pœnitentiam agunt, locum ſe transferant. Quod ſi quis poſt promulgationem ac notitiam hujus, quæ nunc pronunciatur, ſententiæ id facere auſus fuerit, quando ipſe ſeipſum Antiſtitis gradu privavit, priſtinam, quam factis contempſit, dignitatem ampliùs non recuperabit.* Hæc verba, *Photius Patriarcha dixit*, palàm edicunt Photium Synodo præſediſſe, habuiſſeque, quæ Sedis Apoſtolicæ ſunt, decidendorum propoſitionem & primum ſuffragium: Quare illa permittentes Legati Romani ſunt atrociter prævaricati, juſtiſſimèque degradati.

Canon nihilominùs, dummodò rectè intelligatur, eſt germanè Romanus. Et quidem an Clericus, præſertim Epiſcopus, poſſit fieri monachus, eſt quæſtio olim agitata inter Wenilonem Archi-Epiſcopum Senonenſem & Sanctum Lupum Abbatem Ferrarienſem. Aldegarius & Baldricus, Senonenſis Eccleſiæ Presbyteri, volebant in Ferrarienſi monaſterio Sancti Benedicti Regulam profiteri; at interceſſit Wenilo Archi-Epiſcopus, dicens ſpirituale Presbyteri cum ſuo titulo matrimonium eſſe carnali conſummato ſimile, adeòque ſuſcipiendi monachiſ-

mi

mi cauſa non poſſe diſſolvi. Reſpondit verò San-
Epiſt. 19. ctus Lupus: *Nunquam id in controverſiam vocatum vel audivi, vel magiſtra lectione comperi*. Plurimos & Epiſcopos & Clericos, à quibus credi non poſſit ignorari Canones, dicit quotidie convolare ad monaſteria, & Sancti Benedicti Regulam, à Sancto Pontifice Gregorio Magno approbatam, diſertè permittere, ut Presbyteri ad monaſteria acceptentur. Et de matrimonio, quod Deus conjunxit, dictum eſt: *Homo non ſeparet*: Atque ità Deus ſecreta ad iſtum pœnitentiæ & ſanctimoniæ ſtatum evocatione poteſt omninò diſſolvere. Qua de re ad Robertum Pontiniacenſis monaſterii Priorem ſcribit etiam Stephanus Epiſcopus Tornacenſis:
Epiſt. 1. *Parochiales Presbyteri obedientiam, quam promittunt, debent Epiſcopis ſuis, & ſacramentaliter alligati ſunt Eccleſiis ſuis, quas regunt, tamquam uxoribus propriis. Lege autem communi Canonum ſine licentia Epiſcoporum ſuorum, quibus obedientes eſſe debent, nec ipſi recedere, nec alii eos recipere debent. Lege autem privata, quæ inſtinctu Spiritus Sancti in corde ſcribitur, ſi ad monaſterium vel Canonicam regularem tranſierint, tales etiam contradicentibus Epiſcopis recipi poſſunt*. Probat ex Canone Urbani ſecundi Pontificis; *Si quis in Eccleſia ſua ſub Epiſcopo populum retinet, ſi adflatus Spiritu Sancto in aliquo monaſterio vel regulari Canonica ſalvare ſe voluerit, etiam Epiſcopo ſuo contradicente eat liber auctoritate noſtra. Juſto enim lex non eſt poſita, ſed ubi Spiritus Domini, ibi libertas*.

Libertas hæc eſt antiquiſſima, nequaquam per Urbanum ſecundum introducta. Etenim Jaco-
Epiſt. 32. bum è Presbytero monachum laudat Sanctus Ambroſius, mandans ab Epiſcopo ſuo Severo
L. 5. c. 20. non repeti aut inquietari. Etiam Evagrium Pon-
L. 6. c. 30. ticum ex Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archi-
L. 1. Epiſt. 9. 10. Diacono, & Sabbathium ex Novatianenſi Presbytero monachos memorant Socrates & Hermias Zozomenus. Plurima iſtiuſmodi exempla refert in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem
L. 2. Epiſt. 14. Sanctus Petrus Damiani. Germanum fratrem ſuum Damianum ex Archi-Presbytero mona-
L. 4. Epiſt. 8. chum laudat in litteris ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem & Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, ac in litteris ad Mainardum Epiſcopum Eugubinum. Intrandi monaſterii votum eſſe rigidiſſimæ obligationis in litteris ad Landulſum Eccleſiæ Mediolanenſis Clericum oſtendit exemplo nobi-
L. 5. Epiſt. 16. lis viri Arduini, ob ejus ſolius prævaricationem damnati ad ſempiternos ignes: Vigere illam adfirmat etiam in Presbytero, immò & in Epiſcopo, demonſtratque exemplo Adami Sempronienſis Epiſcopi, ob ſimilem prævaricationem inſigniter à Deo puniti.

Iſtud tamen ſeu Propoſitum ſeu votum Epiſcopus exequi non poteſt ſine licentia Romani Pontificis, aut Primatis ſeu Metropolitæ illius, à quo fuit in Epiſcopum confirmatus. Neſcio hac de re expreſſum Eccleſiæ Canonem, video tamen ità ſemper in Eccleſia fuiſſe obſervatum. Etenim Humfridus deſtructæ per Nortmannos Motinenſis civitatis Epiſcopus licentiam iſtam poſtulavit à Nicolao primo Pontifice, eamque Pontifex negavit. Eamdem Hedenulſo Laudunenſi Epiſcopo fuiſſe à Joanne octavo Pontifice negatam ſcri- A. 878.
bunt Annales Francorum Bertiniani. Luitpoldum Archi-Epiſcopum Moguntinum fuiſſe à Cle-
ro ſuo & populo retractum è Cluniacenſi mona- A. 1072.
ſterio teſtatur Lambertus Schaſnaburgenſis. Joannem Glaſnenſem Epiſcopum retraxit, & Sancto Malachiæ Dunenſi Epiſcopo intrandæ claræ Vallis licentiam denegavit Innocentius ſecundus,
neque Sanctus Bernardus contradixit. At verò Epiſt. 2.
Decano Lugdunenſi è monaſterio nepotem Canonicum retrahenti contradixit potentiſſimè,
quod alia ſit in hoc puncto Epiſcoporum ratio, L. 1. c. 125.
alia Cleri inferioris, cui plenam adſumendi mo- c. 44.
nachatus libertatem ſanciunt etiam Synodus Aquiſgranenſis, & ibidem celebratus conventus Abbatum. Hanc ejus piam mentem adjuvari, & nullatenùs impediri ab Epiſcopis mandat habita ſub Joannis duodecimi Pontificatu Synodus
Auguſtana. Clericos Priſcillianiſtas, quod mo- Cap. 7.
nachi fierent, damnat Synodus Cæſar-Auguſtana: Nempè quod Cleri, tamquam luxuriæ & vanitatibus dediti, ſtatum damnarent, ideòque ad Monachiſmum tamquam neceſſarium ſalutis
medium convolarent. Euſtatii Metropolitæ Se- Cap. 6.
baſteni errorem reſuſcitabant. Ità promotos ex monacho Epiſcopos Regularis Præpoſituræ cupiditate regredi ad ſua monaſteria nuper vetuit,
eoſque iſtius Prælaturæ incapaces reddidit Paulus Conſt. 21.
quartus.

Hæc verò omnia intelligi oportet de Epiſcopis & Clericis ſæcularibus. Etenim de Regularibus in communi viventibus ſtatuit Urbanus ſecundus: *Mandamus & univerſaliter interdicimus, ne quis Canonicus regulariter profeſſus, niſi quod abſit, publicè lapſus fuerit, monachus efficiatur. Quod ſi Decreto noſtro contraire præſumens agere tentaverit, ad Ordinem Canonicum præcipimus ut redeat, & deinceps memorialem cellulam deferat, & ultimus in choro ſedeat*. Ità Canonem refert in litteris ad
Robertum Pontiniacenſis monaſterii Priorem Epiſt. 5.
Stephanus Epiſcopus Tornacenſis, addens & alium ſimilem Synodi Eduenſis. Verùm pro vo-
cibus, *Cellulam memorialem*, rectiùs legit Gratia- L. 1. Epiſt. 4.
nus *Memorialem cucullam*. Exponit in litteris ad Abbatem Præmonſtratenſem Sancti Martini Laudunenſis Innocentius tertius: *Cucullam ad memoriam delaturus*. Alia lectio habet: *Memoriale ſuæ præſumptionis cucullam*. Non integram monaſti-
cam veſtem, ſed ſolum capitium, quod *Cucul-* L. 3. c. 4.
lionem Hermias Zozomenus, in libro de mona- c. 14.
chorum habitu Joannes Caſſianus *Cucullam*, *Floccellum* autem vocat in litteris ad Sanctum Ivonem Carnutenſem Epiſcopum Goffredus Abbas Vin-
docinenſis: *Dominus Ernaldus, quem Decanum* L. 2. Epiſt. 7.
veſtrum dicitis, ſi ſibi ſecundùm juſtitiam placuiſſet, teſte Floccello de capite ſuo potiùs in noſtra, quàm in veſtra ſorte manere debuiſſet. Floccus totius corporis, Floccellus eſt ſolius capitis tegumentum. Erat pœnale ſignum, Clericum ſemper adfigens ultimo loco, reddenſque irregularem ad quamvis dignitatem. Hinc Ivonem, qui è monaſterio retractum Ernaldum reliquerat in Decanatus dignitate, notat Goffredus: *Quem Decanum veſtrum dicitis*. Hinc item ille Sancti Martini Abbas, qui in Sancti Vincentii Laudunenſis Bene-

dicto monaſterio niger monachus fuerat, redux eligi ſine Apoſtolica diſpenſatione non potuit in Abbatem Præmonſtratenſem. Eadem Innocentii tertij Epiſtola exſtat apud Gregorium nonum. L. 1. tit. 14. c. 12. Malè iſtic pro *Monaſterio Sancti Vincentii*, legitur, *Monaſterio Sancti Innocentii*. Porrò Ernaldum Decanum, qui è monaſterio ad Canonicam redierat, notat Goffredus Vindocinenſis. Quod dicto Urbani ſecundi Decreto non obſtante controververint ſemper cum Epiſcopis & Clericis regularibus monachi, volentes ſtatum ſuum ſanctiorem, ideòque illum à Clericis iſtis etiam Epiſcopo invito poſſe adſumi. Et Goffredus Abbas ob illuſtria in Urbanum ſecundum ſchiſmate adflictum merita erat linguæ liberioris. Quin immò non ità pridem pôſt Stephanus Clericus & Abbas Regularis ac dein Epiſcopus Tornacenſis in laudatis ad Robertum Pontiniacenſem litteris fatetur Urbani Canonem non habere vim adversùs Ordinem Ciſtercienſem. *Certè ego*, inquit, *canonicis regularibus præſum, & cùm à Domino Papa* Alexandro tertio *privilegium quærerem, ut Canonicos noſtros nobis invitis nullus retinere auderet, addidit in privilegio:* NISI CAUSA DISTRICTIORIS VITÆ AD ARCTIOREM ORDINEM TRANSIERINT. *Ecce videtur, quia privilegium Urbani reſtringitur privilegio Alexandri. Verè ſi aliquis noſtrorum ad Ciſtercienſes tranſire vellet, ante tranſitum diſſuaderem, poſt tranſitum non revocarem. Nollem Spiritui Sancto reſiſtere, nollem Spiritum exſtinguere, nollem libertatem Spiritus impedire*. Et hinc hodie quivis Regulares Clerici liberè tranſire poſſunt ad Ordines Mendicantes.

Epiſcopus tamen monachiſmum adſumens deponit ab Epiſcopatu ſeipſum, neque deinceps ad Epiſcopalem Cathedram poteſt reſpirare. Et hic eſt ſcopus à præſenti Photiano Canone intentus. Eadem olim fuit ratio cujuſcumque Clerici. Etenim ad Anthemium Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum ſcribit Sanctus Gregorius Magnus: L. 1. Epiſt. 40. *Si quos qualibet occaſione à Clericatu in monaſticam converſionem venire contigerit, non liceat eis ad eamdem vel aliam Eccleſiam, quarum priùs milites fuerant, ſua voluntate denuò remeare, niſi talis vitæ monachus fuerit, ut Epiſcopus, cui antè militaverat, Sacerdotio dignum præviderit, ut ab eo debeat eligi, & in loco, quo judicaverit, ordinari*. Et ad Gauſredum Epiſt. 52. Cenomanenſis Eccleſiæ Decanum ſcribit Sanctus Ivo Epiſcopus Carnotenſis: *Qui contempto Clericatu ad monaſterium confugit, & è converſò contempto monaſterio iterùm ad Clericatum adſpirare contendit, non mihi facilè ſuſcipiendus videtur ab eis, quibus vita, & doctrina, & moribus necdùm fuit manifeſtus. Si ergò hujuſmodi perſonæ intruſione te ſenſeris prægravari, libera eſt tibi facultas refutandi*. Et in ſcholiis ad Photii Nomo-Canonem ait Theo-Tit. 1. c. 3. dorus Balſamon: *Novi non ſcriptam quandam conſuetudinem, quæ quia corroborata non eſſet, reprobata & rejecta eſt. Cùm enim moris fuiſſet, ut qui ex laicis*, ſeu ſæcularibus *Sacerdotibus monachi facti eſſent, quoniam priùs miniſterio Sacerdotum adſcripti fuiſſent, poſt ſuſceptam vitam monachicam in corpore & collegio miniſteriorum recenſerentur, & cum Sacerdotibus laicis converſarentur; ſacratiſſimus noſter Dominus Michael* Anchialus Patriarcha Conſtantinopolitanus *hanc longam conſuetudinem pro nihilo reputavit, ac verò decrevit, ut ex laicis Sacerdotibus ſolùm miniſteria conſtituerentur, monachi autem in receſſibus ſuis adſidui eſſent*. Nequaquam monachos ad Clerum promoveri, ſed è Presbyteria factos monachos vetat manere in miniſterio, aut ad ipſum redire. De ſolis Epiſcopis loquentem Photianum Canonem extendit ad Clerum inferiorem.

Verùm hæc moderatur, & Romanæ Eccleſiæ ſenſum exponit in ſuprà adductis ad Epiſcopum Faventinum litteris Innocentius tertius, dicens de Photiano Canone: *Canon in eo loquitur caſu, cùm propter aliquod crimen Epiſcopatum quis deſerens ad vitam monaſticam pœnitentiæ cauſa deſcendit. Undè quidam in eo caſu loqui dixerunt, cùm quis pro crimine, de quo convictus fuerat vel confeſſus, ab Epiſcopali dignitate depoſitus monaſterio exſtitit ad agendum pœnitentiam incluſus, vel cùm aliquis propter grave crimen, pro quo Epiſcopatum retinens pœnitentiam dignè agere non valebat, cedendi obtenta licentia vitam monachalem elegit*. Etenim qui ad agendam pœnitentiam Epiſcopatu cedit aut ejicitur, reus eſt gravioris criminis, ideòque ad illum recuperandum perpetuò irregularis, quoniam Apoſtolicus Canon mandat Epiſcopum *eſſe ſine crimine*. Et hinc Abrahamen è Presbytero monachum fuiſſe poſteà factum Epiſcopum Carrhenſem ſcribit & laudat in monaſtica hiſtoria Theodoretus. Cap. 17. Et Sanctus Eutychius è Presbytero monachus per Juſtinianum Auguſtum in quinta Synodo evectus eſt in Patriarcham Conſtantinopolitanum. Et Sanctum Anſelmum ex Epiſcopo monachum Gregorius ſeptimus Pontifex rursùm creavit Epiſcopum Lucenſem. Fredericus ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diacono Cardinali monachus poſtmodùm factus eſt Romanus Pontifex, appellatus Stephanus nonus. Nempe ſolius voluntariæ pietatis, non neceſſariæ pœnitentiæ cauſa deſcenderant in monaſticam Philoſophiam. Et hinc omnem, qui ob perſecutiones, morbum, imperitiam, commiſſam à parentibus ſimoniam, aut aliam id genus ſine proprio crimine cauſam depoſuit Epiſcopatum, poſſe ad illum redire addidit laudatus Innocentius tertius, at mediante nova electione. Quare etiam quidam Canonem ità intelligunt, quod ex Epiſcopo aut Clerico monachus *nequeat per ſe reſurgere*, ſeu proprio arbitrio ad depoſitam dignitatem redire. Ità omninò intellexit etiam Sanctus Gregorius Magnus in laudatis ad Anthemium Subdiaconum litteris: *Non licèt eis ſua voluntate remeare*. Addit ad eamdem etiam Eccleſiam poſſe ab Epiſcopo readſumi.

At ſenſum longè alium Photius intendit. Uti ad vexandum Sanctum Athanaſium Euſebiana factio Canones Antiochenos, ità ad damnandum Sanctum Patriarcham Ignatium, jam in pace defunctum & miraculis coruſcantem, Photius hunc Canonem, rectum & Catholicum, edidit, at pravo ſenſu & mente doloſa. Sanctus Ignatius, Patriarchatu violenter ejectus, ad monaſterii ſui quietem ſeſe receperat: Hinc illum Epiſcopatui nunquam potuiſſe reddi, & illegitimè à Romana Eccleſia ac noſtra Synodo fuiſſe

redditum,

redditum, imperitorum gregi perſuadere conatus Photius emiſit hunc Canonem, ejuſque pravum & à Romana Eccleſia alieniſſimum ſenſum curavit ab Eugenio & Paulo Epiſcopis, ac Petro Presbytero Cardinali, Joannis octavi Legatis, approbari. Eumdem Arſenius, Photianæ partis monachus Canonem redegit in hanc Synop-
Cap. 78. ſim: *Non oportet Epiſcopum attonderi, ac deinceps in Epiſcepatu manere.*

De tertio Photii Canone habet ſuperiùs laudata Admonitio: *Poſtremò recitatum eſt Conſtantinopolitanum Symbolum, & ne quid ab aliquo adderetur, conſtitutum. Quibus verbis innuere videtur Photius illam additionem Symbolo factam eſſe Spiritus Sancti à filio proceſſionem, quam etiam palàm in ea Synodo impugnare non eſt auſus.* Et in libro de octo generalibus Synodis Nilus ſchiſmaticus Metropolita Rhodiorum: *Epiſcopis pro communi Eccleſiarum concordia congregatis, Presbyteri ſenioris Romæ conclamarunt; Decorum eſt nihil innovari, ſed veterem definitionem, & toto orbe obtinentem ac celebratam legi & confirmari.* Legi Epheſinum Canonem de non addendo ad Symbolum. Pergit Nilus: *Poſteà Legati Romæ ac tota Synodus acclamavit: Si quis edat aliud Symbolum, aut hanc definitionem commoveat, vel adjiciat, detrahatvè quidquam huic ſacro ſanctoque Symbolo, quomodò lectum eſt, anathema ſit.* Subjungit Nilus Joannis octavi Pontificis ad Photium litteras, hujus Canonis confirmatrices, è quibus ſuprà adductis quædam repeto: *Significamus Reverentiæ veſtræ, ut de hoc articulo, ob quem inter Eccleſias Dei ſcandalum exortum eſt, ità de nobis perſuaſum habeas, quod non modò non dicimus hoc* additamentum, *ſed & eos, qui primùm auſi ſunt ſua temeritate hoc facere, tranſgreſſores Divinorum mandatorum cenſemus, & cum Juda collocamus.*

Epiſtolam hanc eſſe cujuſpiam poſterioris Græculi figmentum nemo non videt. Figmentum penitùs mendax. Etenim Romana iſto tempore Eccleſia neque addebat Symbolo, neque ipſum ad Miſſarum ſolennia cantabat, ideòque inter ipſam & Eccleſiam Conſtantinopolitanam nulla eſſe poterat deſuper contentio. Soli addebant Franci, Græcis propter Occidentis imperium peſſimè exoſi. Hìnc eos tamquam à Joanne Pontifice & Romana Eccleſia anathematizatos & ad Judam abjectos mendax & nugax epiſtolæ confictor proſcindit. Verùm Photius Francos nunquam offendit, ſed omni dolo ſtuduit ſibi adligare. Etenim Ludovico Auguſto, ſi Nicolaum Pontificem Roma ac Italia ejiceret, Orientale ſpopondit Imperium, ei tanquam legitimo Occidentis Imperatori fauſtiſſima acclamavit in Synodo imaginaria, & Gallicanam Eccleſiam ſibi adversùs eundem Pontificem & Romanam Sedem conſentire blateravit, adeòque ſibi contentiones eſſe non cum Latinis cunctis, ſed cum ſolis Italis, præſertim Romanis. Hìnc de facto per Francos Symboli additamento nunquam auſus fuit vel mutire. Et ejus adversùm Romanos calumnia fuit de ſola Spiritus Sancti proceſſione. Nam & ad Aquilejenſem Archi-Epiſcopum edidit Epiſtolam *De blaſphemantibus Spiritum Sanctum & ex filio procedere.* Edidit item Amphilochia, librum grandem, cujus titulus: *De Spiritu Sancto diſciplina arcana, & quemadmodum filius ex ſolo Patre, ità & Spiritus Sanctus ex ſola eademque cauſa procedit, dicitur tamen filii eſſe, tamquam qui illi conſubſtantialis eſt, & ab eo mittitur.* Liber ille dicitur Amphilochia, non quod ex Sancti Amphilochii Iconienſis Archiepiſcopi ſententiis depromptus ſit, ſed quod Amphilochio Pſeudo-Metropolitæ Cyziceno, per noſtram Synodum damnato, inſcriptus ſit, ejuſque trecentas & tredecim quæſtiones enodet. Ex quo liquet non eſſe, quod aliqui putant, opus Metrophanis Metropolitæ Smyrnenſis, viri orthodoxi, & Photianis ad uſque mortem conſtanter adverſi. Adversùs Symboli additamentum nihil ſcripti Photius emiſit. Et hìnc veriùs eſt, quod tertius hujus Synodi Canon de ſola Spiritus Sancti proceſſione ſtatuerit, & quidem doloſè & per ambages: *Eam palàm impugnare non eſt auſus.* Photii poſteritas primùm cœpit de additamento litigare.

Super ejus horrendis iniquitatibus Divina juſtitia non dormivit. Eas ipſe complevit in Baſilii Auguſti filium Leonem ſapientem machinans, ac in nepotem ſuum conatus imperium derivare. Hìnc imperio poſt Patris mortem admotus Leo Photium mox ejecit ſede Patriarchali, clauſit ut degradatum & ſeditioſum in Armeniorum monaſterio, rursùm curavit damnari à Romana Eccleſia, & throno Patriarchali impoſuit Stephanum ejuſdem Eccleſiæ Diaconum, fratrem ſuum Germanum. Addit Synodi noſtræ Breviarium, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ valvis adfixum: *Photius quadraginta quinque annis ad hodiernum uſque diem, à Papa nempe Leone* quarto *uſque ad Formoſum excommunicatus fuit. A Pontificibus Romanis Leone* quarto, *Benedicto* tertio, *Nicolao* primo, *Adriano* ſecundo, *Joanne* octavo, *Marino* primo, *Adriano* tertio, *Stephano* ſexto, *& Formoſo, anathematis fulmine fuit ictus.* Ex quo liquet eum uſque ad Formoſi Pontificatum ſupervixiſſe. Quid interim egerit, ubi & quando defunctus ac ſepultus ſit, occultarunt ejus ſequaces, & huc uſque ignoramus: Nullum novimus Photii ſepulchrum, niſi inferni ignes ſempiternos. Cauſam in Synodo Florentina aperuiſſe videtur Marcus Archi-Epiſcopus Epheſinus: *Ex eo* jam dictæ Pſeudo-Synodi *tempore ad hunc uſque diem in magna Conſtantinopoleos Eccleſia ità legitur:* OMNIBUS, QUÆ ADVERSUM SANCTOS PATRIARCHAS PHOTIUM ET IGNATIUM SCRIPTA VEL DICTA SUNT, ANATHEMA. Quævis Photii opprobria Schiſmatici anathemate damnarunt, atque ità occultarunt. Alii illum in fine vitæ pœnituiſſe, alii Romam adversùs Leonem Auguſtum appellaſſe & iviſſe, atque in Romanæ Eccleſiæ gratiam rediiſſe, alii de ipſo alia memoratu indigna ſunt mentiti.

CAPUT

CAPUT XIV.

De auctoritate octavæ generalis Synodi.

PRima quæſtio eſt, An hæc Synodus per Adrianum ſecundum Pontificem ac ejus Succeſſores fuerit confirmata? Reſpondeo fuiſſe. Etenim in marginali ad decimam Actionem & Epiſcoporum ſubſcriptiones ſcholio dicit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Quotquot ſub Nicolao & Adriano Pontificibus Epiſcopi fuerant, hujus Synodi ſenſui conſenſerunt*. Id eſt, confirmata fuit hæc Synodus ab omni Eccleſia Latina. Fuiſſe ab Adriano Pontifice confirmatam docet doctiſſima ejuſdem Anaſtaſii ad ipſum præfatio. Et in litteris ad Hugonem Dienſem Epiſcopum, ſuum in Gallia Vicarium, ſcribit Pontifex Gregorius ſeptimus, agens adversùm laicas Antiſtitum in-
L. 4. Epiſt. 12. veſtituras: *Eadem ſententia & animadverſionis cenſura, quam beatus Papa Adrianus* ſecundus *in octava Synodo*, cui utique non interfuit, ſed quam confirmavit, *de hujuſmodi præſumptoribus ſtatuit, ſe adſtrictum cognoſcat*. Et trium Capitulorum diſpenſationem à Patriarcha Ignatio & Baſilio Auguſto rogatus ipſe Adrianus Pontifex reſpondit: *Nihil poſſumus ab eo, quod jam conſtitutum eſt, ordinare diverſum, maximè de Photii conſecratione. Non enim eſt in nobis* EST & NON EST. *Et ſi quæ deſtraximus, eadem reædificamus, prævaricatores legis nos eſſe conſtituemus*. In Photii conſecrationem, id eſt, in Epiſcopos & Clericos à Photio conſecratos ſe poſt Synodum non fore inflexibilem ſpoponderat ante illa Adrianus, cur ergò nunc dicit ſe in ipſos ſine ſuorum Conſtitutorum prævaricatione nihil poſſe? Quod Synodum hanc confirmaſſet. Et Synodi ejuſdem Breviarium, exſtans in editione Biniana, ità clamat: *Omnia Synodi octavæ œcumenicæ Decreta firmiſſimè caſtodienda ſunt. Nam ſi hæc Synodus violetur, nullus Romæ aut Conſtantinopoli Sacerdos legitimus reperietur*. Quod nempe cum omnibus ſuis Epiſcopis Romanus Pontifex & Patriarcha Conſtantinopolitanus eam fixa Cruce firmaſſent, & ſemetipſos, ſi Crucem ſuam fuerint prævaricati, degradatione ac anathemate damnaſſent. Et antiqua Romani Pontificis profeſſio habet: *Profiteor ſancta octo generalia Concilia uſque ad unum apicem immutilatè ſervare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt & ſtatuerunt, omnimodè ſequi & prædicare, quæque condemnaverunt, condemnare ore & corde*. Et hanc profeſſionem reſpicit Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus
Epiſt. 107. in litteris ad Manaſſem Archi-Epiſcopum Remenſem: *Octavam Synodum Romana Eccleſia commendat & veneratur*. Eamdem adversùs laicas Antiſtitum inveſtituras agens commendat in lit-
Epiſt. 3. teris ad Sanctum Anſelmum Cantuarienſem Archi-Epiſcopum Pontifex Paſchalis ſecundus. Et
F. 61. magnum Belgii chronicon: *Octava Synodus ſine dubio in auctoritatem recepta eſt, ſed poſt illam nulla Græca à Latinis admittitur ampliùs*. Eamdem uti verè univerſalem, quia à quinque Patriarchis celebratam, prædicat Sanctus Anſelmus Epiſcopus Lucenſis. Errat tamen celebratam fuiſſe ſub Sancto Nicolao Pontifice, & ab Epiſcopis ducentis. De eadem ſcribit Nicetas Paphlago: *Ego Synodum hanc, Actiones omnes, & definitos in ea Canones, perindè ac in aliis ſeptem œcumenicis Synodis, ità in hac quoque, ut Sanctos & à Spiritu Sancto dictatos valdè probo, admittoque*. Eam adeò reveriti ſunt Græci omnes orthodoxi, ut ipſius L. 1.
Breviarium cum inſigni elogio fixerint in valvis ſuarum Eccleſiarum, etiam majoris Conſtantinopolitanæ. Erat ſupremæ auctoritatis ſignum, & antiquus Chriſtianorum mos, de quo in libris de civitate Dei Sanctus Auguſtinus: *Initium* L. 10 c. 29
Evangelii, cui nomen eſt ſecundùm Joannem, quidam Platonicus aureis litteris conſcribendum, & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum dicebat. Nam & ità ſuas adversùs Symboli additamentum tabulas in Eccleſia Vaticana fixit Leo tertius.

Laudatam Romani Pontificis profeſſionem omninò fecit etiam Joannes octavus. Romanæ item Adriani ſecundi Synodo ut Cardinalis Archi-Diaconus ſubſcripſit, cunctis Photium recipere tentatuis dicens anathema. Et poſt Pauli Anconitani & Eugenii Oſtienſis Epiſcoporum, ac Petri Cardinalis Presbyteri in Photii Pſeudo-Synodo lapſum adſcendit cum ſancto Evangeliorum codice ambonem, & Photium denuò anathematizavit. Hinc de illo dicit Synodi noſtræ appendix extans in editione Biniana: *Romani quo pacto auſi ſunt violare, quod ſuæ manus ſubſcriptione firmarant? Nam & illi omnes de duabus Synodis Romæ à Nicolao & Adriano*, Pontificibus, *celebratis chyrographa ediderunt, quibus Joannes Archi-Diaconus, qui Nicolao poſt Adrianum in Pontificatu ſucceſſit, manu ſua ſubſcripſit. Poſuerunt omnes chyrographa ſua ſuprà tumulum Sancti Petri teſtati ſe Photium Eccleſiæ adulterum, aut Ordinationem ejus, aut eos qui dictis duabus Synodis auctoritatem abrogarint, numquam recepturos. Eodem modo Conſtantinopolitani ſuas ſubſcriptiones ſupra veneranda Crucis ligna poſuerunt, jurati ſe nunquam cum Photio aut Photianis communicaturos, Synodumve œcumenicam, quæ duas Romanas ſecuta eſt, numquam violaturos*. Joannem octavum, uti Crucis ſuæ prævaricatorem, notat appendix, & addit Photium & Photianæ conſecrationis Epiſcopos, à generali Synodo & omnibus Patriarchis unanimiter damnatos, ab illo, utpotè uno Patriarcha, ſolvi non potuiſſe. Verùm excedit ac impingit in Divinum Sancti Petri privilegium. *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Quærere tamen poterat, an faciendæ tantæ gratiæ legitimas cauſas habuerit Joannes. A multis judicatus eſt non habuiſſe: Quia in tanta re ex virili conſtantia non egit, dedit anſam fabulæ de Papiſſa Joanna. Nam & Stephanus ſextus Pontifex, qui Stephanum Baſilii Auguſti filium, Leonis ſapientis fratrem, Photianæ conſecrationis Diaconum, diſpenſavit ad Patriarchatum, item ejus ſucceſſor Formoſus, quoſdam Photianæ conſecrationis Epiſcopos gradui reddens, à Græ-

cis

eis orthodoxis fuere graviter culpati. Longa eſt hæc quæſtio: Ex ipſa interim diſcimus noſtram Synodum apud omnes ſub cœlo Eccleſiss fuiſſe ſummæ auctoritatis.

Nihilominùs & ipſa habuit ſuos æmulos, & Græcos & Latinos. Omninm primus fuit ipſe Photius, qni eam penitùs abolevit, curcumſcripſit, damnavit, & ſuam Pſeudo-Synodum appellavit generalem octavam. Ità etiam vocat Nilus Metropolita Rhodiorum. Et ad Cardinalem Julianum, ad noſtræ Synodi Acta provocantem, dixit in Florentino Concilio Marcus Archi-Epi-
Seſſ. 6. ſcopus Epheſinus: *Hunc librum tradi vobis non eſt facile, ſed ſi præ manibus etiam illum haberemus, nulla neceſſitate cogimur ad connumerandam inter œcumenicas Synodos aliam Synodum, quæ prorsùs non eſt approbata, ſed potiùs reprobata. Nam Synodus hæc, de qua loquitur veſtra Reverentia, continet Acta adversùs Photium tempore Joannis Papæ & Adriani. Poſteà celebrata eſt altera Synodus, quæ Photium reſtituit, & priorem Synodum abrogavit. Hæc Synodus, quæ octava etiam appellata eſt, facta eſt ſub Joanne Papa, cujus Joannis Papæ exſtant pro Photio Epiſtolæ. Porrò hæc Synodus egit etiam de additamento Symboli, cenſuitque dignum, quod penitùs enpungeretur. Arbitramur autem vos nec Synodum, nec Epiſtolas Joannis Papæ ignorare. Cùm igitur Acta illius Synodi reſciſſa ſint, juſtum non eſt illam quærere, ſed potiùs quæ poſt illam eſt celebrata. Itàque en eo tempore uſque ad hunc diem in magna Conſtantinopolitana Eccleſia ità legitur:* OMNIBUS, QUÆ ADVERSUM SANCTOS PATRIARCHAS PHOTIUM ET IGNATIUM SCRIPTA VEL DICTA SUNT, ANATHEMA. *Quare nec decet omninò in medium adferri ea, quæ ſunt abrogata.* Et rurſùm infrà: *De octava Synodo nihil dicimus, & certè juſtum non eſt prætermitti œcumenicas, & inquiri particularem.*

Et ad hæc omnia oihil repoſuit Cardinalis Julianus, vir longè doctiſſimus, niſi hæc pauca: *Volo vos hoc metu liberare, ne illud vereamini, quod ſit aliquid en octava Synodo legendam.* Eſt peſſimè officio functus. Conſtanter debuerat octavam Synodum defendere, refellereque hominis neqniſſimi nugas ſchiſmaticas, mendacia, errores. Primò enim noſtra Synodna ſub ſolo Adriano Pontifice, nequaquam etiam ſub Joanne eſt cœpta & finita. Secundò Photii Synodus fuit conventus latrocinalis, Synodi oomine indignus, à ſolis Schiſmaticis vocatua Synodus octava. Tertiò Pſeudo Synodus illa nequaquam in Symboli additamentum, ſed io ſolam Spiritus Sancti proceſſionem inſaniit, ſuas tamen blaſphemias noo auſa palàm enunciare. Quartò noſtra Synodns nequaquam particularis fuit, ſed omninò generalis: Licet paucos Epiſcopos, habuit tamen Legatos quinque Patriarcharum. Quintò Joannis octavi litteras nequiſſimè Photius vitiavit. Quæ omnia tacens Julianus Cardinalis oſtendit verum eſſe: *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Longè meliùs officio functus fuit Andreas
Seſſ. 7. Metropolita Latinus Rhodiorum, dicens ad Græcos: *Quoniam mentionem feciſtis octavæ Synodi, dicemus aliqua ad ea, quæ nobis objeciſtis. Et ad primum dicimus Photium, qui fuit hoſtis Romanæ Eccleſiæ, multaque ſcripſit, & acriter invectus eſt adversùs Nicolaum & Adrianum* Pontifices, *numquam illos accuſaſſe ob additamentum in Symbolo.* Pergit Marci Epheſii nugas refutare. In quibuſdam ceſpitat, conſtantiſſimè tamen aſſerit octavam Synodum à Photio oon potuiſſe damnari aut aboleri. Ejus dicta elucidabimus in ſcholiis ad Synodum Florentinam.

Licèt univerſa Photii factio noſtram Synodum abjiciat, eorum tamen multi abjecerunt etiam Pſeudo-Synodum Photianam. Etenim in præfatione ad Canonum Epitomen Conſtantinus Harmenopulus, in Canonum collectione Matthæus Blaſtares, io litteris ad Latinum Patriarcham Conſtantinopolitanum Germanus Patriarcha Conſtantioopolitanus Græcus, ac in litteris ad Michaelem Bulgariæ Regem ipſe Photius laudant ſolas ſeptem Synodos generales. Et apud Sylveſtrum Sguropulum Joannes Palæologus Græcorum Anguſtus ad Epiſcopos ſuos pro Florentina Synodo concionatur: *Ego arbitror hanc Synodum generalem nullatenùs infra dignitatem aliarum ſeptem generalium ſubſidere, quæ eamdem anteverterunt. Quare volo, ut hæc illis par in omnibus ſuccedat, nec aliud quidquam ab illis diverſum in hac geſtum prodeat.* Ex quo fundamento etiam Abrahamus Cretenſis Florentinam Synodum latinè à ſe verſam vocavit Synodum octavam. Peſſimè. Etenim titulum, *Synodus generalis octava*, eſſe noſtræ proprium Anaſtaſius in præfatione teſtatur. Etiam hodierna Patriarchæ Conſtantinopolitani & aliorum Epiſcoporum Synodica Epiſtola ſeptem dumtaxàt Synodos profitetur. Marcus Epheſius octo profitens morem excedit.

Etism Nicetas Paphlago, vir germanè orthodoxus, omnes noſtræ Synodi Canones ac definitiones à Spiritu Sancto proceſſiſſe teſtatus, quædam tamen ejus geſta culpavit: Nimiam clementiam in Epiſcopos & Clericos, licèt à Sancto Methodio aut Sancto Ignatio conſecratos, ad Photii tamen factionem lapſos. Cenſuit omnes fuiſſe degradandos, ac ſine reſurgendi ſpe in laica communione perpetuùm relinquendos. Ex hac indulgentia omnes poſtmodùm Photianorum motus exiſtimat ſubſecutos. Eadem de culpa arguit ſeptimam Synodum, *quæ cùm indulgentiùs, quàm ex juſtitiæ præſcripto, hæreticos tractaſſet, illi arrepta occaſione impietatem ſuam multò magis confirmarunt.* Et reverà hæreticorum Epiſcoporum pœnitentiam paſſim fuiſſe fictam, impenſamque illis à matre Eccleſia pietatem fuiſſe novæ impietatis anſam, multis exemplis poſſit oſtendi. Vulgarium Apoſtolicorum Canonum trigeſimus primus Epiſcopum laica poteſtate intruſum damnat cum omnibus illi communicantibus: Hunc in Photium & ejus factionem ſervari voluit Nicetas. Canones namque iſtos putat eſſe verè Apoſtolicos, ideòque Dei judicium, & Spiritus Sancti Decretum. Culpam omnem imponit Baſilio Auguſto, cujus *ſimplicitas, ne dicam levitas, victa hominum precibus, & laudibus inflata humanis, & clementiæ nomine perfecta Dei æquitate penitùs deſtituta,* Adrianum Pontificem & ejus Legatos ad hanc noxiam pietatem induxit.

Durè

Durè loquitur; at illum in ſenſum legitimum Aoaſtaſius marginali ſcholio moderatut. Nec deſunt, qui Synodum arguant nimii rigoris io Photii conſecrationem, & credant ex illo poſteriores motus promanaſſe. Completa erat Chriſtianitatis Græcæ ioiquitas, illique, utinam tandem aliquando purgandæ, ptimùm hoc miſerabile ſchiſma, deindè Turcicam captivitatem Divina Juſtiria parabat. Er hìnc ante Synodum noſtram bubalorum grex, Regiam civitatem tranſiens, ſubitò fuit in rabiem actus, & aliis aliò ruentibus, unus majorem Eccleſiam irrupit ac turbavit. Etiam terræ motus multas proſtravit Eccleſias, & Sanctæ Sophiæ Baſilicam uſque ad everſionis periculum atieravit. Quod ipſum procelloſus turbo poſt Synodum fecir. Nicetas hæc omnia fuiſſe vult turbandæ Eccleſiæ indicia & argumenta. Ità ſummum altare mulorum calcibus fædari videns Saoctus Aotonius ioſtare dixit hæreſin Arianam.

Inrer Latinos durus Synodi ooſtræ hoſtis fuit Ademarus monachus Engoliſmenſis, Aimoini Antiſiodorenſis monachi continuator, ſcribens de Adriano ſecundo Pontifice, & ejus ad noſtram Synodum Legatis: *Synodo congregata, quam octavam univerſalem appellarunt, exortum ſchiſma de Ignatii depoſitione & Photii ordinatione ſedaverunt, anathematizantes Photium, & Ignatium reſtituentes. In qua Synodo de adorandis imaginibus aliter, quam orthodoxi Doctores antè definiverant, ſtatuerunt, quædam etiam pro favore Romani Pontificis, qui eorum voto de adorandis imaginibus annuit, & quædam contra antiquos Canones, & contra ipſam ſuam Synodum conſtituerunt, ſicut qui eamdem Synodum legerit, patenter inveniet.* Quæ eadem

A. 871. verba habent Annales Francorum Bertiniani. Addit in Sacerdotii ac imperii concordia Petrus de Marca Archi-Epiſcopus Pariſienſis: *Octava Synodus, quæ ſub Adriano ſecundo coacta eſt Conſtantinopoli, Canones aliquot edidit, qui à Gallicanis Epiſcopis non videntur ſtatim recepti. Etenim Hincmarus Epiſcopus numquam eorum meminit in ſuis Epiſtolis. Et Ademarus monachus Engoliſmenſis, laudatus à Pithæo, quædam contra veteres Canones illic decreta fuiſſe obſervat.*

Reſpondeo Hincmari de noſtra Synodo & ejus Caoonibus ſileotium non eſſe mirandum. Etenim ad Leonem Auguſtum in litteris poſt Synodum Chalcedonenſem exſtantibus ſcribit Sanctus Seleucus Epiſcopus Amaſenus, Metropolita Helenoponti: *Novimus, quia omnes Hæretici ſanctas Synodos eorum malas ſectas deſtruentes accuſant.* At verò Hincmarus, licèt hæreticus non fuerit, de ſacris ramen imaginibus erravit, ac in Sedem Apoſtolicam exſtitit contumaciſſimus, iſtoſve ejus exceſſus noſtra Synodus damnavit. Eadem eſt ratio Bertinianorum, quorum fædus auctor Hiocmari adſiduus Encomiaſtes eſt, Annalium, nec non omni laude penitùs indigniſſimi monachi Ademari. Fuit ſacrarum imaginum profeſſus hoſtis. Hæc ejus verba de noſtra Synodo, *Quædam pro favore Romani Pontificis conſtituerunt*, impetunt Romanum libellum, quo Apoſtolicæ Sedis Primatum, & in decidendis fidei quæſtionibus infallibile judicium omnes Græcorum Epiſcopi fuere profeſſi. Quædam contra Francorum Regum in Eccleſiaſticam poteſtatem violentias ſtatuit noſtra Synodus, nihil contra Canooes antiquos.

Secunda quæſtio eſt, Qunt Canones ediderit noſtra Synodus? Ratio dubitandi eſt textus Græcus habens Canones ſolummodò tredecim aut certè quatuordecim. Reſpondeo fuiſſe viginti & ſeptem. Ità io Synodi præfatione Anaſtaſius diſertè teſtatur. Addit omoes à Romana Eccleſia probari. Quod eſt cum moderamine accipiendum. Etenim primus Canon confirmat omnes vulgares Apoſtolicos, ſinguloſque Trullanos, quorum quoſdam Romana Eccleſia nec probavit, nec eſt probatura. Adductam dubitandi rationem ſolvit Admonitio de Photii Pſeudo-Synodo: *Exſtat etiam græcè hæc Synodus, ſed in compendium videtur redacta, in qua tredecim tantùm Canones reperiuntur, tametſi ſeptem & viginti habet Anaſtaſius in ſua interpretatione.* Quidam Canones ſtatuunt de ſolis Latinorum moribus: Eos Græci omiſerunt. Et hæc quidem in octo priores generales Synodos conatus ſum commentari, haud dubiè lapſus in multis. Lectori humiliter ſupplico, ut & pro his & pro aliis meis delictis intercedat apud Dominum, ac in me exequatur Propheticum Canonem: *Arguet me juſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

FINIS TOMI TERTII.

ORDO SYNODORUM,

Quarum Canones ac Capitula hoc tertio Tomo elucidantur.

Conſtantinopolitana tertia, dicta VI. Synodus. 1.
Trullana, dicta Quinta-ſexta. 53.
Nicæna ſecunda, dicta VII. Synodus. 174.
Conſtantinopolitana quarta, dicta VIII. Synodus. 259.

INDEX PRIMUS

Qui Synopſis inſtar, quidquid in Canonibus ac Capitulis hoc tertio Tomo explanatis decernitur, comprehendit.

A

ABBAS Presbyter, cui ab Epiſcopo facta eſt manus impoſitio, Lectori manum poterit imponere. 198.
Abortum procurantes, homicidarum pœnis ſubjaceant. 157.
Abſtineant fideles à ſanguine animalium. 120.
Adulter eſt, qui, ſua relicta, aliam uxorem ducit. 153.
Agapæ ſeu epulæ in Eccleſiis ne fiant. 132.
Alea ludere nec licet Clerico nec laico. 101.
Ad Altare mel & lac non offeratur. 111.
Anachoreta nemo fiat, niſi triennio in monaſterio Superiori paruerit. 90.
Anachoretis egredi ne permittatur. 90.
Anima rationalis unica dumtaxat eſt in homine. 281.

Appellatio à Clericis qui facienda. 314.
Aqua in incruento ſacrificio ex Apoſtolica traditione vino miſcenda. 85.

B

BAPTISMUS ſolum in Eccleſia conferatur. 114.
Baptizandi infantes, de quorum Baptiſmo non conſtat. 152.
Baptizandi Symbolum diſcant, illudque Presbyteris feria quinta recitent. 140.
Beneficiorum pluralitas prohibita. 201.
Bona alienæ Eccleſiæ Epiſcopus ne conferat. 310.
Bona Epiſcopi defuncti Metropolitanus ſibi ne vendicet. 90.
Bona vel privilegia ab Eccleſiis triginta annorum

ſpatio

ſpatio poſſeſſa, à nemine auferantur. 330.
Bonorum Epiſcopii aut monaſterii irritu ſit alienatio. 195.

C

CANON Apoſtolicus Canoni Eccleſiæ Romanæ contrarius. 69.
Canones Apoſtolici, ſeu Synodorum generalium, etiam Trullani, item & provincialium immobiliter teneantur. 180. 259.
Canones Apoſtolorum 85. firmi ſtabileſque permaneant. 55.
Canones varii à Synodo Trullana recipiuntur. 56.
Capillis calamiſtratis fideles ne exornentur. 161.
Capitula & decreta Nicolai & Adriani PP. ſerventur ac cuſtodiantur. 261.
Carnium fruſta Sacerdotibus ne offerantur. 163.
Chalcedonenſis Synodus à VI. Synodo confirmatur. 2.
Chorepiſcopi de conſenſu Epiſcopi poterunt Lectori manum imponere. 198.
Chorum nullus laicorum, excepto Cæſare, ingrediatur. 113.
Chriſtus abſque ſecundinis ex Virgine natus. 143.
Chriſtus figura humana, non agni, depingatur. 150.
Chriſtus verus Deus eſt & homo. 2.
Chriſti perſona una eſt, natura duplex. 2. 3.
In Chriſto duplex voluntas, duplex operatio. 3.
Civitas nova ſicubi à Principe erigatur, novus quoque ibidem Epiſcopus cum Clero ſtatuatur. 90.
Clementis conſtitutiones, ut ab hæreticis depravatæ, rejiciuntur. 55.
Clericus ante Synodicam ſententiam à communione Epiſcopi ſeſe ne ſeparet. 277.
Clericus aut laicus ſine neceſſitate tribus ſeptimanis ab Eccleſia ne abſit. 144.
Clericus ne duobus gaudeat beneficiis. 201.
Clericus, qui cum Deo dicata muliere celeris, deponatur. 62.
Clericus, ſine proprii Epiſcopi ſcripto dimiſſorio, in alienæ Eccleſiæ catalogum ne referatur. 23.
Clericus vocatus ad nuptias, ubi ludicra nuptialia introierint, abſcedat. 78.
Clerici ac Monachi ludis ſcenicis ne interſint. 77.
Clerici cauponariam tabernam ne exerceant. 65.
Clerici conjugati, eo tempore quo altari deſerviunt, contineant. 69.
Clerici Eccleſiæ cathedralis, non autem nobilium domeſtici ab Ordinibus minoribus in dicta Eccleſia aſſumantur. 283.
Clerici Græci duobus matrimoniis implicati deponuntur. 58.
Clerici in aliena Eccleſia ſacrum nil operentur. 310.
Clerici in oratoriis ſine requiſito conſenſu ne Miſſas faciant. 104.
Clerici majores matrimonium ne contrahant. 63.
Clerici ne Sabbatho vel Dominica jejunent. 106.
Clerici ob crimen depoſiti, ſi pœniteant, habitu clericali tondeantur: Sin minùs, comam nutriant. 77.
Clerici, qui ex neceſſitate Eccleſiam ſuam deſeruere, ea ceſſante, redeant. 74.
Clerici, qui ob aurum Eccleſiæ datum honoratiorem locum ambiunt, ad poſtremum dejiciantur; immò ut ſimoniaci acriter puniantur. 187.
Clerici ritè ordinati, qui apud Photium uſque nunc pertinaces hæſere, ſint perpetuò depoſiti. Pœnitentes ad laicam communionem admittantur. 313.
Clerici, ſine Epiſcopi facultate, in oratoriis domeſticis, ne ſacra faciant, aut baptizent. 83.
Clerici veſte ſibi convenienti utantur. 80.
In Clerum digni referendi, quamvis ex genere ſacerdotali non ſint oriundi. 88.
Communicantes manus in crucis formam diſponant: nec in alia materia SS. Euchariſtiam excipiant. 165.
Lectores ſint ordinati, & ſacerdotali tonſura utantur. 88.
Concubinarii ad majores Ordines non promoveantur. 58.
Conjugati apud Græcos poterant ordinari. 63. 69.
Conjugati loca ſacra ne inhabitent. 162.
Conjurantes Clerici aut Monachi, vel adversùs Epiſcopos vel conclericos aliquid machinantes, à proprio gradu excidant. 89.
Conſtantinopolitanus Epiſcopatus æqualia privilegia cum Romano obtineat; ſitque ſecundus, Alexandrinus tertius, Antiochenus quartus, Hieroſolymitanus quintus. 90.
Crucis figura in pavimento ne fiat, jam facta deleatur. 129.
S. Cyrilli Epiſtolæ adversùs Neſtorium & ad Orientales Epiſcopos à VI. Synodo recipiuntur. 2.

D

UT Dæmoniaci puniantur, qui ſe à dæmone correptos ſimulant. 114.
Decreta ac capitula Nicolai I. ac Adriani II. ſerventur ac cuſtodiantur. 261.
Diaconus ante Presbyterum ne ſedeat, niſi Patriarchæ aut Metropolitani ſui vices gerat. 64.
Diaconus ante 25. annos non ordinetur. 71.
Diaconi, de quibus Act. 6. non erant ordinati. 72.
Diaconiſſa ante 40. annos non ordinetur. 71.
Digami ad majores Ordines non promoveantur. 58.

E

EPISCOPIA ac monaſteria iniquè facta diverſoria, reſtituantur. 196.
Epiſcopus ab Epiſcopis eligatur. 184.
Epiſcopus à Metropolita examinetur, an SS. Canones ac S. Scripturam noverit, iiſque paratus ſit incumbere. Quod ſi polliceri detrectarit, nullatenùs conſecretur. 182.
Epiſcopus aurum vel argentum à Clericis vel Monachis ne exigat. 186.
Epiſcopus emphyteutam poſſeſſionibus Eccleſiæ indebitè ne ſpoliet. 302.
Epiſcopus in aliena Eccleſia publicè ne doceat. 76.
Epiſcopus nec Presbyteros nec Clericos præter voluntatem Epiſcopi, cui Eccleſia ſubjecta eſt, conſtituat. 310.
Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus uſuras ne accipiat. 66.
Epiſcopus Pſalterium calleat. 181.
Epiſcopus ſupellectilem aut vaſa ſacra ne alienet, &c. 288.

Epiſcopi

Epiſcopi à Barbaris ſede pulſi, validè ac licitè omnia Epiſcopalia munia obeunt. 91.
Epiſcopi ac Clerici pretioſis veſtibus ne induantur. 202.
Epiſcopi à Principibus honorentur, nec illis procul ab Eccleſiis obviam procedant, &c. 284.
Epiſcopi electio à Principibus facta, ſit irrita. 184.
Epiſcopi poſt Ordinationem cum uxoribus non cohabitent. 67.
Epiſcopi ultra ſtatu tempora & loca palliis ne utantur. 315.
Epiſcoporum Conſecratio à Comprovincialibus fiat Epiſcopis. 307.
Eremitæ, qui urbes obeunt, vel inter Cœnobitas referantur, vel ad ſolitudinem compellantur. 97.
Euchariſtiæ Sacramentum, præſente Epiſcopo, Presbytero, aut Diacono, laicus ne ſibi adminiſtret. 113.
Pro Euchariſtiæ communione nihil exigatur. 77.
Euchariſtiam cadaveribus nemo communicet. 151.
Cum Euchariſtia uva à Sacerdotibus ne diſtribuatur. 80.

F

FESTA gentilium à fidelibus ne celebrentur. 115.
Feſtum ſecundinarum Chriſti ne celebretur. 143.
Fideles tota ſeptimana à Paſchate ferientur. 119.
Fides ab Apoſtolis tradita, inviolabiliter ſervanda. 53.
Fides alia, quàm in VI. Synodo exhibetur, nulla tradenda. 4.

G

GENUFLEXIO à veſpera ſabbathi ad veſperam ſequentem ne fiat. 157.

H

HÆRETICI ad Eccleſiam reduces, qui ſuſcipiendi. 159.
Hæretici nec diſcant nec doceant. 275.
Hiſtoriæ Martyrum confictæ, igni tradantur. 117.

I

ICONOCLASTARUM ſcripta vulgò non permiſſa; in Epiſcopio Conſtantinopolitano cum reliquis hæreticorum libris aſſerventur. 193.
Jejuni, etiam in cœna Domini, fideles communicent. 81.
Jejunium Sabbatho ſancto ad mediam noctem protrahatur. 156.
Imagines ad turpia incitantes ne pingantur. 164.
Imagines Chriſti, B. Virginis, SS. Angelorum, omniumque Sanctorum in Eccleſiis, aliiſque locis proponendæ. 174.
Imagines depingere bonum quidem eſt: Eas tamen Photiani ne depingant. 274.
Imaginibus non latria, ſed honoraria adoratio impertienda. 175.
Imago Chriſti, liber Evangeliorum, imago crucis, Deiparæ, Angelorum, aliorumque Sanctorum honorentur & adorentur. 265.
Incantatores, vates, &c. ſexennio excommunicentur. 115.
Judæi Chriſtianam fidem ſimulantes, ejiciantur, eorum liberi non baptizentur. 192.
Judæis in ritibus aut victu nemo communicet. 66.
Juratum chirographum ad proprium favorem aut ſtabilitatem Patriarchæ ab Epiſcopis ne exigunt. 274.
Ne Juretur ethnico more. 158.
Juris alumni gentilium moribus ne utantur, nec veſtibus præter communem uſum induantur. 128.
Juſtinianopolis jus habeat Conſtantinopolis. 91.

L

LAICI ne cum ſcenicis ludicris aut meretriciis cantibus manducent. 209.
Laici Principes electioni aut promotioni Epiſcoporum ſeſe non inferant. Si quis verò ab Eccleſia ad cooperandum invitatur, cum reverentia licebit obtemperare. 307.
Laicus ad Epiſcopatum ne aſſumatur. 268.
Laicus publicè ne doceat aut diſputet. 118.
Laicus, qui cum Deo dicata muliere coierit, ſegregetur. 62.
S. Leonis Epiſtola ad S. Flavianum à VI. Synodo confirmatur. 2.
Libros ſacros nemo corrumpat aut conſcindat. 122.

M

MATRIMONIUM in gradibus nimiùm propinquis vetitum. 106.
Matrimonium nemo contrahat cum matre baptizati, quem è fonte ſuſcepit. 106.
Matrimonium. Vide, Nuptiæ.
Metropolitanus ab Epiſcopis nil exigat. 189.
Metropolitæ, curis ſæcularibus implicati, Divina officia ac ſacra omnia Suffraganeis ne committant. 311.
Metropolitæ ſub prætextu viſitationis aliarum Eccleſiarum reditus ex avaritia ne conſumant. Nec quidquam, excepta frugali hoſpitalitate, exigant. 300.
Mimi, eorumque ſpectacula prohibentur. 102.
Monachicum jugum ſubiturus, ne ſit decem annis minor. 93.
Monachi ad Epiſcopatum evecti, habitum monachalem ne deponant. 315.
Monachi ea quæ ad perfectionem domus ſunt neceſſaria non habentes, extra monaſterium ne oratorium ædificent. 203.
Monachi & monachæ in eodem monaſterio ne cohabitent. Nec invicem ſecretò alloquantur, nec ſingulariter conviventur. 207.
Monachi nonniſi urgente neceſſitate cum benedictione prælati procedant. 99.
Monachi vel Clerici cum mulieribus ſecretò ne conviventur, niſi in quibuſdam circumſtantiis. 209.
Monachus fornicator, aut uxorem ducens, fornicatorum pœnis ſubjiciatur. 99.
Monachus monaſterium ſuum ne deſerat. 208.
Monachus. Vide, Clericus.
Monaſteria ac Epiſcopia iniquè facta diverſoria, reſtituantur. 207.
Monaſteria in ſæcularia habitacula ne convertantur. 100. 288.
Monaſterio cedat, quidquid liberis more dotis aut ſponte offertur. 205.
Monaſterium cuilibet Chriſtiano quantumvis lapſo licet ingredi. 98.
Mulier in monaſterio virorum non dormiat: nec è diverſo. 100.
Mulier ne veſte virili induatur. 115.

Mulier nulla in Epiſcopio aut monaſterio commoretur. 204.
Mulierem alteri deſponſatam nemo ducat. 163.
Mulieres antequam ſacro amictu induantur, ſericis veſtibus ac mundo muliebri ne exornentur. 99.
Mulieres extraneæ (Niſi in Nicæna Synodo exceptæ) à Clericis ne habeantur. 62.
Mulieres in Eccleſia taceant. 127.
Mulieres in monaſteriis conſtitutæ ſine neceſſitate ne egrediantur. 99.
Mulierum raptores ac adjutores puniantur. 157.

N

NEOPHYTUS ad Epiſcopatum ne aſſumatur. 268.
Nuptiæ Catholici cum hæretica ſint irritæ. 128. *ſi ex infidelibus alter conjugum ad fidem convertatur, veliturque cum infideli cohabitare, ne ſeparetur.* 129.
Nuptiæ in gradibus nimiùm propinquis vetitæ. 105.
Nuptiæ. Vide. Matrimonium.

O

OCULI ſollicitè ſervandi. 164.
Œconomi in unaquaque Eccleſia ſint, oportet. Quod ſi Metropolitæ prætermiſerint, Epiſcopus Conſtantinopolitanus œconomum ſtatuat. Quod ipſum in monaſteriis ſervandum. 195.
Oratio cum attentione & compunctione ſiat, oportet. 134.
Ordinati ſimoniacè, uti & ordinantes deponuntur. 77.

P

PALATINI gradatim ad Epiſcopatum admittantur. 269.
Parochiæ ſub Epiſcopis, qui eas poſſident, permaneant. Si qua fortè hac de re controverſia oriatur, ad Synodum provincialem deferatur. 79.
Paſtores diebus præſertim Dominicis ex S. Scripturis & SS. PP. populum inſtruant. 74.
Patriarchæ poteſtas. 293.
Perſonatum Epiſcopum, Divinis illudendo nemo agat. 291.
Photius anathematizatus, præſertim quod in Nicolaum P. anathema promulgarit. 271.
Photius damnatur. Qui nec Epiſcopus fuit, nec ullum legitimè conſecravit. Cujus itidem acta omnia ſunt irrita. 266.
In Pœnitentiæ Sacramento tum peccatorum, tum perſonarum pœnitentium eſt habenda ratio. 166.
Presbyter ante triginta annos non ordinetur. 71.
Presbyter per ignorantiam conjugatus, ab illicitis nuptiis abſtineat. 80. *Nubentibus ne benedicat. Nec corpus Chriſti diſtribuat. Conjugium diſſolvetur.* ibid.
Presbyteri in aliena Eccleſia ſacrum nil operentur. 310.
Presbyteri inter Barbaros, qui ductæ antè uxoris uſu abſtinent, cum illa ne cohabitent. 83.
Principes Patriarchas ne inhonorent, aut è throno ejiciant. 303.
Principum potentia aut præceptione Epiſcopalis dignitatis Conſecrationem ne quis ſuſcipiat. 282.
Pſallentes inordinata vociferatione ne utantur. 134.

Q

IN Quadrageſimæ Sabbathis & Dominicis ab ovis & caſeis fideles abſtineant. 110.

R

RAPTORES mulierum ac adjutores puniantur. 157.
Rogi in noviluniis ritu Gentilium ne accendantur. 119.
Romana Eccleſia à Juſtiniano II. commendatur, quod Clericis majoribus continentiam imponat. 58.

S

SACRIFICII ante perfecti oblatio ſiat in Quadrageſima, excepto Sabbatho & Dominica. 103.
Saltationes in ſcena ne ſiant. 102.
S. Scriptura conformiter ad SS. PP. interpretanda. 74.
Scorta alentes puniendi. 153.
Servi ſub tribus teſtibus manumiſſi, gaudeant libertate. 153.
Simoniacè ordinantes, uti & ordinati deponuntur. 77.
Subdiaconus ante viginti annos non ordinetur. 72.
Synodus provincialis ſemel ut minimùm quotannis celebretur. 65. 189.
Synodus univerſalis, ſi quid ambiguum ſit aut controverſum contra Romanum Pontificem, cum reverentia procedat. 303.
Synodi priores quinque à VI. Synodo recipiuntur. 2.
Synodi ſine Principum præſentia celebrari poſſunt, quippe qui Synodis generalibus duntaxat ſolent intereſſe. 293.
Sex Synodorum doctrina præſertim ſextæ inviolabiliter ſervanda. 53. 54.

T

TEMPLA ſine reliquiis Martyrum conſecrata, cum earundem poſitione denuò conſecrentur 191.
In Templum nemo jumentum ſine neceſſitate introducat. 154.
Tonſura clericalis aut monachalis ſine Epiſcopi manus impoſitione non accipiatur. 198.
Tonſura ſacerdotali Lectores utantur. 88.
Traditiones etiam non ſcriptæ teneantur. 259.
Triſagio nil addatur. 144.

V

VAtes, ſortilegi, incantatores, &c. ſexennio excommunicentur. 115.
Venditiones intra Eccleſiarum ambitum ne exerceantur. 138.
B. Virgo eſt verè Dei genitrix. 2.
Vir ne veſte muliebri induatur. 115.
Viri unà cum mulieribus ne laventur. 138.
Voluntates naturales ſibi non contrariæ. 2.
Uſuræ ab Epiſcopo, Presbytero, aut Diacono ne accipiantur. 66.
Uxor illius, qui ad Epiſcopatum promovetur, communi conſenſu monaſterium ingrediatur. 100.
Uxor, niſi certa ſit de morte conjugis, alteri ne nubat. 208.

INDEX

INDEX SECUNDUS,

Qui res omnes atque doctrinas memorabiles, in Notis ac Scholiis hoc tertio Tomo pertractatas, complectitur.

A

ABBATES olim potuerunt eſſe laici. 200.2.
Abſolutio idololatris, homicidis, ac mœchis in articulo mortis olim ab Eccleſia denegata, à Zepherino mœchis impertiri permiſſa: quamobrem à Tertulliano reprehenditur. 120.2.
Abſtinentiam à carnibus in Sabbatho per Belgium, undè? 109. 1.
Abſtinentia quadrageſimalis in variis Eccleſiis fuit varia. 111. 2.
Abſtinentia à carnibus Dominicis Quadrageſimæ diebus Græci ſervarunt. 109. 2.
Abſtinere à ſanguine & ſuffocato lex fuit Apoſtolica; illi tempori admodùm congrua. 121.1. In Africa quam in Græcia citiùs ceſſavit. 121.2. In Eccleſia Latina tamen aliquantùm duravit. ibid. Modò penitùs exſtincta. ibid.
Abſtinetur hodie à quibuſdam morticinis. 122. 1. Non à lepore. Romani porcum ſub Aureliano Auguſto edere cœperunt. 122.2.
Accuſati nonnulli in Synodo VIII. abſolvuntur. 389.1.2.
Acta, quid? 143. 1.
Actiones VII. Synodi enarrantur. 237.1. *& ſeqq.*
Additamentum Triſagii. Vide, *Triſagium*, *Petrus Fullo*.
De Additamento FILIOQUE Photium inter ac Romanam Eccleſiam nulla potuit eſſe contentio: 338.1.
Adorari res inanimas probat ac laudat S. Auguſtinus. 178.2.
Adorationis complura genera. 179. 1.
Adoratio alia fit per amorem, alia per timorem. 175. 2.
Adoratio, quæ ad honorem pertinet, quid? 176. 1.
Adoratio, vox eſt æquivoca. 176.1.
Adoratio homini & Angelo, non ſervilius impenditur. 175.2. Vide, *Imagines*.
Adrianus II. decreta Nicolai ſummoperè commendat, cur? 363.1. Baſilio Auguſto gratias agit, ac S. Ignatio reſtitutionem gratulatur. ibid. in Synodum generalem conſenſit. ibid.
Adrianus II. litteras Nicolai ſuas fecit. Legatis Apoſtolicis dedit commonitorium, id eſt, ſecretam inſtructionem. 365. 1.
Adrianus II. omnia Nicolai I. acta probavit. 261. 1.
Adriani II. Epiſtolæ contentum ad Baſilium Auguſtum & Sanctum Ignatium enarratur. 363.2.
Affectiones humanæ fuerunt in Chriſto, quæ? 14. 2. *& ſeq.*
Agapes, quid? 132. 2. ab Apoſtolis præſcriptæ. Apud Corinthios abuſus invaſit, quem Apoſtolus correxit. 132.1. Illarum uſus commendatur. 132. 2. A Montaniſtis improbatur, cur? 133.1. Uſus non ſine abuſu manſit in Africa. ibid. Mediolani à S. Ambroſio proſcriptus. 133. 2. Ejuſmodi convivia diſpenſatoriè indulta, cur? ibid. A Gentilibus deſcendunt. ibid. In Africa ſublatæ. 134. 1. Poſteà in Belgio. 134.2.
Agapetæ extraneæ à variis Canonibus probibitæ. 62. 1. *& ſeq.*
Agni forma Chriſtus olim depingi ſolitus: immò ex ceta ab Eccleſia Romana utiliter confectus. 150. 1. Quod malè Trullanus Canon 28. vult correctum. 150. 2.
Agnum Dei ſculpendum B. Virgo miraculo comprobavit. 150.2. Pia numiſmata pridem ante Calviniſtarum hæreſim portata. ibid.
Agobardus imaginibus adorationem denegavit. 252.1. Ejus argumentis ſatisfit. 252. 2.
Alcuini criminationes adversùs VII. Synodum Romæ nil obtinuere. 255. 2.
Alea ab inventore nomen adepta. 102. 2.
Alearum uſus veteribus improbatus. 101.1. Clericis ſæpiùs interdictus. 101.2.

Altare

Altare quando denuò conſecrandum. 267. 2. 278. 1.

Altaria à quibuſdam veſte lugubri induta, &c. qui ritus ab Eccleſia interdum probatus, interdum improbatus. 280. 2.

Altaria portatilia apud Græcos haud uſitata. 268. 2.

Altaribus reliquias Sanctorum imponi, ritus videtur Apoſtolicus. 192. 2.

Ambitio omnia tumultibus implet. 266. 1.

S. Ambroſius Theodoſium Auguſtum è Sacrario juſſit exire. 125. 1.

Amphitheatrum Theodoſius Junior ſuſtulit: ſpectacula gladiatoria Honorius Auguſtus. 78. 2.

Anachoretarum auctor Sanctus Paulus, aut S. Joannes Baptiſta: illuſtrator Sanctus Antonius. 95. 1.

Anachoretæ ab Eremitis differunt. 96. 1.

Anachoretis non niſi in Abbates electis, licuit ad vitam cœnobiticam redire. 96. 1.

Anaſtaſius Bibliothecarius Synodo VIII. ſingulare præſtitit adjutorium. 367. 1.2.

S. Anaſtaſius Sinaita à VI. Synodo approbatus. 39. 2.

Anathema iterùm dicitur in VI. Synodo Monothelitis, etiam Honorio. 47. 2.

Anathematizati in VI. Synodo, nominatim Sergius, Pyrrhus, &c. 47. 1.

De Anima error Apollinarii, ac Photii. 281.2.

Animam rationalem, non ſenſitivam à Chriſto aſſumptam Apollinarius aſſeruit. ibid.

Apiarius Presbyter contra Africæ conſuetudinem Romam appellavit. 385. 2.

Apoſtatæ ad Eccleſiam reduces olim loti ac inuncti, non tamen ſacramentaliter. 268. 1.

Appellatio ad Romanum Pontificem adversùs Patriarchas omnes fieri poteſt. 381. 2.

Appellatio & evocatio Romana ex Epiſcopatu Conſtantinopolitano ante Photium liberè ambulavit. 381. 1.

Quod Appellatio Romana Clero inferiori denegetur, Primatum Romanum non evertit. 385. 2.

Appetitus innatus reperitur in anima, cum negantes Origenem olent. 17. 1.

Aquariorum hæreſis perantiqua, ex variis principiis enata. 86.1. Simplices quidam Epiſcopi manè in ſola aqua offerebant, cur? ibid. 86.2. Hic error tempore Heraclii Auguſti extinctus, circa tempora VI. Synodi revixit. ibid.

Aquæ cum vino mixtio in Miſſa eſt ex Chriſti traditione ac præcepto, ejus omiſſio eſt Sacramenti mutilatio. 87. 1.2

Aquæ mixtionem eſſe de neceſſitate Sacramenti quidam exiſtimarunt, at perperam. 87. 2.

Archimandrita, quid? 328. 2.

Archipresbyteri, Archidiaconi, Œconomi, &c. non ordinantur, ſed ſigillantur. 267. 2.

Armenii additamentum Triſagii non abjecerunt. 149. 2.

Armenii in Chriſmate utentes oleo ſeſaminis, graviter errarunt. 344.1. Similiter butyro loco balſami utentes. 344. 2. Confirmationem & Extremam Unctionem tandem expunxerunt, cur? ibid.

Armenii in ſolo vino offerebant, erroris origo.

Armenii judaizarunt. 164.1. cum Græcis admodùm diſcordes. Undè cum Latinis potiùs unionis pacta inire maluerunt. 164. 2.

S. Athanaſii in VI. Synodo pro duplici in Chriſto voluntate teſtimonium approbatur. 45. 1.

In Eccleſiæ Atrio Imperatoris ſolium collocatum. 125. 1.

Auctor occultus poteſt anathemate damnari. 45. 1.

S. Auguſtinus cantum in Eccleſia probavit. 138. 2.

S. Auguſtinus ea verba Joan. 20. v. 23. *Quorum remiſeritis*, &c. Baptiſmo applicat. 342. 2.

S. Auguſtinus judaicæ ac gentilis ſervitutis oſor, res inanimas adorari probat ac laudat. 178. 2.

S. Auguſtinus lumen & incenſum ſanctis imaginibus offerri non reprehendit. 179. 2.

S. Auguſtinus mulieres in Epiſcopali domo morari non eſt paſſus. 63. 2.

S. Auguſtino à VI. Synodo non mediocris acceſſit auctoritas. 31. 1.2. Huic quoque acceptum ferimus, quod opus S. Auguſtini contra Julianum, antè vocatum imperfectum, modò perfectum tanquam germanus S. Auguſtini fœtus agnoſcatur. 31. 1.

Autocephalia, quid? 294. 2. Ea ab Hincmaro vanè prætenſa. 294. 1.

Autocephalia Conſtantienſi Epiſcopo ab Epheſina Synodo data, at ſine pleno effectu, tandem prodiit concordatum. 92. 1.

B

BALNEA mixta diverſi ſexus Eccleſia ſemper eſt abominata. 139. 2.

Balnea promiſcuta, etiam Gentilibus improbata. 140. 2.

Balneis quidam abſtinuerunt, quamvis ingens olim fuerit exiſtimata lavandi neceſſitas. 139. 1.

Balſamum ſoli Judææ non eſt proprium. 344. 1.

Baptiſma parvulorum eſt Dominicum inſtitutum. 140. 1.

Baptiſma, ſi collatum neſciatur, parvulis eſt conditionatè conferendum. 152. 1. 2. Non autem adultis, qui inter Chriſtianos fideliter ſunt converſati. 152. 2.

Baptiſmi forma apud Græcos non eſt, *Baptizetur*, &c. ſed *Baptizatur* &c. 160. 2.

Baptiſmus coactè ſuſceptus eſt validus. 193. 2.

Baptizandi fide, & doctrina Chriſtiana ſint imbuti. 140. 2.

Barba inſtar veſtis eſt, apud varios varia abſque fidei Chriſtianæ læſione. 348. 2.

Barbæ raſura in Eccleſia Occidentali obtinuit. 347. 1. Julius II. barbam aluit. 347. 2.

Barbam Vigilius aluit, qua ex cauſa, incertum. 348. 1.

Barbam alere Epiſcopo Latino pœna fuit. 348. 1. Vide, *raſura*.

Bardæ ſomnium. 353. 1. Ejus infauſtus exitus. 353. 2.

Baſilica ſeu Eccleſia in duas partes diviſa: ſacrarium & templum. In ſacriis Conſecrationes peragebantur. 124. 1. Laici hærebant in templo,

Digitized by Google

plo, viri à fœminis ſegregati. 124. 2. Quod in Eccleſiis ruſticis etiamnum obſervatur. ibid.
S. Baſilii doctrina de Spiritu Sancto non exiguæ eſt authoritatis. 337. 1.
Baſilius anno 867. Cæſar denuntiatur. 353. 2. Michaele Auguſto interfecto imperium capeſſit. 354. 1. Photium è throno ejicit, ac S. Ignatium reſtituit. ibid. 355. 1.
Beneficiarii etiamnùm ex juſtitia tenentur ſuperflua pauperibus elargiri. 290. 1.
Beneficiorum pluralitas Clericis graviter interdicta. 202. 1.
Bibliotheca Conſtantinopolitana olim inſtructiſſima. 194. 2.
Bona alienæ Eccleſiæ, ſub alio Rege ſita, injuſtè ab Epiſcopis invaduntur, uti & Parochiæ. 310. 1. 2.
Bona communia in præbendas diviſa, ex quo luxus. 289. 2.
Bona Eccleſiaſtica à Clericis in uſus ſuperfluos expendi, rapina eſt. 289. 1.
Bona Eccleſiaſtica ſtrictè jure ad pauperes pertinent. 288. 1. Ob pauperum neceſſitates poterant diveodi. 289. 1.
Bona Eccleſiaſtica ſunt pauperum patrimonia. 301. 2.
Bona Minoritarum Eccleſiæ Romanæ ſunt allodium. 290. 1.
Brandea, quid? 217. 2. Summa eorum veneratio. 216. 2. 217. 1. Patentibus dumtaxat conceſſa: atque cum iis altaria conſecrata. 217. 2. Quod in ſola Italia conſtanter viguit. ibid.
Brumalia, Kalendæ, &c. à Gentilibus celebrata. 117. 1. 2.
Bulgaria cum Patriarchatu Romano non fuit firmiter readunata, cur? 332. 2.
Bulgaria (Epiſcopis Latinis non ſine dedecore expulſis) iniquè à Patriarcha Conſtantinopolitano occupata. 397. 1.
Bulgaria per Joannem VIII. à S. Ignatio conſtanter expoſtulata, à Photio reſtituta. 397. 2. Denique iterùm ſedi Conſtantinopolitanæ uſque ad Innocentium III. immobiliter adfixa. ibid.
Bulgaria per Leonem Iſaurum Epiſcopatui Conſtantinopolitano tranſcripta, ſemper ab Eccleſia Romana repetita. 394. 1.
Bulgariam Legati Orientales poſt Synodum VIII. (Legatis Romanis reclamantibus) ſedi Conſtantinopolitanæ adjudicarunt. 396. 1.
Bulgari ab Epiſcopis ac Clericis eò miſſis baptizati. 332. 1. Presbyteros Græcos repererant, at Latinos probatos poſtulabant. ibid.
Bulgari Macedoniam in Illyrio occupant. 330. 2. Quorum Rex unà cum populo fidem Chriſtianam ſuſcepit. 331. 1. Cujus Legati Romam miſſi honorificè excepti. ibid.
Bulgarorum Rex Marinum Diaconum Cardinalem in Epiſcopum poſtulavit: illum tamen aut etiam Formoſum non impetravit. Miſſum Sylveſtrum remiſit. 395. 1. Legatos Conſtantinopolim emiſit. ibid. Argumenta Græcorum quibus Bulgaros Epiſcopatui Conſtantinopolitano ſubjectos nituntur evincere, ſunt futilia. 395. 2.
Bulgarorum Rex populum recalcitrantem Divino favore ſuperat. 332. 2. Filium ſuum Romam legavit, atque Eccleſias omnes regni ſui Patriarchatui Romano ſubjecit. ibid. Græcos expulit. 333. 1.
Bulgaros ad ſedem Romanam pertinere poſt Synodum VIII. Legati Romani demonſtrarunt: 394. 2.

C

CALVINISTÆ oſculum pedibus Romani Pontificis impenſum perpetàm ſuperſtitionis inſimulant. 172. 1.
Calumniæ Photii in Romanam Eccleſiam enumerantur ac refutantur. 335. 2. & ſeqq.
Canon decimus tertius Trullanus varios continet errores. 69. 1. 2. 71. 2.
Canon Epheſinus de non alterando Symbolo à VI. Synodo confirmatur. 17. 2.
Canon Neophytorum vetans promotiones tempore VIII. Synodi in diſuetudinem non abierat: quamvis nonnulli ad Epiſcopatum fuerint evecti. 385. 1.
Canon octavus VII. Synodi hallucinatur. 193. 2.
Canon primus VIII. Synodi multos alios perperàm probavit. 260. 1.
Canon primus VII. Synodi graviter excedit. 181. 1.
Canon quintus VIII. Synodi innovat Nicænum ſecundum & Sardicenſem decimum, quod peſſima in Græcos conſuetudo irrepſiſſet. 269. 1.
Canon ſextus VII. Synodi confirmans octavum Trullanum, ab Eccleſia nunquam receptus. 189. 1.
Canon trigeſimus Trullanus à vero deviat. 83. 1.
Canon trigeſimus primus & quinquageſimus nonus Trullanus à Canone decimo VII. Synodi innovantur. 194. 1.
Canon vigeſimus ſextus Chalcedonenſis à Canone undecimo VII. Synodi innovarur: at graviter excedit. 195. 1.
Canones Arabici non ſunt Nicæni. 92. 1.
Canones legitimi rectè Divini nuncupantur. 181. 1. magnis encomiis ab VIII. Synodo exornantur. 260. 1.
Canones VIII. Synodi viginti ſeptem annuente Synodo lecti & probati. 392. 2.
Canones omnes Pontificum decretis non adverſos Joannes VIII. firmavit. 250. 2. Qui à probatiſſimis auctoribus uſurpantur. 251. 1.
Canones VII. Synodi ab Adriano non confirmati, nec ſingulæ actiones nec ſententiæ. 250. 2.
Canones Trullani, Vide, *Trullana Synodus*.
Canones varii à Synodo Trullana approbati, at quidam ignoti. 57. 1. 2.
Canonum variæ factæ collectiones. 56. 1.
Cantandi forma incongrua in Eccleſia vetatur. 137. 2.
Cantus ab Eccleſia & S. Auguſtino probatus. 138. 2.
Cantus à Chriſto Domino traxit originem. 135. 1. Ejus in Eccleſia progreſſus enarratur. 135. 2. à S. Gregorio mirificè propagatus. ibid.

Cantus

Cantus Eccleſiaſtici damnatores Wicleffiſtæ, jure damnati. 138. 2.
Cantus gratia pueri nentiquam evirandi. 138. 1.
Cantus ſuavis ſit, oportet. 136. 1. Tamen diſtinctus ibid. A Clericis exercendus. ibid. Cum attentione. 136. 2.
Cantus utilitas. 135. 2. 136. 1. Quam Deo gratus ſit miraculo declaratum. 136. 1.
Cardinales Epiſcopi non ſemper loci & dignitatis prærogativa ſunt gaviſi. 363. 1.
Cardinalibus Epiſcopis ingentes prærogativæ conceſſæ. 363. 1.
Cardinalium origo. 368. 1.
Caroli Calvi temeritas VIII. Synodo nil præjudicat. 299. 1.
Carolus Magnus dubius an imagines eſſent adorandæ, Adrianum Papam conſuluit. 253. 1.
Cartophylax, quid? ejus munus, dignitas. 374. 1.
Catechiſmus varia habuit tempora. 141. 2.
Catechiſtam ſpecialem quælibet habuit Eccleſia. 140. 1.
Cathedraticum juſtè olim acceptum: ſed indè anata incommoda. 186. 1. ab eo monaſteria fuere exempta. 186. 2.
Catholicus non eſt, qui à Romana Eccleſia deſciſcit. 381. 1.
Cella, id eſt, domus, dictio Monachis jam ſolùm uſitata. 369. 2.
Chalcedonenſis Canon vigeſimus ſextus à Canone undecimo VII. Synodi innovatur, non ſine gravi exceſſu. 195. 1.
Chalcedonenſis ſeu quarta, uti & quinta Synodus duas voluntates in Chriſto definiunt. Hinc errant Macarius ac Sergius. 13. 1. 2.
Chalcedonenſis Synodi libri lecti in VI. Synodo. 35. 1.
Chorepiſcopi Lectores, Exorciſtas, & Subdiaconos pro ſuo arbitratu; Diaconos verò & Presbyteros non niſi de licentia Epiſcopi ordinabant. 200. 2.
Chriſma ex balſamo & oleo, eſt ex Chriſti inſtituto neceſſarium Confirmationis elementum. 345. 1.
Chriſma ex balſamo & oleo olivarum confici oportet. 343. 2.
Chriſma ſolùm in Græcia oriri falsò confixit Photius. 343. 2.
In Chriſmate Armanii utentes oleo ſeſaminis, graviter erravunt. 344. 1.
Chriſmatis quotannis conſecrandi ritus eſt Apoſtolica traditio. 339. 2.
Chriſmatis ſanctificatio ex Chriſti inſtitutione deſcendit. Solis Epiſcopis eſt reſervata. 339. 1. In quo Græci non diſſentiunt. ibid.
Chriſmatio frontis ſola Confirmationi eſſentialis eſt. 346. 1. Omnia ſenſuum organa in hoc Sacramento à Græcis inuncta. ibid.
Chriſtus aliter, aliter Martyres honorantur. 255. 2.
Chriſtus infirmitates humanas ſine peccato ſuſcepit. 13. 2.
Chriſtus Patrem inclamans, qui fuerit derelictus. 16. 1.
Chriſtus in forma Agni olim depingi ſolitus, quod à Canone octuageſimo ſecundo Trullano perperàm proſcribitur. 150. 1.
Vide, *Agnus*.
Chriſti naturalia ſecreta præſtat ſilentio honorare. 143. 1.
Chriſti voluntas ab omni peccato immunis. 13. 2.
Chriſti operationes non omnes Theandricæ, quæ? 16. 2. Vide, *Operatio*, *natura*.
In Chriſto fuere affectiones humanæ. 14. 2.
In Chriſto duæ naturæ, duæ voluntates, ac duæ operationes. 11. 2.
Chyrographa injuſtè à Photio extorta, item imaginariæ Synodi acta igne exuſta. 388. 2.
Ciſtercienſes olim griſeis induti. 97. 2.
Ciſtercienſis ordo olim pauperrimus. 206. 2.
Clericalis tonſura. Vide, *Tonſura*.
Per Clericatum monaſtica profeſſio quondam dirempta. 320. 1.
Clericus aliter, aliter laicus pro eodem crimine puniuntur. 62. 2.
Clericus deponatur, quid importet? 62. 2.
Clericus, qui debeat appellare? 314. 1.
Clerici Agapeti olim puniri. 63. 1.
Clerici ex neceſſitate profugi, ad propriam Eccleſiam redire à nonnullis Pontificibus coacti. 74. 1.
Clerici *Majores* interdùm dicuntur, qui in nobiliori aliquo Eccleſiæ miniſterio ſunt conſtituti. 194. 2.
Clerici, Monachi, ſacræ Virgines, immò laici pſalterium olim memoria tenebant, cur? 182. 1.
Clerici ordinandi Epiſcopo cereum offerebant. 322. 1.
Clerici regulares liberè ad Ordines mendicantes tranſeunt. 404. 1.
Clericis alea ac ſcacco ludentibus depoſitionis pœna decernitur. 102. 1. 2.
Clericis alearum luſus ſæpiùs interdictus. ibid.
Clericis & Epiſcopis juxta ordinationis tempus ſemper aſſignatur locus. 188. 1.
Clerici & Monachi ſcenicis ludis, ac Circenſibus curſibus intereſſe vetantur. 79. 1.
Clericis Græcis qualis olim præſcripta continentia. 68. 2. 70. 2.
Clericis imperitis ac vanis tum Græcia tum Francia olim abundavit: præſertim inter nobilium domeſticos. 283. 1. Hi Clero Eccleſiæ cathedrali imponi non poterant, cur? 283. 1. 2.
Clericis majoribus ab Eccleſia Romana ſemper injuncta continentia. 59. 1.
Clericis majoribus jure merito nuptiæ interdicuntur. 338. 2.
De Clericis minoribus varia ſunt Eccleſiarum ſtatuta. 60. 2.
Clericorum ad alias Eccleſias tranſmigratio ſemper vetita. 311. 1.
Clericorum albæ veſtes olim notatæ. 98. 2.
Clericorum conjugatorum poſt ordinationem nati filii jure Cæſareo & nothi & ſucceſſionis paternæ indigni judicantur. 63. 2.
Clericorum veſtes olim purpureæ. 319. 2.
Communio non ſemper Euchariſtia ſignificat. Varia ejus ſignificatio. 379. 2.
Conceſſio Epiſcopatus, quid? 308. 1.
Con-

Concionandi uſus apud Græcos rarior, præſertim apud Armenios. 75. 1.
Confirmati olim etiam infantes: quod tamen jam pridem deſiit. 343. 2.
Confirmatio à Presbytero ſine Epiſcopi licentia collata, irrita eſt. 343. 2. In Eccleſia Latina Epiſcopi Romani licentia opus eſt. 341. 1.
Confirmatio & Extrema Unctio ab Armeniis tandem expuncta, cur? 344. 2.
Confirmatio in hæreſi accepta, uti & à ſchiſmatico collata eſt valida. 341. 1. & ſeqq.
Confirmatio non eſt Sacramentum mortuorum. 343. 2.
Confirmationem poſſe ex cauſa iterari hodie cenſent Græci ſchiſmatici: ſed errant graviſſimè. 343. 2.
Confirmationis adminiſtratio ſolis Epiſcopis ab Eccleſia Latina paſſim reſervata. 339. 2. Preſbyteris tamen interdùm conceſſa. 340. 1. Apud Græcos ex licentia generali, abſente Epiſcopo. 340. 2.
Confirmationis forma non eſt, *Signaculum doni Spiritus Sancti*. 160. 1. Alia vetuſta affertur. ibid. Cardinalis Beſſarion fallitur. 160. 2.
Conjugati primo Evangelii tempore in Epiſcopos electi. 59. 1.
Conjugatis in locis ſacris habitatio nequit concedi, cur? 163. 2.
Conjugatorum nemo in Eccleſia Romana ad Epiſcopatum promovetur, niſi uxore continentiam vovente. 100. 1. 2.
Conjuges poſt coitum ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinuerunt. Immò fideles omnes poſt naturæ fluxum. 162. 1. Ex quo nata eſt puerperarum ab Eccleſiæ ingreſſu ſuſpenſio. 162. 2.
De Conjugum ſeparatione fidelis ab infideli, aliter ſub Chriſtianis, aliter ſub Paganis Principibus ſtatuendum. 129. 2. Hac in re Tertullianus montanizat. Ibid.
Conſtans Auguſtus pertinax Monothelita. 23. 1. Hæreſim ſuam edicto confirmavit. 24. 1. De quo Epiſcopi Afri litteras ad Theodorum Papam direxerunt. 24. 2.
Conſtans S. Martinum captivum abduci juſſit, illique conficta crimina impoſuit. 27. 2.
Conſtans typum vi & armis receptum voluit. Nec tamen voluit fidei perſecutor audire. 28. 1.
Conſtantis Auguſti triſtis exitus. 28. 2.
Conſtantis typus editus. 26. 1. Damnatus. 27. 1. cur? Ibid. Vide, *Typus*.
Conſtantinopolitana Bibliotheca quondam inſtructiſſima: unà cum Bibliothecariis exuſta. 194. 2.
Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ qualia privilegia cum Romana à Canone trigeſimo ſexto Trullano peſſimè conceſſa. 90. 1. 2.
Conſtantinopolitani Epiſcopi errorum ſeminatores. 6. 1.
Conſtantini Copronymi variæ nomenclaturæ. 229. 1. 2. Fuit Judæus, in Deiparam blaſphemus. ibid. Monachis, Baſilicis, reliquiis Sanctorum adverſatus. 230. 1. Monophyſitas in adjutores adſcivit. A ſubditis juramentum de imaginibus non adorandis exegit. ibid. Sex generales depictas Synodos juſſit deleri, plurimos martyrio affecit. Crucem ſine crucifixo non exufflavit. 230. 2. Synodum 338. Epiſcoporum coegit. 231. 1. Cujus errores recenſentur. ibid. & ſeqq. Hoc conventiculum habitum anno 754. 232. 2. Conſtantini Copronymi, & Anaſtaſii Patriarchæ miſer exitus. ibid. Exhumatus, exuſtus. 233. 1.
Conſtantinus Pogonatus, undè dictus? Paternum thronum occupavit. 29. 1. Monothelitarum oſor, ibid. Generalem Synodum poſtulavit. 29. 2. Ac mitti Epiſcopos, Legatos, ac Monachos nonnullos. ibid. Epiſcopis ac Legatis omnem ſpondet humanitatem. ibid. Atque exhibuit. 30. 1. Viros eruditos unàque libros poſtulavit. 30. 2.
Conſtantino Pogonato acclamatur. 47. 1. 2. Epiſcopis egit gratias, ac poſtremus ſubſcripſit. 48. 1.
Conſtantinus Presbyter Monothelita à VI. Synodo anathemate ictus atque è Synodo expulſus. 46. 2.
Conſtitutiones Clementis apocryphæ. 56. 2. Ab Ariano quarti ſeculi editæ. 57. 1.
Continentia Epiſcopis ac Clericis Græcis qualis olim præſcripta. 68. 1. 70. 2.
Continentia plena ab Eccleſia Romana Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis ſemper impoſita: ſecùs à Conſtantinopolitana. 59. 1. 69. 2.
Conviviorum per Belgium in dedicationibus &c. origo, undè? 134. 1.
Conviviorum, ſaltuum, &c. abuſus à Gentilibus in Eccleſiam eſt devolutus. 79. 1.
Convivia. Vide, *Agapes*.
Crux antiquitùs in ſumma veneratione eſt habita. 130. 1.
Crux cum Sanctorum reliquiis ante pectus, olim geſtari ſolita. 382. 1.
Crucem à ſolis Epiſcopis alicubi figi mandat Leo Auguſtus, cur? 178. 2.
Crucem Iconoclaſtæ venerabantur. 130. 2. Præ cruce imagines venerandæ: Hinc fœdè Iconoclaſtæ aberrant. ibid.
Crucem licet exoſculari, & adorare. 131. 1. Adoratione ſalutatoria, non latria: Hæc eſt ſolius crucifixi. 131. 2.
Cruci cultum denegantes primi hæretici recenſentur. 130. 2.
Crucis figuram in pavimento efformari legibus Cæſareis olim meritò prohibitum, at in Gallia non obſervatum. 129. 1. 2.
Crucis figura in re gravis momenti ante ſubſcriptum nomen figi ſolita. 393. 1.
Cultus juxta cujuſque, cui defertur, dignitatem, eſt varius. 176. 1. Vide, *Imagines*.

D

DAMNATIO interdùm, apud Græcos præſertim, ſubſcripta calamis ſanguine Dominico intinctis. 25. 2.
Decreta Nicolai ac Adriani à Canone ſecundo VIII. Synodi rectè confirmata. Huic Canoni Hincmarus diu recalcitravit. 264. 1. 2.
In Dedicatione origo per Belgium conviviorum, undè? 134. 1.

Degradationis Patriarchalis ritus, qui? 38. 2.
Deus adoratur, Sancti ſalutantur. 216. 1.
Dextera in ſignum fidei vel concordiæ porrigitur. 375. 1.
Diaconi anno ætatis vigeſimo quinto olim ordinati. 71. 1.
Diaconi Legati in ſubſcribendo in Eccleſia Gallicana Epiſcopis poſtpoſiti. 64. 2. In Hiſpania non admiſſi. 64. 2.
Diaconi ſeptem olim in Eccleſia Romana, Archidiaconus dictus Cardinalis. Poſt ſeptem Archidiaconi ſeu Diaconi Cardinales. 368. 1. Tandem plures. ibid.
Diaconis aliquibus etiam extra legationem ante quoſvis Epiſcopos jam pridem locum dedit Eccleſia Conſtantinopolitana. 65. 1.
Diaconis, de quibus Act. 6. Sacramentalem ordinationem Canon decimus ſextus Trullanus perperam denegavit. 68. 1.
Diaconiſſarum ætatem à ſexageſimo anno ad quadrageſimum contraxit Synodus Chalcedonenſis. 94. 1.
Diaconorum numerus nec ſemper nec ubique æqualis. 73. 1.
Diaconorum numerus ſeptenarius tempore Apoſtolorum fuit congruus, poſteris non præceptus. 73. 1.
Diaconum Epiſcopi eſſe Legatum in Conciliis eſt vetuſtum. 64. 1. Loco Epiſcopi apud Græcos ſubſcribebat. 65. 1. Ac loco Epiſcopi ſedebat. ibid.
Dies à veſpera in veſperam computare eſt Apoſtolica traditio. Ultramontani à media nocte computant. Eccleſiaſticum officium antiquum morem obſervat. 157. 1.
Digamia interpretativa eſt antiquiſſima. 61. 2. 62. 1.
Digami Canone Apoſtolico ab Ordinibus repulſi. 59. 1. Etiam qui viduam uxorem duxerant. 60. 1.
Digami irregulares, cur? 61. 2.
Diœceſis ac Parochiæ alienæ ſub alio Rege ſitæ ab Epiſcopis injuſtè invaduntur. 310. 1.
Diœceſes Romanæ Eccleſiæ ereptas reſtituendas in VII. Synodo urſerunt Legati, verùm nec ipſi nec Adrianus Papa exauditi. 245. 1.
Dionyſio Areopagitæ adſcripta opera, cujus ſint, incertum. 16. 2. Non ſunt Areopagitæ. 94. 2. Ab VIII. Synodo commendata. 260. 1.
Dioſcorus fuit Eutychianus. 364. 2. Cauſa fidei dejectus. Nec obſtat Anatolii interlocutio. 365. 1.
Divortii ac repudii libertas frænata, denuò, præſertim à Juſtiniano atque Græcorum Auguſtis, laxata. 154. 1.
Doctores apud Armenios maximi habiti. 75. 1.
Donatiſtæ ante Euchariſtiam os quoddam exoſculabantur. Ejus rei origo. 215. 2.
Dulia non ſolis Sanctis impenditur. 176. 1.

E

ECCLESIA Catholica à fide nunquam deficiet. 31. 2. 32. 1.
In Eccleſia miſcentes fabulas à Patribus graviter redarguuntur. 156. 1.
Eccleſia olim non ſine dote conſecrata, uti nec Clericus ſine titulo. 204. 1.
Eccleſia quando denuò conſecranda. 268. 1.
Eccleſia quævis adſiſtentem habet Angelum, à quo profanatores quidam acriter mulctati. 155. 1.
Eccleſia quo ſenſu dicatur *univerſalis*. 249. 2.
Eccleſia Romana etiam ſine Concilio eſt infallibilis. 32. 2.
Eccleſiæ complures Romano Patriarchatui ſubjectæ à Græcis ſubtractæ. 397. 2. Donec tandem ad veram matrem fuerint reductæ. 398. 1.
Eccleſiæ dignitas civitatis dignitatem non comitatur. 334. 1. *& ſeqq.*
Eccleſiæ gaudent jure poſtliminii, quod nullo tempore poſſit elidi. 311. 2.
Eccleſiæ libertati duo inflicta vulnera, quæ? 189. 2. 190. 1.
Eccleſiæ non ſunt profanis *uſibus deputandæ*. 155. 1.
Erga Eccleſias Græcorum major quam Latinorum reverentia. 155. 1.
Ecthesis Heraclii unam in Chriſto operationem confirmavit. 22. 1. Pactum ſilentium jubet reſumi. 22. 2. A Severino Papa condemnata. 23. 1. à Joanne IV. itidem anathematizata. ibid. Ac iterùm à S. Martino Papa. 27. 1.
In Electione Epiſcopi deciſivum ſuffragium plebs nunquam habuit. 309. 1. Ob incommoda Canone vigeſimo ſecundo Synodi VIII. ab electionibus proſcripta. 309. 2. Canon tamen ubique non obtinuit. ibid. Laicos ad cooperandum gratiosè admitti ſinit. Regium hoc jugum Eccleſia Romana ſemper conata, tandem excuſſit. ibid.
Electiones Canonicæ à Barbaris extinctæ, atque ab eis uſurpatæ. 308. 1.
Elementorum in altari benedictio eſt perantiqua: quamvis à Canone vulgò Apoſtolico interdicta. 112. 2.
Embrio humanus ſola anima ſenſitiva informatus, brutum eſt juxta S. Auguſtinum. 282. 1.
Encolpion, quid? 382. 1.
Epanagnoſticon, quid? 367. 2.
S. Epiphanii nomine conſcripta Epiſtola, ficta eſt ac adulterina. 214. 1.
S. Epiphanius ſacras imagines, ut inconvenientes interdixit. 214. 2.
Epiſcopalibus veſtibus & muniis illuſum, Photio non reſiſtente. 291. 1. 2. Quod ne Gentes quidem attentarunt. 292. 1. Tres Spatharii ob ejuſmodi ludum acceptis epitimiis pœnituerunt. 292. 2.
Epiſcopalis ſuper-ordinationis vitium à Romana Eccleſia nunquam purgatur aut diſpenſatur. 372. 2.
Epiſcopatum, Presbyteratum, ac Diaconatum fideles olim uſque adeò averſabantur, ut ſibi conficta crimina imponerent, immò ſe energumenos ſimularent. 114. 1. 2.
Epiſcopatus amiſſus per redditum pallium redditur. 375. 2.
Epiſcopatus eſt ſummum Sacerdotium: Nec hoc primatui Romanæ Eccleſiæ præjudicat. 183. 2.

Epi-

Epiſcopus à ſuis ſubditis nequit damnari, immò nec accuſari. 277. 1.
Epiſcopus damnatus, ſi ſacra tangat, appellationis remedio privatur. 329. 2.
Epiſcopus ex equo Regem adoraturus ne deſcendat. 286. 2. Epiſcopi eſt Principes arguere. 287. 1.
Epiſcopus pſalterium & cantum calleat, oportet, cur? 182. 2. Item Canones ac S. Scripturam, non tamen ſcita legum aut forenſe litigium. 183. 1.
Epiſcopus, quomodò eligendus? 308. 2.
Epiſcopus ob crimen in monaſterium detruſus, ad Epiſcopatum denuò nequit adſpirare. 404. 1.
Titulus *Epiſcopus univerſalis* ab Anatolio non uſurpatus: in quo fallitur Hincmarus. Eſt S. Leoni oblatus, non tamen admiſſus, nec à S. Gregorio. 246. 1. Cur? 246. 2. Eccleſia poſt Synodum Chalcedonenſem eo uſa eſt. ibid. Quo tempore cœperunt Græci per illum titulum Epiſcopo Conſtantinopolitano adulari. Joannes Jejunator eum ſibi deberi, cenſens à Pelagio II. reprimitur. 246. 2. 247. 1. Non tamen dominatum ſupra Romanam Eccleſiam, ſed titulum dumtaxàt ambivit. 247. 2. Quem S. Gregorius acerrimè eſt inſectatus. 248. 1. Cur? ibid. Titulumque damnavit. 248. 2. Sed lex illa ab Eccleſia non recepta; nec titulum Epiſcopi Conſtantinopoli depoſuere: quod Romani Pontifices diſſimularunt, excepto S. Gregorio. 249. 1. Illum Gregorius VII. ſuo conſtituto indidit: Ex quo Pontifices Romani eo ſunt gaviſi. ibid. Hic titulus apud Græcos fuit in vario ſtatu. 250. 1. Michael Cerularius eum in ſenſu hæretico ambivit: Euſtatius per munera à ſede Romana, at fruſtrà, poſtulavit. 249. 1.
Epiſcopi ac Clerici à Photio ordinati aut ſeducti, ſi reſipiſcant, in gratiam ſuſcipiuntur. 362. 1.
Epiſcopi ac Clerici ritè ordinati, Photio huc uſque adhærentes, ſi pœniteant, ad laicam communionem admittuntur. 313. 1. 2.
Epiſcopi alieno Patriarchatui ſubjecti, in prima inſtantia poſſunt Romam evocari. 329. 2.
Epiſcopi antiquitùs vili veſte induti, quàm iconoclaſtæ deſpexere. 203. 1. 2. Veſtium ornamenta à Canone decimo ſexto VII. Synodi vetantur. 203. 2.
Epiſcopi & Clerici ordinandi errorem eo tempore potiſſimùm graſſantem ejerabant. 42. 2.
Ab Epiſcopi communione ante Synodicam ſententiam deſciſcere vetat antiquus Eccleſiæ Canon. 279. 2. Licet tamen ob notoriam hæreſin, aut publicum Eccleſiæ ſcandalum, verum non ſine ſale. ibid.
Epiſcopi eſt prædicare. 74. 1. atque etiam Preſbyteri. 74. 2.
Epiſcopi & Abbates bona Eccleſiaſtica alienare cœperunt, ubi Principes in Antiſtitum electiones ſeſe intruſerunt. 196. 1.
Epiſcopi & Clerici paſſim in monaſteria convolarunt: Eſtque ea libertas antiquiſſima. 403. 1.
Epiſcopi Græci paſſim è Monachis aſſumpti. 369. 2.
Epiſcopi ne minas aut manus Principum reformident. Nec ſe indecenter abjiciant. 287. 2.
Epiſcopi olim propriis manibus in bello pugnabant. 295. 2.
Ad Epiſcopi ordinationem, populi conſenſu non eſt opus. 310. 1. 2.
Epiſcopi præcipuum ornamentum apud Latinos baculus & annulus, apud Græcos pallium. 375. 2.
Epiſcopi, qui imaginariæ Photii Synodo ſubſcripſerant, ad Synodum VIII. non admiſſi. 376. 2.
Epiſcopi quo ſint honore digni. 285. 2.
Epiſcopi varii à Principibus è throno ejecti. 303. 1. Sed temeritates illæ Canone vigeſimo primo VIII. Synodi damnantur. 304. 1.
Epiſcopi unius ſuffragium fidei decreto nil præjudicat. 255. 1.
Epiſcopis Eccleſias viſitantibus neceſſaria ſunt ſuppeditanda. Avaritia ſubindè abuſus invexit, qui à Canonibus reprehenſi. 301. 2.
Epiſcopis Græcis qualis olim præſcripta continentia. 68. 1. 70. 2. 338. 2.
Epiſcopis olim fuit admodùm frequens Eccleſiarum ac Monaſteriorum proprietas, immò & laicis, quod Canone decimo quinto VIII. Synodi toleratur potiùs quàm confirmetur. 290. 2.
Epiſcopis pleniſſima libertas à Canone ſexto VII. Synodi reſtituitur. 190. 1.
In Epiſcopo conſecrato Presbyteratus numquam prætermiſſus. 351. 1.
Ab Epiſcopi palàm in legem impingentis communione populus ſegregatus. 277. 1. 2. & *ſeq.* Idem erga Romanum Pontificem actum. 278. 1. Atque etiam erga Imperatores & Reges. 278. 1. 2.
Epiſcopo vinum cum muſica bibere haud licet; nec apud Græcos carnibus veſci. 230. 2.
Epiſcoporum avaritia Canone quarto VII. Synodi præcluditur. 186. 2.
Epiſcoporum electio Epiſcopis ſolis competit. 184. 1.
Epiſcoporum Regiæ nominationes Canonibus adverſantur. 185. 2.
Epiſcoporum Romanæ evocationi recalcitrantium, ultimum refugium, *Rex non vult*. 296. 1.
Epiſcoporum Synodo VIII. ſubſcribentium numerus fuit 109. 366. 1. Epiſcoporum paucitas nihil officit, quo minùs ſit generalis Synodus. 366. 2.
Epiſcoporum translationes Eccleſia olim ignorabat. 333. 2.
Epiſcopos haud decet inter Principes Regiæ menſæ adſtare. 285. 1.
Epiſcopos nec decet Principibus Eccleſiam ingreſſuris procul obviam prodire. 285. 2. 286. 1.
Epiſcopum Conſtantinopolitanum ante Alexandrinum & Antiochenum ſedere Legati Apoſtolici in VI. Synodo diſpenſatoriè diſſimularunt. 94. 2.
Epiſcopum dedecet curis ſecularibus implicari, ac ſacra munia Suffraganeo committere. 312. 1.
Epitimia, quid? 181. 1. 2.

Eremitæ ab Anachoretis differunt. 96. 1.
Evangelicus Codex Chriſtum repræſentat. 318. 2.
Euchariſtia antiquitùs dicta *Sanctificatio*. 313. 2.
Euchariſtia communicaturo olim in manus data. 165. 1. Aliter viris, aliter fœminis. 166. 1.
Euchariſtia etiam per Acolythos ad abſentes delata. 113. 1. Ejus tamen adminiſtratio eſt penes Sacerdotem ac Diaconum, tum ſub panis, tum ſub vini ſpecie. 113. 1. 2.
Euchariſtia mortuis quondam data, cur? 15. 1. Quod à Conciliis probibetur, cur? ibid.
Euchariſtia olim non niſi à jejunis (uno die excepto) ſumebatur. 81. 1. 2.
Euchariſtia rectè dicta *Gratia*. 166. 1.
Euchariſtiam à non jejuno accipi ſummum fuit in Eccleſia crimen. 82. 2. Quod tamen duobus in caſibus planè licet, ibid.
Euchariſtiam à paſtu ſumere nullatenùs præcepti Divini eſt, contra Tertullianum. 81. 2.
Euchariſtiam bis eodem die ſumendi ritus olim ab Epiſcopis eſt ſublatus, præterquam in cœna Domini. ibid.
Euchariſtiam Chriſtus ſpeciali de cauſa poſt cœnam obtulit. 82. 1. Unica panis ſpecies ſemper in Eccleſia fuit uſitata. 105. 2.
Euchariſtiam in communione domeſtica quilibet ſibi miniſtrabat: ſecùs in Eccleſia. 113. 1.
Euchariſtiam ſub veſperam in cœna Domini multæ olim Eccleſiæ ſumpſerunt & obtulerunt. 82. 1. Sed contra traditionem Apoſtolicam. ibid.
Euchariſtica conſecratio lacti & melli perperàm impertita. 112. 2.
Euſebio Cæſareenſi à VII. Synodo dictum anathema. 243. 2.
Eutychiani etiam ſine Unctione ad Eccleſiam admiſſi. Dicti Manichæi, Valentiniani, & Marcionitæ, cur? 160. 1.
Eutychiani Monothelitis ſunt aſſenſi. 12. 1.
Eutychianiſmus à Monothelitis reſuſcitatus. Afferuntur rationes. 12. 2.
Evocandi Romam Epiſcopos poteſtas Divina eſt. 296. 1.
Evocationem Romanam impediendi poteſtatem in Principibus numquam Romani Pontifices agnoverunt. 296. 2. 297. 1. Nulla conſuetudo jus Romam appellandi & evocandi poteſt evertere. 297. 2. Ejuſmodi conſuetudo rectè dicitur *Barbarorum*. 298. 1. In Barbaris extincta, in Catholicis revixit. Ibid. His tamen privilegia Scotia ac Belgia indulta non adverſantur. ibid. & 298. 2.
Exarchus, quid? ibid.

F

FEſtum ſecundinarum Chriſti rectè proſcribitur. 144. 2.
De Fide diſputatio ex particulari contentione unitatem non inducit. 118. 1.
In Fide dubius, eſt hæreticus. 390. 2.
Fidei Decreto in VII. Synodo Legati ac omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt. Additæ acclamationes & anathematiſmi. 244. 2. Eſtque ab Adriano primo confirmatum. 250. 1.
Fidei definitio in VI. Synodo omnibus diſcutienda proponitur. 47. 2. Ab omnibus acceptata. ibid.
Filioque à VII. Synodo Symbolo inſertum. 254. 1.
Formoſus Epiſcopus Portuenſis in Bulgariæ Metropolim non eſt incardinatus, cur? 333. 2.
Franciæ regnum ac Occidentis imperium qua occaſione ad ſtirpem Carolinam devolutum. 368. 1.
Franci & Angli contra VII. Synodum videntur conſpiraſſe. Francorum argumenta ab Adriano primo confutata. 253. 1. Francici hujus erroris exordium ac ſucceſſus. 253. 2. *& ſeqq.*
Franci Hincmaro poſteriores evocandi poteſtatem Patriarchæ non detrahunt. 297. 1. 2.
Francorum nonnulli Epiſcopi adversùs imaginum cultum hallucinati. Quamobrem VII. Synodus in Eccleſia Vaticana à Leone IV. depicta. 257. 2. Errorem ad reliquias traduxerunt. Malum hoc in Belgium ſerpſit. Hinc Monachi Gandenſes martyrio affecti. ibid. Nec ſolam facti quæſtionem, ſed & ipſum fidei decretum arietarunt. ibid. Fuerunt imperiti, inquieti, ſuperbi. 258. 2.
S. Franciſcus omnia Ordinis ſui monaſteria S. Eccleſiæ Romanæ voluit eſſe alodium. 290. 2.
Francofordienſis Synodus adversùs Felicem & Elipandum Neſtorianiſmum ſuſcitantes poſtulata: quæ graviter lapſa. 254. 2. Adrianum à ſententia non deflexit. 255. 2.

G

GAllicana Eccleſia facultatem diſceptandi de recipiendis aut rejiciendis generalibus Synodis, nequit ſibi arrogare. 258. 1. 2.
Gallicana Eccleſia poſt Hincmarum decretis ac mandatis Romanæ Eccleſiæ fuit obedientiſſima. 264. 2.
Gallicanæ & Romanæ Eccleſiæ eadem eſt legatio. 258. 2.
Georgius Conſtantinopolitanus Monothelita in VI. Synodo ad ſeipſum rediit. 36. 1. Dogmaticas S. Agathonis Epiſtolas ſuſcepit. 37. 2. Plurimi Epiſcopi Georgium ſecuti. 38. 1.
Graduatorum præcedentia in Religionibus veteri diſciplinæ adverſa. 188. 2.
Græci Bulgariam per fraudes à ſede Romana abduxerunt. 396. 2.
Græci Epiſcopos, ac Legatos circumſcribere, ignominiosè tractare, ac remittere ſolebant. 30. 1.
Græci Francos ut legitimos imperii Occidentalis Auguſtos noluerunt agnoſcere, cur? 399. 1. 2.
Græci fraudulenti ac mendaces. 8. 1. 2.
Græci plures Eccleſias Romano Patriarchatui ſubjectas ſubtraxere. 397. 2. Donec tandem ad veram matrem ſint reductæ. 398. 2.
Græci Pontifici Romano primatum & infallibilitatem invident. 377. 2. 398. 2.
Græci Synodis generalibus nugas ſolent adſuere, & ſeria truncare. 396. 2.
Græcis familiare eſt ſcripta adulterare. 56. 1.
Gregorius, id eſt, Vigilantius. 323. 2.
S. Gregorius Magnus initio Epiſtolarum ſervum

vum ſervorum Dei ſcribendum definivit. 248. 2.
Gregorius Neocæſareenſis Iconoclaſta reſipiſcens graviter accuſatus. 240. 1. Sedi reſtitutus. 240. 2.
Gregorius Syracuſanus electioni S. Ignatii injuſtè reclamavit. 322. 1. Cereum à S. Ignatio ſibi miſſum abjecit. ibid. Depoſitus ob crimina anathematizatur. 323. 1.

H

HAbitu mutato alienum ſexum mentiri, acri reprehenſione dignum: immò ne vel in ſcena facilè id permittendum, 116. 1. Quamvis certis caſibus liceat ejuſmodi immutatio. ibid.
Hæreſis & ſchiſma ſemper Apoſtolicæ Sedi reſervata. 23. 2. 376. 1.
Hæreſeon ſordes aranearum telis deſignatæ. 47. 1.
Hæreticus eſt, in fide dubius. 390. 2.
Hæreticus eſt, qui Eccleſiæ Romanæ non concordat. 38. 1.
Hæretici ad diſputandum proni, cur? 118. 1.
Hæretici crebrò ficta revelatione nituntur. 45. 2.
Hæretici Eccleſiaſticos de incontinentia ſolent traducere, ideòque omnis ſuſpicionis anſa tollenda. 204. 1. 2.
Hæretici in falſitatis confirmationem miracula patrare, at fruſtrà, ſæpiùs tentarunt. 45. 2.
Hæretici non in unionem recipiendi, ſed ad falſitatis ejerationem compellendi. 6. 2.
Hæretici qui ad Eccleſiam reduces ſuſcipiantur, in VII. Synodo diſceptatum. 238. 1. 2.
Hæretici plures ſine Baptiſmo ad Eccleſiam admiſſi: Quidam etiam ſine Unctione. 160. 1.
Hæretici quo ritu in Eccleſiam recepti. 342. 1.
Hæreticis familiare eſt per juramentum plebem in ſuam factionem pellicere. 275. 1.
Cum Hæreticis non altercandum. 390. 1.
Hæreticis tum docendi, tum diſcendi facultas denegatur. 276. 2.
Hæreticorum librorum lectio & retentio olim vetita. Unum exemplar Eccleſiæ archivis inditum. 194. 1. 2.
Hæreticorum loquacitas meritò compeſcitur. 118. 2. 119. 1.
Hæreticorum nomina, è dyptichis eraſa; immò & eorum, qui hæretica communione erant polluti. 43. 2.
Helleſpontus Cypriorum Metropolitæ à Canone trigeſimo nono Trullano injuſtè ſubjectus. 92. 2.
S. Hilarius in S. Leonem factus mitior inter SS. Epiſcopos eminuit. 306. 2.
Hincmarus ad Synodum Romanam evocatus, non comparuit. 329. 1.
Hincmarus autocephaliam variè prætendit. 294. 1. Romam evocatus, tergiverſatus. ibid.
Hincmarus litteras evocatorias ſuppreſſerat, ideòque Canone decimo ſeptimo VIII. Synodi pœnæ in ejuſmodi delinquentes ſtatuuntur. 299. 2.
Hincmarus VII. Synodi adverſarius. 251. 2. Nicolai Papæ hoſtis. Ejus pertinacia, à Romano Pontifice novos Canones aut decreta edi non poſſe exiſtimavit. 262. 2. & ſeqq. At falſò. 263. 2. 264. 1. Canoni ſecundo VIII. Synodi diu recalcitravit. 264. 2.
Hincmarus toto Canone decimo ſeptimo VIII. Synodi impetitus. 294. 1. & ſeqq.
Hincmari adversùs VIII. Synodum nulla authoritas. 296. 2.
Hiſtriones ab Henrico III. ac Frederico II. è nuptiis ejecti. 79. 2.
Honorius nec Monothelita fuit, nec cum illis colluſit. 20. 2. 31. 2.
Honorius tamen in extirpanda Monothelitarum hæreſi, negligentiæ inſimulatur. 20. 2. 21. 2.
Honorius Papa à Monothelitis circumſcriptus. 10. 2. 20. 1.
Honorius publicis Agathonis mandatis exemptus, ſecretis damnari permiſſus. 51. 1. & ſeqq.
Honorius ut Sergii ſectator abjicitur. Malè. 42. 1.
Honorii ac Sergii litteræ ut hæreticæ condemnantur. 42. 1.
Honorii decretum non fuit condemnatum; ſecùs ecthesis Heracliana, ac typus Conſtantis, cur? 27. 1.
Horarum externa recitatio legem Eccleſiaſticam non adimplet. 137. 2. Mentis evagationes ſunt voluntariæ in ſua cauſa. 137. 1.
Huſſitæ Sanctorum reliquias floccipendunt, qui tamen femoralia Joannis Hus venerantur. 233. 1.
Hymni & Pſalmi à quovis Epiſcopo in Eccleſia decantandi compoſiti, quod modo non licet. 137. 2.
Hymnos S. Ambroſii Eccleſia ſemper eſt venerata. 138. 1.

I

JAcobitæ hæretici, undè dicti? 6. 2. Confeſſionem ſacramentalem exſufflarunt. ibid.
Jacobus frater Domini, an primus fuerit Hieroſolymorum Epiſcopus, non planè conſtat. 359. 1.
Iconoclaſtæ fuere Ariani, Manichæi, cur? 222. 1.
Iconoclaſtæ Judæi potiùs quàm Chriſtiani cenſendi. 244. 1. Eorum ſcripta igni tradita. ibid.
Iconoclaſtæ Samaritis pejores habiti. 242. 2.
Iconoclaſtis quidam molliores imagines in Eccleſiis admiſere, non tamen ad venerationem. 177. 1.
Iconoclaſtæ. Vide, *Crucem*.
Iconoclaſtia jam pridem ab Eccleſia damnata. 243. 2.
Iconoclaſtiam Photius extinctam voluit. 325. 2. De Imaginibus Nicolaus I. noluit diſputari, ſed decreta VII. Synodi ſervata voluit. 326. 2. Legatis tamen Apoſtolicis, ſi opus foret, de Imaginibus definiendi data facultas, cur? 327. 1.
Iconoclaſtici conventiculi refutatio à VII. Synodo probatur. 177. 1.
Iconoclaſticus error cœpit à Judæis. 253. 1.
Iconomachi quidam in Synodum VIII. introducti, hæreſin abjurarunt. 390. 1.
Iconomachis in VIII. Synodo dictum anathema. 390. 2.

Idolo-

Idololatris, homicidis, Mœchis in articulo mortis ab Eccleſia olim abſolutio denegata. 120. 2.
Jejunii in Sabbatho relaxatio Græcis placuit: nec S. Auguſtino diſplicuit, cur? 109. 1.
Jejunium Dominicæ tum à Græcis, tum à Latinis damnatum. 109. 2. Cur? 110. 2. Non eſt tamen Apoſtolicus Canon. 109. 2. Anſam damnationis præbuere Manichæi. 110. 1.
Jejunium oblatione ſacrificii ante meridiem non ſolvitur. 107. 1.
Jejunium Sabbathi in Eccleſia Romana S. Sylveſter inſtituit. 108. 1. Undè non eſt Apoſtolicus Canon, ibid. In Eccleſia Latina obſervatum. 109. 2.
Jejunium Sabbathi non eſt cauſa ſufficiens, ex qua ſchiſmaticum diſſidium ſeminetur. 335. 2.
Jejunium Sabbathi Paſchalis ſingulari reverentia in Eccleſia Romana ſervatum. 108. 2. Quod jejunantes ſtellam veſperrinam expectent, ſuperſtitioſum. ibid. & 109. 1. Hoc jejunium olim ad mediam noctem protractum. 109. 1. Idque ex traditione Apoſtolica. 156. 2.
S. Ignatius Epiſcopus Conſtantinopolitanus illuſtri familia oriundus. 321. 1. doctrina ac virtutibus clarior. Monachus fuit, dein Abbas, poſt ordinatus Presbyter, tandem anno 847. ritè in Epiſcopum Conſtantinopolitanum eſt electus, Gregorio Syracuſano cum aliis duobus reclamante. 321. 2. Hujus per annos undecim improbitatem S. Ignatius extinguere conatus, tandem depoſitum cum duobus aſſeclis anathematizavit. ibid.
Ignatii electio per ſeptuaginta ſubornatos à Michaele Auguſto falſos teſtes impetita. 391. 1.
S. Ignatium juſtè depoſitum miro aſtu multis perſuaſit Photius. 327. 2.
S. Ignatius à Baſilio Auguſto throno reſtitutus. 354. 1. 355. 2. Quod Adrianus II. confirmavit, ibid. Ejus reſtitutio Divino omine non caruit. 355. 2.
S. Ignatius ac Photius à Nicolao Papa Romam evocati. 330. 1.
S. Ignatius à Legatis Romanis exauctoratus. 327. 1. In Synodo Photiana habitu Patriarchali indutus affuit, ubi intruſus judicatur. 327. 2. Ac Patriarchali pallio detracto ejicitur. ibid.
S. Ignatius Bardam Cæſarem ab altaribus abjecit, cur? 323. 2.
S. Ignatius Bulgariam ſedi Conſtantinopolitanæ perperàm adjudicavit. Litteras prohibitorias accepit. 396. 1. Specioſa promiſit. 396. 2. Regem Bulgarorum Adriano II. obſtupeſcente, per fraudes à ſede Romana abduxit. ibid.
S. Ignatius in exilium à Photio actus nullum obtinuit Legatum. 326. 2.
S. Ignatius in Synodo Romana germanus Patriarcha denuntiatur. 329. 1.
S. Ignatius per multas regiones diu errare coactus, tandem divinitùs monaſterio reſtitutus. 328. 1.
S. Ignatius Photium, ab eo initiatos, atque cum illo communicantes arcet à ſacris. 356. 2. Legatos Synodum poſtulaturos Romam deſtinavit. ibid. De lapſis Epiſcopis Apoſtolicæ Sedis poſtulat judicium. Imaginarias Photii Synodos inſectatur. 357. 2.
Imagines à fidelibus honorandas Adrianus Papa per Epiſtolam decrevit. 176. 2.
Imagines Chriſti ac Sanctorum Canone tertio VIII. Synodi adorandas adversùs Francorum Epiſcopos VII. Synodi adverſarios decernitur. 265. 1.
Imagines Chriſti ac Sanctorum quamvis nullis precibus aut Chriſmate conſecratæ, rectè *ſacræ* appellantur. 220. 1.
Imagines Chriſti, *&c.* non Dei Patris, notat VIII. Synodus. 390. 1.
Imagines coronare ritus fuit idololatricus, ideòque, donec paganiſmus deſierit, ſuſpectus. 243. 1.
Imagines Eccleſiis reſtitutæ, unaque in medio VII. Synodi expoſita, reverenter ſalutata. 176. 2. 244. 1.
Imagines Hebræis olim interdictæ, paucæ tamen admodùm fuere in præcepto. 211. 2. Duplicem ob cauſam eis fuere prohibitæ. 212. 1.
Imagines honoris affectu ſalutandæ, non latria. 177. 1. 179. 1.
Imagines imperitorum libri. 176. 2. 177. 2.
Imagines in Eccleſiis, veſtibus, calicibus, viis, &c. collocatæ. 120. 2. 121. 1.
Imagines legitimè exoſculamur. 221. 1. Uti & Crucis ſignum ac Evangelii librum. ibid.
Imagines, licet nullo Canone, ipſo tamen facto in ſex generalibus Conciliis abundè probatæ. 221. 2.
Imagines non ſunt ex Chriſti præcepto, ſed ab Apoſtolis probatæ. 390. 1.
Imagines obſcœnæ ab oculis fidelium removendæ. 164. 1. 2. 140. 1.
Imagines Patriarcharum aut inſignia in Eccleſiis figi ſolita. 47. 1.
Contra Imagines ſacras Izethus Saracenorum Princeps univerſale decretum evulgavit, atque executioni mandavit. 223. 1.
Imagines ſacræ ante Leonem Iſaurum impugnatæ, à quibus? 221. 2.
Imagines S. Auguſtini tempore publicè expoſitæ: Nulla tamen Dei Patris repræſentativa. 215. 1.
Imagines Sanctorum venerari, Apoſtolica eſt traditio, eſtque earumdem uſus antiquiſſimus. 212. 2. In Baſilicis tamen primitiva Eccleſia non expoſuit. 213. 2. In Eccleſias introduxiſſe creditur Conſtantinus Auguſtus. 214. 1. 2.
Imagines ut congruæ ac decoræ eſſent, Eccleſia ſemper proſpexit. 150. 1.
Imaginibus ac Cruci Chriſti adoratio per amorem, ſalutatio, honoraria adoratio impendenda. 176. 1. Vide, *Adoratio*.
Imaginibus lumen & Incenſum offerri VII. Synodus definivit: Eſtque antiquiſſimæ conſuetudinis, cui S. Auguſtinus non adverſatur. 179. 2.
Imaginibus, non dulia, ſed honor venerabundæ ſalutationis impenditur. 179. 1.
Imaginibus non ſupplicatur, ſed prototypo. 178. 2.
Imaginibus ſacris honoratoria adoratio *defertur*, non ſervitus. 176. 1.

Imaginum

Digitized by Google

Imaginum adorationi non adverſatur S. Gregorius. 178. 1.
Pro Imaginum cultu lecta ſacrarum litterarum ac ſanctorum Patrum teſtimonia in VII. Synodo. 241. 1. 2. 243. 2.
Imaginum cultus à VII. Synodo acceptatus, & anathematiſmi promulgati. 242. 1.
Imago Dei Patris apud Armenios ſatis eſt antiqua: quando in Eccleſia Romana admiſſa, incertum. 219. 2. Spiritus Sanctus columbæ ſpecie rectè expreſſus. ibid. Nec picturæ ſolùm, ſed & ſtatuæ Sanctorum uſurpatæ. 220. 1.
Imperatoribus, Regibus, &c. urbem ingredientibus obviam itum. 286. 1. Uti & Patriarchis, Metropolitis, &c. 286. 2.
Imperatoris non eſt Synodum convocare. 357. 2.
Imperatoris ſolium in Eccleſiæ atrio collocatum. 125. 1.
Imperio per hæreſin Leo Iſaurus excidit. 400. 1.
Imperium Occidentis non fuit Orientalis Auguſti beneficium. 399. 2.
Imperium Romanum fuit diviſum. ibid.
Inſignia Heroum jam pridem inventa. 212. 1.
Invocandos eſſe Sanctos dogma eſt Apoſtolicum, ſecùs quod preces noſtras audiant: Contrarium tamen aſſerentes, malè olent. 219. 1.
Invocatio Sanctorum traditio eſt Apoſtolica. 218. 1. S. Auguſtinus, ac liturgia S. Baſilii in ſpeciem adverſantes, exponuntur. 218. 2. 219. 1. S. Ivonis opinio hac in re non recipitur. ibid.
Quod de Joanna Papiſſa circumfertur, fabulis accenſendum. 323. 1. Occaſio fabulæ. 406. 2.
Joannes Damaſcenus Sanctorum imaginum acerrimus vindex. 244. 2. dictus *Manzur*. 245. 1.
Joannes nomen olim frequentiſſimum. 389. 1.
Jovinianum Monachum in Clerum adſumptum, plus nimio veſtibus indulgentem, S. Hieronymus perſtringit. 319. 2.
Irene cum decenni filio ſuo Conſtantino imperium accepit, quod Deus inſigni miraculo honoravit. 233. 2.
Irregularitas per Digamiam inducitur, cur? 61. 2.
Itinerarium Apoſtolorum apocryphum. 242. 2. Exemplaria igni in VII. Synodo adjudicata. 243. 1.
Judæi ad Baptiſmum vi non compellendi. 193. 1. 2.
Judæi Iconoclaſtiæ authores, qua via? 223. 1. & *ſeqq.*
Judæorum ritibus communicare, à Canonibus frequenter interdictum. 66. 1.
Judicium Prælati, licèt iniquum, ſubditis formidandum. 323. 1.
Juramentum corporale, qui præſtetur. 45. 1.
Jurare ex conſuetudine aut ignorantia per falſos Deos, culpa non caret. 159. 1.
Jurare ſuper Evangelia aut S. Crucem eſt vetuſtum. 375. 2.
Juſtiniani Auguſti temeritas. 226. 2.

L

LAici ad Religioſorum refectorium olim non admiſſi. 210. 2.
Laici non eſt de Epiſcopis judicare. 24. 1.
Laici quomodò paulatim chorum intrare cœperint. 127. 2.
Laicis non licet officio Cantoris aut Lectoris fungi. 89. 2.
Laicus in Eccleſia Romana numquam in Pontificem electus. 270. 2.
Laicus ſegregetur, quid deſignet? 62. 2.
Lapſos ad Photium Epiſcopos Legati Romani ad pœnitentiam invitarunt. 377. 1. Duo libello Romano ſubſcribere detrectant, cur? ibid. Ob contumaciam à Synodo ſpreti. 378. 1.
Latria ſeu ſervitus ſoli Deo defertur. 176. 1.
Latria. Vide, *Crucem*. 131. 2.
Lavandi olim ingens exiſtimata neceſſitas. 139. 1. Vide, *balnea*.
In Lectorem promovendus ſit antè examinatus, atque in Eccleſia legens probatus. 89. 2.
Lectoris aut Cantoris officio fungi non licet laicis. ibid.
Legati Apoſtolici Conſtantinopoli honorificè excepti. 365. 1. Concilio VIII. præfuerunt, non autem Baſilius Auguſtus. 366. 2.
Legati Apoſtolici Epiſcopum Conſtantinopolitanum in VI. Synodo ante Alexandrinum & Antiochenum ſedere diſpenſatoriè diſſimularunt. 49. 2.
Legati Apoſtolici Patriarchis erant ſuperiores. 375. 1.
Legati Apoſtolici ut Prophetæ ſuſcipiendi. 30. 1.
Legati Baſilii Auguſti ac S. Ignatii ſupplicant Nicolai Papæ ſanctiones confirmari, Photiumque damnari. 359. 2.
Legati è VI. Synodo non ſine Principis liberalitate dimiſſi. 50. 1.
Legati Orientalium Patriarcharum legationis litteras tenentur exhibere. 368. 2. 391. 1.
Legati Romani in omni generali Synodo ante omnes Patriarchas ſederunt & præſederunt. Nec obſtat V. Synodus. 352. 2.
Legati Romani in VI. Synodo Monothelitas accuſarunt. 34. 2.
Legati Romani in Synodis generalibus ſemper primam habuerunt agendorum propoſitionem, primum ſuffragium &c. 267. 1. 392. 1.
Legatis Apoſtolicis Conſtantinopolim miſſis cognitio de cauſa Ignatii commiſſa. 327. 1. Poteſtatem exceſſerunt, cauſam Photianam definiendo, 328. 1. Ideòque Epiſcopatu ac honore ſacerdotali exuuntur. 328. 2.
A Legatis Romanis libellus fidei numquam poſtulatus. 351. 2. Nec litteræ communionis Eccleſiæ aut delegationis. 352. 1. Patentes ad Concilium directæ legebantur, ſecùs ſecretæ. 352. 2.
Legatus Principis in cauſa fidei merus fuit auditor. 375. 2.
Legislator legibus ſuis adſtringitur. 264. 1.
Leo Iſaurus à Judæis deceptus. 223. 2. Callidè pedetentim imagines ſtuduit eliminare. 224. 1. In orthodoxos deſæviit, Eccleſias denudavit, parietes dealbavit, ſacra vaſa conflavit, &c. 224. 2. Ejus variæ in Eccleſiam violentiæ. 225. 1. Eccleſiæ Romanæ patrimonium fiſco addixit, pluresque Eccleſias in Patriarchatum Conſtantinopolitanum tranſcripſit. 227. 1.

Infelix

Infelix ejus imperium. 229. 1.
Leo IV. Conſtantini Copronymi ſucceſſor iidem iconoclaſta, à Niceta Patriarcha ſeductus, infeliciter è vivis migravit. 233. 1.
Leonis II. Epiſtolæ ſunt legitimæ, non obſtantibus argumentis in contrarium adductis. 52. 2.
Lex Juſtiniani de Epiſcoporum abſentia varios abuſus attulit; quamobrem ab Eccleſia ſæpiùs corrigitur. 144. 1.
Libellus fidei à Legatis Romanis numquam poſtulatus. 351. 1. Secùs ab Epiſcopis, & Patriarchis, eorumque Legatis. 351. 2.
Libellus pœnitentiæ à lapſis Epiſcopis exhibitus, S. Ignatio à Legatis Apoſtolicis porrigitur, cur? 375. 2.
Libellus Roma miſſus adversùs Photium & pro Eccleſiæ Romanæ infallibilitate, à Synodo VIII. acceptatur. 367. 1. 371. 1.
Libri hæreticorum olim rigidiſſimè interdicti, ac ignibus cremati. 194. 1.
Lingua Latina à Michaele Auguſto perperam appellata barbara. 371. 1.
Linguarum diverſitas ordinem Eccleſiaſticum non confundit. 395. 2.
Locutio eadem in uno damnatur, in altero non reprehenditur. 27. 1. 2.
Ludovicus Imperator à Michaele Balbo adversùs imaginum cultum in ſubſidium vocatur. 256. 2. Huic Paſchalis primus facultatem Synodi Nicænæ retractandæ ex cauſis induſit. 257. 1. Romam Legatos miſit, ſupplicans pacis ergo Roma Legatos Conſtantinopolim deſtinari. ibid. Fuitque ſubjectus Canonum executor. 257. 2.

M

MAcarius Antiochenus librorum corruptor. 44. 2.
Macarius Antiochenus S. Cyrillum in patrocinium hæreſeos perperam adducit. 34. 2. Mendacii convincitur. 36. 1. Alia protulit teſtimonia. 36. 2. Pertinax è throno detruditur. 38. 1. Pallio exutus. 38. 2. Ejus opuſcucula Princeps ubique juſſit exquiri. 41. 1. Omni gratia judicatur indignus. 41. 2.
Macarius, Stephanus, ac Polychronius à Concilio damnati Romam appellantes, eò profecti. Obſtinati in carceres detruſi. 50. 2. Ubi Macarius defunctus. ibid.
Manuum impoſitio non eſt confirmatio eſſentialis. 345. 2.
Marcelli damnatio à Liberio Papa non eſt recepta, ſed ab Eccleſia poſt Synodum Conſtantinopolitanam. 385. 2.
Martyres à ſingulis civitatibus in Patronos exoptati. 216. 1. 2.
Matrimonia ab Eccleſia Græca Presbyteris, Diaconis; ac Subdiaconis antè ordinationem inita ſunt indulta, ineunda annullat. 60. 2.
De Matrimonio ſtatuendi authoritatem Eccleſia meritò ſibi reſervat. 158. 2.
Matrimonium ſecundum, ratum dumtaxàt, irregularitatem non inducit, cur? 62. 2.
Matrimonium unum antè, alterum poſt Baptiſmum, immò duo antè Baptiſmum inita irregularitatem induxerunt, fruſtrà diſſentiente S. Hieronymo. 60. 2.
S. Maximi acta prodita anno 648. 26. 1.
S. Maximus Abbas duriſſimum Monothelitarum flagellum. 23. 1. Pyrrhum coràm confutavit. 23. 2. Calumniam paſſus, apologia ſeſe expurgavit. 25. 1.
Mennæ Sermo acclamatorius ad Vigilium Papam apocryphus. 41. 1. 44. 2.
Menſtruatæ apud Græcos ab ingreſſu Eccleſiæ extruſæ, non apud Latinos. 162. 2.
Metrophanes orthodoxus in VIII. Synodo adversùs Photianos eleganter peroravit. 382. 2.
Metropolitarum avaritia Canone ſexto VII. Synodi retunditur. 190. 2.
Metropolitarum ſuffraganeos ſubſtituentium duplex facinus. 312. 2. Certis tamen caſibus id licet. ibid.
Metropolitæ ad plenam poteſtatem ac primam inſtantiam Patriarchæ ſpectant. 294. 1.
Metropolitæ, qui in pallii donatione à Patriarcha Romano dependent, non ſunt autocephali. 295. 1. Romam cogendæ Synodi ergò poſſunt evocari. ibid. Quod Franci quidam recuſabant. ibid. Vide *Patriarcha*.
Michael Auguſtus matrem & ſorores tonderi juſſit. S. Ignatium deportatum pro mortuo habuit: Ideòque Photium contra Canones juſſit in Patriarcham Conſtantinopolitanum conſecrari. 321. 1.
Michael Balbus Græcorum Imperator Iconoclaſtiam ſuſcitare conatus, Catholicos falsò calumniatur. 256. 1. Ludovicum Imperatorem in ſubſidium vocat. 256. 2. In Iconoclaſtia perſeveravit. 257. 2.
Miſſa jejunii diebus circa nonam veſpertinam peracta. 104. 1.
Miſſa plena à Latinis ſemper celebrata, excepto biduo. 104. 1.
Miſſa præſanctificatorum, undè dicta? In Quadrageſima celebrata, hora nona veſpertina. 105. 2. Non eſt Divinæ inſtitutioni diſſona. 105. 1. In hac Miſſa Græci ſolo elemento panis fuerunt uſi. 105. 2.
Miſſa Sabbathi ſancti olim noctu celebrata. 104 2.
Miſſa ſicca, quid? olim in Belgio uſitata, ſed meritò damnata. 103. 1.
Miſſas pro ſalute animæ ſuæ fundare, antiquum. 126. 2.
Miſtio aquæ cum vino in Miſſa eſt ex Chriſti traditione ac præcepto; ejus omiſſio eſt Sacramenti mutilatio. 87. 1. 2.
Miſtionem aquæ eſſe de neceſſitate Sacramenti perperam quidam exiſtimarunt. 87. 2.
Mitra in quibuſdam Græcorum Eccleſiis eſt traditio Apoſtolica. 370. 2.
Mitram, poderem, ſuperhumerale S. Jacobi Patriarcha Hieroſolymitanus S. Ignatio dono mittit. 370. 2.
Monachalem habitum geſtant omnes Epiſcopi Græci: Immò nemo niſi monachus ad Epiſcopatum aſſumitur. 320. 2. 391. 2.
Monachalis tonſura. Vide *Tonſura*.
Monachatus à quibuſdam unà cum Baptiſmo ſuſceptus,

ſceptus: probatio nihilominùs ante religionis ingreſſum eſt antiquiſſima. 96. 2.
Monachi ad Epiſcopatum evecti, veſtem monaſticam retinuerunt. 318. 2. 319. 1. Monachis Græcis id præceptum, quod de Latinis haud legitur. 319. 2.
Monachi Epiſcopi ad monaſterium regreſſi denuò ad Epiſcopatum crebrò ſunt promoti. 403. 2.
Monachi in Epiſcopos evecti habitum monachalem geſtare jubentur à Concilio Lateranenſi: Modò ſufficit vel habitum vel colorem. 320. 2.
Monachi ob fidei conſtantiam ab hæreticis dirè vexati. 196. 1. 2. Uti à Leone Iſauro, & Conſtantino Copronymo. 197. 1. 2.
Monachi olim ad certum monaſterium profeſſi, ſecùs Mendicantes, cur? 208. 1.
Monachi per tonſuram à Gentilibus diſſidebant. 98. 1.
Monachi ac Clerici ſcenicis ludis ac curſibus Circenſibus intereſſe vetantur. 79. 1.
Monachis debet ſolitudo eſſe amabilis. 97. 1.
Monachis extra monaſterium, præſertim cum fœminis, non licuit manducare. 210. 2.
Monachis jam pridem Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratio eſt commiſſa. 391. 2.
Monachorum indumantum nigræ veſtes. 97. 1. Alii poſt colores aſſumpti. ibid.
Monachum nulla ante-acta crimina ab ingreſſu in religionem remorantur, cur? 93. 1. 2.
Monachum olim vel paterna devotio, vel propria fecit profeſſio. 93. 1. Filii à parentibus altari oblati. Qui ritus à S. Benedicto emanavit, ſed à Cæleſtino III. abrogatus. 94. 1.
Monachus Epiſcopatus appetitor, quodammodò eſt Apoſtata. 312. 2.
Monaſtica profeſſio græcè *Benedictio gratiæ* appellatur. Ea benedictio non eſt conſecrationis ſpecies, fuitque S. Antonio, aliiſque antiquis ignota. 94. 2.
Monaſtica veſtis ab hæreticis ludibrio, à Catholicis habita venerationi. 202. 1.
Monaſtica vita eſt receſſus à ſtrepitu ſæculi. 94. 1. 2.
Monaſticam vitam profitentibus ſignaculum impreſſum, quale? 94. 2.
Monaſteria deſtructa ac profanatas Eccleſias Canon decimus tertius VII. Synodi mandat reſtaurari. 197. 2.
Monaſteria duplicia virorum ac mulierum olim frequentia: At rarò ſine offendiculo. 207. 1. duplicia ordinis Præmonſtratenſis extincta: Secùs S. Baſilii ac S. Birgittæ. 208. 2.
Monaſterium in privatam manſionem nequit commutari. 201. 1. 2.
Monophyſitæ in Chriſto unam voluerunt naturam compoſitam. 17. 1.
Monothelitarum primus dux videtur Theodorus Pharanitanus. 7. 2. Solorum monachorum Epiſcopus. 8. 1. Occaſio errandi. ibid.
Monothelitæ Cyrus, Sergius, Theodorus, &c. anathemate percuſſi. 42. 2.
Monothelitæ duas in Chriſto naturas profitebantur, at unam voluntatem, unamque operationem. 8. 2. S. Leonem nituntur exponere. 9. 1. SS. PP. ſibi accerſunt. ibid.
Monothelitæ ex unitate perſonæ unitatem voluntatis & operationis deducunt. 9. 2. Atque ex duplici voluntate contrarietatem ac diſſonantiam. ibid.
Monothelitæ in aſſignanda *Dei-virili* operatione variabant. 10. 1. Alii Divinam, alii ex duplici unam compoſitam ſtatuebant. 10. 2. 11. 1.
Monothelitæ quatuor Synodos acceptabant, ac S. Leonis dogmaticam Epiſtolam. 8. 2.
Monothelitæ ſcripto ſuam fidem profeſſi. Quorum chartæ in VI. Synodo exuſtæ. 43. 2.
Monothelitæ ſilentium de una vel duplici in Chriſto operatione à S. Sophronio impetrarunt. 19. 1. Item ab Honorio. ibid. 2.
Monothelitæ ſtipulata pacis ſilentia prævaricati ſuam hæreſin ubique diſſeminarunt. 21. 1.
Monothelitici erroris authores. 5. 1. Quando hic error cœpit. 6. 1. 17. 2. Ejus progreſſus. 18. 1.
Morticinis quibuſdam etiamnum abſtinetur. 122. 1.
Mortuorum capillis ſe exornare, graviter olim reprehenſum. 161. 2.
Mulieres omnes nonnullæ Synodi à cohabitatione cum Clericis excluſerunt. 63. 2.
Mulieribus in Eccleſia nec docere, nec virile officium exercere permiſſum. 128. 1. 2.
Muſica gravis in Eccleſia decantanda. 138. 2.
Muſtum conſecrari validè poteſt, ſecus botrus nondum expreſſus. 112. 2.

N

NAtura Chriſti non poteſt dici compoſita. 27. 1.
Negotiationes in Eccleſiis aut cæmeteriis fieri prohibitæ. 139. 1.
Neophyti per octavam Paſchæ infantes appellati. 112. 1.
Neophyti, præſertim è palatio, incongruè in Epiſcopos aſſumuntur, cur? 267. 2. In Eccleſia Conſtantinopolitana à Nectario inceptum: In Tharaſio diſpenſatoriè toleratum. 270. 1. E Laicis itidem Presbyterales ac Diaconales promotiones damnantur. ibid. Id vitii in Francia graſſatum. ibid.
Neophytis etiam in Belgio lac vino miſtum propinatum. 112. 1.
Neophytis lac & mel in feſto Paſchali dari conſuetum. 111. 2. 112. 1. Quid id ſignificet. ibid.
Neophytorum conſecrationes Epiſcopales diſpenſatione Eccleſiæ Romanæ eguere. 380. 1.
Nicæna Synodus II. ſeu VII. Synodus à S. Tharaſio poſtulata. Pontifex ad præſidendum invitatus. 234. 2. Nova dein miſſa legatio. Papalis de non præſidendo admiſſa excuſatio: Legati. ibid. Pontifex plurima à Græcis vult obſervata. 235. 1. Patriarcharum Legati. 235. 2. Epiſcoporum numerus incertus. 236. 1. Hæc Synodus primùm Conſtantinopolim indicta, indè vocata interdùm Conſtantinopolitana: Verùm in Nicænorum Metropoli peracta. ibid. & 236. 2. Inchoata anno 787. in Baſilica S. Sophiæ. 237. 1. Nicænæ Synodi II. Actiones enarrantur. ibid. & ſeqq. Omnia acta Adriano Pontifici retulit confirmanda. 245. 1.

Actio octavs non eſt Synodalis. 245. 2. Canones quando editi, ignorstur. 245. 1. A Pontifice non confirmati. 250. 2. Adducuntur Synodi bujus boſtes, ſcilicet Hincmsrus, Agobardus, & Jonas Franci Epiſcopi. 251. 1. & ſeqq.
Nicolsus primus à Synodo VIII. canonizatus. 392. 2.
Nicolaus primus Bulgaros à Photianis confirmatos denuò juſſit confirmsri. 343. 1. Obiit anno 867. 353. 1. Ejus encomia in Synodo Romana exponuntur. 360. 2.
Nicolaus primus Photio generosè reſtitit. 326. 2.
Numiſmata pia pridem ante Calviniſtarum hæreſin portata. 150. 2.
Nuptiæ fidelium olim in Eccleſia à Presbytero benedictæ. 338. 2.

O

Oblatæ olim novæ ſpicæ, uvæ, &c. non tamen ut corpus & ſanguis Domini. 111. 2.
Oblatio fidelium erat proxima ad ſacrificium & meritoria cooperatio. 126. 2.
Oblatio olim facta pro defunctis, etiam pro vivis. 126. 1. 2.
Oblaturus populus ſacrarium quibuſdam in locis intravit, ſecùs in aliis. 127. 1. 2.
Oblatus Agnus cum Chriſti corpore à ſimplicibus. 346. 2. Quod Photius Romanæ Eccleſiæ immeritò impoſuit. ibid.
Obſcænitas à *ſcena* derivstur. 78. 1.
Octava Synodus poſtulatur. 356. 2. 357. 2. Iterùm à Baſilio Auguſto. 357. 2. Ab Adriano II. conceditur. 363. 2. Pauci interſunt Epiſcopi. 366. 1. Eſt nihilominùs generalis. 366. 2.
Octavæ Synodi acta exponuntur. 367. 2. & ſeqq. Omnis Senatus ac plures Principes Palatini Synodo adſuerunt. 373. 2. Canones viginti ſeptem annuente Synodo, lecti & probati. 392. 1. 2. Septem Synodorum decreta innovantur. Iconoclaſtæ, aliique hæretici, ac etiam Photius anathematizantur. ibid. Decreta Nicolai primi ac Adriani II. confirmantur. Decreta ab omnibus pariter acceptata & probata. ibid. Baſilius Auguſtus poſt Vicarios ſubſcripſit, ante nomen figuram crucis fixit. Epiſcopi calamis ipſo Salvatoris ſanguine tinctis ſubſcripſerunt. 393. 1. Subſcripſerunt item Senatus, &c. ibid. Synodi rogatur confirmatio. 393. 2. Illi Legati Romani ſub conditione ſubſcripſerunt, cur? 400. 1. Codicem Synodi Pontifici detulit Anaſtaſius Bibliothecarius. ibid.
Octava Synodus per Adrianum II. confirmata. 406. 1. Et per Joannem octavum, qui juravit ſe numquam cum Photio communicaturum; quem tamen reſtituit: Fæminea hæc inconſtantia anſam dedit fabulæ de Joanna Papiſſa. 406. 2. Synodi adverſarii. 407. 1. & ſeqq. Canones fuere viginti ſeptem, ſed primus ex toto non eſt probatus, cur? 408. 2.
Offerebatur panis & vinum à Sacerdote conſecrandum, & à populo ſumendum. 125. 1.
Offerre ſuper altare non licet mel, lac, ſiceram, &c. 111. 1.
Offert etiamnùm fidelis propulus per manus Sacerdotum. 127. 2.
Ominandi mos in Eccleſia eſt antiquiſſimus. 355. 2.
Operatio *Dei-virilis*, quæ fuerit, admodùm variant Monothelitæ. 10. 1. Plerique Divinam ſtatuebant. 10. 2. Alii compoſitam. 11. 1.
Operatio *Dei-virilis* nequit dici compoſita. Quidni? 17. 1. Vide *Chriſtus*.
Operatio duplex in Chriſto non tam expreſsè à PP. aſſerta. Ratio. 17. 1.
Operationes duas eſſe in Chriſto, doctiſſimè comprobavit Theophanius Abbas. 38. 2.
Oratoria nobilibus ab Eccleſia Parochiali procul diſſitis dumtaxat concedenda. 84. 2.
Oratorium, altare, Presbyterum domeſticum à nobilibus haberi, res eſt perantiqua. 83. 1. 2. In iis vetitum baptizare niſi de Epiſcopi licentia. 84. 1. Uti & offerri Miſſæ Sacrificium. 84. 2.
Ordinans & ordinatus ſolo facultatum Eccleſiæ donandarum merito, de ſimonia damnatur. 188. 2.
Ordinantes irregularem degradatione puniendi. 383. 1.
Ordinati Apoſtoli ſunt Sacerdotes per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*: Per hæc, *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. Poteſtatem in corpus Chriſti myſticum obtinuerunt. 359. 1.
Ordinati olim nonnulli videntur per ſaltum. 350. 1. 2. Non tamen in Eccleſia Romana. 351. 2.
Ordinatus Epiſcopus ab uno ſolùm Epiſcopo, ab Eccleſia admiſſus. 386. 2.
Ordinatio Epiſcopi ab hæretico Epiſcopo non eſt invalida. 239. 1. Sed illicita, ſi ab Orthodoxis queat ordinari. 239. 2.
Ordinatio per Epiſcopum intruſum exercita eſt irrita, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad executionem: in quo Morinus à vero deviat. 386. 2.
Ordinationem per ſaltum omnis Eccleſia deteſtata. 349. 1.
Ordinationes invitorum. 350. 2. A Simplicio Papa interdictæ, cur? 351. 1.
Ordinatores Photii non ſunt nominatim damnati, quippe qui Canonibus damnantur. 379. 2. 383. 1. 384. 2.
Ordines ab intruſo Epiſcopo collatos Eccleſia Romana irritos exiſtimavit. 373. 1.
Septem Ordines à tempore Apoſtolorum fuere: Græci tribus minoribus omiſſis ſolum Lectoratum contulerunt. 349. 2.
Ordinum Eccleſiaſticorum interſtitia, præſertim Palatinis præſcripta. 271. 1.
Ordinum Subdiaconatus & Diaconatus per diſpenſationem ſimultanea collatio eſt admodùm recens. 271. 2.
Oſculum pedibus Romani Pontificis à Juſtiniano II. impenſum: Quod Calviniſtæ immeritò ſuperſtitionis inſimulant. 172. 1.

P

PAganiſmi paucæ ſuperſunt reliquiæ, ab Epiſcopis eliminandæ. 119. 2.
Palatini in Epiſcopos incongruè aſſumuntur. Cur? 269. 2. Redduntur irregulares, quibus à Principe facta eſt Epiſcopatus promiſſio. cur? 270. 2. 271. 1.
Pallium, quid? quid ſignificet. 316. 1. Ejus uſus antiquiſſimus. 318. 1. Varia nomina. 318. 2.
Pallium à Pontifice Romano ſemper, à Metropolitis certis temporibus & locis geſtatum, cur? 316. 2.
Pallium Epiſcopis Græcis omnibus commune fuit: In ipſa conſecratione dari ſolitum à conſecrante Morinus autumat, at fallitur. 317. 1.
Pallium Patriarchæ à Romano Pontifice non ſemper acceperunt. 317. 2. Eccleſia Conſtantinopolitana pallium à Romana olim accepit. 318. 1. Alii Patriarchatus non ità pridem. ibid.
Pallium S. Jacobi eſt S. Ignatio miſſum, quod ei ſummo in pretio fuit. 358. 1.
Pallia numquam niſi ex ſingulari privilegio habuere Epiſcopi provinciales Latini. 317. 2.
Pallii frequentior uſus Hincmaro interdictus. 315. 1. Pallium paucioribus olim conceſſum, poſtmodùm Metropolitis omnibus, immò ſubindè Epiſcopis. 315. 2.
Papa jam pridem Romæ habuit dominium. 225. 2. Verum omne Eccleſiæ Patrimonium à Leone Iſauro ademptum. 226. 1. Privilegia ac jura diſponendarum Diœceſeon ablata, &c. 226. 2.
Paraſynagoga, quid? 279. 1. Gravi pœna mulctata. ibid. Viam ad hæreſin ſternit. 279. 2.
Parochi Symbolum, Sacramenta, &c. tenentur exponere. 76. 1.
Paſchæ feſtum per integram hebdomadam olim celebratum, poſteà ad triduum contractum. 119. 1. 2. Equorum curſus ac ſpectacula ab his feſtis meritò proſcribuntur. 120. 2.
Patres ante exortas hæreſes liberiùs loquuntur. 342. 2.
Patriarcha ab Eccleſia Romana non confirmatus, ut laicus habendus. 372. 2.
Patriarcha cereum à Clerico ordinando ſibi oblatum aliis donat, mittitque, cur? 322. 1.
Patriarcha à Synodo & ſuis Epiſcopis conſecrabatur. 47. 2.
Patriarcha Metropolitas ad ſuum tribunal poteſt evocare. 295. 2.
Patriarcha ſine Romani Pontificis confirmatione nemo fuit. 386. 1.
Patriarchæ à ſuis Epiſcopis perperàm chyrographa depoſcunt. 276. 2.
Patriarchæ eſt Metropolitas confirmare ac ordinare. Jus conſecrationis Patriarcha Romanus plurimis remiſit, cur? 295. 1.
Patriarchæ reliqui in negotio S. Ignatii modicè allaborarunt, cur? 358. 1.
Paulus Conſtantinopolitanus ſedit annos decem. 26. 1. 28. 1. Pertinax Monothelita ad pacta ſilentia rediri juſſit. 26. 1.
Paulus Monoculus fuit Monothelita. 7. 1.
Paulus IV. Epiſcopus Conſtantinopolitanus Nicetæ Iconoclaſtæ ſucceſſit, ac Iconoclaſtia abjurata, Synodum poſtulavit. 233. 2.
Peccati contagium ſeu communio, quid? 13. 2.
Peccatum originale in non renatis eſt lex peccati, in renatis fœtidum cadaver. ibid.
Pedum in ſolemnibus actibus ſibi præferri curabant Epiſcopi. Pedum Græcorum eſt Latinorum longè breviùs. Ejus forma. 387. 1.
Perjuris pœnitentibus Legati Romani in VIII. Synodo epitimium ſeptem annorum definierunt. 392. 1.
Petri ac Pauli nomen olim frequentiſſimum. 389. 1.
Petrus de Marca refutatus. 258. 1. 299. 2. Graviter lapſus. 296. 2.
Petrus Fullo Triſagio aliquid addidit. 145. 2. Senſit Deum crucifixum, at animo doloſo, quod contrà Eccleſiæ præceptum aſſeruit. 146. 1. Soli Chriſti Divinitati paſſionem adcantavit. ibid. Primus ejus cantandi modus rectè Neſtorianiſmi arguitur. 146. 2. Ejus perverſus animus aperitur. 147. 1. Atque evaſio præcluditur. 147. 2.
Petri Fullonis ſucceſſor, aliique additamentum Triſagii non receperunt. 147. 2. Vide, *Triſagium*.
Philoponi dogmata & mores. 7. 1.
Photiani à Baſilio Auguſto acriter increpati, Canones ajebant eſſe ſupra Pontificem. Nicolai decreta eſſe prævaricatoria attentata. 383. 2.
Photianis Epiſcopis in Synodum VIII. ingredi eſt permiſſum. 378. 1. & *ſeqq.*
Photiani Epiſcopi omnes in VIII. Synodum intromiſſi. 382. 2. Romana decreta redarguunt. ibid. Ea verò tutatur Legatus Hieroſolymitanus. ibid. Qui tamen hinc indè hallucinatur. 383. 1.
Photiani ad reſipiſcendum ſeriò admoniti. 387. 1.
Photianis nec docere licuit, nec imagines depingere, cur? 235. 1.
Photianorum quorumdam reſtitutionem Adrianus II. rogatus denegat. 394. 1.
Photius ab VIII. Synodo legitimè damnatus. 372. 1. A nullo Patriarcharum fuerat acceptatus. 372. 1. 380. 2.
Photius ac Græci odio & invidia adversùs Pontificem Romanum inflammati, cur? 335. 1. Eccleſiam Romanam lapſam aſſeruit, miſitque ad Regem Bulgariæ calumniarum indiculum. 335. 2.
Photius ac Ignatius à Nicolao Romam evocati. 330. 1.
Photius actus in rabiem, quod Bulgari Patriarchatui Romano ſe ſubjeciſſent. 333. 1.
Photius à S. Ignatii ac Pontificis Romani communione ſe fecit extraneum. 279. 1.
Photius à Synodo Romana damnatus & perpetuùm degradatus. 362. 1. Anathematizatur. 362. 2.
Photius Conſtantinopolitanæ ſedis invaſor, Nicolai ejuſque decretorum hoſtis. 262. 1. Condemnatus ad Canones appellavit, voluitque Nicolai acta ab Adriano II. reſcindi. ibid.
Photius contra Canones ordinatus à Nicolao primo graviter exceptus, neque ut Epiſcopus agni-

agnitus, ſed ut laicus. 326. 2.

Photius cum imaginaria Synodo S. Nicolaum temerè excommunicavit: Seque Patriarcham univerſalem appellavit. 333. 2. Ejus fundamenta. 334. 1. & ſeqq.

Photius cum pauculis in pertinacia perſiſtit. 387. 2. Legatos reſpuit, ut prævaricatores Canonum calumniatus. 388. 1. Tandem à Synodo VIII. illi, ejuſque fautoribus dictum anathema. 388. 1. 390. 2.

Photius cum S. Ignatio non communicavit. 322. 1. Undè inter ſchiſmaticos conſtitutus. ibid.

Photius duas animas in homine aſſeruit. Error eſt Apollinarii. 281. 1. Aliorumque. 281. 2.

Photius, Ignatio defuncto, thronum invaſit. Legatos Romanos honorificè excepit. A Joanne VIII. confirmatus. Bulgariam reſtituit, ſed mox iterùm occupavit. 397. 1. 2.

Photius, inſtante Imperatore per laicos ad VIII. Synodum vocatus, quos protervè excepit. 381. 2. Ac Synodum injuria affecit. ibid. In Synodum intromiſſus, rogatus nil reſpondit. ibid. Ei pœnitentia ſuadetur. 382. 1. At ſubticuit. ibid. Cur? ibid.

Photius in Synodo Romana anathemate vincitur. 329. 1. Damnationis cauſæ recenſentur. 329. 2.

Photius in Synodum VIII. intromiſſus. 387. 1. At pedo, cui innitebatur, ſpoliatur. ibid.

Photius non ſolùm anathematizatus, ſed etiam Chriſtiano nomine exutus. 273. 2. Ab eo confictì Patriarcharum Vicarii, imperiti, ruſtici, &c. 272. 2. Non ſunt nominatim anathematizati, cur? 273. 2.

Photius per Baſilium Auguſtum throno ejectus. 354. 1. Ejus Legatus ſubmerſus interiit. 356. 2. 357. 1.

Photius ſcientia ac naturalibus dotibus clariſſimus. 275. 2. Diſcipulos per juramentum ſibi devinxit. Ab omnibus paſſim chyrographa exegit, quæ igni tradita. 276. 1. Erantque per vim à multis extorta. 276. 2.

Photius ſecundum Canonem Pſeudo-Synodi ſuæ pravè intellexit: S. Ignatium nunquam potuiſſe reſtitui, perſuaſum voluit. 404. 2. Tandem ſedi Patriarchali ejectus, in monaſterio concluſus, iteratò damnatus. Ubi & quando interierit, ſepultus, &c. ignoratur. 405. 1.

Photius tres cauſas damnandi S. Ignatium falsò prætexuit. 325. 1. Legatos Apoſtolicos poſtulavit. 325. 2. Ipſe Legatos miſit Epiſcopos. ibid. Qui ut laici à Nicolao 1. ſunt recepti. 326. 1.

Photii acta poſt Synodum VIII. Non ipſe jam Synodum coegit, in qua antè concepta facinora ſtabilire conatur. 401. 1. Huic ipſe præſedit. ibid. & ſeqq. Tres edidit Canones, duos verſutia plenos. 401. 2. & ſeqq. Hanc Synodum unà cum Photio Joannes VIII. damnavit. 402. 1.

Photii calumniæ recenſentur ac refutantur. 335. 2. & ſeqq.

Photii facinora in Synodo Romana expoſita. 360. 2.

Photii in S. Ignatium facinora exponuntur. 320. 2. & ſeqq.

Photii in S. Ignatium ſævitia. 327. 2.

Photii inſolens facinus exaggeratur, quod damnando & degradando Nicolaum Papam commiſit. 361. 2.

Photii rationes. 384. 1. refelluntur. 384. 2. & ſeqq.

Photii ſcripta igne exuſta: Nec licuit ea detinere. 273. 2. 362. 2.

Photii ſententiæ Nicolai Papæ non acquieſcentis falſas objectiones ille repulit. 330. 1.

Photio de additamento *filioque* cum Romana Eccleſia nulla potuit eſſe contentio. 338. 1.

Photio debetur Turcarum potentia. 266. 2. Ejus caſſata ordinatio. ibid. Eum graviùs puniri Nicetas voluit. 267. 1. Eccleſiarum dedicationes, altarium ſtabilitiones ab eo factæ, caſſantur. ibid. & 267. 2. Duas Synodos imaginarias coegit. 272. 1. 2. Ludovicum II. Auguſtum agnovit, ac contra Nicolaum Papam concitavit. ibid. Implorata etiam ejuſdem uxoris operà. 273. 1. Tres ruſticos mendicos Romam deſtinavit, ut populum à Nicolai Papæ communione abducerent. ibid.

Photium non potuiſſe Nicolai judicium ſubterfugere, comprobatur. 385. 1.

Pippinus Rex Synodum de SS. Trinitate, & S. Imaginibus coegit. 253. 2. In qua veriſimiliter definitum imagines nec frangendas nec adorandas. Erroris illius fundamenta. 254. 1.

Pœna peccatis congrua à Confeſſariis imponenda. 167. 2.

Pœnitens Baſilius Iconoclaſta, fidem Catholicam amplectitur. 176. 1.

Pœnitentes Epiſcopi ac Clerici Monothelitæ audientiam in VII. Synodo impetrarunt. 39. 1. Reconciliati, duas in Chriſto naturales voluntates, duaſque operationes confitentur. 40. 1.

Pœnitentes Epiſcopi Photiani libellum Legatis Romanis præbuerunt. 374. 1. Atque in gradum reſtitutis epitimia impoſita. 376. 1.

Pœnitentes Presbyteri *ſtolam* Presbyteralem acceperunt, Diaconi *oraria*; Subdiaconi proprii honoris inſignia. 376. 1.

Pœnitentes tres Epiſcopi Iconoclaſtici in communionem & gratiam recepti, atque in ſedes ſuas reſtituti. 237. 2. Duces aut inventores hæreſeos acriùs increpati. ibid. Sedibus tamen reſtituti. 240. 1.

Pœnitentiæ Sacramentum jam pridem à Monachis adminiſtratum. 391. 2.

Polychronius Monothelita VI. Synodo denuntiatur. 45. 1. Ejus hæretica confeſſio. 45. 2. Poſita ſuper mortuum fidei chartula, ſpe fruſtratur, ac eluditur. ibid. Pertinax anathematizatur. 46. 1.

Pontifex interdum debet in condendis legibus ad Canones attendere. 265. 1. 2.

Pontifex Romanus à Concilio generali nequit judicari, deponi, aut damnari, niſi in caſu hæreſeos. Argumenta in contrarium diſſolvuntur. 304. 1. & ſeqq.

Pontifex Romanus à nemine judicari poteſt. 361. 2. 362. 1.

Pontifex

Digitized by Google

Pontifex Romanus in decidendis fidei quæſtionibus ſolus eſt infallibilis. 371. 1. 2.
Pontifex Romanus in fide nequit errare. 32. 1.
Pontifex Romanus Legatis limitatam plerumque authoritatem impertitur. 31. 2.
Pontifex Romanus nullus fuit hæreticus, nec ullus hæreſin docuit. 371. 2.
Pontifex Romanus numquam ex laicis aſſumptus. 270. 2.
Pontifex Romanus quo ſenſu dicatur *Epiſcopus univerſalis*. 249. 2. A Francis quibuſdam incongruè, *frater* appellatus. ibid.
In Pontificem Romanum excommunicationis convitium latrare ingens eſt temeritas. 364. 2.
Pontifices Rnmani ab eo quod jam ſtarutum eſt, nihil ordinant diverſum. 394. 1.
Pontifices Romani Regiam Epiſcopatuum conceſſionem patienter ac diſpenſatoriè ſuſtinuerunt. 308. 2.
Pontificis litteræ non ſine encomin à VII. Synodn admiſſæ. 239. 2.
Pontificis Romani jus in Conciliis generalibus. 33. 2. Ejus definitio infallibilis. ibid.
Poſſeſſio Eccleſiæ tricennalis adverſus raptores laicos obtinet. 300. 2.
Poſſeſſionum rapinas Eccleſia pedetentim moderatura, eas in Emphyteuſim permiſir. 302. 1.
Poſtulationes Epiſcoporum per Plebem factæ ſunt inſolentes, ac ſeditioſæ. A Synodo Laodicenſi damnatæ. 309. 2.
Presbyteri annn ætatis trigeſimo olim ordinati. 71. 1.
Presbyteri eſt prædicare: quamvis in Eccleſiis cathedralibus nlim juſſi ſint ſilere. 75. 2.
Presbyteri facti Monacbi ad Epiſcopatum non pauci evecti. 404. 1. at nova electione, non ſna voluntate. 404. 2.
Presbyterorum ac Diaconorum viduæ nubere non poterant. cur? 67. 2.
Primas & Ratriarcha olim non fuerunt idem. 294. 2.
Primates plures ſub ſe habent Epiſcopos. ibid.
Primatum Eccleſiæ Romanæ antè Photianum ſchiſma, Eccleſia Conſtantinopolitana plenè agnovit. 328. 1.
Primatum Romanum non evertit, qnod Clero inſeriori appellatio Romana denegetur. 386. 1.
Primatus Eccleſiæ aliò transferri nequit. 334. 1.
Primatus Eccleſiæ Romanæ adſtruitur. 352. 1. Enm S. Ignatius inſigniter eſt profeſſus. 357. 1.
Principes Epiſcoporum cauſas aliis Epiſcopis nnn sarò delegabant, 314. 1. Quod ſacris Canonibus diſſnnum. 314. 2.
Principes laici Conciliis non generalibus intereſſe nnn conſueverunt: nec itidem in cauſis criminalibus. 298. 2. Quod à Regibus Hiſpaniarum exactè ſervatum, ſecùs à Regibus Galliæ. 299. 1.
Principes laici infelici exitu ſacerdotale officium invadunt. 8. 2.
Principes laici Provincialibus Synodis ſolas fidei quæſtiones agitantibus ſubindè interfuere. Ar contra Canones. 299. 2.
Principes laici Synodis Generalibus olim interfuere, in qnibus cauſis? ibid.
Principum in Eccleſiaſticam libertatem vinlentiæ pedetentim irrepſerunt. 189. 2.
Pſalmos & Hymnos in Eccleſia decantandos quivis Epiſcopus nlim componebat. 137. 2. Precum publicarum examen Eccleſia Rnmana meritò ſibi reſervat. 138. 1.
Pſalterium à Clericis, Monacbis, ſacris virginibus, & laicis nlim memoriæ mandatum. 182. 1. Ea obligatio ad ſnlos Epiſcopos poſtmodum, Clericos ac Monachos pertranſiit. ibid.
Puerperarum ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenſio, Unde? 162. 2.
Pyrrbus Monothelita, habita cum S. Maximo diſputatione reſipuit. 23. 2. Rnmam appulſus hæreſin ejuravit. ibid.
Pyrrbus ad vnmitum reverſus, à Theodoro Papa irrevocabiliter excommunicatus. 25. 1.

Q

IN Quadrageſima nvis & lacticiniis Eccleſia Latina niſi in Septentrione non veſcitur, cur? 346. 2.
Quadrageſimalis jejunii apud varias nationes ingeus diverſitas. 346. 1.
Quinta Synodus uni & VI. duas voluntates in Chriſtn definivit. 13. 1. 2.
Quintæ Synodi acta lecta in VI. Synodo, ſed à Monotbelitis enormiter depravata. 35. 1. 2.

R

RAdendi morem Clerus Eccleſiæ Occidentalis tenuit. 347. 1. Nec obſtat Synodus Carthaginenſis IV. 347. 2.
Raſa Clericorum barba Apoſtnlicis conſtitutinnibus non adverſatnr. 348. 2.
Raſura barbæ in Eccleſia Romana à Græcis reprehenditur. 347. 1. Ac immeritò. ibid.
Rapina hæretica juri nil præjudicat. 395. 2.
Referendarius, quis? Ejus munus. 388. 2.
Reges ab electione Epiſcoporum excluſi. 308. 1.
Regibus &c. urbem ingredientibus nbviam itum. 286. 1.
Regum in res Eccleſiaſticas violentia, paſſim ſunt doloſæ Epiſcoporum machinæ. 271. 2.
Regia vinlentia Patriarcham nequit ejicere aut promnvere. 324. 1.
Regiæ Epiſcoporum nominationes ſæpiùs damnatæ. 282. 1.
Regii miniſtri frequenter in Epiſcopos irreverentes. 284. 1.
Regnorum alia eſt diviſio, alia Diœceſeon. 396. 1.
Reliquiarum cultus, poſt datam à Conſtantinn Eccleſiæ pacem mirificè adauctus. 215. 2. Earum translationes nlim fuere admodùm frequentes. 216. 1.
Reliquiarum primus hoſtis Euſtatius, 222. 2. Alter Eunomius. Tertius Vigilantius. Ejus patria. Errores. ibid.
Reliquiæ quando cœperint exhumari ac transferri. 217. 2.
Reliquiæ Sanctorum Chriſtianis ſemper fuere venerationi. 215. 1. Pagani id impedire conati. 215. 2.

Ad Re-

Ad Reliquias Sanctorum dæmones torquentur. 2.6.2. Quod hæretici ad dæmonum præſtigia referebant. ibid. Nec ſola Sanctorum corpora, ſed etiam veſtes, cathedras, &c. ſemper Eccleſia fuit venerata. ibid.
Reliquiis Sanctorum ex antiquiſſima traditione impoſitis conſecrata ſunt altaria. 191. 1. Idque ex Romano more 191. 2. Eadem pietas apud Græcos eſt antiquiſſima. Ritus videtur Apoſtolicus. 192. 1.
Repudii ac divortii libertas frænata; dernò, præſertim à Juſtiniano atque Græcorum Auguſtis, laxata. 154. 1.
De Repudio Juſtiniani leges juri Divino adverſantur. 158 2.
Roma vetus ſemper permanſit prima. 334 2
Romana Eccleſia quoſvis advenas benignè ſolet excipere. 24. 1.
Romana Eccleſia in judicio de perſonis non erravit. 385 1.
Romana Metropolitica Provincia, olim vaſtiſſima. 228. 1 Quam Leo Iſaurus imminuit 229. 1.
Romana Eccleſia omnibus præeſt; ejuſque judicium à nemine retractari poteſt. 372. 2
Romano Patriarchæ omnes Metropolitæ Germaniæ & Galliæ ſemper ſubfuere. 294. 2.

S

SAcra Conſtantini & Irenes divalis lecta in VII. Synodo, qua Synodi neceſſitas oſtenditur, atque juxta Pontificis juſſa Epiſcopis datur ſuffragii libertas. 237. 1.
Sacræ juſſiones ab Eccleſia quondam toleratæ, poſtmodò planè excuſſæ. 225. 1.
Sacramenti materia nequit ab Eccleſia immutari. 345. 2.
In Sacramenti materia nil derogat paupertas aut neceſſitas. 344. 1.
Pro Sacramentorum adminiſtratione quippiam exigi plurimi vetant Canones. 77. 1. 2.
Saltationes ſeu tripudia à Canonibus ac SS. PP. acriter reprehenſa. 103. 1. 2.
Saltuum, ſcenarum, conviviorum abuſus à Gentilibus in Eccleſiam devolutus. 79. 1
Sancti ſalutantur, Deus adoratur. 216. 1.
Sanctis falſas virtutes ac miracula affingere, pernicioſiſſimum. 117. 1. 2.
A Sanguine & ſuffocato abſtinere lex fuit Apoſtolica. 120. 2. Vide, *abſtinere*.
Saturnalia, brumalia, &c. à Gentilibus celebrata. 117. 1. 2.
Scenici ludi ac circenſes curſus remanſerunt. 79 1. Quibus Clericis & Monachis intereſſe vetatur. ibid.
Schiſma & hæreſis Apoſtolicæ ſedi ſemper reſervata. 376. 1.
Schiſmatici nonnulli in Pontificem Romanum excommunicationis convitium auſi latrare. Quod Canone vigeſimo primo VIII. Synodi inhibetur. 304. 1.
S. Scriptura juxtà unanimem SS. PP. conſenſum interpretanda. 76. 2.
S. Scripturæ codices ſumma veneratione colendos cenſuit priſca pietas. 123. 2.
Secundinæ perperàm Chriſto denegantur. 144. 1. 2.
Sedendi ordo in VI. Synodo enarratur. 34 2.
Sicilia olim Metropolitam non habuit, niſi Romanum Pontificem. 227. 2.
Signaculum aliud Epiſcopis, Presbyteris &c. aliud Cantoribus ac Lectoribus impreſſum. 95. 1.
De Simonia damnatur qui ordinat & ordinatur ſolo facultatum donandarum Eccleſiæ merito. 188. 2.
Simonia eſt in Monaſtico ingreſſu pretium exigere. 205. 1. Uti & convivium. 205. 2. Abbatibus pro eo ingreſſu aliquid accipientibus pœnæ ſtatuuntur. ibid. In Belgio dos oblata recipitur, immò exigitur, ſine tamen labe Simoniæ. 206. 1. Nec obſtat Innocentius IV. 206. 2.
Simonia eſt pro eligendis Epiſcopis Abbatibus, &c. auri penſionem exigere. 49. 1.
Somnia non ſemper vana. 353. 1.
S. Sophronius Monothelitarum acerrimus impugnator. 18. 1. Hieroſolymorum Epiſcopus. Epiſtolam ſynodicam compoſuit, miſitque ad omnes Patriarchas, etiam ad Honorium Papam. Ibid. 2.
S. Sophronius in ſilentium de una aut duplici operatione in Chriſto, à Monothelitis doloſè expetitum conſenſit. 19. 1. Quod poſtmodò non ſine cauſa diſrupit. 21. 2.
S. Sophronius ſententiam definitivam popoſcit. ibid.
S. Sophronii doctrina, ut orthodoxa à VI. Synodo recipitur. 42. 1.
Spectacula ac equorum curſus in feſtis Paſchalibus meritò proſcribuntur. 120. 1. 2.
Spectacula gladiatoria *Honorius* Auguſtus ſuſtulit. 78. 2.
Spectacula olim SS. Patres ſunt deteſtati, cur? 78. 1.
Spectaculorum quatuor genera. ibid. Spectaculis idololatria plerumque admixta. 78. 2. Ea à Principibus Chriſtianis depulſa. ibid.
Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, Patres Latini omnes ac Græci ante Photianum ſchiſma docuerunt. 336. 1. 2. Etiam Damaſcenus. 336. 1. Quod tamen in Evangelio non exprimitur. ibid.
Spiritum Sanctum procedere per Filium non pauci Patres ſentiunt. 336. 2.
Spiritus Sanctus à Patre & Filio ut ab uno principio procedit. 337. 1. Qui duos ſpiratores admittunt, ſcandalum præbent. 337. 2. Quam formulam S. Auguſtinus reprehendit. ibid.
De Spiritus Sancti proceſſione loquendi varietas nata eſt inter V. & VI. Synodum. 337. 1.
Sponſalia arctam quidem obligationem inducunt, eorum tamen prævaricatio non eſt adulterium. 163. 2.
Stephanitas, quid? 230. 2.
Subdiaconi anno vigeſimo ætatis olim ordinati. 72. 1.
Subdiaconorum primus Græcis dictus *Domeſticus*, Latinis *Oblationarius*. 376. 1.
Subdiaconos ad continentiam adſtrinxit Pelagius II. 68. 1.

Suc-

Succeſſio hæreditaria in Eccleſiaſticas dignitates olim multùm invaluit. 88. 1. 2. Quam S. Leo ac omnis Eccleſia Latina inſectatur. 89. 1.
Suencfeldianorum hæreſis. 222. 2.
Suffraganei circa tempora Benedicti IX. cœperunt. 312. 1.
Suffraganei opera uti interdum licet. ibid. 2.
Suffraganeos ſeu titulares Epiſcopos proſcribi in Tridentino exegit Seripandus. Ex Suffraganeis varii enati abuſus. ibid. 1.
Superordinatus ex cauſa ab Eccleſia Romana ſubinde ſuſceptus. 386. 2.
Superſtitioſum eſt ſignis ut rebus ſerviliter inhærere. 178. 1.
Symboli redditio non fuit fidei profeſſio. 142. 2. Apud acta conficitur Angelorum. 143. 1.
Symboli redditio quando facta. 141. 2.
Symbolum Catechumenis in Dominica Palmarum traditum. 141. 1. Hinc dies illa *Paſcha competentium* dicta. ibid. Quod poſteà à S. Gregorio mutatum. ibid.
Symbolum in Dominica Palmarum memoriæ mandatum in Concione non auditum. Cur? 142. 1. Ex memoria reddabatur. ibid.
Syncelli loco ſuperiore in Synodis ſederunt. 363. 1. Sunt perantiqui. 369. 1. Quid vox ſignificet. 369. 2.
Syncelli plerumque Monachi, cur? Non rarò Epiſcoporum erant ſucceſſores. 370. 1. Patriarchæ, Epiſcopi, ac Abbates habuerunt plures. Unus erat proto-ſyncellus. 370. 2.
Synodalia acta VII. Synodi ad Patriarchas miſſa, ad Romanum Pontificem probanda & confirmanda. 48. 2.
Synodalia acta VI. Synodi ſunt mutila. 47. 1.
Synodaticum licuit accipere. 190. 2.
Synodus altera à Photio coacta, in qua S. Ignatius injuſtè depoſitus & damnatus. Epiſcopi Ignatio adhærentes exauctorati, in vincula conjecti, &c. 324. 2.
Synodus Carthaginenſis IV. forte mendoſa. 348. 1.
Synodus Cayphaica à Photio coacta, à Synodo Romana condemnatur. 328. 2.
Synodus generalis litteris Apoſtolicis innititur, nec ideò Synodi bujuſmodi ſuperfluunt. 42. 2.
Synodus generalis ſubeſt Apoſtolicæ ſedis directioni. 31. 2.
Synodus œcumenica nulla ſine Romani Pontificis authoritate. 232. 2.
Synodus Romæ ab Adriano II. coacta, in qua Photius tertio anathemate percellitur, ejuſque libri non ſine miraculo exuſti. 361. 1.
Synodus VII. vide, *Nicæna Synodus* II.
Synodus VI. à Canonibus rectè abſtinuit, cur? 168. 1.
Synodus VI. à tota Eccleſia recepta. 50. 1.
Synodus Trullana S. Cypriani errorem Canone ſecundo admittens, in Canones impingit. Hinc ille nunquam receptus. 57. 2.
Synodus Trullana quando habita? 59. 2. vide. *Trullana Synodus*.
Synodi authoritatem non obtinet, quidquid ab Epiſcopis profertur. 359. 1.
Synodi generalis eſt decreta Romana diſcutere & approbare. 358. 2.
Synodi noviſſimæ firmitatem Eccleſia ſemper ſollicitè curavit. 55. 1.
Synodi Photianæ ſunt Concilia vanitatis, &c. 362. 2.
Synodi quinque priores, excepta Nicæna, perperam Canones condiderunt. 168. 1.
Synodi Romanæ actiones & decreta. 360. 2. & ſeqq. ante auditum Pontificem nil voluit definire. 361. 1.
Synodi VI. actiones referuntur. 34. 1. 2.
In Synodis adducti codices ac teſtimonia ſigillata. 37. 1.
Synodo Romanæ quot ſubſcripſerint. 362. 2. In Synodo VI. qui legati. 30. 2. Quot Epiſcopi. 34. 1. Vide, *ſchema*.
Synodo VI. præſertim à Philippico Auguſto oblatratum. Qui ejus imaginem in Eccleſia Conſtantinopolitana juſſit eradi. Quamobrem Romæ Voterea erecta. 55. 1. 2.
Synodorum imagines erigi ſolitæ. 55. 2.

T

TElæ Cameracenſes ſeu Atrebatenſes, vetuſtiſſimæ. 320. 1.
Teſtimonia pro cultu imaginum, ex S. litteris, & SS. Patribus deprompta, lecta in VII. Synodo. S. Nilus à Cayphaica Synodo mutilatus & vitiatus adductus, ex quo nonnulli prolapſi Epiſcopi. 241. 1. Alia teſtimonia lecta. 241. 2.
S. Tharaſius Epiſcopatum coactus admiſit: generalem Synodum poſtulavit. 233. 2. à Romana ſede confirmationem rogavit. 234. 2. atque ab Adriano I. toleratus. ibid. Oſtium Synodi verbo aperuit. Nequaquam præſedit. 236. 1.
S. Tharaſius Epiſcopos ac Clericos iconoclaſtas pœnitentes in communionem & gradum reſtituit. Accuſatus. 245. 2. Seſe expurgavit. 246. 1.
S. Tharaſii Epiſtola ſynodica ad tres Patriarchas, item ad Adrianum Papam in VII. Synodo lecta & laudata. 240. 2.
Theodorus Ex-Patriarcha Conſtantinopolitanus damnatus, è damnatorum catalogo tamen expunctus, cur? 51. 1.
Theodoſiani hæretici, undè dicti? 6. 2.
Theodoſius Eutychianiſta pertinaciſſimus. 7. 1.
Theognoſtus Abbas Conſtantinopolitanus pro S. Ignatio & Eccleſia Conſtantinopolitana maſculè allaboravit. 328. 1. A Nicolao I. defenſus, ab Adriano II. ad Baſilium Auguſtum glorioſè remiſſus. 328. 2.
Thymelici, qui, à menſis fidelium rigidè proſcripti. 210. 1.
Timor fuit in Chriſto, qui? 14. 1. & ſeqq.
Tondendi Reginas injuria olim frequens. 323. 2.
Tonſura clericalis ac monachalis ſemper diverſa fuit. 200. 2. Fuit olim & baptiſmalis. 201. 1. Detonſio ritus fuit profitendæ ſervitutis. 201. 2.
Tonſura clericalis ac monachalis, undè? 198. 1. Corona monachalis, quid ſignificet? Eo modo S. Petrus attonſus fuit. Raſura Gentilibus probroſa. ibid. Sacerdotibus aliquando interdicta. Regni reddebat incapaces. 198. 2. 199. 1. Clericos à Barbaris & militibus diſtinxit. 199. 2.

Tonſu-

Digitized by Google

Tonſuram Latini ab omni Ordine diſtinguunt, Græci à lectoratu non ſeparant. Diſtinctio tamen eſt longè antiquiſſima. 199. 2. etiam apud Græcos. 200. 1.
Traditio non ſcripta tenenda, 260. 2.
Traditiones Eccleſiæ in SS. Patribus aſſervantur. ibid.
Triſagium quid? ejus origo. 145. 1. Ab omni Eccleſia receptum. 145. 2.
Triſagio addentes malè mulctati. 148. 1. Additamentum (Acaciano ſchiſmate jam compoſito) quædam Græcorum Eccleſiæ retinuerunt, quædam rejecerunt. ibid.
Triſagio à Petro Fullone animo doloſo aliquid additum. 145. 2. & ſeqq. Quod quidem ſoli filio cum veritate poteſt attribui, at non ſine ſcandalo. 147. 1.
Triſagion convenit ſoli Trinitati adcantari. 146. 2. 147. 1.
Triſagion à Synodo Chalcedonenſi toti Trinitati decantatum. 148. 2. Additamentum Græci, uti & Gregorius VII. voluere ſublatum. 149. 1. 2. Vide, *Petrus Fullo*.
Trullana Synodus dicta *Erratica*, undè? *Quinta-ſexta*, cur? 168. 1. Ejus occaſio. ibid. Non eſt ſub Agathone coacta, ſed ſub Sergio. 169. 1. Alii Epiſcopi in hac, alii in VI. Synodo interfuere. 169. 2. Miſſi Legati, ſed ut Synodum ſuſpenderent. ibid. Præſes Callinicus Epiſcopus Conſtantinopolitanus 170. 1 Canones ſunt numero 102. 170. 2. Juſtinianus confirmationem nequiit extorquere. 171. 1. Canones ſynodaliter examinati, ſunt à Joanne VIII. genericè diſcreti, hinc obſcuritas. 171. 2. & ſeqq. His Canonibus uſus eſt Xyſtus V. Non autem Florentina Synodus. 172. 2. Canon Trullanus octogeſimus ſecundus à Conſtantino Papa nunquam approbatus; aliquam tamen ſecum affert utilitatem. 172. 2. 173. 1. 2.
Typus Conſtantis Auguſti altum ſilentium tùm de una, tùm de duplici in Chriſto operatione indicit. 26. 1.
Typus Romam confirmandus mittitur. 26. 2. At cum Ecthesi Heracliana condemnatur. 27. 1.

V

VAticinia ex aperti libri Evangelici in conſecratione Epiſcopi occurrentibus verbis olim accepit Eccleſia. 355. 2. 356. 1.
Veſperæ ſeriùs, quam modo fiant, peragendæ. 157. 1.
Veſtes Clericorum luxurioſas damnant Canones ac SS. Patres. 80. 1.
Veſtis monachalis ab hæreticis deſpecta. 202. 1. Veſtium ornamenta in Epiſcopis & Clericis vetantur. 203. 1. 320. 1.
Veſtis monaſtica Epiſcopis Gallicanis aliquando interdicta, cur? 320. 1.
Veſtium libertas à Concilio Gangrenſi facta: Qua Neſtoriani abuſi. 320. 1. Ideoque Canone vigeſimo ſecundo VIII. Synodi refrænatur. 320. 2.
Vigilii duo libelli, apocryphi. 44. 2.
B. Virgo Deipara omnibus Angelorum ordinibus ſuperior. 242. 1.
Viſitare Eccleſias ad Patriarcham, Primatem, &c. pertinet. Idque variis ex cauſis. 301. 1.
Vita ſolitaria à perfectis dumtaxat eligenda. 96. 1.
Unguenta odorifera Epiſcopis ac Clericis interdicta. 203. 2.
Voluntatum diſcordia ex peccato. 10. 2.
Votum ingrediendi religionem ab Epiſcopo emiſſum omninò tenet, verùm ſine Pontificis aut Metropolitæ facultate nequit impleri. 403. 1. Idque ex conſuetudine. 403. 1. 2.
VVilhelmus nomē olim in Anglia paſſim uſitatum, cur? 389. 2.
Uxorem antè ductam Epiſcopo cohabitare à variis Conciliis permiſſum. 67. 1.
Uxor Presbyteri ac Diaconi dicta *Presbytera* ac *Diaconiſſa*. Continentiam profitebatur, & habitum monaſticum aſſumebat. 67. 2. cur? ibid.

FINIS INDICIS.